Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS JESU

PARS SEXTA

COMPLECTENS RES GESTAS

SUB

MUTIO VITELLESCHO

TOMUS PRIOR

AB ANNO CHRISTI MDCXVI.

SOCIETATIS LXXVII.

AUCTORE

JULIO CORDARA

SOCIETATIS EJUSDEM SACERDOTE.


ROMÆ ANNO JUBILÆI MDCCL.

EX TYPOGRAPHIA ANTONII DE RUBEIS

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google



ACADEMIA
REGIA
SCIENTIARUM
ET
ARTIUM
LONDINENSIS

AD
IULIUM ALEXANDRINUM
REGEM

SUPREMUM

PRINCIPEM

SCIENTIARUM

ET

ARTIUM

PATRONUM

FRANCISCUS RETZ

PRÆPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS JESU.

Cum librum, cui titulus *Hiſtoriæ Societatis Jeſu Pars ſexta, Tomus Prior*, Auctore Julio Cordara Societatis ejuſdem Sacerdote, aliquot Societatis noſtræ Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtatem facimus, ut Typis mandetur, ſi iis ad quos ſpectat ita videbitur. Cujus rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 24. Septembris 1749.

Franciſcus Retz.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

F. M. De Rubeis Archiep. Tarſi Viceſgerens.

Hiſtoriæ Societatis Jeſu partem, ut inſcribitur, ſextam, a Julio Cordara Societatis ejuſdem Sacerdote conſcriptam, juſſu Reverendiſſimi Patris Joſephi Auguſtini Orſi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, legi diligenter ac ſedulo, neque ſolum in ea nihil reperi, quo quiſquam vel leviter offendi poſſit, verum e converſo quam plurima deprehendi, quibus magnopere excitari foverique poſſit legentium pietas, ac porro debeat. Occurrunt enim paſſim Virtutum exempla ſplendidiſſima ab inclytæ Societatis hominibus edita; quibus in exponendis ut elucet Scriptoris nobiliſſimi ingenium, & artificium, cum exquiſito ſtyli nitore, elegantiaque conjunctum, ita ejuſdem ſæpe fidem, candorem, prudentiamque laudare neceſſe eſt, cum alia ſequioris exempli ſunt explicanda. Adeo omnia ex vero depromit, quæcunque ea ſint, nihil per fraudem diſſimulans, nihil tegens, libertatem tamen Hiſtoriæ cautè compeſcens ac temperans religioſa modeſtia. Ut mihi quidem videatur Hiſtorici partes omnes ac numeros egregiè aſſecutus, & cum præſtantiſſimis quibuſque Annalium Scriptoribus comparandus. Opus itaque auctori ſuo primum, deinde Societati Jeſu perhonorificum, ut augurari licet, futurum, nec mediocrem Reipublicæ utilitatem allaturum, digniſſimum cenſeo quod publici juris fiat. Romæ ex Monaſterio Sancti Stephani ſupra Caccum Idibus Februarii 1750.

Carolus Lucarellus Abbas Ord. S. Ben. Congregationis Silveſtrinæ Sac. Rit. Congr. Conſultor.

Digitized by Google

Extam Hiſtoriæ Partem de Societate Jeſu luculentiſſime elaboratam a Viro Cl. Julio Cordara ejuſdem Soc. Presbytero, Rmi Patris Auguſtini de Urſis ex Ord. Prædic. Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri mandatis obſequens, cupide admodum, & diligenter perlegi. De hoc igitur Opere ut dicam paucis, ſic ſtatuo, Annales omnes temporum, & rerum teſtes, eſſe omninò prudentiæ, ſapientiæque fontes & capita locupletiſſima. Hanc vero Societatis hiſtoriam ſi quis virorum Apoſtolicorum, ad magna quæque & ardua pro Dei gloria adſpirantium, theatrum ampliſſimum, & triumphum dicat, quod minus dixerit, detrahet veritati. Itum in omnes Terrarum partes, ubique propagata Religio, Pietas, Eruditio, ubique Templorum honos & ſanctitas reſtituta, ubique error, inſania, impietas profligata; ut vix credibile videatur, unam dumtaxat religioſorum hominum familiam tantum audere, aut etiam cogitare potuiſſe. Quare Scriptorem egregium, & jamdiu in litteris omnibus clarum mirari non deſino, quod eventa rerum mirabilia, perilluſtrium & frugi virorum geſta ad imitandum propoſita, regionum procul diſſitarum tractus graphice deſignatos, hiſtoriam denique virtutum omnium exemplis inſignibus refertiſſimam expoſuerit, eamque ſtylo tam uberi, tam perpolito, lautoque exaratam, ut inclyti, & laudatiſſimi Ordinis curis magnis, miriſque conatibus, omnino parem ſcribendi copiam, & dignitatem attulerit. Cumque omnia chriſtianis moribus, & catholicæ perſuaſionis, fideique regulis plane conſentiant, dignum opus cenſeo, quod publica luce typorum æternitate donetur. Salvo &c.

Ubaldus Mignonius de Cl. Reg. Schol. Piarum in Sacra Congregatione promovendorum ad Epiſcopatum Examinator Theologus.

IMPRIMATUR.

F. Joſeph Auguſtinus Orſi Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Mag.

PA-

Digitized by Google

PATRIBUS ET FRATRIBUS SOCIETATIS JESU.

Multo antea debebatur vobis, quæ nunc demum in lucem educi incipit, Hiſtoriæ noſtræ pars ſexta; nec habeo dicere cur dilata tandiu fuerit, niſi quod vel hinc debetis exiſtimare, cujus operis negotiique ſit Hiſtoriam ſcribere, cum præſertim eroſas vetuſtate chartas evolvere neceſſe eſt, & ex farragine documentorum propemodum infinita colligere materiam idoneam, quam deinde ordines, atque contexas, poſtremo latinam facias. Mihi quidem hujus laboris minima, ut verè dicam, relicta pars eſt, eaque ferè planiſſima. Qui enim me præceſſit Hiſtoricus Societatis Vincentius Guiniſius, Vir æquè induſtrius & laboris patiens, totus per diu fuit in excutiendis Tabularii domeſtici monumentis, ſeponendiſque rebus annalium memoria dignis: quas tametſi, utpote in extrema ſenectute ad ſcribendum aggreſſus, minus feliciter explicaverit; commentarios tamen confecit ſpiſſos atque uberes, in quibus ego acta annorum quindecim, paratam veluti meſſem, inveni, & alieni laboris fructum cepi maximum: Quippe abſolutus illa cura, qua non alia moleſtior, percurrendi litteras numero innu-

Digitized by Google

numerabiles, difficili ſæpe ſcriptura exaratas, carie etiam interdum ac ſitu corruptas, vixque alium præterea laborem ſumere coactus, quam ut multa demerem, adderem admodum pauca, omnia diſtinctius digererem in ſuos annos, & apta, quam potui, latinitate donarem.

Jam ut de tota ratione operis, Rev. Patres, Fratresque carissimi, *vos præmoneam, principio illum mihi ordinem conſectandum putavi, quem principes Hiſtoriæ noſtræ Orlandinus, & Sacchinus, quemque alii Religioſorum annalium Scriptores præmonſtrarunt. Annis ergo ſingulis ſingulas Societatis Provincias percurro, quodque eo ſpatio geſtum eſt, uno libro complector: Neque id tamen adeo ſuperſtitiosè, ut non interdum res plurium annorum in unum congeram librum, cum ea nimirum eſt rerum indoles, quæ uno ac continuato narrationis contextu peragi poſtulat. Viſum id convenientius, quam partiri rerum genera, eaque a ſuis initiis uſque ad exitum deducere, quod Juvencius, relicto majorum inſtituto, fecit. Nam tametſi expedire omnia per ſuas claſſes, id ſcribenti legentique commodius accidat, plerique tamen ſeriem temporum quærunt, quoque ordine res ſingulæ contigerunt, eodem narrari volunt: quorum ego judicium ſequi malui, quam Juvencii exemplum; cum maximè audirem fore aliquando, ut ejus Hiſtoria, cæteroqui comptiſſima, ad normam priorum annalium reformaretur.*

Porrò in delectu materiæ multo difficilior mihi deliberatio fuit, quam ſumerem, quamque rejicerem. Occurrebat rerum bene feliciterque geſtarum mira ubertas, ſed ex earum genere, quæ propriæ inſtituti noſtri ſunt, ac penè jam uſu aſſiduo viluerunt. Hæc ſi quoties acta ſunt, toties narranda ſuſcepiſſem, infinitus planè eram, ac propter rerum ſimilitudinem legenti permoleſtus. Sed neque, ut legentium ſatietati occurrerem, præterire omnia debui. Nam præterquamquod, iis demptis, vix quidquam magnopere memorandum in Religioſa Familia reliquum ſit; cur oblivioni traderem facta præclara, & ad inflammandam acuendamque noſtrorum virtutem, quod mihi præ-

Digitized by Google

præcipuè propositum est, in primis idonea? Mediam itaque ingressus viam, ea duntaxat sum executus, quæ, cum per se laudabilia, tum novitatem aliquam, aut certè singulare pretium habere visa. Reliqua ejusdem generis prætermisi, non quia parum splendida, sed quia usitata, & nimis multa.

Sed neque sic fortasse perfecerim, ne fastidiosis quibusdam hujus ævi lectoribus videar justo prolixior, & insulsus. Nam quid attinebat, inquient, toties sacras Missiones, Conciones, Exercitia, ut loquimur, spiritualia, & Improborum conversiones obtrudere, in quibus rebus nulla varietas aut amœnitas, quasque passim usurpatas videmus, nunquam sine fructu, semper sine admiratione? Horum ego si censuram metuerem, excusarem facilè me exemplo non minus illustri, quam gravi, clarissimorum Scriptorum, qui Regum, aut Rerumpublicarum Historias meris bellorum consiliis, aut eventibus impleverunt; nam hæc rati minus insignia quia crebra, nec quia inter se quam simillima, ideo tacenda. Quod si illis licuit suis præliis & victoriis volumina integra confercire, cur nobis non liceat nostris? Nisi fortè pulchriora illa dicenda sunt, quia ex ambitione suscepta, injusta sæpe, semper cruenta, nec fere a vi, a scelere, cladibusque disjuncta. Mihi certè multo molestius fuit hæc scribere, quàm cuiquam legere futurum sit. Veruntamen non debui pensi habere quid externi aliqui dicturi sint, cum vestræ tantum utilitati, & voluptati scriberem. Vobis autem non modo utile, sed & jucundum fore confido, videre in aliis laudata quæ ipsi facitis, nec dubito quin inde novos ad agendum stimulos, novamque alacritatem acceptura sitis.

Hac mente addidi etiam præstantium Virorum elogia, quorum funera in hoc, de quo scribo, tempus inciderunt. Qua in re recedendum mihi nonnihil duxi ab aliorum Scriptorum consuetudine, qui talium hominum vitam integram suis annalibus intexuerunt. Eorum ego virtutes, res gestas, & præcipuas duntaxat laudes attigi, quan-

Digitized by Google

quantum ſatis viſum eſt, tum ne illorum memoria penitus interiret, tum ne vobis ad æmulationem deeſſent domeſtica incitamenta. Longiorem narrationem omiſi, ne opus præter modum juſtæ molis excreſceret.

Præter hæc, quidquid ubique accidit novum & inſolens, ſive illud noſtro Ordini decorum & ſplendidum, ſive minus honorificum, cum fide retuli; pro certo ſumens, æquis rerum æſtimatoribus omnia perinde profutura. Quæ enim honeſtatem & gloriam adjunctam habent, amorem virtutis, quæ vero turpitudinem, ea vitiorum odium & fugam excitant. Nec ſi quiſquam noſtrorum interdum minus ſapienter, aut parum honeſtè fecit, id ego diſſimulandum putavi. Nam quis miretur, in tanta hominum multitudine unum & alterum inveniri degenerem! Optandum quidem ut nemo ſit, ſed in magna mortalium numero non ſperandum. Videbitis proinde alicubi Societatem in deliciis habitam, & votis communibus expetitam, alibi cum ignominia pulſam: Hic vexatam atrociter, nullo ſuo merito; illic invidia non minus gravi, quam juſta laborantem: Nunc unius temeritate in diſcrimen adductam, nunc alterius fide induſtriaque, non ſervatam modo, ſed honoribus præterea, & beneficiis auctam: Ubique tamen ac ſemper (quod ſolatii genus optimum) bonis caram, improbis hæreticiſque odioſiſſimam, & ex maximis graviſſimiſque tempeſtatibus, Deo protegente, ereptam adeo feliciter, ut, quemadmodum de margaritis tradunt, a jactatione & fluctibus pretium firmitatis candoriſque traxerit.

Atque hæc quidem ego, quæcunque ſint, ita trado, ut extant in domeſticis monumentis, quorum ſanctiſſima apud nos fides, nec cuiquam ſapienti ſubleſta, aut parum tuta eſſe debeat. Noſtra enim monumenta cum dico, eas dico litteras, quas Rectores Provinciarum, aut alii probatæ religionis, & prudentiæ Patres, ſcribere ſolent ad Generalem Præpoſitum de rebus ſuis, quæque in Tabulario Societatis Romæ cuſtodiuntur. Quis porro ſuſpicetur, Viros tales, aut ignorare quæ ſcribunt, aut ſu-

pre-

Digitized by Google

premo totius Ordinis Moderatori velle mentiri? Hinc ſiquando aliorum ſcriptis minus conſentire videbitur narratio noſtra, promptum unicuique erit judicare, cui potiſſimum fides adhibenda ſit; nec ullum fore arbitror tam rebus noſtris iniquum, qui veraciores putet tot illos contra Societatem editos libros, quorum auctores conſtat, vel latere omnino, vel infamia notatos eſſe, vel denique, quod indigniſſimum eſt, mero odio, ac maledicendi ſtudio ſcripſiſſe: ut etiamſi mendacii calumniæque comperti non ſint, dent certè ſuſpicioni locum, ſibique omnem fidem ipſa ſtili acerbitate derogent.

Poſtremò curæ mihi fuit, ut quicunque aliqua re bene de nobis meriti ſunt, eorum his annalibus conſignarem nomen; tegerem contra eorum, a quibus maleficium aliquod, aut injuriam accepimus. Probabitis, puto, ut eſtis ſapientes, conſilium meum. Nam, ut grati animi eſt alere beneficiorum memoriam, eorumque a quibus beneficium acceperis recordari, religioſi item eſt injuriarum oblivisci. Et quamvis præteritas meminiſſe calamitates interdum juvet, calamitatum certè auctores ſcire nil attinet. Equidem in hac re malui Hiſtorici partibus, aliquid tacendo, deeſſe, quam minus caute ac moderate facere, aut non omnino obſequi ingenio veſtro, quod ab omni, non modo offenſione, verum etiam offenſionis periculo alieniſſimum ſcio.

Atque hæc demum ſunt, Reverendi Patres, Fratresque in Christo optatissimi, *quæ Vobis in anteceſſum indicata volui de tota ratione Operis, quod Majorum voluntate ſuſceptum huc uſque perduxi. Ad reliqua properanti multum accedet animi, ſi primum hunc fructum laboris, & induſtriæ meæ Vobis probari intellexero.*

Digitized by Google

PROTESTATIO AUCTORIS.

QUæcunque narrantur in his annalibus de Virorum Illuſtrium quorumcunque virtutibus, aut miraculis, ac ſi quæ alia referuntur, quæ vim & conditionem naturæ ullo modo videantur excedere, ea Scriptor ita vult intelligi, ut à privata duntaxat auctoritate profecta, nec fidem humana majorem promerentia: quod Urbani VIII. decretis inſiſtens profitetur, ut S. R. Eccleſiæ, cujus eſt de his rebus judicium ferre, ſuum præſtet obſequium, ac reverentiam.

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ

LIBER PRIMUS

ANNUS CHR. 1616. SOC. 77.

1. Proœmium.

EXTAM domeſticæ Hiſtoriæ partem, Deo bene favente, ſcriptu-
ro, initium mihi erit annus a Chriſto nato milleſimus ſexcen-
teſimus decimus ſextus, a condita Societate ſeptimus ſupra ſe-
ptuageſimum, quò uſque Juvencius, proximus ante me rerum
noſtrarum ſcriptor, quintam produxit. Triginta ipſos annos
hac ego parte complector; totidem enim Mutius Vitelleſchus,
cujus modò decurrendum eſt regimen, Societati præfuit. Re-
rum hoc tempore geſtarum magnitudo, ac varietas, argumen-
tum dabit ad ſcribendum ferax, nec, ut ſpero, legentibus injucundum. Felicem
enimvero, ac pacatum eo moderante curſum Societas tenere viſa eſt, ſi præſertim
turbulentiora Aquavivæ tempora repetantur. Sed tamen procellæ non defuerunt, ut
ferè in longiore navigatione non deſunt. Hæreticorum furor, improborum calum-
niæ, barbarorum Canadenſium crudelitas, Japonum rogi, materia patientiæ fuerunt,
& gloriæ. Regiones ego ſingulas, in quibus non improſperè verſatus eſt, ſuperis
adjuvantibus, noſtrorum labor, calamo diligenti percurram, quidque in una-
quaque geſtum ſit, ſi modò ſcitu dignum videatur, in ſuos annos digeſtum ex-
ponam. Nec tametſi aliqua interdum acciderint exempli ſequioris, & ab Inſtituti
noſtri rationibus aliena, ea ſilentio tegam: ſatis gnarus, & rectè, & perperam
factorum exempla ex æquo prodeſſe, ſi ita ſis animo comparatus, ut illa ſequi,
hæc declinare velis. Invitus equidem faciam, cum aliquid domeſticæ labis ex-
promam, quod certè mallem oblivioni tradi, quam litteris: At Hiſtoricum ago,
cujus eſt vera, non glorioſa ſectari. Nec proinde verecundia impediar ne lauda-
bilia, nec cæco rerum noſtrarum ſtudio, ne probroſiora, ſi qua erunt, cum
fide referam.

2. Status Societatis hoc tempore ſatis felix.

Erat ſtatus Societatis hoc tempore admodum felix. Principio Hiſpanici mo-
tus, qui ante aliquot annos totam pene Societatem concuſſerat, nec reliquiæ ſu-
pererant. Pacatè vivebant ubique Socii, magna inter ſe conſenſione, majori cum
ſuo capite, quam animorum conjunctionem nullus deinde caſus imminuit. Inve-
niebatur præterea in unaquaque Provincia Virorum litteris ac ſanctimonia præ-
ſtantium mira copia, & qua non alia fortaſſe ætas majorem vidit. Nam ad do-

Digitized by Google

3. Quales Viri florerent sub hoc tempus in Societate.

ctrinam quod attinet, florebant hoc tempore in Theologica facultate, præter Doctorem eximium Franciscum Suarez, Leonardus Lessius, Joannes de Lugo postea Cardinalis, Ægidius de Coninck, Joannes Dicastillus, Antonius de Escobar, Gaspar Hurtadus, Franciscus Amicus, Rodericus de Arriaga, Jo: Martinez Ripalda, Luisius Turrianus, Joannes Ledesma, Ludovicus Ribas, aliique ejusdem notæ. In Dogmatica Robertus Cardinalis Bellarminus, Franciscus Annatus, Dionysius Petavius, Jacobus Sirmondus, Joannes Gonterius, Maximilianus Sandæus, Martinus Smiglecius, Martinus Becanus, Jacobus Gretserus, Theophilus Rainaudus. In Ascetica Eusebius Nierembergus, Ludovicus à Ponte, Stephanus Binetus, Alphonsus Rodriguez, Hieremias Dressellius, Ludovicus Pinerus, Jacobus Alvarez de Paz, Ludovicus Richeomus. In scientia morum, Paulus Comitolus, Vincentius Filliuccius, Stephanus Fagundez, Paulus Laimàn, Ferdinandus Castropalaus, Franciscus Pellizzarius, Valerius Reginaldus, Thomas Tamburinus. In sacrorum Codicum intelligentia Cornelius à Lapide, Ferdinandus de Salazar, Jacobus Bonfrerius, Joannes Lorinus, Didacus de Celada, Stephanus Menocchius, Augustinus de Quiros, Joannes Pineda, Franciscus Ribera, Gaspar Sanctius, Didacus de Baeza, Jacobus Tirinus. Quoad reliquas vero litteras, tum graviores, tum amœniores, eminebant inter Philosophos ac Mathematicos Nicolaus Cabeus, Jo: Baptista Ricciolius, Christophorus Scheinerus, Gregorius à S. Vincentio, Paulus Guldinus, Christophorus Grierbengerus; Inter Historicos Joannes Mariana, Jacobus Salianus, Joannes Bollandus, Matthæus Raderus, Famianus Strada, Franciscus Sacchinus, Julius Cæsar Bulengerus, Heribertus Rosweydus: Demum inter Rhætoricos ac Poetas Bernardinus Stephonius, Nicolaus Caussinus, Jo: Ludovicus de la Cerda, Michael Coyssardus, Jacobus Pontanus, Tarquinius Gallutius, Sidronius Hoschius, Franciscus Remondus, Matthias Casimirus Sarbievius, aliique complures, quorum laudatissima sunt nomina, scripta autem in Bibliothecis cum honore versantur. Nec minus interim vitæ sanctitate spectabantur, in Italia Julius Mancinellus, Bernardinus Realinus, Marcellus Mastrillus, Robertus Bellarminus Cardinalis, Vincentius Carafa, (idem ille qui Vitelleschо in Societatis præfectura successit) Evangelista de Gattis, Franciscus Pavonus, Nicolaus Zucchius, & intemoratus juvenis Joannes Berchmans: In Sicilia Ludovicus Lanuza, Jo: Baptista Carminata, Carolus Romanus, Josephus Scammaca, & Gaspar Paraninfus: In Sardinia Salvator Pizqueda, Joannes Manconius, & Joannes Garrucius: Andreas Bobola, Nicolaus Lancicius, & Joannes Argentus in Polonia: Martinus Stredonius, Hieronymus Dresselius, Andræas Nigrinus, Albertus Chanowschius, & Gulielmus Lamormainius in Germania: In Belgio Thomas Saillius, & Franciscus Costerus: In Anglia Thomas Pondus, Joannes Gerardus, Franciscus Walsingamus, & Richardus Blondus: In Gallia Petrus Cottonus, Franciscus Anna de Bovò, & S. Joannes Franciscus Regis: In Hispania Ludovicus à Ponte, Hieronymus de Florentia, Alphonsus Rodriguez, Hieronymus Lopez, Petrus de Urteaga, Joannes Gondinus, Petrus de Leon, Rodericus Ninus de Guzman, Josephus de Calatayud, aliique. In Lusitania Franciscus Mendoza, Hieronymus Diaz, Antonius Moralius, Leo Henricius, Joannes Correa, Antonius Mascarenia. Denique in Provinciis Americanis Alvarus de Paz, Ruizius de Montoja, Alphonsus Sandovallius, Petrus Claver: Ut nihil dicam de Carolo Spinula, Sebastiano Kimura, Didaco, & Michaele Carvallio, Hieronymo de Angelis, aliisque non adeo paucis, qui in Japonia, in Mexico, in Æthiopia, inter Cafros, & Mogoles, divinam Religionem pro suis quisque viribus propagabant, ac demum igne aut ferro consumpti, gloriosam pro Christo necem obierunt. Ex ipso Fratrum Coadjutorum ordine (hoc nomine suos Laicos appellat Societas) plurimi censebantur sanctitatis fama conspicui, veluti Simon Buccerius, & Marcellus Scalionus in Sicilia, Jacobus Alagonius, & Franciscus Hortulanus in Sardinia, Joannes Cornelius in Germania, Alphonsus Rodericius in Baleari majori, atque alii, quorum in decursu Annalium mentio fiet. Ferebantur eodem tempore secundissima fama labores apo-

Digitized by Google

apoſtolici Patrum Franciſci Buzomii in Cocincina, Roberti de Nobilibus in Regno Madurenſi, Aloyſii Valdiviæ in Chileno, Petri Romeri, & Rochi Gonzali in Paraquaria, Antonii Rubbini in Ceilano, Petri Paezii inter Abiſſinos, Hieronymi Xaverii inter Mogoles, Lazzari Catanei, Alphonſi Vagnoni, & Sabbatini de Urſis in Sina: Atque ut omnia paucis complectar, penè ex omnibus terræ plagis læti afferebantur quotidie nuncii, deſudantibus ubique filiis Societatis, ut rem Chriſtianam augerent, & ſua profeſſione digni invenirentur. His omnibus, quaſi felicitatis cumulus, accedebat novus Generalis Præpoſitus, in quo nullam optimi moderatoris partem deſiderares. Mitiori quidem natura vir, comis idem, atque ab omni faſtu arrogantiaque alieniſſimus; ſed juris æquè tenax, omnia ad leges metiri ſolitus, nec facilis quidquam de diſciplina remittere cujuſquam gratia, vel metu. Magna illi apud ſuos auctoritas, magna domi foriſque exiſtimatio: quodque ad cuſtodiendas ordinis leges, omneſque in officio continendos, momenti plurimum afferre ſolet, multum gratia poterat, cum apud omnes Principes, tum apud Pontificem in primis, ac reliquos Romanæ aulæ Proceres. Eam porrò ſibi paraverat nativo candore animi, & agendi modo prorſus ingenuo ac liberali, prudentia deinde, ac rerum uſu, quo præſtabat in paucis; poſtremò religioſarum virtutum magnitudine, quibus omnium in ſe oculos convertebat. His ergo inſtructus imperandi artibus, ſedebat ad clavum Societatis Vitelleſchus, & in totum latè Ordinem curas & conſilia dividebat, nullam rem prætermittens, qua non modo auctoritatem imperii ſui, ſed & concordiam inter ſocios, & inſtituta majorum, & litterarum ſtudia proveheret.

4. Quam idoneus eſſet ad gubernandum Societatem Mutius Vitelleſchus.

In ipſis autem magiſtratus ſui primordiis, nec dum ſoluto generali conventu (qui in hunc, de quo ſcribimus, annum exceſſit), eam ſibi formam vitæ præſcripſit, unde licuit conjecturam facere, felicem ac fauſtam ejus adminiſtrationem Societati fore. Exemplo ſit quod ſubjicio. Conſueverant hactenus Generalium plerique cibum ſumere in ſuo conclavi, ſeorſum a familia reliqua; namque id illis, juſtas ob cauſas, leges noſtræ permittunt. Mutius communi omnium menſa uti cœpit; quin egit in comitiis, ut id perpetuò ſervandum decerneretur. Quod tametſi Patres, collaudata ejus voluntate, decernere noluerunt, perrexit ille tamen uti cœperat, & exemplum reliquit, quod ex eo tempore apud ſucceſſores fere in morem abiit. Verum id levius. Illud multo præſtantius, quod graviſſimè læſus, patrocinium ſuſcepit adverſariorum ſuorum, nec ſolum omnem ab illis pœnam deprecatus eſt, verum & eoſdem deinceps amicorum numero, & loco habuit. Res eſt digna ſcitu, & paulo altius repetenda. Quo tempore generalia Comitia ad ſubſtituendum Aquavivæ ſucceſſorem indicta fuerant, pauci aliqui Sociorum, nec ſcio utrum bonæ an malæ mentis homines, turbidi certe, audaceſque, collatis inter ſe conſiliis conſpiraverunt, ut Vitelleſchum ab ſummo honore dejicerent; Hunc enim unum videbant tacitis omnium votis Præpoſitum deſignari. Bonum obtendebant publicum Societatis, cui ajebant minime conſultum iri, ſi rerum potiretur Mutius, homo ſcilicet honorum, ut dictitabant, appetentiſſimus, qui plus æquo coli vellet, qui potentiorum amicitias in omni vita captaſſet, qui frequentia clientelarum abuteretur ad potentiæ oſtentationem. Quam temere ac falsò conficta hæc eſſent, videbant omnes, quotquot erant animo a præjudiciis vacuo. Verſabantur quippe in omnium oculis mores ejus integri, religioſi, candidi, & ab omni non modo ambitione, verum etiam ambitionis ſuſpicione remotiſſimi. Illi nihilominus, falſa opinione occupati, concurſare huc illuc, ſuffragatores, ut quiſque in Urbem advenerat, fucatis ſermonibus circumvenire, multa ſpargere, quæ innocenti invidiam facerent, idem omnes compoſito machinari. Atque ubi vident carere ſucceſſu ſua conata, rumoremque domi gliſcere, Mutium præ cunctis Præſidem totius Ordinis electum iri, ad extrema converſi, rem incœptant apud nos inauditam. Adeunt Oratores Galliæ Hiſpaniæque, ſollicitant illos, & ſuas trahere in partes conantur, pro certo ſumentes, interventu ac deprecatione Virorum ta-

5. Modeſtiæ ſpecimen a Vitelleſcho editum vix inito Magiſtratu.

6. Indicatur conſpiratio ab aliquibus facta, ad impediendam Mutii electionem.

Digitized by Google

talium flectendos Electorum animos, & a ſuſcepto conſilio dimovendos. Ipſum quin etiam adoriri Pontificem Maximum auſi ſunt, exaggerantes quod inſtabat periculum, roganteſque, ut pro egregia ſua in noſtrum Ordinem voluntate, vellet juberet, alium quemlibet Societati Rectorem imponi, præter quam Vitelleſchum. Nihil his molitionibus miſeri, niſi pudorem, & facti pœnitentiam retulerunt. Pontifex Paulus V, cui non facilè quiſquam mortalium imponeret, auditis eorum obtrectationibus, hæc totidem verbis reſpondiſſe dicitur: *Si Mutius eſt qualem dicitis, fruſtra timetis ne fiat veſter Præpoſitus.* Legatus Gallicus (erat is Franciſcus Hannibal Dux Eſtræus) diſertè negavit, ullam ſe partem ſuſcepturum in negotio, de quo nullum à Rege mandatum accepiſſet. Hiſpanicus Franciſcus de Caſtro, tametſi viſus initio favere velle factioſis, mutavit paulo poſt mentem, & ab incœpto deſtitit. At Electores adeo nihil tot machinis moti ſunt, ut inde potius incitamentum habuerint ad eum eligendum virum, quem cum per ſe digniſſimum ſummo honore, tum hominibus parum religioſis minime acceptum eſſe intelligebant. Et multorum fuit opinio, niſi Adverſarii tot artibus, & quaſi aperta vi graſſari contra Mutium inſtituiſſent, non ita facile Patres in ejus electionem fuiſſe conſenſuros. Humani certè ingenii proprium eſt niti contra injuſtam vim, & faciendi jus, cum impetitur, inter cauſas rationeſque faciendi ponere. Id ſaltem effectum tot obtrectationibus, ut Patres exteri in Mutium inquirerent curioſius, eumque interius ac plenius agnoſcerent. Ita demum, peractis quæ lege & more ſervanda fuerant, XVII. Cal. Decembris Mutius Vitelleſchus Societatis Præpoſitus fuit ſalutatus, paucorum quidem ingratiis, ſed bonorum omnium ſumma gratulatione, & gaudio.

7. Pauli V. Pontificis prudens reſponſum ad AccuſatoresMutii.

8. Mutius jam Generalis adverſariorum ſuorum patrocinium ſuſcipit.

At ægerrimè ferens Congregatio Generalis quæ contra leges primò, tum contra Mutii ipſius dignitatem incepta fuerant, nullam curarum potiorem habebat, quam ut de tam gravi flagitio inſtitueretur ſeveriſſima quæſtio, & turbulenti homines pro modo culpæ plecterentur. Res enim agebatur exempli peſſimi, & quæ publicæ offenſioni fuerat. Ne ſtatim fieret hoc decretum unus interceſſit Mutius, impetravitque, qua precibus, qua auctoritate, ut miteſcerent tantiſper animi, ac toti eſſent interea in gravioribus Societatis negotiis. Reipſa extractis Comitiis uſque ad VII. Cal. Februarii, una fuit hoc toto ſpatio omnium cura, ut publicæ proſpicerent rei, quem in uſum multa ſalubriter conſtituta, ac univerſo deinde Ordini denunciata fuerunt. At dilata animadverſio fuerat, non remiſſa, non oblivioni tradita. Extremo Comitiorum die iterum agi placuit de coitione illa quam diximus. Relatione autem facta, perrogatiſque ſententiis, cenſebant miro omnes conſenſu Patres, judicium de tam gravi cauſa decernendum videri, omnino pœnas de ſontibus exigendas. At Vitelleſchus poſt omnes, ut mos eſt, dicere exorſus: Imo vero, ait, rem perpetua oblivione delendam ego exiſtimo. Eſto enim illi ab officio diſceſſerint, eſto parum ſapienter & conſideratè fecerint: At amore Societatis abrepti ſunt, cujus arbitrabantur intereſſe plurimum, ne fieret ſummus Præſes, quem tanto muneri imparem, nec immeritò, judicabant. Non ſane probandum, quod modum omnem prætergreſſi ſint, ſed quod non malo animo male egerint, ignoſcendum. Tum ad preces converſus, peroravit eorum cauſam tam graviter, tam appoſitè, ut verecundia fuerit Patribus orationi communis Parentis refragari diutius, & obſiſtere. Itum igitur eſt in ejus ſententiam, datumque ejus gratiæ, ut rei tam odioſæ nulla deinceps quæſtio, nec mentio fieret, ſed omnino facti memoria è publicis Congregationis actis eraderetur. Lætus ſucceſſu Mutius, cum nihil eſſet præterea in communi deliberandum, de conventu ſolvendo propoſuit. Prius tamen quam Patres dimitteret, eos ſupremum alloquens, rogavit omnes vehementer, atque obteſtatus eſt, ut ſiquidem onus ſibi majus viribus impoſuiſſent, fatiſcenti opem & auxilium ferrent: Caperent ipſi partem ſollicitudinis ſuæ: viderent etiam atque etiam, ne quid uſpiam Societas detrimenti ferret, quæque communi conſenſu decreviſſent, ea in ſuis quiſque Provinciis ſervanda curarent. Sibi enim-

9. Congregationem Generalem dimittit, edito prius inſigni demiſſionis exemplo.

Digitized by Google

enimvero gratiſſimum fore, ſi quid rei communis intereſſet, a quolibet etiam privato admoneri, & daturum operam, ne fruſtra admonitus videretur. Quæ, & ſimilia locutus, abjecit humi ſe, pedes proximè aſſidentis, ac deinceps cæterorum oſculaturus. Verum illi uno ſimul impetu è ſubſelliis exilientes, jacentem erexerunt, abituri quantocyus, ni abſiſteret. Quod ergo unum ſupererat, debitæ Omnipotenti Deo gratiæ peractæ ſunt, hymno euchariſtico decantato; atque inter mutuos amplexus felicem curarum exitum ſibi invicem gratulantium, Mutius Congregationem diſſolvit. Poſt hæc in ſuas ſinguli provincias reverſi Patres, magnam ubique de Mutio opinionem excitarunt, magnam Societatis per eum feliciter adminiſtrandæ ſpem. Nec jam aliter ſentiebant iidem illi, quos antea habuerat obtrectatores invidos, & rebus ſuis iniquos. Fatebantur ultro miſeri, ſe ſecus quam par eſſet de Parente optimo judicaſſe, ad eumque timidi adventabant, ac pudore ſuffuſi, veniam oraturi ſcilicet, & gratias acturi, quod non pro ſuo merito pœnas malefactorum luerent. Verum ut fari cœperant, abrumpebat moleſtum ſermonem vir ingenio manſuetiſſimus, in genua provolutos erigebat, amantiſſime amplexabatur, bono & alacri animo jubebat eſſe, ſe, inquiens, ita illis injuriam omnem remittere, quemadmodum ſua ſibi crimina a Deo O. M. condonari cuperet. Atque hæc adeo ſincerè, & ex animo, ut eorum nonnullos habuerit deinde in omni vita amiciſſimos, & maximè familiares.

10. Manſuetudine ſuos ſibi obligat adverſarios.

Dum autem primis diſtinebatur regiminis curis, & quaſi ex altiſſima ſpecula laborantem ubique gentium pro animarum ſalute Societatem circumſpiciebat, vidit in ipſa Urbe Roma confectum opus piarum exercitationum feraciſſimum, & quo neſcio equidem an aliud ſit ad fovendam Romanorum pietatem utilius, Oratorium ſcilicet, quod Indiarum Apoſtolo S. Franciſco Xaverio dedicatum, à P. Gravita nominari vulgo ſolet. Ædes eſt juſtæ magnitudinis Collegio Romano proxima, eique ponte conjuncta, cujus miniſterio certi deſtinati ſunt Patres in eodem Romano Collegio habitantes. Ædis porrò uſus multiplex. Primò aperitur quotidie ſub occaſum ſolis ad magnam hominum omnis generis multitudinem, excluſis dumtaxat feminis. Adeſt Sacerdos, qui pro concione loquitur, ad excitandam deteſtationem criminum, pellendaſque ſalutari metu flagitioſorum mentes. Si quos, ut ferè ſemper, tangat Cœleſtis Gratia, & ad deponenda onera conſcientiæ permoveat, parati ſunt in pœnitentiæ ſellis alii plurimi Sacerdotes, qui confitentibus aures præbent. Adduntur piæ preces, voluntaria verbera, aliaque ad placandas cœleſtes iras opportuna piacula, donec poſt unam, & alteram horam, omnes abſcedunt. Haud facilè dixerim, quanta inde utilitas manet in publicum, concurrentibus ad nocturnam ejuſmodi exercitationem ſummis infimiſque eo liberius, quo occultius. Eſt deinde eidem Oratorio addicta ſodalitas, cui Roma quantum debeat, nemo ſatis judicaverit. Viri omnes ſunt probatæ virtutis, delectique inter optimos Civitatis, Opifices plerique, labore manuum victitare ſoliti, & pars maxima Patres familiarum, ut eorum pietas ad domeſticos quoque pertineat. His ſodalibus frequentatur eadem ædes diebus Dominicis, & feſtis omnibus, atque ita frequentatur, ut vix ullum per eos dies otium capiant ab officiis, ac laboribus piis. Conveniunt mane ſummo, quodque interfluit temporis uſque ad meridiem, divinarum rerum meditationi, & lectioni, tum decurrendis in communi laudibus B. Virginis, audiendæ concioni, & ſacris participandis impendunt. Redeunt in ædem a prandio, & inde mox ad urbanam, ut loquimur, Miſſionem egrediuntur: qua exacta, iterum redeunt ingruente nocte, nec ante abſcedunt, quam illa, quam ſupra memoravimus, nocturna exercitatio peracta ſit: Ut quos habent toto anno ſolos ad reſpirandum dies, eos Viri optimi omnino ſanctè, ac moris Religionibus tranſigant. Neque vero ejus, quam dixi, Miſſionis urbanæ modicus labor, aut pretium contemnendum. Sed intereſt ſcire quid illa ſit, & quantum ad eam ſodales Oratorii conferant. Eſt ita à Majoribus inſtitutum, ut omnibus diebus feſtis, quotquot intra annum incidunt, aliquam Romanæ Ur-

11. Res Provinciæ Romanæ. Inſtitutio celebris Oratorii, quod à P. Gravita paſſim nominant Romæ.

12. Quale ſodalitium in eodem Oratorio ſit inſtitutum.

13. Quid ſit Miſſio Urbana, & quam fructuoſa.

Digitized by Google

Urbis partem noſtri homines excolant Catecheſi, Concionibus, aliiſque id genus miniſteriis, quæ in ſacris Miſſionibus paſſim uſurpari ſolent. Munus laborioſum æquè, ac frugiferum Patribus Oratorii curam gerentibus commiſſum eſt. In duodecim Urbis regionibus totidem ſunt in hunc uſum deſtinata Templa, quæ per eos dies noſtris hominibus permittuntur. Peragi ſolet popularis celebritas concurſu incredibili omnis ætatis ac ſexus, & pari fructu, quod criminum confeſſiones indicant, magno ſemper numero, & ſingulari doloris ſenſu fieri ſolitæ. Transfertur ex uno in aliud Templum ſingulis in orbem menſibus. Prius tamen quam transferatur, ipſo menſis ultimo die feſto, ſynaxis celebratur, tanta plerumque frequentia, ut niſi ædes ſatis ampla ſit, multitudinem ægrè contineat. Adſunt ſæpe aliqui Cardinalium, & peracta ibidem re divina, ſuis ipſi manibus ſacram Hoſtiam circumferunt, & populo impertiunt. Ipſi ſe aliquando in turbam conjiciunt Proceres Civitatis, ut ad menſas accedant longo ordine diſpoſitas, & divinam dapem accipiant. Denique, ne longior ſim, ex omnibus rebus, quæ ad corrigendos mortalium mores, fovendamque in magno populo pietatem excogitari poſſunt, vix alia eſt perpetua iſta Miſſione ſalubrior: Ut nihil vereamur dicere, etiamſi cætera deeſſent, nunquam defuturam Romæ pietatem eximiam, hac una ſalva. Jam, tametſi præcipuas in hoc opere partes gerant homines Societatis, multum etiam adjuvant Oratorii ſodales, & Apoſtolici muneris partem ſumunt, ut laici, non exiguam, nec ſterilem. Miſſioni initium ipſi faciunt, longo ordine incedentes ab Oratorio ad præſtitutum Templum, ac divinas interim laudes, excuſſo pudore malo, concinentes. Solent eodem tempore circummitti per frequentiora Urbis fora noſtri Juvenes ad concionandum. Hos ſemper aſſectantur aliqui ſodalium, ut male feriatos homines ad concionem cogant, & ſilentium concionanti præſtent. Simul ac finis dicendi factus, vocem intendunt, Lauretanum præcinentes carmen, ac ſublimi Cruce, totam ferè concionem magno agmine poſt ſe trahunt ad deſtinatum Miſſioni Templum. Iidem, ubi ſacra ſynaxis indicta eſt, menſas Euchariſtici Convivii ſternunt, Sacerdotibus confeſſiones audituris ſedilia provident, in ſacris carminibus præcentores, in rebus omnibus adminiſtri.

14. Quantum ad eam conferant pro ſua parte ſodales Oratorii.

15. Cur P. Petrus Gravita Oratorii primus auctor exiſtimetur.

Hæc ergo omnia, ita prorſus ut nunc fieri cernimus, partim de novo inventa, partim in morem inducta, partim firmioribus legibus conſtituta vidit hoc ipſo anno labente Mutius, eaque conſilio, opera, & induſtria Viri nominatiſſimi Petri Gravitæ, qui propterea primus quaſi auctor & parens Oratorii creditur. Cæterum, ad Miſſionem quod pertinet, ejus paulo antiquiora fuerunt initia, nec alienum, puto, erit pauca de illis ad memoriam poſteritatis attingere. Operis tam inſignis fundamenta jecerant quidam ex noſtris Collegii Romani Scholaſticis, ante annos ferè duodecim. Nam ut ſolebant diebus feſtis per infrequentiores Urbis vias inambulare animi cauſa, conſpicati multos ad ripam Tiberis naviculatores, multos item ruſticorum greges in foris compitiſque otiantes, eos piis detinere colloquiis, & privatim ad pietatem hortari cœperunt. Id ſemel, iterum, ac tertio cum feciſſent, redeuntibus jam octavo: eoque die in eadem loca noſtris junioribus, affundebantur ultro ex otioſa pleb[illegible] quamplurimi, & ſe circum agglomerabant, audiendi ſtudio. Illi, quo audirentur commodius, ut forte ſcamnum viderant, aut aliud quidlibet ab humo extans, eò conſcendere, illud pro ſuggeſtu habere, nec jam privatim, ſed publicè verba facere inſtituerunt. Concionum is erat plerumque exitus, ut cum diſcedendum erat, ſecum aliquos audientium abducerent in proximius Templum, ad animæ labes confeſſione purgandas. Sic illi perdiu, duce omnium, & quaſi ad Apoſtolicum laborem anteſignano, Nicolao Promontorio, Juvene, ut tunc erat, ingentis ſpiritus, & eximiæ ſpei: Qui ſucceſſum videns conſiliorum ſuorum oppidò lætum, & ſpe prope majorem, traxit in ejuſdem ſocietatem operis aliquot Collegii Patres ex gravioribus, perpulitque eos, ut ſtata hora adeſſe vellent in certis quibuſdam Templis, ad hominum confeſſiones audiendas. Hinc, ut facile eſt ex bene cœptis ad meliora progredi, venit in mentem Patribus Dario

16. Quæ fuerint initia Miſſionis Urbanæ.

17. Nicolaus Promontorius adhuc Scholaſticus præclarum opus inſtituit, & promovet.

Tam-

Digitized by Google

Tamburello, & Julio Urſino (erant hi animarum ſtudioſi ſupra communem modum), poſſe commodè cœpti tam ſalutaris utilitatem ad univerſam Romanam plebem traduci, ſi ad celebriora urbis compita mitterentur Concionatores circumforanei, qui peracta concione, ſuos auditores ad Romani Collegii Templum deducerent: Ibi enim nunquam defuturos, qui confitentibus aures darent. Conſilium re exequi placuit, uno præ cunctis deſignato, qui ad affuſam omnis generis multitudinem verba faceret in foro Agonali, totius urbis celebratiſſimo. Ac tum primo viſi noſtri Juvenes, prælata Cruce, ductare per urbem mediam agmina hominum non infrequentia, & ad modeſtiam pietatemque compoſita; quod ſpectaculum inſolens, & novi moris, omnium tunc quidem oculos in ſe traxit. Hæc ſanè, utpote nova, nonnullis domeſticorum minus placebant: At magnopere probabantur Generali Aquavivæ, quem, præter magnitudinem fructus inde colligendi, oblectabat etiam ille ardor nobilis noſtrorum Juvenum in adeundis pro ſalute animarum laboribus quibuſcunque; hac enim mente, ajebat, debere adoleſcere qui in Societatis ſeminariis educantur, ut nullum pro tam excellenti cauſa incommodum a ſe alienum putent. Nec ſecus cenſebant major meliorque pars Civitatis. At Pontifex Paulus V., rei certior factus, non modò eam laudavit majorem in modum, verum etiam univerſis, qui concionibus, precibuſque per eam occaſionem fieri ſolitis intereſſent, omnium peccatorum veniam attribuit duodecies in anno percipiendam, ſi modò rite confeſſi divina participaſſent. Atque hinc orta menſtruæ ſynaxeos inſtitutio, hinc illa ſodalitas urbanæ Miſſionis miniſterio deſtinata, de quibus dictum eſt ſupra: Quæ tametſi Promontorius inchoaverit, & quibuſdam legibus conſtitutis ad certam formam redegerit, tamen operis perfecti laudem Gravitæ ſucceſſori ſuo reliquit. Operæ pretium duxi de hac re dicere paulo copioſiùs, tum propter ipſius utilitatem, quæ certè maxima eſt, tum etiam quod, manante exemplo ab urbe Roma ad reliquas Italiæ civitates prius, deinde etiam ultra montes, paulatim menſtruæ Communionis inſtitutum, ubicunque invenitur Societas, uſu receptum eſt. Et caſu neſcio quo factum, ut per eos ipſos propagari inciperet, qui ejus primum quaſi ſemen jecerant. Hoc certè anno Collegii Romani Juvenes eamdem conſuetudinem invexere Tuſculum, dum ibi per autumnales ferias ruſticabantur, & lætis quidem initiis. Profecti enim prius ad omnia circum oppida, ut diverſos populos ad ſacrum epulum invitarent, eos viderunt die S. Matthæo ſacra, quam in diem indicta fuerat religioſa celebritas, magnis undique agminibus adventantes Tuſculum, ut Euchariſtica dape, & Indulgentiæ beneficio fruerentur. Eodem anno Promontorius illam intulit in provinciam Mediolanenſem, & primo quaſi experimento Cremonæ facto, eandem haud multo poſt Ticinum traduxit. Atque ita brevi ad totam fere Italiam pervaſit novum religionis genus, quod aliis atque aliis Indulgentiarum largitionibus à Paulo V. Pontifice locupletatum, miro ubique conſenſu, & ſecundiſſima approbatione acceptum eſt.

18. Diverſa hominum judicia de novo Miſſionis Urbanæ inſtituto.

19. Menſtruæ Communionis Generalis conſuetudo latiſſimè propagatur.

Afferebatur interim novo Præpoſito Generali cura non levis ex Provincia Sicula, propter exacerbatum erga nos animum Petri Gironi Oxunenſium Ducis, qui rem illius inſulæ publicam pro Rege Catholico adminiſtrabat. Occaſionem offenſioni dederat Hieronymus Tagliavia collegii Panormitani Rector, nullo tamen, ut prudentioribus videbatur, ſuo merito, quod ex facti narratione conſtabit. Eſt inter fundos collegii Panormitani ſacerdotium S. Mariæ ad criptam, quod olim cum eſſet monaſterium Benedictinum, eo nomine Rector, quaſi Abbatem antiquum referens, jus habet ſuffragii in comitiis Regni, quæ Siculi *Parlamentum* vocant. Nullus Rectorum hactenus hoc jure uſus fuerat, cunctis à ſe alienum exiſtimantibus negotiis regni publicis implicari. Tagliaviam Prorex adeſſe comitiis juſſit, ac diu multumque tergiverſantem pro imperio compulit, ut unà cum reliquo Infulatorum ordine deliberaret de ſubſidio neſcio quo extraordinario, Regi perſolvendo. Affuit ergo in conventu; ſed rogatus quid de illo ſubſidio cenſeret, ne in rem populis odioſam conſentire videretur, negavit

20. Res Provinciæ Siculæ. Prorex Societati ſuccenſet. Quæ fuerit cauſa.

Digitized by Google

gavit apertè scire se, quæ, aut quanta esset ejus necessitas: Quam vocem Prorex, bene cæteroqui erga res nostras antea affectus, in malam partem accipiens, perinde quasi nostri homines populorum favorem Regiis rationibus anteferrent, ingentem irarum molem concepit adversus Societatem universam. Agebat itaque nobiscum duriter, ut minimè dicam, atque inclementer, quodque gravius, quibuscunque aliquid rei nobiscum erat, ii Proregis alienationem occasionem suam existimantes, ad divexandam litibus, judiciis, injuriisque Societatem animabantur; nec est ut referam, quam multis ob eam causam incommodis conflictata fuerit toto regno Societas. His cognitis Mutius, placandum specie aliqua satisfactionis infensum Proregis animum, simul Tagliaviam invidiæ subducendum ratus, hunc minimè renuentem dimovit è collegio Panormitano, ac Romam accitum collegio Gregoriano Rectorem imposuit; utrumque scilicet spectans, ut potentiori exhiberet obsequium, eademque opera innocentis dignitati consuleret. Gratissimum habuit Mutii consilium prudens, & erga se officiosum Gironus, ut qui fortè non tam esset ex animo iratus, quam ex officio videri vellet; atque aliam momento personam induens, primò per litteras humanissimas purgavit se apud Mutium omnis facti dictique, quo Societatem in æstu illo iracundiæ violasset: Tum æris certum numerum, qui nostris ab ærario publico debebatur, ad nummum dissolvi jussit. Quoddam erat præterea propugnaculum Panormitanæ domui probationis conjunctum, quod nobis cum ademisset Prorex infensus, nunc placatus restituit, iterum excitatis murorum brachiis, quæ ante per vim magis, quam jure disjecerat. Tandem P. Carolo Mastrillo provinciæ Siculæ Præposito sanctè recepit, nulla re Societati se defuturum in posterum, & multo fore amiciorem posthac, quam antea fuisset. Et verò consensere facta verbis, nec expectanda diu fuit occasio, qua vir benevolus suam erga nos egregiam voluntatem expromeret. Agebatur forte gravis admodum causa collegii Drepanitani, quod cum esset ex integro ædificandum, contendebant Civium plerique, in aliam urbis suæ partem transferri oportere. Causa cur ita fieri vellent, pars soli publici, eaque perexigua, qua domicilium a Templo discludebatur. Nam cum solum illud nostri olim à Prorege Ferensium Duce concessum muro cinxissent, & intra collegii ambitum concluisissent, offenderat eas res Civitatem usque adeo, ut arma caperent seditionis in morem. Et quamquam mox Patres, muro diruto, solum, de quo lis erat, in publicum restituerant, instabant nihilominus Quatuorviri (summus est Drepani Magistratus), ut siquidem novum extruendum esset collegium, ædificium aliò traduceretur, metu, ut ajebant, ne Jesuitæ reciperent aliquando quod tunc inviti dimisissent. Inexorabiles faciebat quod scirent, averso à nobis animo Proregem esse (nec enim mutatum audierant hactenus), putarentque, in actione, quam contra nos parabant, minime defuturum sibi ejus favorem ac patrocinium. At sua illos lusit opinio. Itum est ad Proregem, qui causa cognita, non solum Quatuorviros nihil juvit, verum etiam admonuit Rectorem collegii Drepanitani, ne differret in veteri suo loco novum ædificium struere. At jussa dum facit Rector, & jam fundamenta jaciuntur, ecce tibi nova repente mora. Proponitur a Magistratu edictum gravissimis conceptum verbis, ne quis ædificationem juvare aut opera, aut quavis alia commoditate audeat. Si qui secus fecerint, iis certa multa irrogatur. Hic enimvero exarsit Gironus. Rei indignitatem non ferens, increpuit graviter Quatuorviros, utque edictum illud suum quamprimum refigerent, neu molem regia auctoritate surgentem morarentur, imperavit. Quibus porrò litteris id ita fieri jubebat, addiderat, iterum se Collegio permittere illam soli partem, quam olim Feriæ Dux permisisset: sed hoc caput Mastrillus, ad præcidendas querelarum causas, ex litteris tollendum curavit. Rem in hunc modum ferè compositam novis deinde implicare difficultatibus conabatur Civitatis Procurator, Romam ob eam maximè causam missus. Verum inter hæc, quatuorviratum adepti viri graves, & nobis æquiores, civium pleroque ad nostras partes adduxerunt, & omni nos in posterum molestia liberaverunt. Mansit itaque

21. Eum Mutius denuo Societati conciliat, & amicissimum experitur.

22. Controversia de situ Collegii Drepanitani, ejusque causa.

23. Favet Societati Prorex, & Civium conata compescit.

in

Digitized by Google

in ſuo loco collegium, quodque erat optandum maxime, manſit Civitate non invita. Nam quid indignius, quam eos habere inimicos, quibus prodeſſe velis? Atque ex eo tempore nova quædam, ac mira inter nos ac Drepanitanos coaluit animorum conjunctio. Argumento ſit, quod tandem, annis pluribus præterlapſis, ita nobiſcum cives amantiſſimi tranſegere, ut eadem illa viæ publicæ pars, pro qua tantopere certatum fuerat, in uſum ac jus collegii tranſiret.

24. Res Provinciæ Venetæ. Marchio Caſtellionenſis Societati iraſcitur. Quæ fuerit offenſionis cauſa.

Pari exitu compoſita lis fortaſſe gravior in Provincia Veneta. Erat Caſtellione a ſex, vel ſeptem annis Societas in domicilio ſtabili, præcipuam navans operam collegio lectiſſimarum Virginum, quod tres innuptæ Rodulphi Gonzagæ filiæ haud ita pridem ſibi, & Mantuanæ nobilitati condiderant. Loci dominus Franciſcus Gonzaga, S. Aloyſii, & ejus quem dixi Rodulphi germanus frater, fovebat Societatem impensè: viciſſim noſtri nullam prætermittebant obſequii partem adverſus eum. Rebus tam belle fluentibus, res accidit, quæ momento turbavit omnia, nihilque factum eſt proprius, quam ut eam ſedem relinquere cogeremur. Legem tulerat Princeps, qua ſe noſtri peræque ac cæteri Religioſi exemplos arbitrabantur. Eam noſtri etſi ſponte ſervabant, quod tamen ille poſtulabat, ut pollicerentur præterea ſe perpetuò ſervaturos, id non putabant licere, ſalvis Eccleſiæ juribus. Dum cunctantur, & moras nectunt, iratus ille, eoque acerbius, quod ſe contemptum, & obtentu religionis ludificatum putabat, noſtro homines paulatim averſari, obloqui de rebus noſtris, palam ſe pro infenſo gerere cœpit. Erat illi ex omnibus maxime familiaris, & arcanorum omnium conſcius Pater Virgilius Ceparius, qui, auditis Romæ quæ de rebus Caſtellionenſibus nunciabantur, iratum placare dum ſtudet, atrocius iritavit. Uſus enim veteris amicitiæ jure, & fortaſſe amplius quam tempori congruebat, litteras ad eum dedit, non illiberales quidem, ſed liberiores, quibus ejus indolis quædam vitia perſtringens, hæc ajebat impedimento eſſe, ne meliora interdum conſilia ſequeretur. Claudebat epiſtolam duriori adhuc ſtylo, ſignificans, ſi forte eum collegii Caſtellione conditi pœniteret, ſine mora diſſolvi poſſe, nihilque obſuturam ex parte Societatis, quin protinus diſſolveretur. Libertatem, in amicitia excuſabilem, iniquiſſime tulit eo mentis habitu Gonzaga: tamen iracundiam comprimebat ſinu, ne ad extrema procumperet. At demum alia ſuperveniente cauſa, penè in furorem actus eſt. Dies erat Sanctorum omnium anniverſaria, quo die Princeps cum vellet religionis myſteria participare, veniebat cum omni aulico comitatu in ædem noſtram. Venienti P. Petrus Juſtinellus, qui fuerat illi hactenus a confeſſionibus, codicillos miſit, in quibus erat, ſi obſtinaſſet legem illam ſuam tueri velle, fruſtra accedere, a ſacris arcendum ſcilicet, & fidelium communione privandum. Conticuit ad hæc Princeps, & retro pedem flexit. At elatus ira, & plus jam nimio violatam clamans dignitatem ſuam, Patribus haud multo poſt per Prætorem Caſtellionenſem edicit, ut vaſa colligant, & ab oppido actutum excedant. Dum illi pendent animis quid ſibi faciendum putent, commotæ triſti nuncio tres quas dixi ornatiſſimæ virgines, accurrunt ad patruum propere, ejuſque pedibus advolutæ, per quidquid ubique ſanctum eſt, per beati fratris Aloyſii memoriam, orant obteſtanturque, ne ſuos ſibi Patres adimat. Sed nullis neque precibus, neque lacrymis flecti potuit animus ſupra modum exulceratus Principis. Illud ægre impetratum, ut migrandi proferret ſpatium, donec ab urbe Roma Præpoſiti Generalis reſponſa adveniſſent. Mutius, auditis omnibus quæ in negotio Caſtellionenſi contigerant, vidit de Cepario & Juſtinello Principem juſtè queri; nec enim debuiſſe noſtros quacunque cauſa cum tali viro tam libere, tam confidenter agere. Itaque ad eum ſcribens, valde ſibi diſplicuiſſe profitebatur, quæ duo Patres minus conſideratè feciſſent. Addebat, ejus arbitrio ſe permittere, qua illi pœna mulctandi ob ejuſmodi cauſam eſſent. Quod attinet ad legem, unde natum erat omne diſſidium, ſe quidem, ajebat, religione impediri ne eam admitteret, quippe Eccleſiæ ſanctionibus adverſantem: tamen, ne quid omnium, quæ in ſua eſſent poteſtate, negaret Principi tam bene de Societate merito, curæ ſibi fore, ut

25. Ejus iracundiam duo noſtrorum imprudenter exaſperant.

26. Princeps abire jubet noſtros è Collegio Caſtellionenſi.

27. Iratum Mutius prudentiſſimo conſilio mitigat, & Collegium ſervat.

Digitized by Google

Rectores collegii Caſtellionenſis idem perpetuò ſervarent, quod cæteri ab ejuſmodi legum vinculis exempti ſervaturi eſſent, idque ſe Rectoribus injuncturum. Multa adjiciebat officii verba, multa ad deliniendum ejus animum opportuniſſima. Et illico patuit, quam facilè acerbitatem deponat, qui amicis iraſcitur, nec eos odit tamen. His litteris Gonzaga, ſibi, ac dignitati ſuæ cumulatiſſimè ſatisfactum profeſſus, ea exhibuit reconciliati animi ſigna, quæ nemo a Principe, vix a privato quiſquam expectaret. Juſtinellum arceſſit, excipitque uti ſolebat antea comiter, & humaniter. Tum de præterita offenſione dicere incipientem interfatus: Quandoquidem, inquit, Præpoſitus Generalis meum eſſe judicium voluit, quam pœnam ſubeas, eam ego tibi injungam, quam maximè gravem futuram ſcio. Sub hæc, in genua procidens, veniam rogat, ſi quid aſperius in illa animi perturbatione dixiſſet, egiſſetque contra ſibi cariſſimam Societatem. Collacrymari ad hoc tantum virtutis exemplum omnes qui aderant, omnes verum Aloyſii fratrem agnoſcere. Juſtinellus, pudore ſimul & admiratione perfuſus, nec vocem mittere, niſi fractam, & lacrymis impeditam. Atque ita demum, non ſolum omnis diſcordia ſublata eſt, verum etiam ira viri amantiſſimi amoris redintegratio fuit. Cæterùm, mortuo ſub finem ejuſdem anni Franciſco, legem illam, utpote Eccleſiaſtico ordini gravem, hæredes ſuſtulerunt.

28. Humilitatis exemplum inſigne ab eodem Principe exhibitum.

Servato in hunc modum collegio Caſtellionenſi, Buxeti domus tertiæ, ut loquimur, probationis erecta eſt. Ditionis Parmenſis oppidum eſt Buxetum, haud ſanè magnum, frequens tamen, & pro modo regionis opulentum. Jacet in amœna planitie Placentiam inter & Parmam, pari ferme ab utraque intervallo. Civis indidem erat Petrus Pectorellus, vir probitatis antiquæ, qui cum rem familiarem parſimonia, & honeſtis mercimoniis auxiſſet, nec liberos haberet, aut quemquam proximæ cognationis hæredem, ſecum deliberabat, quonam maxime modo bona ſua popularium ſuorum commoditati addiceret. Hæc agitantem Rainutius Parmæ Dux hortando ſuadendoque perpulit, ut Societatem Buxeti collocaret: ſimul amantiſſimus noſtri ordinis Princeps P. Carolo Sangro provinciæ Venetæ per illud tempus Præpoſito ſignificavit, gratiſſimum fore ſibi, ſi recepta Pectorelli donatione, Societas domum probationis Buxeti poneret; valde enim cupere ſe, intra fines ſuæ ditionis eſſe omnia noſtri ordinis ſeminaria, nec jam aliud deeſſe, præter tironum domum. Nondum, cum hæc agebantur, deceſſerat Aquaviva, qui tametſi domos Societatis haud libenter admitteret in parvis oppidis, hanc tamen, ut Principi tam benevolo obſecundaret, admittendam cenſuit. Re igitur deliberata, ædes pro loco ſatis commodas ære ſuo conduxit ipſe Dux Parmenſis, pretium locationis tandiu ſoluturus, quoad Societas habitare cœpiſſet in ſuis: ad uſum verò ſacrorum, Templum S. Antonii Cardinalis Creſcentius noſtris utendum permiſit. Ita, immiſſis Buxetum duobus Patribus, qui ſacris miniſteriis fungerentur, qualiſcunque domicilii initium eſt factum, magno tunc quidem oppidanorum omnium gaudio, ſed Pectorelli in primis. Verum is haud multo poſt, vel ſuopte ingenio, vel aliorum ſollicitationibus, mutari viſus, & aliam erga nos mentem induere; neque vero diſſimulabat, quod nobis benignè feciſſet, infectum malle, nec niſi invitiſſimum dare, & porro daturum quod promiſerat. Dolebat ſcilicet, nulla aperiri erudiendæ juventuti gymnaſia, nullos Buxetanis ludimagiſtros dari, idque, ut ajebat, contra pactorum fidem, & promiſſa Sangri. His rebus cognitis Dux, tametſi nulla eſſe ſciret quæ oggerebantur promiſſa, tamen ad deliniendum optimi ſenis animum, Patribus auctor fuit, ut latinitatis ludum aperirent Buxeti, & tertium prioribus adderent Sacerdotem, qui diebus feſtis ad populum verba faceret. Principis conſilium executi ſunt Patres, eaque res vix credibile, ut Pectorellum demulſerit. Jam nihil æque in deliciis habere, ac noſtrorum miniſteria, & conſuetudinem. Ita nobiſcum tranſegerat ab initio, ut vivens partem duntaxat deſtinati cenſus traderet Societati, partem aliam poſt ſuum obitum teſtamento relinqueret. Nunc donationis ſtipulationem faciens, penſionem addidit du-

29. Fundatur Buxeti domus tertiæ Probationis, hortatuRainutii Parmenſis Ducis.

30. Petri Pectorelli Fundatoris querelæ, ob negatos Buxetanis Ludimagiſtros.

31. Aperto ad tempus litterario ludo, Fundator Societati ex animo reconciliatur.

Digitized by Google

ducentorum aureorum, persolvendam quotannis vivente se; nec tamen in publicis tabulis mentionem ullam scholarum fieri voluit. Tabulas ratas habuit Mutius, & Pectorellum Ruxetanæ domus Fundatorem appellans, eundem usitato donavit diplomate, quod cum illi oblatum est, magnam præ gaudio vim lachrymarum fudit, ac paulo post testamentum condens, domum à se fundatam hæredem ex asse scripsit. Ea porro domus in usum tertiæ probationis deinde versa est, quæ tametsi Tirocinium propriè non sit, Tirocinii speciem quamdam apud nos habet.

32. Res Provinciæ Mediolanensis. In ora Ligustica Societati adimitur domicilium S. Romuli.

Dum hæc in Provincia Veneta gerebantur, in Mediolanensi recuperatum nobis est domicilium S. Romuli, quod ante sesquiannum necessariò magis quam honestè dimissum fuerat. Quod S. Romulum vocant, oppidum est frequens, & locuples in ea parte Liguriæ, quæ vergit in occidentem solem. Civis hujus loci honestissimus Alexander Bernardus, testamento ante triennium facto, bona sua legaverat Genuensi collegio, cum hoc tamen, ut ex fructibus hæreditatis qualemcumque Societatis familiam aleret in S. Romuli, eòque mitteret operarios, qui usitata Societatis munia exercerent. Nihil distulerant Patres Genuenses Testatoris jussa facere, miserantque confestim ad illam urbem Hieronymum Galeratum, & alterum Sacerdotem, cujus nomen intercidit. Verùm hi, ut magnopere se, & labores suos probarent oppidanorum plerisque, non item accepti erant Religiosis quibusdam alterius Ordinis ibi commorantibus: Utque ita plerumque fit, ut plus ad nocendum valeant pauci adversarii, quam amicorum ingens numerus ad juvandum, illi factionem paucorum capitum contra nos concitantes, rumorem latè sparserunt Societati invidiosissimum, post adventum Jesuitarum scissum esse in partes populum S. Romuli, regnare feralem in Civitate discordiam, nullam revocandæ quietis pristinæ viam inveniri. Id ipsum Genuam ad Senatum scripsit oppidi Gubernator, addens, circa retinendam Societatem dissentire inter se cives, & divisa hominum judicia esse. Ægrè inducebat animum Senatus Genuensis, ut minus honorificè de nobis sentiret, statueretque. Tamen deliberantibus Senatoribus quid facto esset opus, vicit sententia quæ censebat, evocandos inde nostros, saltem ad tempus. Sic illa statio, paulò post quam posita fuerat, concidit, magno quidem bonorum mœrore, sed non diuturno. Mense enim post hæc decimoseptimo, rem iterum ad Senatum referente ipso Duce Reipublicæ, summo omnium consensu decretum est, placere Patres Societatis reverti ad S. Romulum, atque ita consuli, cum nostri Ordinis famæ, tum etiam illius oppidi commodo. Ut eandem stationem Mutius postea dissolverit, ut aucto postmodum per oppidanos censu, illam iterum Vincentius Carafa restituerit, & in formulam collegii receperit, suis infra locis narrandum erit.

33. Sed mox redditur decreto Senatus Genuensis.

34. Res Provinciæ Neapolitanæ. Obitus V. P. Bernardini Realini, ejusque vitæ compendium.

Interim in Provincia Neapolitana Lupiensium Civitas ademptum sibi doluit Virum sanctimonia insigni, P. Bernardinum Realinum, de quo in Beatorum album referendo, nobis ista scribentibus, apud Pontificem Maximum agebatur. Extat sæpius impressa, omniumque manibus teritur ejus vita a Jacobo Fuligatto exarata, ad quam nos Lectorem rejicientes, summa tantum capita delibabimus. Natus Realinus in Carpensi oppido prope Mutinam, inde Neapolim, nescio quâ causa, translatus, Viri cujusdam principis domum, & negotia administrabat; cum oranti perspicuam se præbuit Virgo Dei Mater, & terrenis curis implicitum monuit, ut Filii sui Societatem ingrederetur. Fecit ille, divisa prius re sua familiari inter pauperes, ne quid amplius haberet cum mundo commune, adscituque in nostrum Ordinem, primos decem annos Neapoli exegit, reliquos quadraginta duos Lupiis, cui semel urbi datus, nunquam deinceps adimi potuit. Sæpe illum Præpositi Generales Everardus, & Claudius aliò evocaverunt: semper aliquo inopinato eventu, morbo interdum, sæpissime imbribus, prohibitus fuit egredi, aut redire compulsus. Quæ causa fuit, ut Realinum Lupienses sibi divinitus traditum, & conservatum crederent, haberentque inter manifesta divini Numinis beneficia, talem ac tantum ejus famulum perpetuò

Digitized by Google

petuò esse apud se; nec ullis hominum consiliis amoveri posse. Religiosæ vitæ cursum quo ardore arripuit ab ipso aditu Societatis, eodem sequi perrexit usque ad extremum. Visus autem brevi tam supra communem modum virtutibus exercitatus, & cultus, ut paucorum annorum Religiosus, & vix Sacerdos, instituendis Tironibus, & domesticorum conscientiis moderandis adhibitus fuerit. De se adeo humiliter existimabat, ut in infimo Fratrum adjutorum gradu mereri vellet, nec Sacerdotium acceperit, nisi Majorum imperio. Ejus patientiam nemo satis mirari poterat. Nondum, cum Lupias venit, erat ibi Collegium Societatis. Vivebat in privata domo, unum habens ad usum vitæ famulum, sed inquietum adeo, & in agendo asperum, ut ejus arrogantia omnes offenderentur. Realinus nec hominem appellavit umquam imperiosiùs, nec de eo queri umquam auditus. Solus interea instar Collegii erat: adeo in exequendis nostri ordinis ministeriis multorum partes implebat. Ille nosocomia publica, ille carceres, ille privatas inopum domos circumire dies ac noctes, ut languentibus, ut vinctis, ut ærumnosis omnibus opem, ac solatium ferret; idque charitate tanta, quanta nullus Parentum affici solet erga proprios liberos. Quoties ad supplicium producebantur facinorosi, si fortè, ut sæpe fit, candenti forcipe concerperentur, assistens inter ministeria carnifici Realinus, solabatur miseros, non verbis tantum amantissimis, sed etiam factis, atque illa præsertim re ad memoriam insigni, quod inusta ferro vulnera detergens lingua, doloris sensum, ut poterat, mitigabat. Erant Lupiis, & in circumposita regione, Turcarum multi ac miseri greges, maritimis capti prœliis, & in servitutem adacti. Hos ille erudiendos sumpserat, erudiebatque incredibili patientia, & sæpe aliquos ad baptismum trahebat. Condito Lupiensi Collegio, divisisque inter reliquos Patres propriis instituti nostri muneribus, curam puerorum, ac Turcarum sibi retinuit Realinus, nec quandiu vixit, explicare illis elementa Christianæ Fidei desiit, confluente ad audiendum promiscua omnis ætatis atque ordinis multitudine, quæ venerabilis Viri aspectu ipso, ac voce plurimum capiebatur. Audiendis confessionibus tantum temporis & patientiæ tribuebat, quantum nemo satis existimare possit, adibaturque eo majori concursu, quod non solum benignè omnes excipiebat, sed etiam introspicere videbatur secretiores animorum recessus, & interdum latentia ulcera divino instinctu detegebat. Ob eximiam, qua pollebat, prudentiam, sæpe regendo Lupiensi Collegio fuit adhibitus: Ut autem illo privato nihil obedientius, sic nemo Rectorem charitate, modestia, ac providentia vincebat. Erga reliquos mortales mansuetissimus, in se unum sæviebat acerrimè, solitus appressum carni cilicium setis horridum assiduè gestare, somnum brevissimum in nudis asseribus carpere, quotidie se flagris concidere, nunquam muscas, aut culices, quod non leve molestiæ genus, abigere. Jejunia verò sic continuabat, ut per duos intra hebdomadam dies nihil obsonii ad panem & gelidam adhiberet, nec fere in quotidianis prandiis ultra septem cibi uncias sumeret. Fuit cum omni cibo abstinuit per quatriduum integrum: semel quadragesimam jejuniorum arido tantum pane transegit. Tot debilitatum afflictationibus corpus ægrè sustentabat. Itaque post annos ejusmodi vitæ ferme triginta, fulcro indigens, arundinem adhibere cœpit, quam subinde usu detritam, diffractamque filo circumligabat, studio pauperta-tis. Multa supra naturæ usum patrasse dicitur, sæpe divino afflatus spiritu futura prænunciasse, sæpe Cœlestium alloquio, & Deiparæ Virginis aspectu dignatus fuisse: a quibus ego abstineo, ne longior sim. At tandem anno ætatis suæ octogesimo sexto, ab inita Societate quinquagesimo secundo, ipso Præsentatæ Virginis die, vir omnium opinione sanctissimus vivere desiit.

35. De eximiis ejus virtutibus pauca indicantur.

36. Realinum morti proximum Lupienses Civitatis suæ Patronum eligunt.

Qui fuerint Lupiensium animi in ejus obitu, quantus privatim ac publicè luctus extiterit, non est facile explicatu. Ut percrebuit urbe rumor, Bernardinum subito noxii humoris illapsu ad extrema deductum, visa commoveri Civitas universa, accurrentibus ad Collegium summis infimisque, studio videndi, ut ajebant, cujusmodi sit mors Sanctorum. Pridie Cal. Julii celebrari cœpit

ab

Digitized by Google

ab infinita hominum frequentia cubiculum in quo jacebat, nec deſiit, niſi poſtridie Calendas ejuſdem menſis, cum ſpiritum Deo reddidit. Toto hoc triduo non ſolum incredibiles ad eum concurſus facti, ſed viventi adhuc ſpirantique eadem prope veneratio exhibita, ac ſi eſſet jam Beatorum indici adſcriptus. Afferebantur paſſim piacularia grana, icunculæ, linteola, aliæque hujus generis res, ut ejus quaſi contactu ſacrarentur. Adfuit inter cæteros urbis Syndicus (hoc nomine Lupienſes ſummum Magiſtratum vocant) cum ſuis Aſſeſſoribus, & nobilitatis magno comitatu, ut ſupremum Parenti optimo vale diceret, ſimul ut illum jam tum ſuæ Civitatis Patronum eligeret. Re ipſa, ut acceſſit propius ad lectulum morientis, multa præfatus de pluribus ejus, & immortalibus in Lupienſes meritis, rogavit illum publico civium nomine, an non etiam poſt mortem vellet eandem exercere benevolentiam erga Lupias, quam vivens exercuiſſet, & amantiſſimæ Civitatis Patronum agere apud Deum? Ad quæ venerabilis ſenex, cum voce non poſſet, læto oculorum intuitu viſus annuere. Re in vulgus emiſſa, quis motum populi, quis mixtam mœrori lætitiam explicet! Multo tamen magis commoveri cœperunt cives, cum de Realini morte vulgatum eſt. Accurrere omnes ad Collegium, omnes Patronum ſuum intueri, ac ſupremum venerari ſe velle dicere. Qua hora expiravit, providerant Magiſtratus ut occuparentur Collegii, & Eccleſiæ fores cuſtodiis militaribus, quæ arcerent irruentem populum, & aditu prohiberent: verum illis impetum multitudinis ægrè ſuſtinentibus, quod unum licuit, valvæ omnes occluſæ fuerunt. Hinc tumultus & fremitus major. Audiebantur multorum voces indignatione libera quiritantium, virum talem privato funere efferri non oportere, nec ſe ſolatio exequiarum privandos. Quibus conterriti vocibus Magiſtratus, interpoſita Antiſtitis auctoritate, Rectori perſuaſerunt, ne juſtum populi deſiderium celebritate funeris fraudatum vellet, ſibi curæ fore pollicentes, ne quid præter ordinem, aut ex tumultu fieret. Ergo nocte proxima pegma ingens extruitur ante aram Templi maximam: pegmati prætenduntur è ſolido ligno cancelli, inter quos venerandum cadaver in lecto funebri collocatur, atque ita quidem, ut eſſet in conſpectu populi, ſed nulli ad oſculandos ejus pedes pateret acceſſus, niſi per cancellorum intervalla. Stabant in armis diſpoſiti circum milites cum mandatis, ne quem intra ſeptum reciperent. Rebus ita compoſitis, recluditur mane ſummo Templum, ac momento oppletur, exundante hominum innumera multitudine, quæ non ſolum ex Urbe, verum etiam ex omni circum agro confluxerat. Omnia clamoribus perſonant. Adnituntur certatim cuncti, contruduntque ſe invicem, ut accedant propiùs ad oſculandos venerabilis viri pedes. Poſt multas continenter horas eadem populi frequentia, idem viſendi atque oſculandi ſtudium. Inclinante in veſperam die, venerat Epiſcopus cum Canonicorum Collegio, ſolemnia funeris peracturus: at militibus ægrè turbam ſubmoventibus, vix demum ipſe pervaſit intra cancellos. Cæteri de comitatu, huc illucque jactati, in turba conſtitere; exorſi autem exequiale carmen occinere, obſtrepente populi fremitu, deſiſtere coacti ſunt. Placuit experiri, num ſaltem populus Oratori ſilentium præberet. Prodiit itaque in ſuggeſtum concionator magni nominis ex familia Carmelitarum, & de Realini laudibus dicere cœpit. Sed cum nemo dicenti aures daret, memor ejus qui monuit, *Ne effundas ſermonem ubi non eſt auditus*, oratione vix inchoata, deſcendit. Tenuit concurſus reliquum ejus diei, donec poſt horam ſecundam noctis, emiſſis omnibus, vel potius ejectis, Templum occluſum eſt. Poſtridie clam omnibus, præterquam noſtris, & Magiſtratu urbano, venerabilis Viri corpus includitur in arca lignea ſub duabus clavibus, quarum una penès Rectorem Collegii, altera penès Syndicum Civitatis perpetuò eſſet, (namque ita ferebat decretum Conſilii publici, cui Rector refragari non eſt auſus) arca autem deponitur in communi noſtrorum ſepulcro, quoad confectus eſſet præclari operis tumulus, quem Patrono ſuo Civitas ære publico extruendum decreverat. Sed ferre tandiu non potuit pia civium voluntas, jacere ſic cadaveri-

37. Qua celebritate & frequentia mortuo parentaverint.

Eccl. c. 32. n. 6.

38. Realini Corpus ſervatur ſub duabus clavibus, quarum una penès Civitatis Syndicum.

Digitized by Google

veribus permixtum cæteris pretioſum pignus. Tertio poſt menſe educi placuit è priore ſarcophago, & nobiliorem in arcam attalico conveſtitam velo transferri, in ſacrario deinceps cum honore aſſervandum. Qua occaſione cum fuiſſet retectum, magna ſui parte integrum inventum eſt, & pectore, qua cordi reſpondet, adeo calente, ut qui manum admoverunt viri, numero plures, & auctoritate præcipui, miraculi magnitudine obſtupeſcerent. Non dicam, qua tunc contentione certatum fuerit inter primores civium, ut de veteribus ejus veſtibus, quæ mutatæ fuerunt, laciniam quiſque decerperet, utque poſt illud tempus creverint ad ejus tumulum concurſus, aut beneficia flagitantium, aut votivas tabellas, acceptorum beneficiorum indicia, afferentium (quæ religioſi cultus ſigna noſtri tunc quidem, ante decreta Urbani VIII. Pontificis, prohibere non potuerunt); namque hæc longum eſſet velle per partes exequi. Abſoluta tandem poſt annum novi tumuli mole è lecto marmore, ad inferendum in eam Realini corpus delecta fuit concubiæ noctis hora, ut nec ſtrepitus ullus, nec concurſus fieret, ſed fruſtra. Suboluit, neſcio quo pacto, res, ejuſque fama per Urbem didita, accurrit eadem hora pars Civitatis multo maxima. Omnium una vox audiebatur, velle ſe adhuc ſemel oſſa cariſſimi Parentis, ac Patroni ſui intueri. Is erat tunc Lupienſium amor, ea veneratio erga Realinum: Neque hactenus, tot annis interlapſis, diuturnitas temporis, quæ humana omnia, & maxime hominum ſtudia ſenſim minuere ſolet, ardorem illum extinxit.

39. Transfertur in nobiliorem arcam, & calidum invenitur ex parte cordis.

40. Iterum transfertur in tumulum ſumptu publico Civitatis extructum.

Realinum ſecutus eſt eodem anno exeunte P. Joſephus Melchior, vir hic etiam ſanctitatis eximiæ, quem Aquilæ in Urbe Samnitium primaria ſtrenuè laborantem mors oppreſſit III. Cal. Januarias. Mediolani in lucem editus, Societatem inierat adhuc adoleſcens Nolæ, ubi etiam tirocinium poſuit. Emenſo ſtudiorum curriculo, cum eſſet humanis diviniſque litteris præter communem modum inſtructus, priores illas ad octo annos circiter noſtris ſcholaſticis tradidit Neapoli, viditque è ſua inſtitutione ac diſciplina profectos Rhetoricæ facultatis magiſtros inclytos, ac præter alios Joannem Baptiſtam Maſculum, ſcriptorem illum in Lyricis ætatis ſuæ nulli ſecundum. E magiſterio domeſtico traductus poſtmodum ad miniſterium concionum, miram qua pollebat eloquentiam in ſacris roſtris exprompſit, auditus ubique pari omnium approbatione, ac fructu. Demum Aquilæ conſidere eſt juſſus, ut Theologiam quæ de moribus eſt explicaret, eoque in munere occubuit, adhuc robuſta ætate, annum decurrens quinquageſimum. Fidem pene ſuperant quæ de hujus viri demiſſione, charitate, patientia, ac ſtudio animarum, memoriæ ſunt prodita. Orator cum eſſet excellens in paucis, & magni nominis, quoties in urbem aliquam ad ineundum curſum quadrageſimalem mittebatur, nullam admittebat commoditatem ex iis, quas nunc multi Concionatorum ſibi neceſſarias putant, jens redienſque ſuis ſemper pedibus, quæcunque inciderent anni tempora, nullo humano præſidio inſtructus, ac viatico fere nullo, niſi quod emendicando corrogaſſet. In Collegio Aquilano, præter culturam quam ordini Clericali maximam, ac ſane fructuoſam adhibebat, abjectiſſima quæque ac laborioſiſſima Fratrum miniſteria ſuſcipiebat, quodque habebat vacuum à ſtudiis, precibuſque tempus, everrendis ambulacris, comportandis diſponendiſque per Templum ſcamnis, patinis abſtergendis, aliiſque id genus muniis obeundis impendebat, prorſus ac ſi communis famulus domeſticorum eſſet. Quin ſæpe exibat cum bipenni in vicinam ſilvam ad lignandum, collectoſque lignorum faſces, & jumento impoſitos in Collegium devehebat, quorum partem maximam in uſum culinæ transferens, partem ſeponebat ſibi, ut eam deinde in candelabra tornaret, & Eccleſiæ tunc inopi qualecunque inſtrumentum provideret. Fuit ex noſtris Neapoli, qui Melchiorrem ex hac parte reprehendit, ſcripſitque ad eum, non eſſe è dignitate ordinis Sacerdotalis ſecurim tractare, dolare ligna, aliiſque ejuſmodi fabrilibus operibus diſtineri. Reſpondit ipſe, partim ſeriò, partim feſtivè, ac per jocum, à ſe alienam non duxiſſe Apoſtolum Doctorem Gentium ſcenofactoriam artem, minimè vero indecoram ordini Sacerdotali ſecurim videri, quam Dei Filius,

41. Obitus & Elogium P. Joſephi Melchiorris.

Sa-

Digitized by Google

Sacerdotum utique primus, sibi attribuisset per ea verba: *Jam securis ad radicem arborum apposita est*. Cum silvis, & arborum truncis familiaritatem habuisse sanctissimos Anachoretas, sine dedecore: se in candelabris adornandis servire Altari non incommodè, quod quidem Sacerdotis proprium est. Addidit ejusdem generis multa, perrexitque uti prius institutum sequi, in quo uno multas simul & varias virtutes exercebat, charitatem, paupertatem, patientiam, religionem, contemptum mundi, ac sui met. Sed istarum aliarumque virtutum multo latiorem sibi campum aperuit in celebri sodalitio, quod pro Opificibus Civitatis instituit, sive, ut alii malunt, a Sertorio Caputo institutum restituit, firmavitque in Collegio Aquilano. Ter quot hebdomadis suos celebrabant cœtus pii sodales, semper ante lucem, ut sol exoriens suis distentos opificiis inveniret, nihilque de quotidiano quæstu deperderent. Adventantes præstolabatur ad Collegii januam Pater Melchior, benevolè comiterque singulos excipiebat, frigore rigescentes, imbre madidos interdum, aut nive conspersos, excitata è sarmentis flamma recreabat: mox vero in Oratorium convocatos iis detinebat religionis officiis, iis hortationibus inflammabat, ut pietatis studio mirum in modum incalescerent. Quot hinc, & quantæ manarint in publicum utilitates, majus est quam ut verbis consequi possim. Huic quidem certè operi debuit Civitas Aquilana, quod castigatos viderit in populo mores, & novam pietatis speciem in familias inductam. At enim tot, ac tam assiduis laboribus adeo detrita est Viri Apostolici valetudo, ut demum oneri succubuerit. Ajunt, ipsa die Christo nascenti sacra, cum viribus esset omnino integris, prædixisse P. Francisco Amico (is ille est Amicus editis de Theologia libris ubique nominatissimus), se moriturum intra quatriduum, eique statim indicaturum de suo post mortem statu. Quod si verum est, datam certè non fefellit fidem. Eadem quippe die, qua mortuus est Melchior, venit ad Amicum Matrona spectatæ pietatis, sibique illum oranti visum narravit in splendenti amictu, cum B. Virginem, & Angelum suum tutelarem sequeretur in cœlum. Simul conspectos sibi ajebat ex alia parte duos horrenda forma dæmones catenatos, & pudore oppletos: Quo confirmata eorum opinio, qui Melchiorrem cum audissent in extremo agone Deiparam sæpe, sæpe suum tutelarem Angelum invocantem, magnis eum terroribus agitatum crediderant. Sed de Italicis Provinciis satis multa.

42. Res Germaniæ Superioris. Fructus ex tota Provincia collecti.

Ad Germanicas properanti offert se ante alias, quæ Germaniæ Superioris, usitato apud nos vocabulo, appellatur. Complectitur quidquid habet Societas in Tyroli, Bavaria, superiore Palatinatu, itemque in Helvetia, Valesiaque, ac tandem in Svevia, atque Brisgovia. In omnibus quas recensui regionibus nonnullam Societati frugem hic annus reddidit, fueruntque omnino mille quadringenti ex diversis Hæreticorum sectis ad Ecclesiam reducti. Singulariter memorandus magni nominis Vir ex familia Heberstorfia, gente Styrus, genere nobilissimus. Is, jubente haud ita pridem Archiduce Ferdinando, Hæreticos ejus regionis, aut fidem mutare, aut solum vertere, maluerat hoc alterum, ob eamque causam exul à patria concesserat Neoburgum. Erat ibi ab aliquo tempore anceps animi, quam Religionem sibi amplectendam putaret, sed Catholico ferè propior. Dum enim aulam frequentat, auditis Jacobi Rehingii Sacerdotis nostri concionibus, paulatim displicere sibi cœperat, angebaturque assiduis conscientiæ stimulis, valde metuens ne à salutis via longissimè aberraret. Die quadam, cum esset supra quam soleret inquies, ut forte assidebat abaco, in quo plurimi obversabantur utriusque Religionis libri, manu temerè injecta, unum extraxit, ut fors ferret. Erat aureum illud opus Canisii, quod *Manuale Catholicorum* inscribitur. Aperit, ac legere incipienti objicitur precationis formula totidem concepta verbis: *Domine, in cujus manibus sunt sortes meæ, da mihi gratiam quamprimum faciendi confessionem de tota vita mea*. Diceres, non verba hæc fuisse, sed jacula, sic altè in ejus animum, cœlesti aspirante gratia, penetrarunt. Nihil ultra cunctandum ratus, Rehingium adit, peractaque multis cum lachrymis totius vitæ confessione,

43. Viri Nobilis conversio memorabilis.

Digitized by Google

sese Catholicis aggregat. Hunc, præter alios plures, ceperunt fructum laboris & industriæ suæ Patres Antonius Velserus, & Jacobus Rheingius, Viri ambo tunc Religionis studio laudatissimi, ac de toto Palatinatu præclarè meriti. Eos ante annos quatuor secum in aulam Neoburgicam adduxerat Magdalena Bavarica, Wolfango Wilhelmo Ludovici Palatini filio nupta. Femina quippe eximiè Catholica id inter pacta matrimonii postulaverat, ut darentur sibi suæ professionis Ministri, liceretque illis officia Religionis palam ac libere exercere in Sacello aulico. Atque illi quidem perdiu Neoburgi, ut in urbe penitus Calviniana, sementem Orthodoxæ doctrinæ fecerant clam, & timidè, vix ausi extra aulam de Religione sermonem serere, metu Ludovici Ducis, qui præfractè hæreticus, hæreticis etiam se fautorem, ac patronum præbebat. Sed Ludovico post duos annos extincto, in ejusque locum jure successionis suffecto Wolfango jam occultè catholico, magna rerum conversio est facta. Princeps catholicum se palam & apertè professus, non solum tueri cœpit duos quos dixi Patres, eosque ad provehendam Neoburgi fidem Orthodoxam accendere, verum etiam alios adscivit homines Societatis, donec, collecta sex sociorum lecta manu, collegii fundamenta jecit. Nihil ad formam Collegii deerat hoc anno, præter censum, atque hunc etiam Princeps nostri ordinis studiosissimus brevi constituit. Accepta enim à Pontifice Maximo potestate transferendi ad nostros Monasterium Echembrunense, mille florenis annuis, qui ex ejus bonis proveniebant, addidit aliunde quingentos, & justam Collegii dotem confecit. Neque hic finem suæ erga nos beneficentiæ fecit, sed paulo post etiam sacram ædem principali magnificentia ædificatam, ut infra dicemus, tradidit Societati.

44. Acta Neoburgi à PP. Velsero, & Rehingio.

45. Wolfangus Neoburgensis Dux Societatis Collegium collocat Neoburgi.

Aliter erant erga nos animati hoc tempore Friburgenses in Helvetia, facti ex amantissimis implacabiliter infensi, idque ob nullius momenti causam: Ut mirari subeat, ob ejusmodi rem illos tantopere succensuisse, nostros offensioni locum præbuisse. Conciones habuerat ante biennium Friburgi in S. Nicolai P. Joachimus Megglinus: utque erat, non solum in dicendo eloquens, sed etiam integerrimi moris, & indolis suavissimæ, delectati ejus consuetudine cives, videbantur eo carere posthac omnino non posse, aut certè nolle. Itaque deliberantibus Societatis moderatoribus Megglinum aliò traducere, tanta ad eum retinendum est exorta contentio, quanta esse vix posset, si de negotio Reipublicæ, eoque gravissimo actum esset. Nihilo secius perstitit in priore sententia Præpositus Provincialis, & Megglinum silentio noctis ire jussit Lucernam, Friburgensibus non solum invitis, sed ne scientibus quidem. Verum id postridie ut palam est factum, haud facile dixerim, quantum Civitas adversus nostros exarserit. Mittitur confestim in Collegium apparitor, qui nomine Senatus repoſcat suggesti clavem, jam pridem Ven. Petro Canisio cum munere concionandi traditam in S. Nicolai, quæ vix recepta Familiæ Patrum Capuccinorum traditur. Erant alia tria Friburgi Templa, in quibus nostri singulis diebus Dominicis concionabantur. Proxima die Dominica, cum veniſſent qui solebant Patres ad habendam concionem, non solum fuerunt cum ignominia repulsi, verum etiam actum in Senatu, ut illæ similiter Cathedræ concionales a nobis transferrentur ad Capuccinos; quod decretum ne fieret, iidem obstitere, quibus destinabantur. Viri religiosissimi. Jactatæ præterea voces exilium nobis, aut saltem bonorum occupationem comminantium. Verum inter hæc lues exitialis, urbem repente corripiens, restinxit indignationem Civium, & nobis saluti fuit. Vix prima se prodiderant mali semina, cum Rector Collegii P. Adamus Straub Senatui libellum obtulit, quo suorum operam in ea calamitate præsto futuram promittens, rogabat Senatores ut statuerent, qualiter tali tempore uti vellent paratis ad omne obsequium hominibus Societatis. Hæc in Curia publicè cum recitarentur, adeo mitigati fuerunt Senatorum plerique, ut nonnullis etiam lachrymæ excidisse dicantur. Accepta est cum magna gratiarum actione Patrum voluntas, iisdem ægrotantium procuratio permissa. Nec mora. Egressi ad tam arduum christianæ charitatis opus aliqui Patres, quorum erat animus promptior, & ad

46. Friburgensium gravis offensio, ejusque causa.

47. Quid Cives in illo æstu iracundiæ inceperint contra Societatem.

48. Grassante pestilentia, nostrorum obsequio Civitas delinitur.

vir-

Digitized by Google

virtutem exercitatior, obire domos, ſacra languentibus miniſtrare, omnibus æternæ, atque hujus vitæ præſidia circumferre cœperunt. Nec interea domi, ſi tantum ſcholas excipias, de conſuetis officiis quidquam intermiſſum. Semper ædes Collegii patuit, ſemper confiteri volentibus Sacerdotum copia in promptu fuit. Totis ſex menſibus peſtilentia graſſata eſt, quo tempore noſtrorum deceſſiſſe neminem, etſi ægrorum lectis aliqui dies noctesque aſſediſſent, portenti ſimile viſum. Eos tamen credibile eſt, Venerabilis Caniſii ope fuiſſe ſervatos, idque ut de cunctis opinemur effecit unus nominatim, qui cum fuiſſet mali contagione proſtratus, Caniſio vix invocato, convaluit præter omnem humanam ſpem, perrexitque, uti cœperat, operam ægrotis navare. Neque ſolum noſtri præſens ejus auxilium tam ſævo tempore experti ſunt, verum etiam externi. Ei quidem certe valetudinem debuit quædam præ cæteris Virgo, quæ nullo licet adhibito humano remedio, luem à ſe depulſam vidit eo prorſus tempore, quo ipſius Mater pro incolumitate filiæ morientis Caniſio ſupplicabat. Quare venerabilis Viri ſepulchrum Friburgenſes majori quam umquam antea concurſu frequentare, cœperunt hoc tempore, ad eum, tamquam ad Patronum Civitatis ſuæ, quotidie confugientes.

49. Augetur tam ſævo tempore Friburgenſium veneratio erga Caniſium.

Provinciam Germaniæ Superioris attingit ab oriente Auſtriaca, cujus, eo de quo ſcribimus tempore, adhuc pars erant domicilia Bohemiæ, Moraviæque. Bis mille & octingenti fuerunt per hanc ubique Provinciam Hæretici, quos anno uno ad Eccleſiam reduxit Societatis labor. Viennæ debuit noſtrorum præcipue officiis, & commendationibus Familia Religioſorum S. Joannis de Deo, quod cognita, quod retenta, & non unis beneficiis ornata fuerit. Venerant in illam urbem viri religioſiſſimi, ut Noſocomium pro ratione inſtituti ſui conderent. Viennenſes, qui de illis parum admodum ſcirent, aut non pro dignitate ſentirent, eorum conſiliis obſtiterant hactenus, nec modo opem nullam, ſed nec aures dederant. Itaque, deſperato rei exitu, abire pii hoſpites cogitabant. Ne abirent perfecere noſtri: neque ſolum diſceſſuros ad ſpem meliorum confirmaverunt, verum etiam hortando, monendoque Civibus perſuaſerunt, ut ejus ordinis homines, & inſtituta complecterentur. Hinc valetudinario, ut optaverant, conſtituto, non commiſerunt viri optimi, ut beneficii immemores viderentur: ſed præterquam quod in iis, quæ ad conſcientiam pertinent, totos ſe noſtris hominibus permiſerunt, illud etiam inſtituerunt, ut audiendis ægrorum confeſſionibus, ſacriſque miniſtrandis, non alii in noſocomium admitterentur, quam Sacerdotes Societatis. Eodem anno Pragæ Matthias Cæſar noſtrum illud Collegium, & Academiam, duo avitæ pietatis illuſtria monumenta, ita auxit illuſtravitque, ut quaſi novus utriuſque Fundator & Parens videri poſſet. Quod ad Collegium attinet, cum audiſſet, multis partibus imminuta eſſe vectigalia illi olim a Fundatore Ferdinando auguſto attributa, & alendis omnium diſciplinarum Profeſſoribus ægrè ſufficere, addidit ipſe cenſum annuum, quo rem domicilii penè collapſam reſtituit. At Academiam novo diplomate confirmavit, idque cum inſigni celebritate ac pompa, cujus ſplendorem auxit humanitate ac præſentia ſua plurimum. Adfuit enim ipſe coram in Divi Salvatoris cum magna Procerum corona, & Legatis Regum, & in illo tanto conſeſſu, poſtquam Melchior Cardinalis Kleſelius rem divinam ſolemniori ritu fecerat, ſuum diploma Cæſareum publicè recitari juſſit. Prius quam hæc agerentur, adjecerat animum religioſiſſimus Imperator ad reponendam in Hungaria Societatem, quam ante annos decem Hæretici, duce Stephano Botzkajo rebellantes, expulerant. Unum fuerat nobis toto illo regno Collegium Selliæ, cujus bona ſi addicerentur denuo Societati, videbat Cæſar, facili negotio Collegium, vel in eadem urbe, vel in alia qualibet poſſe reſtitui. In iis bonis cenſebatur Turocienſis Præpoſitura; verum hanc Societati reddere, ut erant tempora, non audebat. Nam tametſi pax inter ipſum & perduelles utcunque coaluiſſet, prævalebant tamen in publico regni conventu Hæretici, & nuper decernendum curaverant, ne liceret unquam in Hungaria Jeſuitas ad ullam bonorum, quæ ſolo

50. Res Provinciæ Auſtriacæ. Hæretici ad Eccleſiam adducti hoc anno.

51. Religioſi S. Joannis de Deo noſtrorum præcipuè opera retinentur Viennæ.

52. Matthias Imperator Pragenſe collegium auget proventu, & academiam denuo confirmat.

53. Idem Cæſar Tyrnaviæ in Hungaria collegium Societatis conſtituit.

Digitized by Google

continentur, poſſeſſionem admittere: Quod decretum ſi violaretur, periculum erat, ne denuo hæretici occaſionem tumultuandi ſumerent. Hæc reputans pius Princeps, quam dixi Præpoſituram tradidit Cardinali Forgatzio Archiepiſcopo Strigonienſi, ea tamen lege, ut ex ejus fructibus quotannis certam penſionem repræſentaret collegio Societatis à ſe deſignando, quæ lex tranſiret in perpetuum ad eos omnes, qui eadem Præpoſitura potirentur. Conſtituto in hunc modum cenſu, aptus quærebatur reponendo Collegio locus, placebatque eligere unam aliquam ex munitis Hungariæ Urbibus, quæ, ſi forte bellum increpuiſſet denuo, non tam facilè hoſtium pateret incurſibus, ſicuti Sellia. Viſa ex omnibus opportuniſſima Tyrnavia, urbs quippe validis cincta mœnibus, & in illa atrocitate temporum adhuc avita religione, & fide erga Regem inſignis. Erat Tyrnaviæ vetus ædificium, olim cœnobium Dominicanorum, nunc monaſterium ſacrarum Virginum ejuſdem ordinis, ſed male materiatum, & ex parte collapſum. Id Forgatzius, translatis ad Poſonienſem Parthenonem Virginibus, noſtris mancipio tradidit, addens pecuniæ non exiguum numerum, ut reparato celeriter ædificio, habitarent in eo tanquam in domicilio proprio Patres, & quæcunque ſunt noſtri ordinis propria exercerent. Erectum ergo eſt Tyrnaviæ collegium, in eoque tres aperti latinitatis ludi ad erudiendam teneriorem ætatem: Id quod adeo Civitati gratum accidit, ut illico ſcholam ſuam publicam & antiquam occluſerint cives; Canonici autem Juventutem ſeminarii ſui ad collegium miſerint. Poſt hæc Forgatzius parabat ſacram nobis ædem à fundamentis extruere; ſed præclara ejus conſilia mors intervertit.

54. Cardinalis Forgatzii beneficentia erga collegium Tyrnavienſe.

Mortem amantiſſimi Præſulis ne nimis longo luctu proſequeremur, effecit ſucceſſor illi datus Petrus Pazmanius, poſtea S. R. E. Cardinalis, cujus viri mentio ipſa me admonet, ut quibus gradibus ad Strigonienſem Tiaram pervenerit, paulo diligentius exponam: Eoque facio libentius, quod ſimul delebitur quædam, vel ambitionis, vel inconſtantiæ macula, quam præclariſſimi hominis memoriæ apud rerum imperitos inuſtam ſcio. Natus erat Pazmanius Varadini in Tranſilvania, materni æquè, ac paterni generis antiqua nobilitate conſpicuus. Educatus Claudiopoli ſub diſciplina noſtrorum, anno ætatis decimo ſexto Societatem amplexus eſt. Exacto tirocinio, philoſophiam Viennæ, Romæ theologiam audivit, utramque in Græcienſi academia docuit, magna ingenii doctrinæque laude. Inde adverſus religionis, & pietatis hoſtes in aciem deſcendit, non eruditis lucubrationibus tantum, & egregiis libris, ſed & apoſtolicis in Pannonia miſſionibus, quibus ſtrenuè inſudantem Cardinalis Forgatzius Archiepiſcopus Strigonienſis ſibi aſſumpſit à confeſſionibus, habuitque reliquo vitæ tempore apud ſe conſcientiæ arbitrum, & conſiliarium. Mortuo Forgatzio non alium Matthias Imperator ſubrogatum voluit, præter hunc ipſum ſpectatiſſimæ virtutis, & prudentiæ virum, cujus operam videbat turbulentis illis temporibus futuram ſibi, & Catholicæ rei perutilem in Hungaria. Nec difficile fuit Cæſari impetrare à Pontifice Maximo, ut oblatam dignitatem admittere nolentem cogeret. Id ita factum eſſe, colligo ex ipſis Matthiæ litteris, quibus Turocienſem Præpoſituram Pazmanio nondum à nobis digreſſo deferens, ſic eum alloquitur. „ Quem Beatiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, divina Providentia Papæ Pauli V. auctoritate, non ſolum ab obligatione Patrum Societatis „ Jeſu exemptum, verum etiam ad quævis beneficia Eccleſiaſtica adeunda, juxta „ beneplacitum noſtrum, *ſpeciali mandato adſtrictum eſſe*, compertum habemus. „ At Pazmanius, cum nec infulas prope per vim impoſitas poſſet excutere, nec vellet novo perniciosoque exemplo perfodere ſacrum illum parietem, quo Societatis profeſſi ab ejuſmodi dignitatibus excluduntur, Paulo V. Pontifici ſupplicavit, ſibi ut liceret prius cum bona ejus venia tranſire ad Clericos S. Majoli, quos Somaſchæ Congregationis vocant, illud credo unum ſpectans, ut quoquo modo mederetur graviſſimo Societatis vulneri, nec ex ea aſſumptus ad Epiſcopatum dici poſſet. Annuit petitioni Pontifex hoc ipſo anno, deditque ea ſuper re litteras III. Cal. Maji ad Melphienſem Epiſcopum, Legatum Sedis Apoſtolicæ apud

55. Forgatzio in Strigonienſi Epiſcopatu ſuccedit P. Petrus Pazmanius poſtea Cardinalis.

56. Dignitatem accipit coactus præcepto Romani Pontificis.

57. Sed prius tranſit ad Clericos Congregationis Somaſchæ.

Digitized by Google

apud Cæsarem. Pazmanius itaque in eam quam dixi Congregationem se recepit. Sed nondum quinque mensibus in ea positis, XII. Cal. Octobris Strigoniensis Archiepiscopus fuit renunciatus. Quare, si quod recusare non poterat, modeste admisit, in eo certè reprehendi non debet. Quod autem ad alium ordinem transferri prius voluerit, quam vetiti apud nos honoris insignibus ornaretur, laudandus maxime, ut qui maluerit Societatem in speciem deserere, quam sanctiora ejus instituta violare. Sunt qui dubitant, an apud Somaschas religiosæ professionis sacramentum Pazmanius dixerit. Qua super re non dissimulabo, visum mihi esse exemplum litterarum, quibus id affirmat Alexander Vasolus, Melphiensis Episcopi in Legatione Germanica familiaris, testaturque, ipsum se Pazmanii professionem excepisse Legati Pontificii nomine. Sed, ut modò non quæram de veritate illarum litterarum, valde vereor, ne Fasolus meram professionem transeundi ab uno ad alium ordinem, pro religiosæ professionis sacramento sumpserit. Nam cui credibile videatur, ab Apostolico Nuncio unum quemdam e sua familia fuisse delegatum, qui tanti viri, & jam Archiepiscopi designati, solemnem professionem exciperet? Cæterum, nec hujus professionis autographum documentum invenitur apud Somaschas, & Pazmanius ipse jam Cardinalis Romæ passim affirmabat, ut Oldoinus testatur, se esse è Societate Jesu; quod verè dicere non poterat, si obedientiæ sacramentum alibi quam in Societate dixisset. Sed quid opus est conjecturas sequi? Sunt in nostro Tabulario litteræ ad Mutium Generalem, Pazmanii ipsius manu exaratæ III. Idus Decembris, anno MDCXXV., quibus litteris dubium omne præciditur. Præfatus enim angi se aliqua religione, qua liberari vellet, anxietatis suæ causam totidem verbis explicat. „ Ego in Societate a prima adolescentia egi. Ut ad hoc laboriosissimum, ac periculosissimum munus Archiepiscopale, cum nihil minus „
quam hoc cogitarem, assumerer, sanctæ memoriæ Pauli Papæ nutu in Con- „
gregationem S. Majoli translatus fui, ut illinc deinde ad Prælaturam promo- „
verer. Et licet a superioribus ordinis Somaschæ litteras acceperim, quibus in „
illum ordinem me fuisse adscriptum significabatur, *ego tamen nullam in eo or-* „
dine professionem emisi, sed confestim ad Archiepiscopatum postulatus fui. Quo- „
circa non sine aliqua mentis anxietate ambigo, an obligationi meæ satisfece- „
rim, vel potius aliquid supersit a me præstandum in hoc genere „. Has ego litteras Vasoli litteris oppono, hoc ejus testimonio testimonium, in medio relinquens, utri major adhibenda fides videatur.

58. Utrum in ea Congregatione religiosam Professionem emiserit.

59. Non emisisse testatur ipse de se litteris ad Mutium scriptis.

Sed ut eò regrediar, unde non nihil digressus sum, quo tempore redux in Hungariam Societas summa bonorum omnium gratulatione excipiebatur, pauci aliqui, nec sane boni, in Polonia ad ejus obterendam famam agressi sunt. Prodiere Cracoviæ pestilentes libelli plures, quibus clariores Societatis operarii nominatim impetebantur, neque solum per manus hominum impune volitarunt, sed in publicis etiam, & celebrioribus urbis locis affixi fuerunt, ad concitandum contra nos populum, & conflandam nostro nomini invidiam. In tanta maledicendi licentia apparuere ad extremum *Monita privata Societatis Jesu*, quo opere, ut modeste dicam, nihil ineptius. Inducitur eo libro Præpositus Societatis suos alloquens, & iniqua multa præcipiens, non omnibus quidem, sed Patrum duntaxat gravioribus committenda. Artifex tenebricosæ lucubrationis fuerat de Societate, sed ejectus haud ita pridem cum ignominia, conabatur nunc dedecus ejectionis suæ mordacissimis ejusmodi scriptis obtegere, vel ulcisci. Utrum assecutus fuerit malæ mentis propositum, non definio. Libellum certe ad omnes Europæ partes mira celeritate propagatum, tametsi multi summis exceperint laudibus, sapientes non alia quam flammarum luce dignum judicarunt, Romæ autem Cardinales conficiendo Indici librorum vetitorum præpositi inter proscriptos transtulerunt. Eumdem haud multo post noster Jacobus Gretserus refutavit luculentissimo opusculo, quod extat inter alia hujus scriptoris monumenta. At Posnaniæ malevoli, qui ubique plures, aliam inierunt vexandæ Societatis viam, & quamquam nullum damnum, molestiam tamen haud levem nostris hominibus attulerunt. Conflagraverat,

60. Res Poloniæ. Cracoviæ Societas famosis libellis impetitur.

61. Socii Posnanienses a fœda calumnia vindicantur.

Digitized by Google

verat, nescio quo casu, Fanum Hæreticorum, apparebatque flammas humana fraude injectas fuisse. Dum illi uruntur dolore injuriæ, & auctorem maleficii perquirunt, unus quidam Gregalium affirmare palam cæpit, Jesuitarum vel opera, vel consilio patratum fuisse facinus, vocibus seditiosis exstimulans cæteros ad vindictam, & nostris ædibus prædiisque parem cladem interminans. Nostri ut infamiam a se depellerent, averterentque quod denunciabatur infortunium, rem omnem ad Magistratum detulerunt. Adesse jubetur calumniator, & causam dicere, ob quam censeret, homines Societatis auctores incendii fuisse. Negabat homo vecors, id a se affirmatum aliquando; sed multorum testimonio revictus, carcere damnatus est, nec ante dimissus, quam datis vadibus sponderet, nunquam se posthac nostris molestum fore. Non tam facilè prohiberi potuit excidium Collegii Camenecensis, quod unà cum urbe propemodum universa miserabili incendio periit. Accessit hoc malum quasi cumulus aliis multis, gravibusque, quibus hactenus ea civitas fuerat conflictata. Primo enim finitimi Scytæ, quos vocant Tartaros, Podoliam cum infesto agmine ingressi, totam circa regionem omni belli clade vastaverant. Eos exceperat Cosaccorum exercitus, prædonum magis quam militum multitudo, qui licet socii, & sub Rege Polonorum stipendia merentes, stativis, atque itineribus agrum exhausserant nihil minus quam hostes. Vix demum horum discessu civitas respirabat, cum Idibus Quintilibus, circa meridiem, improvisa vis ignis, incertum unde mota, urbem invasit, & spatio horarum trium fere totam absumpsit. Nostri, amisso templo, & maxima collegii parte, præsidio cœlitum retulere acceptum, quod Sacrarium, & Bibliothecam victricibus flammis eripuerint; & quamquam magna pressi rei familiaris angustia, statim agressi sunt sacram ædem, & scholarum aulas restituere, quibus intra eundem annum refectis, ad ministeria sui moris continuo redierunt.

62. Collegium Camenecense subito incendio consumitur cum tota ferè Urbe.

63. Res utiliter gestæ in diversis Polonicæ Provinciæ locis.

Tot inter adversa solatio fuit Patribus in Polonia, quod nihilo segnius pro salute publica laborantes, operæ pretium fecerunt minime pœnitendum. Sexaginta fuerunt Cracoviæ Hæretici ex multiplici varietate sectarum ad Romanam fidem revocati. Totidem fere Posnaniæ, ex quibus præcipue memorabilis vir genere nobilis, & falsæ doctrinæ consultissimus, qui annos circiter quadraginta Calvinianæ hæreseos magistrum egerat. Is errorem dedoctus sex ante obitum mensibus, juravit in verba Catholicæ Religionis coram innumera frequentia civium, frementibus frustra Gregalibus; ac talis transitionem viri ferentibus indignissime. Eidem haud multo post mortuo nostri funus apud se paravere cum insigni pompa, quam Sacerdotum collegia, & Magistratus urbis sua præsentia cohonestarunt. Eodem tempore Patres Camenecenses ad totam late Podoliam, conterminasque provincias Ukraniam, & Volhiniam, cum Sacris Missionibus procurrerunt. Erat ea regio admodum inculta. Nam quia totus ille terræ tractus obnoxius est excursionibus prope quotidianis Scytarum, haud facile inveniebantur Catholici Sacerdotes, qui habitare ibi cum tanto mortis, vel servitutis periculo sustinerent. Itaque ex omni errorum, ac vitiorum germine sylvescebat. Magnus incolarum numerus schisma sequebantur. His permixti erant Judæi, ob varias commerciorum utilitates, mercaturam exercentes. Aliquæ Scytarum coloniæ Idola colebant: nec deerant, qui recentiores Protestantium errores profiterentur. Pars reliqua, utique minor, Catholici; sed iis moribus, ut a sectis, inter quas vivebant, non multum differrent. Uxores, ut alia præteream, haud secus quam empta pretio mancipia permutabant, nec matrimonia difficilius quam alia quævis pacta solvebant. Ad has ergo plagas profecti sunt e collegio Camenecensi Sacerdotes quatuor. Par Vinitzæ substitit cum præsidio militum eam arcem obtinentium. Duo reliqui interiora regionis obierunt. Omnes laboris & industriæ suæ fructum non pigendum ceperunt. Catholicorum libidines ex parte compressæ sunt, emendati mores, pietas excitata. A schismate revocati plures, atque in his unus ex Sacerdotibus, quos illi patrio vocabulo Popas vocant. Sed illud in primis utile, quod persuasum est viro in tota Volhinia

64. Fructuosa expeditio in Ukraniam, & Volhiniam.

Digitized by Google

hinia illuſtri, & multarum opum, ut in ſua ditione quinque erigeret curiales ædes, & in ſingulis Curiones conſtitueret cum apto cenſu, unde etiam certus pauperum numerus ſuſtentaretur. Hæc agentibus ibi noſtris, venit in Podoliam cum exercitu Stanislaus Zolkevichius, ſupremus copiarum ductor, ut defenderet regni fines, & Valaccorum Turcarumque irruptiones prohiberet. Poſitis prope Camenecum caſtris, vir non bellica magis virtute, quam pietate conſpicuus, evocavit ad ſe Rectorem collegii Camenecenſis, ut cum eo per otium deliberaret de cultu veræ Religionis in illa provincia augendo, vel reparando. Multa ſubjecit Rector. Tria Zolkevichius præſtitit, quæ viſa ad præſentem uſum magis idonea. Primò, ad inſtauranda Cameneci Templa, quæ incendio deflagraſſe ſupra docuimus, pecuniam numeravit, & noſtris quidem ampliorem quam cæteris. Deinde collegio Camenecenſi perpetuum cenſum coemit; cum hoc tamen, ut duos aleret operarios, qui maximam anni partem in ſacris expeditionibus quaquaverſum impenderent. Poſtremò impetravit a Rege Sigiſmundo ſubſidia, quibus nova noſtrorum ſtatio poneretur Bari. Sed de hac nobis ſermo redibit anno proximo.

65. Stanislaus Zolkevichius rem Catholicam adjuvat in Podolia, & bene de noſtris meretur.

In Lithuania dum ſimiliter deſudabat Societas, ut jacentem, aut inclinatam ubique pietatem erigeret, magnam agendi opportunitatem illi præbuit Joſephus Velaminius Ruthenorum Metropolita, qui olim Romæ in Græcorum collegio educatus, amabat nunc etiam noſtros impenſe, eorumque præſertim opera utebatur ad caſtigandos Eccleſiæ ſibi commiſſæ mores inquinatiſſimos. Multa in hunc finem ſapienter inceperat, multa geſſerat. At nuper reputans, quantum momenti habere ſoleant apud populum exempla Religioſorum, inſtaurandam ſuſceperat diſciplinam omnino collapſam inter Monachos, qui cum eſſent nomine Baſiliani, præſcriptam a magno Baſilio vivendi formam, aut ignorabant penitus, aut negligebant. Sic autem apud ſe conſtituerat, non poſſe commodiùs in totum ordinem diſciplinam reduci, quam ſi Tirones optimis inſtitutis imbuerentur ab initio, & ad S. Baſilii regulam aptè formarentur. Nam antiquiores Monachos, uſu ipſo licentioris vitæ impunitatem adeptos, retrahere ad frugem, id eſſe plus nimio arduum intelligebat, nec niſi cautè, & quaſi tentandi vadi cauſa conandum. Hac mente deſignavit Bithinienſe Monaſterium, in quo religioſæ vitæ tirocinium poneretur in poſterum: inſtituendis autem tironibus duos præfecit Societatis noſtræ Patres, Simonem Pruskium, & Andræam Koniuskium. Hi non juniores tantum, ſed paulatim etiam veteranos Monachos nacti dociles, & ad omnia obſequentes, anno uno talem inter eos induxere vivendi formam, ut omnino alia videretur domus, nec inde niſi ſanctimoniæ exempla diffunderentur. Neque verò intra unius cœnobii parietes utilitas conſtitit, ſed ad alia etiam remotiora pervaſit. Exciti enim fama reflorescentis in Bithinenſi monaſterio diſciplinæ multi ejuſdem ordinis, eodem accurrerunt, ſe pariter noſtris in diſciplinam dederunt, & ſtudium pietatis ibi hauſtum ad ſua deinde cœnobia detulerunt. Convenerat a principio, ne noſtri illud munus gererent ultra annum. Multo diutiùs gerere coacti ſunt, ne Monachis, & Ruthenorum Proceribus ægre faceront. Pertinuit fructus operæ, quod proniſſimum erat, etiam ad plebem. Quippe oppidani videntes, quam melioribus ac antea Monachis uterentur, nec ignorantes, quorum induſtria facta eſſet ea rerum converſio, bene jam de noſtris, ac præclare ſentire, confluere ad eos magno numero, iiſdem ſe regendos, ac moderandos permittere: idque illi etiam, qui, ut græcanici ritus retinentiſſimi, nefas antea ducebant Latinos Sacerdotes pœnitentiæ cauſa adire. Hæc præſtitere noſtrorum duo intra privatos quoſdam parietes, atque, ut ita dicam, ſub tabernaculis conſidentes. Alii interim in apertum ſolem & pulverem egreſſi, majora moliebantur.

66. Res Lithuaniæ. Monachorum diſciplinam noſtri inſtaurandam ſuſcipiunt.

Pertinebat hoc tempore ad Provinciam Lithuaniæ Livonia, regio admodum rudis, & cunctis errorum peſtibus fœde corrupta. Duo habebat Societatis Collegia, alterum Derpati, ſive, ut alii malunt, Torpati, Rigæ alterum in ipſa ſede Provinciæ. Verum in utraque urbe, prævalentibus numero opibuſque

67. Pretium operæ factum in Monaſterio Bithinenſi.

68. Res geſtæ Sociorum in Livonia.

Digitized by Google

busque Heterodoxis, perexiguum hactenus laboris sui fructum nostri retulerant; nec, ut erant res, uberiorem sperabant in posterum. Quare præcipuam collocare operam cœperant apud rusticos, homines scilicet priscæ simplicitatis, nec tam pravo novitatis studio, quam ignorantia veri, falsa sectantes. Excurrebant in omnem partem, veræ doctrinæ lucem circumferentes, subibant mapalia, & humiles villicorum casas, ignaros rerum omnium erudiebant, copiosam ubique messem in Christi aream inferebant. Addebat ad laborandum animos pretium laboris oppidò lætum, atque ingens. Sed nimis pauci erant pro agri magnitudine operarii, nec omnes gentis linguam callebant. Tres enim nationes Livoniam occupant, Libici, Lotavi, & Esthones, sua singuli utentes lingua, & exceptis nobilibus, quibus est Germanica familiaris, aliarum imperiti. Sedem præterea non habebat Societas, unde ad omnia Livoniæ latera facilis esset excursio. His incommodis ut ex parte occurreret P. Joannes Argentus Lithuanæ Provinciæ inspector, sociorum stationem posuit Vendæ, quæ urbs est Lotaviæ caput, & ad totam peragrandam Livoniam opportunissimo loco sita. In ea statione viros impigros, & linguarum regionis scientissimos collocavit, Petrum Culesium, & Joannem Stribingium. Istorum autem operam mirum, ut brevi tempore pietas & religio in toto illo tractu reflorueri. Duplicato postmodum sociorum numero, & aucto ex piorum largitionibus censu, parabant nostri ex mera statione Collegium facere: sed tam læta initia clades belli Svecici, ut infra narrabimus, prorsus extinxit.

69. Vendæ Societatis statio collocatur.

Per hæc fundatum est Crosense collegium in Samogitia. Est Samogitia Polonici juris ampla provincia, sed magna ex parte silvosa. Urbes habet admodum paucas, nec magnæ celebritatis. Incolarum pars maxima rusticani, & usque ad tempora Sigismundi Augusti plerique adhuc Idolorum cultores. Quamvis autem Sigismundi imperio Christianam Religionem suscepissent, adhuc tamen plurimi clam avitam retinebant superstitionem, eamque sacrilegis ritibus exercebant. Accesserant variarum hæresum pestes, quæ bonæ frugis nihil in tam inculto solo reliquerant. Ad hoc senticetum excolendum mitti cœperant per intervalla temporum operarii Societatis, sed ii erant mores, ea gentis ingenia, ut longè majori indigerent cultura, quam quæ per ejusmodi excursiones impendi posset. Id reputans Nicolaus Pac Episcopus Samogitiæ, expetebat collegium stabile Societatis, offerebatque de suo vectigalia tribus alendis hominibus; majora enim prò præsenti copia non poterat. Quod doti conficiendæ deerat, id se suppleturum spondebat Joannes Carolus Chodkievicius, supremus in Samogitia armorum Præfectus. Utriusque liberalitatem, actis impense gratiis, accepit Visitator Argentus, æquum existimans tam benevolæ eorum voluntati obsecundare. Reliqua erat deliberatio de loco, ubi collegium excitaretur. Episcopus magnopere pugnabat pro urbe sua Episcopali Vormatia. Chodkievicius, etsi rem Societatis arbitrio permittebat, tamen si Scudium suæ ditionis oppidum eligeretur, commodiorem amplioremque pollicebatur domum, & censum multo lautiorem. Contentionis arbiter erat P. Argentus, qui aperte professus, non id agi ut Patres laute viverent, aut commode habitarent, sed ut populis utile ministerium exhiberent, reliquis urbibus præferendam censuit Crosam, quippe oppidum in media fere Provincia situm, eoque facile adeundum a Provincialibus, & ex quo invicem ad omnem circa regionem excurri non incommode posset. Erat hoc oppidum in ditione Nicolai Christophori Radzivilii, viri Societatis nostræ amantissimi, qui haud ita pridem ære suo collegium Niesvisiense fundaverat. Is ut accepit quod de Crosensi decretum fuerat, delectatus ea re majorem in modum, domum quam Crosæ habebat satis amplam, & huic adjunctam aream, nascenti collegio donavit. Pari liberalitate Martinus Syzkowskius Plocensis Antistes, Societatem in urbe sua Episcopali constitui cupiens, fundum ad collegium ædificandum obtulit, ædes pro præsenti usu conduxit, & ex bonis Ecclesiæ suæ detractis proventum aptum attribuens, Ploci collocatam vidit hoc ipso anno familiam Societatis, apertas latinitatis scholas, in iisque florentissimam Juventu-

70. Fundatur Collegium Crosense in Samogitia.

71. Cur Crosa aliis oppidis antepofita.

72. Collegii Plocensis initia.

tem

Digitized by Google

tem pietati ac litteris operantem. Cæterum Plocenſis ſedes collegii ſtatum & nomen non obtinuit, niſi poſt annos circiter novem. Martino enim ad infulas Cracovienſes provecto, ſucceſſor Henricus Firleus, etſi amans Societatis, donationem ex bonis Eccleſiæ factam perdiu ratam habere noluit. Atque hæc de Provinciis ſeptentrionalibus, quæ vergunt ad orientem ſolem.

Earum quæ jacent ex adverſo, prima eſt Belgium. Hujus domicilia Claudius Aquaviva ante quadriennium in duas Provincias diſtraxerat, attributis uni Civitatibus, quæ Flandrica utuntur lingua, alteri quæ Gallica: unde illi Flandrobelgicæ, huic Gallobelgicæ nomen. Utraque hoc anno novis aucta eſt domiciliis. Ut de Flandrobelgica dicere incipiam, Antuerpiæ ex collegio domus Profeſſorum eſt facta, & nova collegio ſedes data. Debuimus id, cum ſolertiæ Caroli Scribani Præpoſiti Provincialis, tum maximè civium liberalitati, & prono erga nos animo. Quærentibus enim noſtris opportunum transferendo collegio locum, Senatus urbanus domum addixit amplam, quæ olim Anglis negotiatoribus locari ſolebat. Huc ergo immigrarunt qui rem ſcholaſticam curaturi erant Patres: qui verò in veteri domicilio relicti ſunt, ii mendicato vivere, & eam paupertatis formam ſervare cœperunt, quam B. P. Ignatius propriam Profeſſorum domibus eſſe voluit. Haud multo poſt Liræ domus tertiæ, ut loquimur, probationis erecta eſt. Ab urbe Antuerpienſi novem circiter millibus paſſuum diſtat Lira, Brabantiæ oppidum haud ita magnum, ſed amœnitate ſitus, & ædificiorum frequentia elegantiaque laudatum, remotum præterea ab omni ſtrepitu, cum aulico, tum forenſi, eoque noſtrorum ſeceſſui apprimè idoneum. Cum parata jam eſſet domus, affuerunt ibi circa dimidium æſtatis decem ex noſtris Sacerdotibus, iterum inſtituendi, probandique Tironum more: quæ res ignorantibus id eſſe è conſuetudine Societatis, admirationem ingentem movit, eoque majorem, quod erant inter illos aliqui jam Rectorum munere, aut publicis Philoſophiæ, ac Theologiæ magiſteriis perfuncti.

73. Res Flandrobelgicæ. Antuerpiæ domus profeſſorum conſtituitur, translato in aliam ſedem collegio.

74. Liræ domus tertiæ probationis erigitur.

Quod pertinet ad res geſtas hujus Provinciæ, admirationi fuit Antuerpienſibus alienæ ſalutis ſtudium ab operariis Societatis in teneriorem quoque ætatem diffuſum. Erat in agro proximo Opilionum ingens numerus, quorum liberi, vel inopia, vel incuria parentum, nullis neque litteris, neque chriſtianæ doctrinæ rudimentis imbuebantur. Eorum miſeratus vicem P. Gulielmus de Prete-

75. Pueri ad culturam puerorum adhibiti, cum magno fructu.

re, ut forte præerat frequenti adoleſcentum ſodalitio, ad eos retulit, vellent ne in obſequium B. Virginis miſeros illos ruſticorum pueros docere rudimenta fidei, ac primam præterea legendi ſcribendique artem? Excepta eſt cum incredibili omnium aſſenſu relatio. Fit in communi decretum de ea re, ſcribuntur leges, ſua cuique pars operis committitur. Atque exinde viſi per dies feſtos grandiuſculi adoleſcentes partitis agminibus in ſuburbia prodire, & inopum puerorum manipulos cogere ad audiendam fidei doctrinam, qua ad eorum captum explicata, ſingulos deinde lectione ac ſcriptione exercebant, præeuntes voce, ducentes manum, hujus laudantes ſolertiam, illius ignaviam increpantes, ea non ſolum patientia, ſed etiam aſſiduitate, ac peritia, ut hæc intuentes viri grandiores, hærerent admiratione defixi, quidam a lachrymis non temperarent. Verum hæc in ſpeciem leviora. Jamdiu, auctore Alexandro Farneſio, Societas in Belgio miſsiones inſtituerat, quas caſtrenſes dicimus: præclarum inventum ad fovendam inter milites pietatem, illam ſcilicet rem, qua nulla in caſtris utilior; nam & diſciplinæ militaris cuſtos eſt pietas, & in acie virtutem bellicam acuit. Nunc, præter alios ubique inter copias & arma commorantes, ſeptem verſabantur noſtri ordinis Sacerdotes Veſaliæ in Ducatu Clivienſi: huc enim Archiduces ingens præſidium contraxerant ad continendos Batavos, qui Juliacum interceperant, & Auſtriaci imperii finibus imminebant. Erat porrò Veſalia, non modò partium hæreticarum, ſed Societati noſtræ infenſa uſque adeo, ut paſsim cives dictitarent, minus gravia ſibi futura triginta cohortium hyberna, quam eſſet exigua illa Jeſuitarum manus. Cum non poſſent noſtros excludere mœnibus, ſaltem ab eorum congreſſu arcere conabantur populares ſuos, acribus conviciis

76. Noſtri in miſſione Caſtrenſi utiliter laborant Veſaliæ.

Digitized by Google

& maledictis excipientes, si quem deprehendissent ad domicilium nostrorum divertere. Omnino nullus relinquebatur Patribus locus juvandi tam male affectos oppidanos. At militibus dici vix potest, quantum prodesset eorum præsentia, & labor. Collecti erant milites ex tribus nationibus, Hispani, Belgæ, & Sequani, lingua inter se diversi. Omnibus proprio gentium sermone catecheses, concionesque habebantur, quarum is plerumque erat exitus, ut multi veteres conscientiæ maculas confessione purgarent. Pomeridianis horis Patres, præsidia stationesque militum obeuntes, insinuabant se illis per speciem familiaris colloquii, sermonem jucunda aliqua narratiuncula condiebant, rectè ac malè factorum diversos exitus ostendebant, hisque artibus homines talium inexpertos sensim ad meliorum imitationem, ad fugam deteriorum impellebant. Promovebant in primis cultum B. Virginis, quem hæretici, non minus stultè quam impiè, idololatriæ affinem putant, nos inter præcipua pietatis officia, aut incitamenta reponimus. Et forte res accidit memorabilis, unde ipsi intelligerent Heterodoxi, Deo rem gratissimam facere, qui ejus Matrem venerantur. Miles erat Vesaliæ olim à Turcis in servitutem abductus, nec manumissus, nisi post annos duos supra viginti. Præter alia crudeliter in eum facta, illum Turcæ lingua multaverant, qua miser carens, nutibus, ac digitorum motu pro vocibus utebatur, eratque propterea in castris notissimus. Is ergo mense Majo hujus anni, cum homologesim apud nostrum Sacerdotem peregisset mutis tantummodo, ut solebat, signis, repente loquendi facultatem recepit, qualem habuerat ante injuriam Turcicam. Fama miraculi momento temporis castra urbemque pervagata, magnam hominum frequentiam ad eum contraxit. Quibus ille, repetens ab initio quam multa à barbaris, quamque immania per annos ipsos viginti duos pertulisset, toto eo spatio, adjecit, se quotidie Aspricollensi Deiparæ supplicasse, ut aliquanto saltem ante supremam diem usum vocis sibi restitueret. Id se non alia magis causa postulasse, quam ut posset ad ejus laudes aliquid de suo addere: & olim audisse intimam, & claram vocem, quæ promittebat, voti compotem fore. Non hic referam, qui motus animorum sint facti in tam comperto miraculo, quantum lachrymarum fusum, ut omnes ad colendam impensius Virginem incaluerint; hæc enim facilè quivis assequi cogitatione possit. Rem, ut à me traditur, accepit P. Carolus Scribanus ex relatione nostrorum Vesaliæ commorantium, eamque Mutio Generali perscripsit, addens, fuisse toto illo tractu regionis testatissimam. Hæc in Flandrobelgica.

77. Cultus B. Virginis insigni miraculo comprobatus.

78. Res Gallobelgicæ. Fundatur collegium Huense.

In Gallobelgica tria nobis collegia hic annus addidit, alterum Hui Eburonum, Bethuniæ alterum, tertium Malbodii. Huum ad Mosam jacens Leodium inter & Namureum, oppidum est in ditione Episcopi & Principis Leodiensis, amæno loco situm, nec populo infrequens. In hoc oppidum ante aliquot annos Societatem vocaverat Ferdinandus a Bavaria Episcopus Leodiensis; sed tunc Patribus, nescio qua causa, visum non fuerat uti beneficio illius. Nunc autem duo nostrorum, Joannes, & Ægidius de Mean, germani fratres, atque indidem cives, cum statuissent de communi patrimonio fundare in patria sua domum Societatis, illud perfecere primum, ut donationem Præpositus Generalis reciperet, deinde ut Princeps, & Magistratus urbanus nostros admitterent intra urbem, etiam si Cœnobitæ nonnulli acriter reclamarent. Nonnihil operi perficiendo contulit vir in civitate honestissimus, Lambertus de Outrelousio, qui tres habens in Societate filios, eorum gratia prædium suburbanum nascenti collegio transcripsit. Gravioris negotii fuit sedem Bethuniæ figere in Artesia. Joannes de Loos cœnobii Choquensis Abbas ante annos quatuor domum Bethuniæ coemerat, tunc nostris hominibus habitandam, si quando, ut sperabat, collegium ibi conderetur. Ne fieret, obstabant civium plerique, avertebantque eorum a nobis animos religiosi quidam alterius ordinis, pollicentes, si domicilium sibi Bethuniæ, & gymnasii publici administratio traderetur, se docendi munus ita gesturos, ut nec stipendium exigerent, nec stipem a civibus corrogarent. Ob hanc causam perdiu res hæsit in ancipiti, donec ex Ariensi collegio Bethuniam

79. Et post multas difficultates, etiam Bethunense.

Digitized by Google

niam venit ad concionandum P. Ægidius Bouchier: Ejus autem adventu, concionibus, consuetudine, ea facta erga nos omnium ordinum inclinatio, ut jam alterius tam liberalis familiæ nec mentio fieret. Apertæ sunt illico scholæ tres, faventibus præter omnium opinionem, & suos in collegium liberos deducentibus iis quoque, qui nihil intentatum reliquerant, ut Societas oppido excluderetur. Quid plura? Carentibus sacra æde nostris ultro civitas utendum permisit sacellum, quod habebat maximæ religionis, Sanctis Eligio, & Nicolao dicatum. Ita cœpta Bethunienſis domus, quæ tamen justam collegii dotem non obtinuit, nisi post annos fere septemdecim, cum Baro de Liberſart Societatem ingressus, ejusque Avunculus Dominus de Nedonchel Tornacensis Ecclesiæ Archidiaconus, eam bonorum suorum hæredem scripsere. Citius collegii dotem & dignitatem est consecuta sedes Malbodiensis. Malbodium Artesiæ oppidum est in Diœcesi Cameracensi. In hoc oppido Matrona erat nobilis & locuples, Franciſca Brunella, vidua Hugonis Burgheſii, viri multis nominibus insignis, & notæ in nostrum ordinem benevolentiæ: quæ spectatissima femina cum duos filios, spem familiæ unicam, dedisset jam Societati, nunc denique etiam domum, & magnam patrimonii sui partem fundandæ Malbodii domui Societatis addixit. Auxit proventum non mediocriter Archiepiscopus Cameracensis Franciſcus Vanderburchius. Ædes necessaria supellectili, sacra, & profana, oppidani instruxerunt. Nec silenda liberalitas religiosissimi viri Antonii de Winghe Lætiensis Monasterii Præsidis, qui nascenti collegio censum annuum ducentorum florenorum attribuit. Hoc igitur anno, reversus Roma à comitiis generalibus P. Joannes Herennius Præpositus Gallobelgicæ, Malbodiensem domum adjunxit Societati. Triennio post, tres apertæ sunt juventuti classes, & quæ hactenus residentia fuerat, eam Mutius Generalis collegii nomine honestavit, Rectore impolito, qui omnium primus fuit P. Joannes Burgheſius, ejus quam supra memoravimus Viduæ filius natu major.

80. Initia collegii Malbodiensis, & multorum liberalitas erga illud.

Crescente in hunc modum numero collegiorum in Gallobelgica, Sociorum quoque ardor, & divinæ gloriæ amplificandæ studium augebatur. Non referam per partes quidquid gestum ubique est, ne fiam prolixior. Ut aliqua tamen indicem, Duaco, Audomaro, Leodio, Insulis, Cameraco, in proximas regiones itum est cum Evangelico ministerio, & divini verbi semen ubique cum ingenti fruge jactum. Valencenis Præses cœnobii Marchienensis non solebat tirones suos ad solemne professionis sacramentum admittere, nisi prius fuissent certo dierum spatio Ignatianis exercitationibus exculti in collegio nostro. Misit hoc anno juvenes septem, eosque ad religiosæ vitæ cursum optimè animatos recepit. E' collegio Luxemburgensi profectus ad insignem virginum Parthenonem inter Lotharingiam, ditionemque Luxemburgicam unus ex nostris, non modò veteris disciplinæ formam, quæ magna ex parte conciderat, excitavit, sed & virginibus persuasit, ut se iterum, atque ultro subjicerent Trevirensi Pontifici, cui ante annos quadraginta parere desierant. Duo fuerunt milites Luxemburgi capitali pœna damnati, qui cum ignominiam patibuli iniquissimè ferrent, tamen hortatu nostri Sacerdotis ad supplicium processere alacres adeo, ac tanta spe vitæ melioris erecti, ut palam affirmarent, sibi eam diem ex omnibus esse faustissimam: quam animi firmitatem ad extremum usque retinentes, spectatorum multitudini lachrymas excussere. Præter hæc, plures eodem anno fuerunt e sectis hæreticorum ad Catholicas partes reducti. Sed longum esset omnia hujus generis diligentius persequi.

81. Acta Sociorum in variis Provinciæ partibus.

His ergo præteritis, ex Belgio gradum facimus in Provinciam Rhenanam, quæ quidem per illud tempus nondum erat, ut nunc, divisa in superiorem, & inferiorem, sed continebat quidquid domiciliorum habet Societas in Westphalia, Franconia, Thuringia, ac toto illo terræ tractu, qui Rheno adjacet inter Alsatiam, regionemque Juliaci, & Cliviæ. Initium narrationis ducimus à collegio Wormatiensi, quod anno hujus sæculi nono cœptum Fundator novis in diem beneficiis ornare perrexit, donec anno labente moriens optimè constabilitum

82. Res Provinciæ Rhenanæ. Fundatur Wormatiæ collegium ab Episcopo.

Digitized by Google

reliquit. Wormatia Rheno imposita inter Moguntiam, & Spiram, Palatinatus inferioris amœnissimum agrum occupat, Comitiis Imperii, & Antistitum conciliis notissima. Lutheranæ pestis primos afflatus ita hauserat, ut præter Clerum, paucos admodum numeraret sanæ doctrinæ religionisque cultores. Societatem verò nostram execrabatur usque adeo, ut ejus nec nomen ferre posset. His nihil perterritus Wormatiensis Episcopus Wilhelmus ab Efferen, penès quem jus imperii, tum sacri, tum civilis erat, rem populo quidem odiosissimam, sed æquè, ut arbitrabatur, salutarem magno animo, nec minori prudentia suscipiens, primò duos, deinde alios totidem nostri ordinis Patres Wormatiam immisit eo animo, ut paulatim collegii fundamenta ponerent. Cognito Episcopi consilio, cives tumultuari haud secus, quam si pro aris & focis pugnandum esset. Arma sumunt, & in ipsas Principis ædes impetum se facturos minantur. Compressa seditio est, primò constantia illius, deinde interdicto supremi Spirensis consilii, postremò litteris Rodulphi Cæsaris, quas Germani Protectoriales appellant: quibus litteris si quem dignetur Cæsar, ei nemo intra fines Imperii nocere potest, salva majestate Cæsaris. Non proinde Lutheranis voluntas extrudendi Patres, si quo modo citra vim possent, defuit. Non contenti jactare minas, famamque Patrum conviciis obterere, ad vicinos Protestantium Principes litteras atrocissimas dederunt, a quibus etiam scriptæ sunt aliæ ad Wormatiensem Episcopum plenæ minarum, & in Societatem contumelioſæ. Sed his in conventu Principum Electorum, qui per idem tempus habebatur Norimbergæ, recitatis, graviter stomachati Catholici Principes, Antistitem hortati sunt, ut neglectis Protestantium litteris, ac minis, jus suum, & libertatem religionis tueretur. Accessit amplissimum Cæsaris diploma, quo privilegia omnia Clero Wormatiensi olim concessa, Societati prolixè impertiebantur. Quare sublato omni metu, constitutum rite fuit collegium anno sæculi tertiodecimo. Molliti interim sunt nostrorum præsentia animi, & vetus odium ex parte refrixit. Placuit Patrum in obeundis instituti sui ministeriis assiduitas, eruditio, & charitas, præsertim cum unus ex illis pauperem in publico jacentem, atque ab omnibus contagiosi morbi metu derelictum, sustulit in humeros, & in nosocomium deportavit, non sine præsenti charitatis præmio, siquidem paulo post eodem ipse correptus morbo decessit. Animatus benevolentia civium Præsul, & meliora in dies animo præcipiens, fovebat impensè nostros, iisque ut sociis, & adjutoribus in Episcopatu administrando utebatur, identidem affirmare solitus, constare sibi fructum pecuniæ, quam in fundando collegio collocasset. Censum quoque amplificare meditabatur: Sed hæc cogitantem mors oppressit, hoc ipso anno labente. Morienti, non Wormatienses tantum Patres, sed etiam Spirenses, ut patrono suo amantissimo, affuerunt.

83. Civium conata ad arcendam Societatem irrita.

84. Wormatienses paulatim erga nos mitigantur.

85. Collegii Fundator Episcopus moritur.

86. Paderbornæ, & Molshemii studiorum Universitas instituitur.

Vertente eodem anno Theodorus à Furstembergio Episcopus Paderbornensis, pro certo statuens, ad exscindendas hæreses, quæ ante adventum Societatis totam illam Diœcesim corruperant, momenti plurimum attulisse scholas collegii pridem a se Paderbornæ fundati, eas ita augere constituit, ut ad ordinem Gymnasii universalis assurgerent. Additis propterea ad alendos disciplinarum Professores novis vectigalibus, diplomata impetravit Matthiæ Cæsaris, & Pauli V. Pontificis, quibus jura omnia, ac privilegia Universitatum Paderbornensi collegio tribuebantur. Pari modo Leopoldus Austriacus Ferdinandi Cæsaris frater, Episcopus Argentoratensis, Molshemiense Societatis gymnasium, cum tituli dignitate, tum numero disciplinarum amplificandum curavit. Xanthi interim, quod celebre oppidum est Cliviæ in Colonienſi Diœcesi, domus Societatis collocata est ex earum genere, quas residentias dicimus. Ante Lutherum summam huic oppido conciliabat celebritatem memoria S. Victoris e Thebæorum legione Martyris, cujus corpus pia Constantini Mater Helena insigni Basilica nobilitaverat. Sed sparsa latè per Germaniam hæresi, huc etiam irrepserant pestilentis mali germina: & jamdiu in illam priscæ religionis Basilicam imminebant impii grassatores eo ardentiùs, quod mortuo sine liberis Gu-

87. Residentiæ Xanthensis initia.

Digitized by Google

Gulielmo Cliviæ duce Catholico, Joannes Sigiſmundus Septemvir Brandemburgicus, & Wolphangus Wilhelmus Palatinus Neoburgicus, ambo id temporis heterodoxi, de ſucceſſione certabant. Dolebant impendentem cladem Canonici, quorum eſt Xanthi collegium in primis nobile. Ad eam porro avertendam, anno labentis ſæculi nono, Societatis auxiliarem manum evocaverunt è vicino Embricenſi collegio, nec vero fruſtra. Auditis noſtrorum concionibus, excitati ſunt Catholici, ut avitam religionem contra novitatis illecebras, & inſidioſam falſitatem defenderent. Compulſi præcones erroris, aut ſilere, aut fugere. Sacrorum frequentia, jejunii leges, res jamdiu ob licentiam temporum jacentes, in uſum priſtinum reſtitutæ. Quæ videntes civium primores, & capita Sacerdotum, male factum ajebant, quod operam Societatis non multo antea quæſiviſſent, ſtatueruntque ſemel advocatam perpetuò eſſe retinendam. Aſſenſere Moderatores Societatis, aliiſque ſubmiſſis Patribus, ex miſſione incerta ac temporaria ſtabilem, ut loquimur, reſidentiam hoc anno conſtituerunt. Circa idem tempus Ferdinandus à Bavaria, Colonienſis Septemvir, & Epiſcopus Monaſterienſis, noſtros in Embslandiam induxit. Weſtphaliæ tractus eſt Embslandia, intra fines diœceſum Monaſterienſis, & Oſnabrugenſis, utrique Epiſcopo parens, illi jure Sacerdotii, huic Imperii. Jamdiu tota regio in partes Lutheri tranſierat, cum ad eam hæreſi liberandam Ferdinandus omnem curam intendens, Mappenæ, quæ caput eſt regionis, pulſis nefariæ ſectæ præconibus, duos collocavit noſtri ordinis Sacerdotes. Hi principalibus adjuti edictis, brevi oppidanos ad Eccleſiam reduxerunt. Princeps ſucceſſum conſiliorum ſuorum videns oppidò lætum, & in ſpem meliorum erectus, Vechtam quoque, quod alterum eſt Embslandiæ oppidum, par ſociorum immiſit. Verum hi, quamvis nec laborí parcerent, nec induſtriæ, toto ſexennio operæ pretium fecerunt nullum, aut perexiguum: donec tot annorum ſterilitatem unius feracitas compenſavit, ut ſuo infra loco memorabimus.

88. Societas in Embslandiam inducitur.

Interim alii duo Patres, Frideslariæ feliciùs deſudantes, religionem omnino collapſam excitabant. Oppidum eſt Frideslaria intra fines Haſſienſis Ducatus, haud Caſſela procul, in ditione Septemviri Moguntini. Floruerat ibi religio ac pietas ut ſicubi uſpiam uſque ad Lutheri tempora, extabatque adhuc, præter inſigne Canonicorum collegium, celebre Monaſterium, cujus fuiſſe auctor dicebatur S. Bonifacius. Sed Haſſiani proximi, ſub ipſa naſcentis hæreſis initia Lutherum ſecuti, Frideslariam quoque in partes traxerant, vix avitæ religionis relicto veſtigio. Populus Paſtores non ſumebat niſi de ſecta; cur autem nollet de Eccleſia, cauſabatur pravos Clericorum apud ſe degentium mores: quaſi verò cœleſtium dogmatum veritas ex docentium vita penderet. Erat hoc tempore Archiepiſcopus Moguntinus Joannes Svicardus è clariſſimo Crombergiorum genere, vir ſæpe nobis cum laude memorandus, qui Romæ apud nos educatus in collegio Germanico, flagrantiſſimum religionis ſtudium cum ſingulari erga Societatem benevolentia conjungebat. Is ut occurreret gliſcenti malo, quod in vitia Sacerdotum rejiciebatur, ab emendatione hujus ordinis initium duxerat, miſſo Frideslariam Inſpectore, qui Clericorum libidines coerceret, eoſque cogeret congruentes profeſſioni ſacræ mores induere. Claudi poſt hæc Templum Lutheranorum, nec niſi Catholicorum conciones frequentari juſſerat. Poſtremò duos immiſerat è noſtro collegio Moguntino Sacerdotes, qui privatis publiciſque ſermonibus ſalutis æternæ viam erranti populo commonſtrarent. At Patribus initio viſa res multo impeditior, quam ut explicari facilè poſſet. Negabant præfractè cives, ſeſe à Luthero diſceſſuros aliquando, fremebant liberè contra noſtros, apertam vim minabantur, ſi forte multis, pignoribuſque, aut quovis alio coercitionis modo ad profeſſionem Romani cultus compellerentur. Seditioſis & contumacibus animos faciebat vicinus Haſſianus, cujus opem ſciebant ſibi affuturam, ſi forte arma adverſus Principem religionis cauſa ſumpſiſſent. In hoc ſtatu rerum prudentiſſimus Archiepiſcopus conſilium cepit Paſtore dignum, non indignum Principe. Litteras exaravit ad duos, quos dixi, Patres, plenas cha-

89. Inſtauratur religio Frideslariæ, adnitente Archiepiſcopo Moguntino.

90. Refractarii cives vincuntur benignitate Principis.

Digitized by Google

charitatis atque clementiæ, quibus cæcitatem populi Frideslarienſis in exitium ſempiternum ruentis paternè deplorans, eos etiam atque etiam hortabatur, ne propterea deſponderent animum, ſed porro pergerent vel nolentibus, & invitis ſalutem offerre. Sibi quidem, ajebat, in eo negotio aliud nihil eſſe propoſitum, quam ut oves ſibi creditas ad æternam vitam perduceret. Agerent ipſi in hunc finem quod e re futurum putarent: ſed has interim litteras palam legerent, ac populo in mentem reducerent obedientiæ ſacramentum, quo Principi tenebantur. Fecerunt ut juſſi fuerant Patres. Recitatis autem in Senatu litteris, videre licuit, ad flectendos hominum liberalium animos quid poſſit benignitas, atque clementia. Pars maxima Senatorum ultro profeſſi ſunt, ſe futuros in poteſtate Archiepiſcopi & Patrum, ac re ipſa fuerunt. Solus obfirmavit ad contumaciam populus, nec verò ſubigendus verbis ullis, aut litteris videbatur. Quo enim rudiora ſunt ingenia, eo minus benignitate tanguntur, & niſi vi comprimantur, inſoleſcunt ferociùs. Sed ille etiam ad extremum reſipuit, partim metu Cæſaris, cujus allata ſunt edicta graviſſima, partim divinæ ſeveritatis terrifico exemplo, quod uni exitiale, cæteris documento fuit. Mulier præter modum impia, & pervicax, imprecata ſibi fuerat, ut cervicem prius frangeret, quam Jeſuitæ concionanti aures daret. Eadem paulo poſt lapſa per ſcalarum gradus, fracta cervice interiit: quod ut in vulgus emiſſum eſt, converſi momento ſunt omnium animi, & ex refractariis dociles facti, nemine non agnoſcente divinæ voluntatis manifeſtum indicium. Jam ergo alia erat civitas, ac fere ex toto Catholica, parabantque noſtri, ut nihil habentes præterea quod ibi agerent, Moguntiam regredi ante exitum hujus anni: cum Haſſianorum Lantgravius, veritus, ut arbitror, ne ditionis ſuæ populi exemplum vicinæ urbis ſequerentur, acres ad Moguntinum perſcripſit litteras, vehementer poſtulans, ut noſtros Sacerdotes quamprimum abduceret Frideslaria, & malum per ambages denuntians, niſi faceret poſtulata. His litteris Præſul non amplius eſt motus, quam ut eodem induceret alios duos. Adeo Principi iniqua poſtulanti nihil indulgendum cenſuit. Collocata itaque eſt Frideslariæ, ut in ſede ſtabili, noſtrorum familia, eique ad uſum ſacrorum attributa ædes S. Bonifacii. Curavere paulo poſt cives, ut ad liberorum ſuorum inſtitutionem tres aperirentur ludi latinitatis, quo paulatim ea domus ad collegii formam excrevit. Sed afflicta poſt annos fere quindecim turbine belli Svecici, adhuc jacet.

91. Stabilis Societati ſedes tribuitur Frideslariæ, invito Haſſiæ Lantgravio.

92. Scholæ Societatis in tota Provincia celebrantur.

Cæterùm ſcholas Societatis in Rheni Provincia ipſi laudabant Heterodoxi, fatebanturque ad Rempublicam pertinere, ut noſtri juventutem ubique litteris informarent. Qui Societatis gymnaſia frequentabant, modeſtia ipſa ſpectabantur inter cæteros adoleſcentes: Quod cum ſæpius obſervaſſet in urbe Monaſterienſi mulier locuples de Lutheri grege, cenſum emit, unde ſeptima quaque die diſtribueretur certum panis demenſum pueris centum quinquaginta collegii noſtri ſcholas adeuntibus. Multo tamen magis noſtrorum diſciplinam celebrabant Catholici, qualis ea eſſet, ex puerorum pietate & moribus æſtimare ſoliti. Fuldæ unus quidam civium, apud quem adoleſcens ſtudiorum cauſa diverſabatur, narrabat, ſe cum tota familia ad pietatem erudiri ſermonibus, & exemplis illius. In Franconia vulgatum erat, ex quo ibi eſſe cœpiſſent gymnaſia Societatis, adoleſcentium incredibiles concurſus fieri ad Religioſorum cœnobia, eaque multitudinem ſeſe offerentium non capere. Multa etiam extant in monumentis hujus temporis documenta conſtantiæ minimè puerilis, ab alumnis noſtrarum ſcholarum edita, quorum ego unum ad ſpecimen cæterorum ſubjicio. Puer annorum haud amplius ſeptem Heiligenſtadii fratres ſuos natu majores viderat veſci carnibus eſuriali die. Non ſolùm eos officii commonefecit, ſed quia Parentes hæretici non alios apponebant cibos, niſi vetitos, ipſe toto quadragenarii jejunii tempore, ſolo atque arido pane victitavit. Abſtinentiæ exemplum ſane admirandum, quod in tantula ætate vix crederem, niſi rei magnitudine major eſſet narrantis auctoritas.

93. Abſtinentiæ exemplum memorabile a puero Catholico editum.

94. Res Anglicanæ.

Is erat rerum ſtatus ad Rhenum, cum Angliæ Heroem magni nominis mors

Digitized by Google

Mors eſt Elogium Thomæ Pondi, ejuſque vitæ ſynopſis.

mors ademit, Thomam Pondum, cujus & alibi in annalibus Societatis eſt facta mentio, & nunc vita omnis breviter percurrenda. Natus ex nobili & opulenta familia Belmontii, quod oppidum eſt duodecim millibus paſſuum à Vintonia, ſortituſque à natura, non ſolum acre & exporrectum ingenium, verum etiam formam corporis elegantiſſimam, ſimul atque ſui juris per obitum Patris eſt factus, tranſtulit ſe in aulam Londinenſem, ubi patrimonium in luxu, ac ſplendido vitæ cultu prodigens, facile gratiam iniit ab Eliſabetha Regina, cujus externè ſectam profitebatur, licet à puero Catholicè inſtitutus, ac politioribus etiam litteris egregiè excultus fuiſſet. Placebat ipſe ſibi Pondus, cum ob alia corporis animique ornamenta, tum præſertim ob ſaltandi artem, qua excellebat plurimum, nec fere parem habere in Anglia dicebatur, animæ cæteroqui, ac ſalutis æternæ penitus incurioſus. At non item ejus ſaluti indormiebat clementiſſima Numinis providentia. Qua potiſſimum parte debilem norat, ea miſericors Pater juvenem nihil minus cogitantem adortus eſt, ſibique ſubjecit. Agebantur forte dies Chriſto naſcenti ſacri, eoſque Regina, velut publicæ voluptati conſecratos, ſaltationibus ac ludis celebrari juſſerat in ſuo regali palatio: Ita namque ſervabantur ſanctiores in Anglia dies, Muliere res Eccleſiaſticas moderante. Pondus, cui ob ſingularem præſtantiam data regendarum chorearum cura, non id ſolum curavit ut omnia rite atque ordine fierent, ſed præterea in medium progreſſus, tam ſcite eleganterque ſaltavit, ut acclamatum illi fuerit ab omni nobilitate, quæ aderat frequentiſſima, nec ipſa continere ſe potuerit Regina, quin eidem amiciſſimè gratularetur. Succeſſu elatus proſpero, poſt modicam quietem, deſcendit in patentem aream denuo, ſpectante circum theatro, & plaudente. At dum maximè corpus librat agilitate incredibili, ſeque multiplices in orbes rotat, correptus ſubita vertigine concidit, jacuitque humi proſtratus. Eo caſu verſæ momento vices. Tollitur malignus clamor exprobrantium turpitudinem, atque irridentium. Sannis ac ſtabilis tota aula perſonat. Regina ludibrio contumeliam addens, bovem cum inſigni contemptu appellavit, & ſurgere jacentem juſſit. Surrexit a lapſu Pondus pudore oppletus. At ſecum reputans tantam ex fortuito caſu rerum converſionem, facile intellexit, nihil in hominum favore tutum ac fidum eſſe, omni autem pelago mobiliorem fallacioremque eſſe aulæ fortunam. Itaque ex eo temporis puncto valere aulam jubens, Belmontium natale ſolum repetiit, uni poſthac ſibi ac Deo victurus in profeſſione Catholica, quam nunquam ex animo depoſuerat. Non ſecus ac ſtatuerat fecit. Biennium integrum domi delituit, meris divinarum rerum commentationibus, precibus, ac lectione pia mentem excolens, corpus cilicio, jejunio, flagris exercens. Hæretici ut male ſanum, eoque mentis ægritudine, & deſperatione adactum traducebant. Ille poſt duos annos ſolitudinis, quaſi Apoſtolicæ vitæ tirocinio eſſet perfunctus, prodiit in publicum, & curas inter ſuam & proximorum ſalutem diviſit. Rudes erudiebat, multis, præſertim tenerioris ætatis, errorem eximebat, Catholicos voce & exemplo ad conſtantiam confirmabat. In ejus domo, quæ ſolis patebat Catholicis, tanquam in publica pietatis palæſtra, omnia religionis officia peragebantur. Urebat ea libertas Eterodoxos, neque hoc Pondus neſciebat: pergebat tamen forti ac magno animo, tunc ſe beatiſſimum fore dictitans, ſi pro ejuſmodi cauſa induere vincula, & ad ſupplicium rapi contingeret. Inter hæc, oblatis caſu litteris neſcio quibus noſtrorum in India deſudantium, cum relatione rerum, quæ ibi inter barbaros gerebantur, ſenſit ſe intimo inſtinctu pelli ad amplectendam Societatem, tunc fama duntaxat ſibi cognitam. Multo eſt magis incenſus pio deſiderio, cum occaſionem nactus alloquendi Sacerdotem neſcio quem nuper Roma in Angliam advectum, de inſtituti noſtri ratione uberius edoctus eſt. Rupit moras omnes, aſſumptoque viæ & ejuſdem conſilii comite Thoma Stephano, lectiſſimo juvene, ad Romanum iter ſe accinxit, ut in Societatem reciperetur. At Londinum delatus, dum parat navigium conſcendere, oppreſſus repente à ſatellitum globo, ad Pſeudoepiſcopum Londinenſem primò, inde, quia nullis adduci ſuaſionibus

Digitized by Google

nibus potuit, ut concioni Proteſtantium vel ſemel intereſſe vellet, in carcerem abripitur. Non ultra ſex menſes hæſit tunc quidem in vinculis. At Belmontium remiſſus, dum nihilo ſecius pergit Catholicis animum facere, & Hæreticorum deliramenta palam refellere, capitur denuo à Pſeudoepiſcopo Lancaſtrienſi, & in tenebricoſam cuſtodiam conjicitur. Senſit Pondus, non adeo brevi ſe vinculis exemptum iri poſthac. Quod itaque coram non licebat, id conari per litteras ſtatuit, ut cooptaretur in noſtrum ordinem, eoque conſilio miſit Romam ad Generalem Præpoſitum Societatis (is erat tunc Everardus Mercurianus) quem dixi Stephanum familiarem ſuum, ut negotium urgeret. Peroravit Stephanus tam appoſitè, tum pro Pondo, à quo fuerat miſſus, tum etiam pro ſe ipſo, ut utrumque Generalis receperit. Ac Stephanum quidem attinuit in Romano tyrocinio, miſſioni Indicæ deſtinatum. Ad Pondum vero ſcripſit admiſſionis litteras in hæc verba. „ Etſi inſtituta noſtra ita ferunt, ut nullum, niſi „ bene multis probatum experimentis, in numerum noſtrum recipiamus; tamen „ tam luculento, tum Stephani, tum aliorum teſtimonio permoti, & pro idonea probatione tot annorum labores & ærumnas accipientes, pro ea auctoritate, „ quam nobis licet indignis Dominus Deus dare dignatus eſt, jam nunc Dominationem veſtram tanquam Filium & Fratrem amplectentes, illam in Societatem „ noſtram recipimus, & admittimus, & ut verum membrum huic corpori inſertum, deinceps noſtrorum omnium operum, laborum, meritorumque conſortem, ac participem facimus. „ Has accepit litteras Pondus anno MDLXXVIII, cum numeraret annos ætatis triginta quinque, & jam duos exegiſſet in carcere. Quis verò ullis conſequi verbis poſſit, quo exilierit gaudio, cum ſe compotem aliquando tandem vidit ejus voti, quod ante annos quinque conceptum aluerat hactenus incredibili ardore? Veſtem quidem Societatis non induit, namque id in Anglia nefas: Verumtamen nullam exinde omiſit rem, qua ſe verum Societatis filium probaret, commercium litterarum perpetuum habens cum P. Perſonio, qui poſt paulo irrepſit in Angliam, nutus ejus exquirens, eidem ut ſuo Præſidi per omnia obtemperans, quæ demum noſtri ſunt inſtituti, quantum conditio loci ac temporum patiebatur, exactè ſervans. Attinebatur interim in vinculis, quæ per annos continenter triginta duos nunquam exuit, licet mutare illa identidem cogeretur, quia ut quemque ingreſſus fuerat carcerem, in eo Hæreticos omnes ab errore ad veritatem trahebat. Sunt in Anglia, ac Londini præſertim, reorum cuſtodiæ admodum horribiles, depreſſæ alicubi, ſubterraneæ, anguſtæ, luci aerique prorſus imperviæ, uliginoſo luto, ac graveolentia intolerandæ, ſepulcra verius, quam carceres. Ex his ergaſtulis multa nobilitavit præſentia & pietate ſua Pondus, maxime verò Wisbicenſe, in quo decem ipſos annos confecit, compedibus præpeditus, ferro onuſtus, omnis omnino humani ſolatii expers; lætus tamen in tantum, ut illis ſolummodo invideret, qui a vinculis ad patibulum religionis cauſa traducebantur. Sortem hanc expetebat unicè, nec vero per ipſum ſtetit ne impetraret. Olim productus eſt ad tribunal cum Catholico neſcio quo Sacerdote. Quærebat ex Sacerdote Judex, num Romanus Pontifex, an Regina ſupremam obtineret Eccleſiæ poteſtatem in Anglia? Tergiverſanti animum addidit Pondus. *Dic*, ait, *liberè Romanum Pontificem: Nam quale monſtrum, Eccleſiæ caput eſſe Femineum caput*! Ea vox capite erat luenda: tamen Pondo, quia glorioſæ necis cupientiſſimo, nex eſt condonata. Mortua Eliſabetha, cum meliora ſperarent Catholici ſub Jacobo Rege, Pondus ex ſuo carcere libellum ſupplicem miſit ad Regem, commendans illi cauſam innocentium Catholicorum, quos nimis multum oppreſſos ajebat ab Hæreticorum factione. Ob eam rem calumniæ eſt poſtulatus in judicio, & tamquam mendacii comperto præciſæ ambæ aures, addita quatuor millium aureorum multa Fiſco perſolvenda, ac perpetui carceris denunciatione, niſi Catholicos ſibi notos, eorumque fautores indicaret. Nihil propterea exſculpere à viro fortiſſimo potuerunt. Quare Rex, vel deſperans hominem ejus fortitudinis vinci poſſe, vel famam clementiæ quærens, exorari ſe tandem paſſus eſt ab Oratoribus Gallico & Ve-

Digitized by Google

& Veneto, qui nullam culpam promeritum in libertatem reſtitui poſtulabant, deditque eorum deprecationi, ut vinculis ſolveretur. Rediit Belmontium præclarus fidei Pugil cano capite, atque alba barba, quippe jam major ſexagenario, documentum illuſtre circumferens ejus conſtantiæ, qua pro religione vera certandum eſt. Sed in corpore ſqualido, ac diuturnis ærumnis debilitato, ingens uti prius animus, ac minime infractus. Undecim annos vitæ reliquos habuit, eoſque ita exegit, ut emeritum Chriſti militem decuit, ſuæ ſemper ſtudens & alienæ ſaluti, paratus in omnem caſum ſe dare pro Catholica veritate, nullum finem ejus tuendæ ac promulgandæ faciens, donec tandem hoc anno, III. nonas Martii, ad præmium laborum eſt evocatus, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto. De Pondo, ejuſque laudibus plura videri poterunt apud eos, qui de rebus Anglicanis fusè ſcripſerunt. Nobis ad alia properantibus hæc curſim indicaſſe ſufficiat.

95. Res Campaniæ. Nova Campaniæ Provincia conſtituitur.

Eodem anno labente Mutius Generalis novam conſtituit Provinciam Societatis in Gallia, ad quam modò tranſgredimur. Nomen Provinciæ dedit Campania, quippe pars ejus major, & potior, cui tamen adjunctum eſt quidquid habet Societas in Lotharingia, præter collegium Divionenſe, quod hactenus fuerat Provinciæ Lugdunenſis in Ducatu Burgundico. Mutium ut id decerneret multæ impulerunt cauſæ, ſed præ cæteris duæ. Primò Patres Romam ad comitia profecti retulerant, latiùs patere Provinciam Franciæ, quam ut poſſet ab uno Præpoſito ſuis temporibus obiri, atque inſpici; proptereaque cenſuerant dividendam. Deinde Henricus Lotharingiæ Dux ægrè ferebat, ſuæ ditionis domicilia non ſeorſum regi a proprio moderatore, ac ſæpe per ſuum Romæ Oratorem Mutio ſignificaverat, gratiſſimum fore ſibi, ſi à provincia Francica dirimerentur. His de cauſis Vitelleſchus, quam facilè adductus eſt, ut novam Provinciam conſtitueret, tam æquum duxit eo quem ſupra docuimus modo illam deſcribere. At enim deſcriptio Duci non placuit. Graves ajebat eſſe cauſas, cur domicilia Lotharingiæ non eſſent communiter adminiſtranda cum illis, quæ ſupremæ curiæ Pariſienſi ſunt obnoxia. Hærebat deinde in novæ Provinciæ nomine, quod non à Campania, ſed magis à Lotharingia petendum contendebat, vel certè ab aliquo Sanctorum, cujus tutelæ commendaretur, ut in nonnullis religioſis ordinibus fieri ſolet. Verùm ſuper his ita ſatisfactum eſt Principi, ut demum de re tota conſenſerit non invitus. Primus Provinciæ Campaniæ Præſes eſt datus P. Ignatius Armandus, probatæ virtutis vir, & nuper adminiſtratione domus Profeſſorum Pariſienſis cum laude perfunctus. Provincia vix conſtituta augetur poſtmodum novo collegio Nancei, quod eſt Lotharingiæ caput, & ſedes Principis. Debuimus beneficium Tullenſi Epiſcopo Joanni Porcelletto, viro noſtri nominis ſtudioſiſſimo, qui cum veniſſet hoc ipſo anno Nancejum ad celebrandum in noſtra probationis domo Beati P. Ignatii natalem diem, eodem die ſtatuit novam B. Patris familiam ſuis opibus ſuſtentare Nancei, & tabulas fundationis confici juſſit. Ita rebus omnibus quæ opus erant celeriter paratis, poſt bimenſem ſtetit Nancejanum collegium, & in eo tres litterarii ludi ad erudiendam teneriorem ætatem aperti ſunt. Eodem anno Carolopoli (oppidum eſt Moſæ impoſitum in Campania) domus Societatis, quæ hactenus paucorum duntaxat capitum ſtatio fuerat, ad ſtatum nomenque collegii pervenit.

96. Deſcriptio novæ Provinciæ Duci Lotharingiæ non placet, & quare.

97. Principi ſatisfit, & fundatur collegium Nancejanum.

98. Et ſtatione Carolopolitana fit collegium.

Verum inter hæc Provinciæ incrementa, damnum haud leve factum obitu P. Gulielmi Mardochi, de quo viro dubites, plura ne pro religione geſſerit, an toleraverit. Olim cum degeret Pariſiis, vocatus fuit ad audiendum pro confeſſione hominem morti proximum, inductuſque per dolum in intima penetralia cujuſdam ædis. Ibi nihil metuentem circumſiſtunt juvenes audaciſſimi, virgis immitibus armati, ſævire nimirum certi, ac ridere. Jam detrahere illi veſtes cœperant: ſed viſo cilicio ſetis horrido, quo erat à collo uſque ad pubem coopertus, tanta ſimul admiratione, & pœnitentia fuerunt capti, ut ad ejus pedes acciderint ſupplices, & cogitati ſceleris veniam rogaverint. Miſſus inde in Scotiam natale ſolum, peragravit omnes regni partes annis quatuordecim, & rem Catho-

99. Mors & elogium P. Gulielmi Mardochi.

Digitized by Google

licam egregiè juvit, redactis ad veram fidem multis, pluribus qui nutabant, in fide confirmatis. Ejus precibus vulgo acceptam retulere victoriam, quam Comes Huntlæus Dux partium Catholicarum, etſi viribus longè inferior, retulit de Argilenſi. Certe qua illi die in aciem exierunt, Mardochus abſens vocatos in ædem ſacram Catholicos monuit, ut preces & vota pro communi cauſa facerent; nec multo poſt ſurgens à precibus, partam illo ipſo tempore victoriam nunciavit. Lapſus in manus Hæreticorum, & in cuſtodiam conjectus, contumelias, & indignitates omnes ſubire coactus eſt, nunc veſtibus diſpoliatus, nunc contuſus verberibus, ſæpe per tribunalia raptatus. Ut alia præteream, ſemel eum Judices toto circumduci juſſerunt Edimburgo ornatu ſacrificali indutum. Proceſſit ille inter convicia & ſibilos concitatæ plebis, nec quamvis luto & ſordibus conſperſus vultum dejecit. Ut ventum ad forum urbis frequentiſſimum, accenſa eſt pyra, & Sacerdoti denunciatum, ut ſua manu projiceret ſacras in ignem veſtes, projiciendus ipſe, ſi facere cunctaretur. Riſit vir fortiſſimus juſſa impia, minas contempſit. Quare reductus in carcerem, ſqualorem & anguſtiam loci pertulit ſeptem alios menſes, donec indulgentia Jacobi Regis vincula mutavit exilio, & in Galliam tranſmiſit, annum agens ætatis ſeptuageſimum. Quod reliquum fuit vitæ, exegit Muſſiponti, audiendis noſtrorum externorumque confeſſionibus occupatus, quem laborem, etſi attrita plurimum valetudine, nunquam intermiſit. Obiit XII. Cal. Septembris, annos natus undeoctoginta. B. Parentem Ignatium colebat ſtudioſiſſimè, ejuſque interdum præſentia & alloquio recreatus fuiſſe dicitur. Atque hæc de Provincia Campaniæ.

100. Res Provinciæ Francicæ. In comitiis Regni Societas periclitatur.

In reliquis Gallicanis Provinciis, & maximè in Francica, trepidaverat anno ſuperiore Societas, dum Regni conventus celebraretur Pariſiis; nec ſane deerant qui nobis per eam occaſionem crimen quærerent, veteri rerum noſtrarum odio inflammati, curarentque gravius aliquid contra nos ſtatuendum. Periculum diſcuſſere Clerus, & Nobilitas, duo præcipui in ſanctiſſimo illo gentis conſilio ordines, quorum auctoritate nihil, neque ad exagitandam Societatem, neque ad tollendam, quod aliqui conabantur, inter Sacerdotium, & Imperium concordiam, decretum eſt. Quin ordo uterque, oblatis paulo poſt Regi libellis,

101. Clerus & nobilitas Societatis patrocinium ſuſcipiunt apud Regem.

Societatem verbis ampliſſimis commendarunt. Liceat mihi ipſa eorum verba hoc loco attexere, cum ad memoriam tanti meriti ſempiternam, tum etiam ut exiſtat ſummæ auctoritatis teſtimonium adversùs illam libellorum turbam prope infinitam, quibus per idem tempus in Gallia Societas lacerabatur. Cleri preces totidem erant conceptæ verbis. „ Ea fuerunt olim, & nunc ſunt in univerſam „ Eccleſiam, & in hoc potiſſimum Regnum, merita Societatis Jeſu, ut noſtri muneris eſſe cenſeamus Majeſtatem Tuam ſuppliciter orare, ut ad incrementum „ pietatis, reique litterariæ, cujus utriuſque diſciplinam ejus alumni profitentur, „ iiſdem poteſtatem facias ſcholas iterum aperiendi in Claromontano ſuo collegio „ Pariſienſi, fungendique cæteris omnibus inſtituti ſui miniſteriis, quibus antea „ ſolebant „. Tum indicata ratione tollendi controverſias inde exorituras inter collegium noſtrum, & Pariſienſem academiam, hæc proximè ſubjiciebantur. „ Illud „ præterea rogamus, ut Majeſtati Tuæ placeat, rata illis & firma eſſe, quæ in „ quibuſcunque ditionis tuæ oppidis domicilia inſtituerunt, ac omnibus Regni civitatibus poteſtatem facias eorum habendi domicilia, demum ut hanc Societatem, „ tui parentis exemplo, fovere, tuerique pergas. „ His paulò diverſa perſcripſit Nobilitas. „ Rogamus, ajebat, ut propter labores & fructus, quos Societas Jeſu „ quotidie capit in propaganda religione, rectèque inſtituenda juventute, Majeſtati Tuæ placeat inſtaurari a Patribus collegii Claromontani munera jamdiu intermiſſa, profitendi publicè humanas ſacraſque litteras, plenamque cunctis Regni civitatibus eſſe poteſtatem collegia iiſdem conſtruendi. „ Hæc tametſi ad ſuperiorem annum pertineant, quia omiſſa ſunt, vel obiter indicata à Juvencio, viſum hoc loco reponere.

102. Res geſtæ Pariſiis ad pietatem augendam.

Cæterum Pariſiis, etſi nondum recepta facultate aperiendi ſcholas, cætera ſui ordinis miniſteria noſtri per quam utiliter exercebant. Quædam etiam hoc

anno

Digitized by Google

anno præter uſitatum morem inſtituta fuerunt. Præter conciones Gallicas jam ante fieri ſolitas, dati Belgis Germaniſque concionatores ſuæ utriſque linguæ, atque ita cautum à fraudibus, quibus Calvinianæ ſuperſtitionis præcones viris ſimplicibus inſidias ſtruebant. Sacerdos è domo Profeſſorum cum inſtituiſſet tertia quaque die cuſtodias publicas adire, pietatem nobilium Matronarum excitavit, ut vinctis benignè facerent, fueruntque non pauci per eas ære alieno, & vinculis expediti. Exemplo alterius è noſtris, qui ſexta quaque feria cœperat noſocomium inviſere, moti ſunt aliorum ordinum religioſi, ut idem ſibi faciendum ſtatuerent. Quare & ipſi diem ſibi præfiniverunt, quo die deinceps adirent noſocomium, & languentibus opem, aut ſolatium ferrent. Nec vero minus feliciter geſta res extra Lutetiam. Ambiani miniſter ſectæ Calvinianæ doctiſſimus, auſus cum noſtro Sacerdote certamen inſtituere de religione, exagitatus eſt uſque adeo, ut proferri ſibi diem rogaverit ad reſpondendum; at eo miſer impetrato, abdidit ſeſe, maluitque ad multos dies acceptæ cladis pudore deliteſcere, quam denuo in aciem prodire. Peracta eſt diſputatio cum maxima celebritate, coram ipſo Præſide Provinciæ Principe Longavilleo, & Notariis, qui utrinque dicta cum fide exceperunt. E' Cadomenſi collegio Lexoviam excurſum eſt, urbem Epiſcopalem, atque ibi plures è grege Calvini ad Eccleſiam reducti. In his virguncula utroque parente orbata, magno animo reſtitit aviæ locupleti & hæreticæ, ne ſectam deſereret dehortanti, eamque habere maluit inimiciſſimam, quam non aperte Catholicam ſe profiteri: & quamquam ob eam cauſam abdicata penitus, & domo ejecta, perrexit tamen aſſidua eſſe in Templis Catholicorum, & uſu ſacrorum pietatem colere, non aliud habens ſolatium ſolitudinis ſuæ, quam Deum, nec aliud quærens. Sed forte mirabilior in hoc genere virtus adoleſcentis, qui in collegio Calvinianorum Chavilliacenſi educabatur. Is Rothomagum venerat majoris jejunii tempore, & caſu neſcio quo pedem intulerat in ſacram ædem, quo tempore Sacerdos Societatis ad populum pro concione dicebat. Ea oratione adoleſcens adeo eſt perculſus, ut poſtea quam Chavilliacum duobus inde millibus paſſuum rediit, convictoribus exprobraret impietatem Calvini, & Romanam fidem in cœlum ferret. Exceptus magno ſodalium convicio, & à collegii moderatore acriter increpitus, pergebat uti priùs Catholicorum partes liberè & palam tueri. Reſcivit de inopina filii mutatione genitor, homo impotens, truculentus, & ferox. Nec mora: Chavilliacum advolat, vocatum ad ſe filium graviſſimis objurgat verbis, degenerem ſcilicet, & maleſanum, qui profeſſionem amplecti malit ſapientum omnium judicio damnatam. Poſt ubi perſtantem nihilo minus in priore propoſito videt, immani elatus iracundia, miſellum humi affligit, fuſte, calcibus, alioque plagarum genere penè uſque ad necem concidit. Nihil ille ad hæc, niſi Catholicum eſſe ſe, ac porro fore: qua conſtantia de inhumano parente victor, manſit inter contumelias & probra contubernalium, donec occaſionem nactus, clam profugit ad noſtros Rothomagum, atque inde in ſacrum Capuccinorum ordinem ſe recepit. Priùs tamen quam è collegio ſe proriperet, res accidit, unde in fide Catholica plurimum eſt confirmatus. Tranſibat forte Chavilliaco viator Catholicus, quantum ex habitu conjici poterat, votivam peregrinationem gerens: utque erat diei ſummus æſtus, potum à Rectore collegii flagitavit per Chriſti nomen. Rector inhumanus, non modo ſe daturum per ſummam inclementiam negavit, verum etiam addidit repulſæ ludibria, pietatem hominis, & totam illam peregrinandi religionem deridens. Aderat cum hæc agebantur quem dixi adoleſcens, nec continere ſe potuit, quin Rectorem admoneret, ut ſiquidem pauperi nihil dabat, ſaltem ne malediceret. Ferocior admonitione Rector, monitori colaphum infregit, perrexitque acerbiùs quam cœperat in peregrinum, & peregrinationes, alioſque pios Catholicorum mores, omne genus maledictorum evomere. Sed cito miſer dedit impietatis pœnas. Momento eodem corripitur ardenti ſiti, quam cum nullus gelidæ modus poſſet extinguere, intra duas horas fœdam animam exhalavit.

103. Ambiani miniſter Calvinianus in publica diſputatione victus latebras quærit.

104. Labores & fructus Patrum Cadomenſium.

105. Adoleſcentis mira converſio, & in Catholica fide conſtantia.

106. Contemptor Catholicæ religionis memorabili exemplo plectitur.

Digitized by Google

107. Res Provinciæ Tolosanæ. Sociorum ubique labores, pericula, & fructus.

Per hæc Patres Provinciæ Toloſanæ, etſi numero pauci, totam Occitaniam, nec ſegniter, nec parum utiliter excolebant. Anno uno Hæreticorum ad centum, eoque amplius, ad Eccleſiam reducti numerantur. Notatus præſertim unius ex noſtris apoſtolicus labor Auriliaci, in urbe Arverniæ nobili. Hanc ille urbem cum excoleret ſacra miſſione, nullamque prætermitteret earum artium, quibus excitari pietas, tum publicè, tum privatim poteſt, cives, qui nihil tale unquam vidiſſent, mirari ſatis non poterant, unum hominem in Templis, in noſocomiis, in cuſtodiis publicis, in privatis ædibus, tam multa ad animarum ſalutem gerere, eumdemque tot curis & laboribus minime obrui. Totum proinde ordinem ex unius ſedulitate, & induſtria æſtimantes, jam tum conſilium iniere de condendo apud ſe Societatis collegio, quod reipſa poſt annos quinque condiderunt. Interim ex primariis unus, cum ex ictu apoplexiæ, implorata B. Ignatii ope, convaluiſſet, adeo non dubitavit ſe illius beneficio vivere, ut certum pecuniæ numerum erigendo in ejus honorem ſacello ſepoſuerit. Ex Ruthenenſi collegio Millavum eſt miſſus Sacerdos, qui rem Catholicam ibi ferè afflictam, jacentemque excitaret. Fecit ille tam ſtrenuè ac feliciter, ut miniſtri ſuperſtitionis dolore acceptæ cladis in rabiem acti, gregalium plurimos ad arma concitaverint. Irruerunt itaque ſeditioſi in ſacram ædem, Cœlitum icones, & vaſa ſacra fœdarunt, male profectò habituri noſtrum concionatorem, niſi celeri fuga dilapſus, ab inſanientium furore ſe ſubtraxiſſet. Poſtquam ſeditio compreſſa eſt, eò ſe contulit Ruthenenſis collegii Rector P. Joannes Jacobus, ad colligendum præjacti ſeminis fructum. Vir autem ingenio mitior, nec adeo in dicendo vehemens, auditus eſt tam benevole, ut ſummi infimique ejus arbitrio ſe permiſerint. Reſtituta in hunc modum religione, agebant Millavenſes de collocanda apud ſe familia noſtri ordinis, parabantque jam domum nobis, & ſacram ædem extruere; ſed metus impendentis belli curas eorum aliò tranſtulit.

108. Millavi religio inſtauratur, furentibus fruſtra Calvini miniſtris.

109. Res geſtæ Claramontii, Rigoduni, Turnonii.

Par habendæ Societatis deſiderium reliquerunt Claramontii duo Patres, ad eam excolendam civitatem profecti è collegio Billomenſi. Alter ex eodem collegio Rigodunum miſſus ad concionandum, concione una tantum valuit, ut urbem ab omni opere meretricio purgaverit. Invectus enim incredibili ardore in lupanaria, vidit eadem die Conſulem, cum ſui magiſtratus inſignibus, circumire urbem ad ea penitus abolenda. Turnonii, præter alia non improſpere geſta, noſtrorum induſtriam mirificè commendavit vir inter Calvinianos, non ætate minus, quam dignitate ſpectabilis, quippe officio Judex. Eorum enim hortatu tranſiit ad Catholicos, & in æde ejus collegii palam hæreſim ejuravit cum duobus filiis.

110. Fructus Exercitiorum ſpiritualium Anicii, & Biterris.

Anicii cœnobium eſt celeberrimæ antiquitatis. Monachi vitæ ſanctioris deſiderio incenſi, præbuerunt ſe noſtris ex diſciplina B. P. Ignatii exercendos per dies octo: iis autem exactis, leges ſibi præſcripſerunt cum primis utiles, curaveruntque a ſuo mox Præpoſito in perpetuum jubendas. In eadem urbe Virgines, quas Urſulinas vocant, vivebant quidem in communi, ſed nullo religionis vinculo ad retinendum id vitæ genus adſtringebantur. Ignatianis commentationibus certo dierum numero exercitæ, non ſolum conſenſerunt inter ſe, ut religionem deinceps ſacramento voverent, ſed meliora chariſmata æmulantes, formulam ſervandæ in poſterum diſciplinæ ſumpſerunt a Parthenone Burdigalenſi S. Mariæ, qui magna tunc fama ſanctimoniæ florebat. Idem Biterris præſtitit alia Urſulinarum ſodalitas, poſt dies octo ſimiliter in pio receſſu ſub noſtro Sacerdote traductos. Toloſæ ad ſupplicium erat producendus juvenis majeſtatis damnatus, nec ullis cujuſquam ſuaſionibus flectebatur, ut ſaltem in extremo vitæ regredi ad Catholicum cultum ſexennio ante relictum vellet. Immotus ad omnia, & ſtolida ferocia imperterritus, Lutherum, ajebat, reprehendi non poſſe, qui Apoſtolicæ perfectionis formam jamdiu apud Chriſtianos collapſam inſtauraſſet. His auditis, juvenem adoritur P. Jacobus Deliotus, ac paucis Lutheri vitam perſtringens, ſumma decurrit capita: Ut ſacramentum religioſæ profeſſionis violaverit: ut cum Virgine Deo dicata Sacerdos, ſacrilegus cum ſacrilega, infames nuptias contraxerit: ut novam ferere doctrinam cœperit

111. Juvenis capite damnatus ad fidem Catholicam revocatur paulo ante ſupplicium.

ira-

Digitized by Google

iracundia percitus, & Romani Pontificis odio inflammatus : ut in omnem licentiam effusus, dies sæpe totas, ac noctes, inter pocula atque epulas temulentus exigeret, atque his similia. Tum percunctatur ex eo, an tale quiddam audierit aliquando de Apostolis ? an verò qui ita vixerit, eum ministrum satis idoneum putet, quo Deus ad renovandam Ecclesiæ suæ sanctitatem uti vellet ? Hac oratione convictus, non ultra restitit juvenis. Peregit cum multis lachrymis homologesim, Catholicæ professionis formulam in ipso loco supplicii, coram innumera multitudine, recitavit, plenus demum optimæ spei, atque alacer gladio cervices præbuit.

112. Res Provinciæ Lugdunensis. Ministri sectæ Calvinianæ Societatem infectantur.

Verum hæc aliaque ejusdem generis, quam grata Catholicis, tam odiosa accidebant Hæreticorum ministris. Hinc illis bellum inexpiabile cum Societate, hinc perpetui conatus ad eam, si qua fieri posset, opprimendam, ut videre præsertim licuit hoc anno in Provincia Lugdunensi. Gratianopoli conciones habebat Sacerdos de Societate. Eum ministri sectæ seditionis accusaverunt non alio nomine, nisi quod eorum errores tam apertè revicerat, ut non haberent quid contra dicerent. Quam accusationem cum audisset Prætor, tametsi Calvinianus, risit vecordiam hominum crimen inferentium Sacerdoti Catholico, quod in contentione doctrinæ superior fuisset. Episcopus Nemausensis cum oratorem per majora jejunia adsciviſſet è nostris P. Franciscum Laborerium, Calvinianos, qui erant tum in ea urbe numero & opibus validi, irritavit in tantum, ut odio ipsius de Laborerio necando deliberaverint. Et omnino illum necaverant, nisi scelestum percussorem fefelliſſet ictus ignitæ glandis, quæ in caput ejus directa, pileo, quo erat tectus, illisa est. Spe sua frustrati gregales, non proinde grassari contra innocentem desierunt. Sed aliam tentare viam placuit. Nomen Laborerii deferunt ad Prætorem, reum facientes violati Regii edicti, quo cautum erat, ne quis religionis causa quemquam afficeret probro : quasi verò in Calvinianos contumeliosus esset is, qui eorum errores validis rationibus refellebat. Sed innocentiam improbitas non oppressit. Depulsa est multorum testimonio calumnia : Prætor Laborerium, non solum omni crimine liberavit, verum etiam prohiberi non posse pronunciavit, quominus suo munere fungeretur. Jam verò ejus labor Nemausi, quæcunque impii molirentur, multum laudatus est à Catholicis. Quamdiu ibi substitit, præter quotidianas conciones, singulis hebdomadis ad Sacerdotes quæstiones de moribus copiosè disseruit : discedens autem, non modò stipendium laboris nullum exegit, sed nec sponte oblatum accepit. Excurrit inde Belliquadrum ejusdem Diœceseos oppidum, ac præter alia salubriter ibi gesta, consuetudinem sustulit antiquitate roboratam, sed à Christiana modestia plurimum abhorrentem. Solebant, redeunte quotannis natali die divini Præcursoris, prodire in campum feminæ, & tamquam orgia bacchantium celebrarent, motibus indecoris, non tam saltare, quam furere. Hunc ille morem una tantum concione exstirpavit. Denique in Diœcesi Nemausensi Laborerius ea gessit, ac tantam non modo sui, sed etiam Societatis opinionem reliquit, ut Canonici Ecclesiæ Pontificalis pensionem annuam constituerint, ad evocandos in posterum, alendosque operarios Societatis. Etiam in Diœcesi Bisuntina molestiæ aliquid creatum est nostro concionatori, sed non impune. Viri nomen est in obscuro, sed quocunque appellaretur nomine, eum Archiepiscopus Bisuntinus affirmabat videri sibi divinitus ad perorandum instructum. Hunc ergo Antistes, nunquam ad obeundam Diœcesim exire solitus sine uno aliquo nostri ordinis Sacerdote, cum adduxisset hoc anno secum, in oppido nescio quo, dum verba facit ad populum, acriùs declamantem adversùs immodicas saltationes, quidam de concione petulanti succlamatione interfatus, conviciis proscidit. At cum eadem paulo post in eum maledicta regeret, repente corruit exanimis. Missi eodem anno sunt per montes Allobrogum è collegio Camberiensi Patres, ac præter extinctas ubique factiones, & licentiam vitæ compressam, Nantuates ab hæretica lue, & iniquitate fœneratorum liberaverunt. Sed præ cæteris memoranda conversio cujusdam senis, sanè rara, & ad memoriam insignis, in qua lice-

113. P. Franciſci Laborerii pericula, & labores in diœcesi Nemausensi.

114. Vir improbus nostro concionatori oblocutus, repente moritur.

115. Senex annorum amplius centum

Digitized by Google

proxime ante mortem ab hæreſi ad Eccleſiam retrahitur.

licebit admirari Divinam circa ſalutem hominum providentiam. In oppido Diensi, quod oppidum eſt ad Drumium nobile in Delphinatu, duo erant in ſtatione collocati Patres, quorum alter urbem, alter circumpoſi um agrum per uſitata ordinis miniſteria excolebat. Excurrerat hic poſterior, intimo quodam pulſu permotus, ad oppidulum neſcio quod, ubi longævus ſenex, annos natus quindecim ſupra centum, jam prope animam agebat, eternum periturus, quia hæreſi Calvinianæ pertinaciſſimè addictus. Rei admonitus Sacerdos, ad eum recta contendit, hortatur miſerum, ut in eo ſaltem rerum articulo reſpiciat ſeſe, multa pro loco & tempore ſubjicit ad hominem permovendum idonea, ſed nullo effectu. Nihil ille ad hæc reponebat, niſi velle ſe mori in ſinu ſanctæ matris Eccleſiæ reformatæ. Cum idem iteraſſet ſæpius: *ſatis ne ſanus es*, ſubjecit Sacerdos, *qui matrem appelles ſectam longo tempore poſt te natam? Fatearis neceſſe eſt, unicam atque optimam tibi matrem eſſe Romanam Eccleſiam, cujus miniſterio renatus ſis per Baptiſmum*. Perculit ratio ſenem cætera non malum. Exclamat, enim vero ita eſſe, ſeque jam tum ad eam regredi, a qua perperam deſciviſſet. Peregit illico ſacram homologeſim cum largo fletu, & dulcedinis miro ſenſu; nec multo poſt lætus ex hac vita migravit.

116. Res Aquitaniæ. Dynaſtæ cujuſdam converſio memorabilis.

Suas collegit hoc anno fruges etiam Provincia Aquitaniæ. Ex Aginnenſi collegio Turnonum miſſi duo Patres, præter alios, ad vitam Chriſtiano dignam traduxere Dynaſtem provectæ ætatis, qui tametſi Catholicum profiteretur, contemptu religionis famoſus toto illo tractu erat. Res ſacras, & Dei cultum homo perditus in poſtremis habebat. Si quando videri vellet parere legi de confeſſione piaculari, vocato ad ſe Parocho peccata narrabat inambulans, quaſi fallendi temporis cauſa, nullo quidem ſenſu doloris, nullo pœnitentis indicio. Neque verò Euchariſticum panem ſumebat, ut alii, in Templo, ſed eſcaria exceptum lance ſervabat apud ſe domi, cum collibitum eſſet, ſumpturus. Reſpondebant inſigni impietati reliqui mores, flagitioſi, impuri, vitiis omnibus inquinatiſſimi. Ab hoc hominis portento, aſpirante noſtrorum cœptis gratia cœleſti, impetratum eſt, non utcunque ut rediret ad frugem, ſed ut admirationi & exemplo eſſet in poſterum, quibus antea offenſioni fuerat. Quod boni quique reputantes, nullum faciebant finem laudandi Patrum ſolertiam, cui tam inſperata converſio tribuebatur. Eodem anno Pictavii, cum hominum corpora, ſeu gravitate cœli, ſeu quavis alia cauſa, multiplici valetudine moverentur, Patribus ejus collegii ampla eſt oblata materies explendæ charitatis. Ut quiſque periclitabatur, nobiles, plebeiique, noſtros Sacerdotes ad ſe vocabant, ut opem opportunam & ſolatium haberent in extremo diſcrimine. Omnino ſine illis mori nemo ſuſtinebat. Iiſdem multi, præter ſalutis æternæ præſidia, valetudinem corporis acceptam retulere, eamque remedio pluſquam humano partam credidere. Eſt in Pictavienſi collegio fruſtulum parvæ crucis, revulſæ, ut perhibent, è ſummitate baculi viatorii, cum quo olim Thomas Apoſtolus terrarum immenſa ſpatia peragravit. Id aquæ, cui immergeretur, piè credebatur vim medicam indere. Experimento facto, opinionem non magis piam eſſe quam veram probavit curationum frequentia, quæ ſupra millenas trimeſtri ſpatio numeratæ fuerunt. E' collegio Burdigalenſi, per ferias ſanctioris hæbdomadæ, prodierunt ad diverſa circum loca ſocii ferè quinquaginta, ut ad celebranda rite Paſchatis ſolemnia populos excitarent, fuitque in eo numero Profeſſor philoſophiæ, cujus nomen litteræ tacent. Is Bacgneſium cum veniſſet, oppidum Santonenſis Diœceſeos, ubi permixti Catholicis inveniebantur Calviniani plurimi, ad frequentem populum verba faciens, oſtendebat, per magiſtros Calvinianæ ſectæ multis partibus vitiatas fuiſſe ſacras litteras. Dicenti ſuccla-

117. Charitas impenſa languentibus Pictavii.

118. Morborum curationes ſupra naturæ uſum factæ.

119. Inſignis victoria de Calvinianis doctoribus relata Bacgneſii.

mavit e media concione gregalium neſcio quis, negans id ita eſſe: ſimul concionatorem ad ſingulare certamen de religione provocavit. Accepit ille provocationem, paratus jam tum cum petulanti adverſario congredi, non tam ingenii fiducia, quam cauſæ. At non eſſe in re tali feſtinandum, reſpondit provocator modeſtior factus. Condicitur certus ad diſceptandum dies, ſcribuntur leges, at-

Digitized by Google

atque illa in primis, ut aſſiſtant arbitri, & utriuſque partis notarii, qui dicta diſputantium referant in commentaria. Interim Calviniani, parum fidentes ejus loci miniſtro, tres ex Santonibus evocant exquiſitioris ſcientiæ Doctores, ac nominatim primipilum quemdam ſuum, Weilchium nomine, gente Scotum. Advenere illi citatis, ut moniti fuerant, equis, & certa victoriæ ſpe. Biduum diſputatio tenuit. Is fuit exitus, qualem eſſe oportuit, ubi pro veritate adversùs errorem ab homine non indocto divina oracula, velut arma lucis, tractabantur. Hæretici nihilominus, natio hominum quam vinci facilis, tam difficilis ad deditionem cogi, & ubi cætera deſint, voce ac impudentia ſemper ſuperior, gloriabantur palam, à ſe ſtetiſſe victoriam, idque circummiſſis libellis latè vulgarunt, addentes, quò fidem mendacio adſtruerent, diſputatorem Jeſuitam, ob ignominiam acceptæ cladis, Burdigalam profugiſſe. Nondum ille, cum hæc jactabantur, Burdigalam re ipſa redierat, ſed cum eſſet Profeſſor, ut diximus, Philoſophiæ, inſtaretque feriarum exitus, ad ſuam ſcholam reverſurus erat propediem. Tamen juſtam ſubeſſe cauſam putans extrahendæ profectionis, ſuæ Bacgneſii ſubſtitit adhuc ad plures dies, qua mora teſtatum quam maxime fecit unum adverſariorum mendacium de ſua, ut illi vulgaverant, fuga. Ut alterum de victoria ſimiliter innoteſceret, in feſtum proximum concionem indixit, cumque eo die hominum multa millia convenissent, recitari publice juſſit acta præteritæ diſputationis, ex quibus luce clarius conſtabat, Magiſtros erroris contra Catholici defenſoris rationes nihil habuiſſe quod dicerent. Auditus ad hæc fremitus quidam, & ſecundiſſima admurmuratio Catholicorum victoriam ſibi gratulantium; iidemque mox uno pariter acti ſpiritu, nemine vel auctore, vel præcentore, Ambroſianum decantarunt pro gratiarum actione carmen, quo exacto, percurrerunt oppidum triumphantium in morem, ac totum illum diem laureati inceſſerunt. Lætitiæ cumulum addidit inſperata tranſitio ad Catholicos Domini de Fontenellis, viri in tota ſecta graviſſimi, qui vigeſies orator ſuæ Provinciæ fuerat in gregalium Congreſſibus (Synodos vocabant ipſi), eratque omnium factionis arcanorum conſcius.

120. Duo noſtrorum per vim extruduntur Bearnia.

Urebantur his Hæretici gravius, quam ut mœrorem taciti ferrent; noſtros autem eo inſectabantur atrocius, quo acerbiores infligi ſibi plagas videbant. Et quamquam in pleriſque locis, ob æquitatem & vigilantiam Præſidum, latrarent illi magis, quam moderent, alicubi tamen interdum, ſive aperta vi, ſive fraudibus prævalebant. Nuſquam Hæreſis in tota Gallia altiores radices egerat, quam in Bearnia. Huc ex collegio Burdigalenſi cum veniſſet anno ſuperiore P. Joannes Bordes, & Sacerdos alius, cujus nomen intercidit, intenti ambo reparandis Religionis ruinis, obibant noctu domos, timidos, aut fluctuantes Catholicos confirmabant, divinis Myſteriis cultum vel reſtituendum, vel augendum curabant. Suboluit, neſcio quibus indiciis, apud Hæreticos de manſione occulta, & conatibus Patrum. Nec mora: ad eos exturbandos coorti, utrumque confictis criminibus deferunt ad Præſidem. Erat is bonæ quidem mentis vir, ſed animi infirmioris. Vocatos itaque in judicium Patres, auditoſque, licet omni eos noxa liberaret, tamen accuſatoribus plus æquo indulgens, abire confeſtim juſſit, & militibus tradidit extra Bearniam deportandos. Sic illi poſt annum ejecti ſunt per injuriam, cum maximè ſibi videbantur copioſam animarum meſſem in Chriſti aream illaturi. Multa ſanè confecerant jam ex uſu rei Catholicæ, quæ meliora portendebant in poſterum. Illud impetraverant prius, ne Catholici cum Hæreticis matrimonia jungerent. Deinde, ne Hæreticos adhiberent ad infantulos de fonte Baptiſmatis ſuſcipiendos. Poſtremò, ad conciliandam ſacræ Euchariſtiæ reverentiam, inſtituerant, ut per dies octo, qui Chriſti Corporis diem feſtum conſequuntur, piæ ſupplicationes peragerentur, celebritate ac pompa quam poſſet maxima. Qua de re quoniam incidit ſermo, non eſt hoc loco prætermittendum quod Olerone per idem tempus accidiſſe traditur. Res enim eſt ad temporum memoriam inſignis. Sacram Hoſtiam Catholici, non magnificè minus quam religiosè, circumferentes per urbem, ibant forte præ-

121. Calviniani miro oſtento conſternantur Olerone.

Digitized by Google

præter fanum Calviniſtarum, dum maximè aderant in eo gregales frequentiſſimi, & Miniſtrum pro concione dicentem audiebant. Catholici, ſacrum concinentes carmen vocem intendebant: Hæretici contra ſilentium concionatori præbebant ſuo. Inter hæc viſum repente e ſummo fani tecto deſcendere ad ima ſpectrum horribile, ac viſu formidoloſum, cujus aſpectu conterriti Calviniani refugerunt ſtatim, ſoluto conventu, atque huc illuc trepidi pallidique dilapſi ſunt. Quid illud fuerit, incertum. Rem ita contigiſſe, ipſa trepidatione ac fuga priùs, deinde etiam voce confirmaverunt teſtes oculati plures, quorum nonnulli inde moti ſunt, ut ſpretis Miniſtrorum conatibus, ad Chriſti gregem transfugerent. Sed de rebus Gallicis ſatis multa.

122. Res Provinciæ Castellanæ. Indicantur acta Sociorum in diverſis locis.

Ad Hiſpanienſes Provincias progredienti, prima omnium objicitur quam Caſtellanam dicimus. Plures ibi intra hunc annum expeditiones fuerunt noſtro more ſuſceptæ. Ex Ovetenſi collegio ad Aſturiæ montes, ex Santanderenſi ad montes Cantabriæ excurſum: utrobique homines, aut inſcitia rudes, aut rerum cœleſtium incurioſi, ad pietatem excitati. Duabus maximè rebus montani illi populi moveri ſe ajebant, ut noſtris hominibus dociles ſe præberent. Primò, quod corpora nihilo curarent commodius quam ipſi, iiſdemque prorſus victitarent cibis, frumento nimirum indico, & lacte. Deinde, quod tanti laboris nullam mercedem acciperent. Adeo præcipua vis Apoſtolici miniſterii in moribus Miniſtrorum eſt poſita. Legione, & Numantiæ, periculoſis gliſcentibus morbis, magno uſui fuit generoſa noſtrorum charitas, diu noctuque ad ægrotos accurrentium. Decem non amplius cenſebantur Sacerdotes in collegio Numantino. Octo interdum extra domum pernoctaverunt eodem tempore, vel obeuntes ægrorum domicilia, vel ægris aſſidentes. Compoſtellæ cum ingens inveniretur egenorum mendicato victitantium numerus, placuit otioſam turbam in formam ſodalitii colligere intra collegium Societatis: quæ deinde res uſu ipſo plurimum eſt comprobata. Hoc tamen in opere primas tulit beneficentia Antiſtitis, qui præter quotidiana ſubſidia, certum præfinivit unoquoque menſe diem, quo ſodales duplex acciperent demenſum, ſi illo die ſacra percepiſſent. His charitatis operibus addo modeſtiæ, & manſuetudinis exemplum inſigne, ut ſi quando res ita ferat, cæteris de Societate documento ſit. Rector collegii Salmanticenſis Senticam venerat (urbs eſt in Regno Legionenſi nobilis, quam nunc vulgo Zamoram appellant), duoſque ſecum adduxerat Patres, ut opus Evangelicum in ea civitate faceret, more Societatis. Jam ipſe ſociique audiri cœperant non minori Civium voluntate, quam fructu: cum neſcio quis alterius ordinis Concionator, ſive prava æmulatione, ſive odio incitatus, acriter in eos invehi ex ipſo ſuggeſtu cœpit, tanquam in certiſſimos veteratores, & novorum auctores dogmatum ubique damnatos; ſimul admonens cives, ut ſi ſani eſſent, caverent ſibi ab illis quammaximè, eorumque fraudulentis ſermonibus aures occluderent. Nihil tam impudenti oratione noſtris, ſibi multum detraxit, ut ferme uſuvenit in aperta ac liberiori maledicentia, conviciator. Fuit in ipſa concione, qui talia dicenti palam ac libere ſucclamavit. Noſtri ſuper ea re nec vocem mittebant. At non quievit Proepiſcopus, penes quem, abſente tunc Præſule, poteſtas ſacrorum erat. Caſtigandam hominis temeritatem ratus, non ſolum durioribus illum verbis increpuit, verum etiam edicto publico vetuit, ne deinceps in ulla diœceſeos æde ad facienda ſacra reciperetur. Nemo omnium fuit, qui non id jure factum diceret. Soli ad deprecandam illi pœnam aggreſſi ſunt noſtri, inſtiteruntque apud Proepiſcopum tot non modo ſuaſionibus, ſed etiam precibus, donec homini male de ſe merito admiſſi veniam impetraverunt.

123. Obtrectatoris ſui patrocinium noſtri ſuſcipiunt, & pœna liberant.

124. Res Provinciæ Aragoniensis. Novum inchoatur Minoreſſæ Collegium.

Per hæc in Provincia Aragonienſi novum Societati domicilium accrevit. Marchioniſſa Aytonis celebrem poſſidebat Minoreſſæ ſpeluncam, in qua Beatus P. Ignatius tirocinium vitæ ſanctioris poſuit, primamque, ut creditur, Societatis inſtituendæ formam concepit. Antrum talis viri hoſpitio, & lachrymis conſecratum jamdiu in honore habebant oppidani, accolæ ut ſacrum frequentabant. Jam ergo pia, quam dixi, Matrona, recte exiſtimans, Patris monumentum

Digitized by Google

tum adeo illuſtre apud neminem fore meliùs, quam apud filios, illud noſtræ Societati donavit. Nihil noſtris poterat optatius accidere. Hinc tametſi nullum haberent condendo collegio certum vectigal, tamen occupandum continuò locum ſtatione paucorum capitum cenſuerunt, in ſpem collegii alicunde excitandi. Quis enim dubitaret, extiturum aliquando in Hiſpania tot inter Ignatii clientes, qui pecuniam in hunc uſum conferret, & inchoatam domum cenſu firmaret? Conſtituta ergo eſt Minoreſſæ domus Societatis, nec diu dilata ſpes. Quarto poſt anno Lupercius de Arbiſsù, vir haud minus animi bonis, quam fortunæ opibus locuples, ſtationem Minoreſſanam ad juſti collegii formam erexit. Quod ad acta ſociorum pertinet, nihil minus in hac Provincia quam uſpiam alibi eſt laboratum hoc anno, nec minore ſucceſſu. Ex collegiis Gandienſi, Tarraconenſi, Gerundenſi, Bilbilitano, Turiaſonenſi, aliiſque, ad proximas regiones procurrerunt expediti operarii, magnam ubique cladem vitiis intulerunt, magnas animarum prædas convectaverunt. Qui ad Pyrenæos e collegio Urgelitano profecti ſunt, iis laborem auxit mira inſcitia, qua incolarum plerique tenebantur. Iniquis pactionibus commercia exercebant, & ne in foro pœnitentiæ damnarentur, eos ſibi ſumebant conſcientiæ arbitros, quos norant eſſe divini juris imperitiſſimos. Quocirca Patres, complexi brevi commentario diverſi generis pacta, rectique ac pravi inter hæc diſcrimine indicato, ejus plura exempla deſcribi, & latè ſpargi curarunt. Ilerdæ aboletur mos æquè inveteratus, ac barbarus, quo adoleſcentes per dies feſtos, in agmina diſtributi, mutua inter ſe lapidatione certabant. Perpiniani, noſtrorum hortatu, Conſules maritimæ negotiationis ad augendum divinæ Euchariſtiæ cultum transferunt pecuniæ neſcio quam ſummam, qua ſoliti antea fuerant per bacchanalia conducere ſymphoniacos, & ſaltationes publicas adornare. Tarracone, præter uſitata ordinis miniſteria, ſuſcipitur à noſtris Piſcatorum cura præcipua, quorum ingens numerus otiabantur in ora maris, eaque procuratio traditur uni ex Patribus, qui poſt emenſa ſtudiorum ſpatia tertio probationis anno exercentur. Inſtituta pridem fuerant in diverſis Provinciæ locis ſodalitia nobilium, qui curarent carceres, & vinctis liberaliter ſubvenirent. Eorum charitate, & induſtria effectum anno labente, ut nexorum ſupra centum eximerentur vinculis Cæſarauguſtæ, Valentiæ duplo plures, major, aut minor numerus alibi. Barchinone inſignis idem annus fuit excidio latronum, quos tota Gotholaunia manipulatim graſſantes Prorex armis eſt inſecutus, & ex maxima parte captos ultimo ſupplicio multavit. Rapiebantur miſeri ad patibulum, modico dierum intervallo, deni pariter, aut viceni, donec ex infelici arbore ſunt dejecti omnes ad unum. His, dum ad locum ſupplicii producebantur, non alii adfuerunt conſolatores, præter Sacerdotes Societatis, quorum ut ſuppeteret pro numero damnatorum copia, ex proximioribus quoque collegiis aliqui in partem pii laboris arceſſiti fuerunt.

125. Acta Sociorum in variis Provinciæ partibus.

Claudat Aragonienſes hujus anni res exemplum memorabile divinæ erga hominem flagitioſiſſimum miſericordiæ. Egreſſi domo profeſſorum Valentina duo Patres, circumpoſitam obibant regionem, & ſparſos latè populos ad deteſtationem criminum excitabant. In oppido neſcio quo inventus vir in omnem vitæ licentiam effuſus uſque adeo, ut nullo neque hominum, neque numinis metu ab inveteratis libidinibus retraheretur. Mulierculam, cum qua flagitiosè pernoctabat, oppreſſerat mors repentina, nec ideo reſpexerat ille ſeſe, aut finem peccandi fecerat. Tamen cum adveniſſent duo quos dixi Miſſionarii, videretque ad eos undique concurſus fieri, nec eſſe in toto oppido, qui non iiſdem ſe pro confeſſione audiendum iſteret; timuit ne male apud populares audiret, ſi unus ex omnibus non faceret. Hoc infamiæ metu victus, componit vultum ad pœnitentiam, turbæ ſe immiſcet, & apud unum ex Patribus confeſſionem ſimulatè peragit, pauca neſcio quæ levioris momenti narrans, cætera ſilentio tegens. Regreſſus domum, gratulabatur ſibi factam pulchrè fraudem Miſſionario prius, tum etiam populo. Ecce autem nocte proxima decumbenti offert ſe repente viri ſpecies ignota, & aſpectu horribilis. Exprobrat ſacrilegii impietatem, & niſi ocyùs

126. Exemplum memorabile divinæ miſericordiæ in converſione hominis flagitioſiſſimi.

Digitized by Google

vitæ labes absterserit confessione sincera, æterni supplicii minas intentat. Ostento miser perterrefactus, lecto exilit statim, eademque hora advolat ad hospitium Patrum, homologesim rite facturus. Erat nox intempesta, nec parvi temporis negotium videbatur confessionem ejus hominis à prima usque ætate repetendam audire. Quare illum Patres, bono animo esse jussum, ab se tunc quidem dimiserunt, condicta hora, ad quam rediret die postero. Iterum ergo se cubitum recipit. At secum reputans, cujus probri futurum erat tot Sacerdoti scelera, tam fœda, tam occulta retegere, quod auditus non fuerit, præclarè sibi cecidisse existimat, & malo pudore victus, obfirmat nunquam amplius confiteri. Hæc tacitus volutabat, cum lacunar cubiculi, soluta repente tignorum compage, corruit, ea tantum excepta parte, quæ lecto imminebat, nihilque factum est propius, quam ut ruina opprimeretur. Sensit enimvero tunc Dei miserentis nutum, cujus beneficio viveret, & vivere eternum posset, nisi mallet interitu voluntario perire. Recurrit anhelus ad Sacerdotem, & siquidem molestus accidat, veniam rogat: se tamen eodem momento temporis audiri velle. Auditus per otium, expiatusque est, nec ante dimissus, quam sibi videretur omnia conscientiæ onera penitus abjecisse. Sic ibi de nefarii hominis contumacia triumphavit gratia cœlestis.

127. Res Provinciæ Toletanæ. Ad impetrandam pluviam nostri cælestem opem implorant, nec frustra.

Alibi contra bonorum pietas cœlestes iras, æque memorabili exemplo, mitigavit, quod videre præsertim licuit Matriti in Provincia Toletana. Fuerat maximam anni partem ingens aquarum penuria, quæ si maneret diutius, toti regno Toletano sterilitatem agrorum, & annonæ caritatem inferebat. Aliis alia quærentibus ad pacem superum exorandam piacula, nostri ex adolescentibus collegii scholas frequentantibus supplicationem publicam instituerunt ad ædem urbis primariam, & signum Deiparæ sine labe conceptæ, incredibili apparatu ac pompa, circumtulerunt. Tum novendiale sacrum exorsi in honorem B. P. Ignatii, viderunt secunda die decidentem largè pluviam tandiu votis irritis expetitam, quæ diebus ultimis adhuc liberaliùs effusa, arentia ac sticulosa arva recreavit in tantum, ut metum sterilitatis magna frugum ubertas exceperit. Movit ea res Matritensium multos, ut in clientelam Ignatii se conferrent. B. Parentem colebant eximiè Complutenses, sed tamen hoc anno suam erga illum

128. Compluti cubiculum olim à S. Ignatio habitatum vertitur in sacellum.

venerationem novo ac publico documento testati sunt. Erat Compluti vetus Xenodochium, ubi solebant hospitium sumere pauperiores juvenes, in illud omnium disciplinarum Emporium studiorum causa confluentes. Ostendebatur in eo cubiculum perangustum, quod olim Ignatius per biennium habitasse ferebatur; nec tamen ad id usque temporis locus in honore erat, præterquam apud nostros. Incuriam non tulit diutius pia liberalitas civium. Cubiculum in sacellum mutavit, curavitque suo quondam hospiti dedicandum. Acta res cum augustioribus cæremoniis, & celebritate insigni. Vicarius Archiepiscopi Toletani, inter exquisitos symphoniacorum concentus, sacris est operatus; de Ignatii verò laudibus ad frequentissimam omnium ordinum concionem dixit noster Hieronymus Florentia, orator sui temporis disertissimus. Dum hæc ibi gerebantur, Matriti XII. Cal. Maji vivere desiit vir inter Ignatii filios summè laudatus, P. Jacobus de la Fuente, patria Toletanus, de quo aliqua cursim breviterque sunt attingenda. Ejus opera duo novi generis sodalitia coaluerant Murciæ, cæcorum unum, alterum Æthiopum, in quibus excolendis hominibus vix credibile

129. Obitus & elogium P. Jacobi de la Fuente.

quam multus esset, quot, & quantas molestias susciperet. Sæpius intra annum pauperes, & proletarios omnes ad se cogebat in Templum, nec eos dimittebat, nisi sacris refectos, & stipe quam paraverat large donatos. Vinctorum ærumnis prope ut communis omnium Pater afficiebatur. Itaque in ejus obitu visi carceres mœrore ac luctu oppleti haud secus, quam si gravissimum ipsis infortunium accidisset. Damnatis ad supplicium assistebat cura & arte præcipua, nec, ut quispiam capitalem sententiam accepisset, ab eo amplius divellebatur, suasiones, preces, lachrymas adhibens, interdum etiam flagris acriter se concidens, ut moriturum ad detestationem criminum permoveret. Aderat lecta-

ma-

Digitized by Google

manus Sacerdotum, ex quibus ſecretum conflaverat ſodalitium, iiſque in hunc uſum adjutoribus utebatur. In ſacras expeditiones aliquando profectus, etſi nec ſono vocis, nec habitu corporis ad eloquentiam factus, miros ubique excitavit animorum motus: quod enim donis naturæ deerat, ſupplebant animi dotes, & ornamenta, charitas præſertim, & precandi ſtudium aſſiduum, in quibus rebus ſupra communem modum excelluit.

130. Res Provinciæ Bæticæ. Studia ſociorum pro immaculata B. Virginis Conceptione.

In Provincia Bætica vehementius incaleſcebant hoc anno vetera noſtrorum ſtudia pro immunitate B. Virginis à communi labe, quam Divinæ Matris prærogativam ubique ac ſemper Societas acerrimè propugnavit, ſed in Hiſpania præſertim. Erat in Hiſpalenſi profeſſorum domo ſodalitas Sacerdotum ſub tutela Virginis ab origine immaculatæ, certabantque miro conſenſu ſodales, ut decus Patronæ ſuæ tam eximium quibuſcunque poſſent artibus tuerentur. His porro cum ſubjicerent ſubinde ſtimulos noſtri, unus quidam fervidior (fuit is Matthæus Vaſquez de Leca Hiſpalenſis Canonicus, & Archidiaconus Carmonenſis) ad aulam cum multis Epiſcoporum litteris proficiſcitur, Regique perſuadet, ut patrocinium piæ cauſæ apud Romanum Pontificem ſuſcipiat. Tum celeriter Romam ipſe venit Regiis inſtructus mandatis, cauſam eandem per ſeſe, tanquam omnium graviſſimam, proſecuturus. Dum expectantur Romana reſponſa, exardeſcunt eodem ſtudio Aſtigitani, noſtriſque ſuadentibus jurant in communi, ſe, quoad per ſupremam Eccleſiæ poteſtatem licuerit, immaculatum Virginis conceptum defenſuros, ſi ita res poſtulaverit, uſque ad effuſionem ſanguinis. Qua in re primi, quod equidem ſciam, dedere jurisjurandi exemplum, quod mox aliæ paſſim civitates ſibi imitandum propoſuerunt. Pietatem Aſtigitanorum probare viſa de cœlo ipſa Virgo, obtrectatores ſuos coercens iræ manifeſtis exemplis, quorum unum, & alterum ſubjicere abs re non erit. Novendiale celebrabant pii cives in honorem Conceptionis immaculatæ, cum inſigni religione, ac pompa, cujus non exigua pars erant quotidianæ ejus argumenti conciones, pleræque noſtrorum. Excipiente has orationes ſecundiſſimis animis, auribuſque populo, fuit ex ordine nobilitatis, qui oratorem copiosè, ut ſiquis alius, ornatèque locutum, aſpernari, & contra ipſam cauſam liberius obloqui auſus eſt. Sed non abiit impune. Eadem die extinctum lachrymabili caſu vidit filium parvulum, jam Melitenſi militiæ adſcriptum. Dum enim curru vehitur puer, excuſſus in terram, rota miſerandum in modum diſcerpitur. Neque vero cœleſtes iras una placavit victima. Hora vix interlapſa, triſtis affertur parenti nuncius, filiorum alterum natu grandiorem, profeſſione Monachum, in trajectu fluminis, jumento prolapſo, demerſum eſſe. Minores fratres ſequitur paucos poſt dies natu maximus; & vix huic mœſtiſſimus pater juſta perſolverat, cum certior fit per litteras, fratrem ſuum in Indiis naufragio periiſſe. Ipſe demum tertio poſt menſe, ſeu mœrore, ſeu quavis alia cauſa contabeſcens, tot unius familiæ funeribus quintus accedit: nemine non intelligente, pœnam hanc eſſe miſero divinitus inflictam, ob jactata inſolenter verba contra Divinæ Matris pulcherrimum privilegium. Eo autem viſa juſtior animadverſio, quod dicebatur habuiſſe domi illuſtre documentum, unde poſſet ab ea arrogantia deterreri. Domeſticis enim de Conceptu Virginis inter ſe diſceptantibus, ajebant auditam eſſe neptem ejus bimulam, & adhuc loqui neſciam, cum hæc ſemel atque iterum verba pronunciaret *ſine macula originali*: quo miraculo, addebant, cæteros admiratione correptos in ſententiam Virgini honorificam conſenſiſſe, ipſum verò unum obſtinaſſe nunquam diſcedere ab oppoſita. Has ille pœnas dedit loquacitatis ſuæ. Alter ex proceribus ejuſdem civitatis, per urbem obequitans, viderat pro foribus cujuſdam domus tabellam his inſcriptam verbis: *Virgini ſine labe conceptæ*. Flectit equum continuò, eamque, ut vanæ religionis teſſeram, diripere per ſummum nefas conatur. At in ipſo molimine, laxata ex improviſo rota brevioris tormenti, quod è balteo ſuſpenſum gerebat, parum, ac prope nihil abfuit, quin exploſa glande trajiceretur. Periculo tam præſentis exitii ereptus, prudentior non eſt factus. Haud multo poſt, dum triumphantis more

131. Obtrectator publicæ pietatis terrifico exemplo plectitur.

132. Conceptio Virginis immaculata mirabili teſtimonio comprobatur.

133. Aliud exemplum ejuſdem generis.

Digitized by Google

circumfertur per urbem Virginis immaculatæ signum, homo furiosus illa religionis specie nihil deterritus, totum pompæ ordinem disjicit, atque perturbat, quadrigis in affectantium cuneos violenter immissis. At scelestum pœna insecuta est pede non claudo. Primo enim, dum fertur admissis equis, curru prolapsus crus offendit graviter. Mox verò contumacem invasit occulta pestis, & paucis diebus extinxit. Paulo ante quam moreretur, sensit miser cui, cujusque noxæ pœnas daret, obsecravitque multis cum lachrymis divinam Matrem, ut morbum à se depelleret, futurum se promittens, si viveret, immaculati conceptus fautorem defensoremque studiosissimum. Sed irritæ fuerunt preces; nisi fortè, quod juvat sperare, negatum est quod rogabat, ut daretur quod magis expediebat.

134. Acta Sociorum in aliis Provinciæ Bæticæ partibus.

Jam ut paucis expediam quæ in reliqua Provincia Bætica gesta sunt, degebant Giennæ à paucis annis nostri Sacerdotes duo, stipe ostiatim petita victitantes. Quid rerum in illa urbe gererent egregii operarii, non aliis referam verbis, quam quibus Mutio Generali perscripsit Antistes ipse Giennensis Franciscus Martinius, à quo fuerant ibi collocati. „ Statio, inquit, Societatis, quam hic habemus, est admodum recens, sed ad commune civitatis bonum maximè necessaria. Cum enim duo tantum sint in ea Sacerdotes, concionibus, & ministeriis sacrorum, cæterisque, quæ Societatis propria sunt, quam plurimis hactenus saluti fuerunt, & pluribus in dies esse pergunt. „ Montilii noster concionator, cum vidisset inopi cultu sacrum viaticum ad ægrotos deferri, eaque de re publicè questus esset, movit civitatem, ut vectigal perpetuum constitueret pro stipendio quinque Presbyterorum, quorum unus in posterum prælato vexillo agmen affectantium duceret, cæteri conopeum supra Parochum, & divina mysteria sustinerent. In collegio Granatensi, licet tria essent jam sodalitia constituta, conditum est hoc anno quartum sub tutela Virginis ab Angelo salutatæ, eique adlecti viri civitatis honestissimi, quibus cordi esset, vel inter domesticas curas, ad perfectioris vitæ formam componi. Cordubensibus spectaculo fuerunt gymnasii nostri adolescentes, cum in magna aquarum penuria per urbem discurrerent onusti amphoris, quas aqua plenas ad publicas vinctorum custodias deferebant. Demum ex plerisque Provinciæ domiciliis itum est in sacras expeditiones, de quibus nihil amplius dicam, nisi feraciſſimas fuisse ejus frugis, quæ ex hujusmodi peregrinationibus obvenire solet. Nullibi tamen lætior collecta seges, quam in portu S. Mariæ. Capta fuerat à regia classe biremis. Prædonum sex & triginta, per illa maria piraticam exercentium. Erant heterodoxi omnes. Quare cum essent supplicio afficiendi, placuit experiri prius, num fieri vellent Catholici. Vocantur è collegio nostro Gaditano Patres aliquot ad rem tentandam. Instant precibus & suasionibus Patres, at perdiu nullo successu. Repellebant illi cum magno contemptu preces, suasionibus nec aures dabant. Suus miseris illudebat error in tantum, ut pertinaciam haberent loco constantiæ, putarentque se, nisi à superstitione deficerent, Martyres fore. Patres, consumptis omnibus, quæ ad frangendam hominum pervicaciam occurrerant, ut in re prope desperata, ad B. Virginem se convertunt. Agebatur festum Virginis in cœlum assumptæ. Simul igitur in genua provoluti, rogant eam, atque obtestantur, ne quo ipsa die in cœlum subvecta fuisset, miseros istos detrudi sinat in tartarum. Exoratum est citius, quam sperarent. Vix precibus finem fecerant, cum Hæretici paulo ante inflexibiles, enimvero se, inquiunt, in eorum potestate esse, nec abnuere quominus Catholicis aggregentur: supplicium etiam in anteactæ vitæ piaculum libenter toleraturos. Sic omnibus Ecclesiæ conciliatis, expiatisque, tres & viginti supplendo classis remigio reservati sunt, tredecim tantum ex nocentioribus in patibulum acti, quorum mox cadavera oppidani funere quam apparatissimo extulerunt. Inter hæc vivere desiit Hispali in domo professorum P. Alphonsus Rodericius, auctor ubique celebratissimus aurei illius operis, quod inscribitur *de Exercitatione Perfectionis*. Qualis iste sit liber, nihil attinet hoc loco dicere: redditus quippe

135. Conversio aliquot Hæreticorum precibus impetrata.

136. Mors & elogium Patris Alphonsi Rodriguez.

om-

Digitized by Google

omnium prope gentium linguis, piorum omnium manibus teritur, nec alius ferme eſt religioſam perfectionem profitentibus familiarior. De auctore ſcitè olim eſt dictum, quales ejus fuerint mores, ſatis ex ipſo libro cognoſci. Et fuerunt ſanè digni tali ac tanto perfectionis magiſtro, religioſi, ſimplices, ab omni faſtu atque arrogantia alieniſſimi. Magna illi cum Deo conjunctio, meditandi uſus aſſiduus, in comprimendis animi motibus ſumma contentio. Ob ſingularem qua pollebat prudentiam tironibus inſtituendis adhibitus, munus graviſſimum aliquandiu in Provincia Toletana, poſtmodum in Bætica per triginta ipſos annos geſſit, pari ſemper tenore virtutis, pari charitatis, & diligentiæ laude. Conjunxit Rodericius cum ſanctimonia vitæ doctrinam non vulgarem, docuitque Monteregii morum Theologiam annis duodecim, tam ſecunda fama, ut ejus ſcripta paſſim doctiores exquirerent, ejus reſponſa Parochi ac Sacerdotes audirent tanquam oracula. Romæ Congregationi generali quintæ interfuit. Laboribus demum ac ſenio detritus, ſanctè, uti vixerat, placidèque deceſſit VII. Cal. Martias. Natus erat Valliſoleti ante annos ferè nonaginta, quorum ſeptuaginta exegit in Societate.

137. Res Sardiniæ. In collegiis Saſſaritano, & Calaritano Patres utiliter laborant.

Hiſpanienſibus adnumeratur Provincia Sardiniæ, ſociorum numero illa quidem inter provincias Europæ minima, ſed laborum magnitudine, ac fructu, vix ulli ſecunda. Jampridem Patribus collegii Saſſaritani grave onus impoſuerat civium exiſtimatio. Nam quia vulgo perſuaſum erat, eos demum vitam feliciter claudere, quibus ad bene decedendum auxilio eſſet Sacerdos Societatis, ut quiſque ægrotaverat, evocabat continuò unum aliquem Patrum, quibus propterea vix per noctem licebat quietis, & à labore vacuis eſſe. Calari intra hunc annum duo, noſtris auctoribus, conflata ſunt ſodalitia, alterum ſub invocatione Chriſti in cruce patientis, alterum ſub patrocinio S. Reſtitutæ. Hujus poſterioris inſtituendi occaſionem ſumpſit P. Franciſcus Penna à ſacris oſſibus ſanctæ Martyris, quæ diu ignota & occulta, nunc primum è ſuis latebris educta ſunt.

138. Fructuoſa miſſio in tractum Olleaſtrenſem.

E collegio Calaritano miſſi in tractum Oleaſtrenſem Sacerdotes duo, trimeſtri ſpatio oppida duo & viginti peragraverunt, labore quidem immodico, ſed pari fructu. Incolis rara tunc erant ob ſitum regionis commercia cum aliis regni civitatibus, eoque rudiores incultioreſque pleriſque Sardiniæ populis habebantur. Rarus apud eos uſus ſacrorum, crebra diſſidia, factioneſque. Adeo viluerat jurisjurandi ſanctitas, ut in judiciis paſſim pejerarent, quantulacunque mercede. Multi mala mentis cogitata, & quamvis peſſimam peccandi voluntatem, niſi illam re ipſa exequerentur, ſibi religioni non ducebant. Erant etiam qui confeſſionem piacularem criminum ſuppleri putabant ſtipe pauperibus data, aut ſacrificiis. Hæc mala, & malorum ſemina pernicioſiſſima Patres ubique ſuſtulerunt, longe aliis relictis moribus & inſtitutis, quam quibus miſerrimi mortalium inſueverant. Acceſſit alia utilitas non tacenda. Parochi, ſive incuria, ſive inopia, Euchariſtiæ myſterium in ſuis Templis non aſſervabant, ex quo ſæpe conſequebatur, decedere homines ſalutaris viatici expertes. Huic etiam incommodo, cui ſæpe Antiſtites remedium fruſtra quæſierant, noſtrorum induſtria occurſum eſt.

139. Res Lusitaniæ. Obitus & elogium P. Joannis Correa.

De rebus Luſitaniæ nihil eſt in litteris hujus temporis magnopere memorandum, præter duo funera, quæ ſubjicio. Conimbricæ elatus eſt P. Joannes Correa, vir humanis ſacriſque litteris in paucis excellens, ſed religioſis virtutibus multo illuſtrior. Societati ab ipſa adoleſcentia adſcriptus, patriam ſuam Villam regalem nunquam amplius reviſere voluit, abſtinuitque, dum vixit, omni cognatorum conſuetudine uſque adeo, ut eorum nec litteras interdum reſignaret. Semel, cum ad Brigantinum collegium contenderet, impeditis aliis itineribus, tranſire coactus eſt Villa regali. Præteriit antelucanis horis, nullo conſanguineorum ſalutato, ac ne viſo quidem. Rexit plura collegia, bis Provinciam univerſam. Porro in Magiſtratu, invictam animi firmitatem cum religioſa prudentia conjungens, rationem domeſticæ diſciplinæ exigebat viriliter uſque ad extremos apices, quamvis ob eam cauſam timeri poſſet interdum nonnulla poten-

Digitized by Google

tentiorum offensio. Hanc ajebat non esse pertimescendam, si caveri officio salvo non posset, nec legum nostrarum custodiam cujusvis externi cupiditatibus posthabendam. Adhuc junior, tegula ex alto lapsa, non levem accepit capite plagam, qua curata, dicitur factus exinde ingenio, quam esset antea, multo vividior. Obiit pridie Cal. Octobres, annorum septuaginta circiter. Corpus in domestico sacello seorsum à cæteris est conditum, qui honor apud nos viris duntaxat virtutis eximiæ haberi solitus. Eundem honorem retulit post duos ferè menses P. Antonius Moralius Madeirensis, frater natu minor Sebastiani illius Moralii, qui primus fuit Japoniæ Episcopus. Nulla est religiosæ laudis pars, quæ non in hoc homine eminuerit. Charitas eximia, summa demissio, studium orandi assiduum, obedientia ad omnes majorum nutus semper expedita. Leviſſimas quasque ordinis leges tam accuratè servabat, ut nullus illum in hac laude novitius vinceret, virum cæteroqui magnis in Societatem meritis, doctrina singulari, & cum doctissimis comparandum. Jussus fuerat summam philosophicæ disciplinæ scribere, quam deinceps unam Professores Conimbricenses suis auditoribus explicarent. At in ipsa operis meditatione luminibus repente orbatus, facere imperata non potuit. Eam tamen calamitatem in beneficii loco ponens, curas suas omnes ad altiora convertit, statuitque reliquo vitæ tempore uni sibi ac Deo vivere. Et nihilominus, quo licuit modo, perrexit usque ad extremum alienæ utilitati servire, confitentes audiens assiduè, nec minus domesticos quam externos ad omnem sanctimoniæ gradum consiliis promovens. Decessit Conimbricæ III. Cal. Decembris, magno sui desiderio, majori sanctitatis opinione post se relicta. Hactenus de Provinciis Europæ.

140. Et Patris Antonii Morales.

Progredimur ad transmarinas, quas jam communi vocabulo Indicas appellamus, & narrationis initium ducimus ab urbe Goa, quæ Orientalis Indiæ primum quasi limen, & caput est. Eo porro de quo scribimus tempore, sedes erat Goa Provinciæ latissimæ, ut quæ, præter magnam Asiæ partem, in Africam exporrecta, Cafrariam quoque, & superiorem Æthiopiam complectebatur. Goæ igitur circa hoc tempus Societas non unis premebatur difficultatibus. Principio multos offenderat, quod nostri collegium S. Pauli ex ea urbis parte, ubi primum à Joanne Lusitaniæ Rege fuerat conditum, in aliam transtulissent. Causas tamen habuerant, non modo æquas, sed planè necessarias. Positum erat frequentissimæ juventutis domicilium ad radices exigui collis, cui inde palus adjacet iners, & angusto margine discluſa ab Oceano, inde planities depressa, ac fere semper uliginosa, ut in quam, pluviis omnia latè complentibus, influere solet ingens aquarum vis, ac lacunam limosi humoris efficere. Hinc in summis anni caloribus, quales sub torrida cœli plaga esse solent, pestiferi halitus, & aeris gravitas intoleranda. Hinc morbi crebri, & graves, corporibus præsertim nondum per ætatem satis firmis, & studiorum labore debilitatis. Nostrorum quidem certè juvenum vix erat, qui non per æstatem aliqua valetudine conflictaretur; & videbatur, nunquam ei familiæ melius fore, nisi aliò migraret. His ita se habentibus, visum Patribus traducere in illud ædificium Tirones, qui pro ædium magnitudine pauci, locari possent in parte noxiis vaporibus minus objecta, & vicissim collegii juventutem transferre in domum primæ probationis. Sita hæc erat in urbe media, & opportunissimo quidem loco; at prope alterius familiæ religiosos, qui gravem sibi futuram collegii propinquitatem obtendentes, irritati præterea, quod in proximo aliæ coemptæ fuissent ad excitandum externæ juventutis seminarium ædes, Matritensem aulam, & senatum Indicum querelis impleverunt, multisque nos difficultatibus implicuerunt. His molestiis, quas missus ad Regem Procurator feliciter superavit, accessit indignatio Goæ vehemens, ob desertam intempestivo tempore à nostris Insulam Madagascaris, de qua magna concepta spes erat, si missi ad eam Patres egissent, uti decuit, fortiter, & incœpto institissent. Est Madagascar, quam nunc Insulam S. Laurentii vocant, Insularum maxima, quas inter Æthiopiam atque Indiam alluit Oceanus. Adjacet Africæ è regione Cafrariæ, unde distat milliaria paulo amplius du-

141. Res Provinciæ Goanæ. Goæ collegium transfertur in aliam sedem. Quæ fuerit transferendi causa.

142. Querelæ ob eam rem natæ, & mox compositæ.

143. Infelix exitus expeditionis in Insulam S. Laurentii.

Digitized by Google

ducenta. Nondum ibi ſedem fixerant Luſitani : id tamen & ſummè cupiebant, & ſperabant ſucceſſurum hoc tempore, fovente lætam ſpem Regis Fanzivani filio, quem habebant apud ſe veluti obſidem amicitiæ haud ita pridem contractæ cum Laurentianis. Nam cum ad auſtralem Inſulæ plagam appuliſſent Luſitani Negotiatores, exſcenſione facta prope Fanzivam, excepti fuerant à Rege præter ſpem amicè ac hoſpitaliter. At ejus filius admodum adoleſcens, dum peregrinam navim introſpicit puerili ſtudio, explicatis repente velis, abductus fuerat ab iiſdem negotiatoribus, & Goam avectus. Goæ puer, captus liberalitate Proregis Indici Hieronymi Azevedi, eruditus a noſtris, & baptiſmo conſignatus, nihil jam minus cogitabat quam patriam. Tamen, ſi revectus eſſet ad ſuos, ſpondebat, inclinaturum ſe Patris voluntatem, ut Luſitanorum non modò amicitiam, verum etiam religionem acciperet. Nemine dubitante, quin egregiæ indolis adoleſcens promiſſa præſtaret, Prorex quatuor inſtruit majoris alvei naves : navibus, præter claſſiarios, centuriam imponit militum, qui, ſi a Rege Fanzivæ daretur locus, ad ejus loci præſidium relinquerentur : Addit poſtremo quem dixi puerum, & Societatis quatuor delectos viros, ad religionem, quod erat expeditionis caput præcipuum, propagandam. Rebus ita comparatis, Goa ſolvit anno præterito claſſis, inter voces & vota civium fauſta omnia apprecantium. At nondum annus exierat, cum affertur nuncius, redire nulla re geſta naves, redeundi autem auctores fuiſſe Patres Societatis, quippe à Fanzivanis inclementer acceptos. Vix aliàs accidit Goæ, quod parem ergà nos concitaret invidiam. Fremere omnes indignatione libera, & præ omnibus Prorex. Nec vero deerant, qui ſuam in alieno periculo conſtantiam jactantes, ſocordiæ criminarentur præclari operis deſertores, quaſi nihil fuiſſet quod à Rege Fanzivæ, aut ab incolis pertimeſcerent. Noſtri pudore oppleti, nec hiſcere audebant : tamen inauditos, ajebant, damnari non oportere. At Provinciæ Præpoſitus, nullam ſatis juſtam tam probroſi conſilii cauſam exiſtimans, nec audiendos cenſuit. Itaque Goam appropinquantibus ingreſſu urbis per internuncium interdixit, & mox omnes in diverſa loca Provinciæ relegavit, uno tantum excepto, qui contra aliorum ſententiam manendum cenſuerat, ſed plurium conſenſum magis improbare potuerat, quam non ſequi.

144. Invidia ob eam cauſam a noſtris contracta.

Illorum interim ſive ignaviam, ſive levitatem egregiè compenſabat aliorum virtus, qui in Cafraria inter ſexcenta pericula deſudantes, etſi toto quinquennio nullum, aut perexiguum feciſſent operæ pretium, non ideo inducebant animum, ut locum deſererent. Cafri, quod lingua gentis exleges ſonat, pars ſunt Æthiopum in illo Africæ tractu, qui à promontorio Bonæ ſpei per milliaria amplius ſeptingenta in latus Orienti obverſum excurrit. Hæc olim portio Imperii Monomotapæ, nunc Luſitano patet. Adjacet ei verſus orientem ſolem anguſto diſcluſa freto Mozambique, brevis Inſula, ſed Luſitanis peropportuna. Nam ex Europa in Indiam navigantibus multas præbet utilitates, ſive commeatus egeant, ſive tutæ ſtationis, ubi naves reficiant, aut ventorum opportunitatem opperiantur; nec mercimoniis inter Indos, Cafroſque, aliud toto illo Oceano aptius emporium eſt. Inſulam arce præmunitam firmo militum præſidio occupabant Luſitani, conſtituta ibidem ſede Præfecti, regiique Senatus, qui toti Cafrariæ præeſt. Hinc ingens loco facta frequentia, tum Luſitanorum, tum aliunde immigrantium. Soli deerant ad pietatem diſſeminandam Evangelici operarii, ſed non diu defuerunt. Anno labentis ſæculi decimo inducti ſunt Mozambiquem Societatis Sacerdotes ſex, præſide omnium P. Gaſpare Suario, qui, ut eò ventum eſt, videns ad rem divinam augendam utilius fore, ſpargi latè per Cafrariam ſocios, quam ſimul omnes degere Mozambique, ex illa ſodalium paucitate quatuor poſuit diverſis in locis ſtationes : primam Quelimani ad oſtia fluminis Cuames, trecenta & ſexaginta millia paſſuum a Mozambique : alteram in vico Sennæ, ad promontorium, cui nomen a Fluentis : tertiam in oppido Thetes, quæ eſt Luſitanorum colonia maximè mediterranea, in finibus Monomotapæ : quartam denique in ipſa Inſula Mozambiquenſi. Hæc Suarius, fa-

145. Societas Mozambiquem, & inde in Cafrariam inducta.

Digitized by Google

favente plurimum ejus conſiliis Præfecto regionis Stephano de Athaide, viro probo, & noſtri ordinis amantiſſimo, licet iiſdem adverſarentur aliqui de Societate, quibus ſolam inſideri Mozambiquem placebat. Sic ergo diviſi Patres, laborem ſuum ad omnem regionem derivabant, excurrentes ex illis quaſi arcibus ad circumpoſitas plagas, nec interim curam Luſitanorum militum negligentes. Sed quod pertinet ad indigenas, parum admodum proficiebant. Cafri ingenio rudes, cultu barbari, & nedum externis, ſed ſibimet ipſis invicem inſociabiles, ut multum illicerentur cunctis benevolentiæ ſignis, aut non credebant ſe Patribus, aut eorum doctrinam aſpernabantur. Ipſa autem regio, præter incolarum ferociam, ſitu ſqualida, & cœli gravitate inſalubris, noſtris alio victu, aliaque cœli temperie uti aſſuetis, uberem patientiæ ſegetem ſubminiſtrabat. Perſtabant nihilominus tot inter anguſtias Patres magna conſtantia, pergebantque ſterile ſolum colere, animum ſuſtentantes meliorum temporum ſpe. Detinebantur etiam charitate paucorum, quos jam baptiſmo initiatos æquum non erat ſacrorum miniſterio deſtituere. Nec interim habitantibus Mozambique Sociis adverſa defuerunt. Stephano de Athaide ſucceſſor venerat longè aliter ac ipſe affectus in Societatem. Is cum accepiſſet à Rege mandata, ut quaſdam veteris ædificii parietinas dirueret, propterea quod Batavis ad everberandam tormentis arcem ex adverſo ſtantem pro aggere fuerant, Regia juſſa laxius interpretatus, domum quoque noſtram parietinis adhærentem disjecit. Spoliati tecto Patres cogebantur, aut excedere Inſula, aut vitam ærumnoſam agere ſub tabernaculis. Hoc alterum, quocunque ſuo incommodo, maluerunt.

146. Sociorum ſterilis labor in Cafraria.

147. Gravis jactura domicilii Mozambiquenſis.

Dum hæc ibi gerebantur, Æthiopia (illam dico ſuperiorem, quam Abiſſini incolunt) theatrum ingens rerum aperuit, initio quidem lætum, ſed exitu luctuoſum, ac demum Societatis ſanguine cruentatum, quod nobis in decurſu annalium ſcribendi materiam ampliſſimam dabit. Rerum potiebatur hoc tempore in Æthiopia Imperator Seltan-Seguedus, vir cunctis regnandi artibus excultiſſimus. Excluſus per vim ab Imperio, quod erat illi ſanguinis jure debitum, fortunis ſpoliatus, quæſitus ad vincula, vitam, & libertatem, partim fuga, partim fida clientum manu tutatus fuerat per annos octo circiter, quo ſpatio temporis inops, atque exul, nuſquam ſtabili ſede, ſpe ſemper incerta, per ſilvas, & ardua montium erraverat; hoc dignior meliore fortuna, quod adverſam fortiter tolerabat. At tandem prælio victor qui cauſa vincebat, & Imperium ſublato æmulo conſecutus, talis ad ſolium acceſſerat, ut nullam in eo laudem imperatoriam deſiderares. Conſtantia promiſſorum, liberalitas in amicos, clementia in hoſtes, & quædam haud indecora Principi popularitas, propria ejus erant ornamenta. Idem ingentium curarum & capax, & patiens. Idem juſtitiæ tenax cum primis, & æque neſcius injuriam facere, ac inultam pati. Animo ſupra opes elato, potior donandi, quam habendi voluptas erat. Itaque in bellis, quæ plurima geſſit, labores & pericula cum milite, ſpolia inter milites dividebat. Tot dotibus accedebat Religio vera, quam a noſtris oblatam ſuſcepit, & poſt annos amplius mille in Æthiopiam quodam quaſi poſtliminio revocavit, futurus propterea inter Principes clariſſimæ famæ, niſi quæ pulcherrimè cœperat, in extremo vitæ corrupiſſet. Hoc quidem tempore in rem Catholicam egregie animatus, Patres Societatis complectebatur incredibili benevolentia, habebatque in honore ac pretio, quippe veritatis doctores in Æthiopia unicos, & exſtirpandis erroribus ſibi divinitus datos. Tantum, ad continendos in fide populos, eoſque ad obedientiam Romani Pontificis adigendos, præſtolabatur ſubſidia militis Luſitani, quæ haud ita pridem per litteras a Rege Catholico flagitaverat. Lætiſſima demum erat rerum facies in Æthiopia, cum appareret, nullam eſſe Principi curam religione potiorem. Præclaris ejus conſiliis favebant nonnulli procerum, maximè verò frater ejus junior Cela-Chriſtus, vir bellica laude celebratiſſimus, in quo, præter regiam agnationem, virtutes eminebant omnes, quibus claritas generis illuſtratur. Erant Societatis operarii in Æthiopia numero pauci, ſed egregii omnes, & impigri, in quibus P. Petrus Paezius, cum

148. Status rerum in Æthiopia. Qualis ibi regnaret hoc tempore Imperator.

149. Noſtris, & Religioni Catholicæ impenſè favet.

uſu

usu rerum Æthiopicarum, tum rebus gestis, & magnis in rem Catholicam meritis eminebat. Tres habebant diversis in locis stationes, unam Fremonæ in Regno Tigræo, Gorgoræ alteram in Dambeano, tertiam Colelæ in Gojamensi, erantque in his totidem instituta juventutis seminaria, ubi Lusitanorum filii, ac multi præterea indigenarum pietate, & litteris instituebantur. Imperator Cogæ cum tota Regia considens ad mare Dambeæ (hoc nomine Æthiopes vocant ingentem lacum, quem Nilus interfluit) Patres ad se subinde evocabat Gorgora, Paezium præsertim, ut cum illis communicaret quæcunque ad religionis causam pertinerent: quorum colloquiorum is erat plerumque exitus, ut nova semper, & maximè salutaria inirentur consilia ad convellendos errores, & fidem Catholicam instaurandam.

150. Socii in tribus stationibus collocati rem Catholicam egregie juvant.

Neque tamen hæ Patrum excursiones ad aulam periculo vacabant. Cum enim eluviones terrestria itinera clauserant, ire cogebantur per lacum parvis lintribus, qui cujusmodi sint nosse, non arbitror legentibus ingratum fore. Naviculæ sunt admodum exiguæ, quas non ex tabulis, ut nos, sed ex quodam contexunt genere fruticis, ad modum paleæ, cujus fertilis est ora lacus. Hujus nimirum fruticis culmos aridos, densatosque tigno infigunt tereti, & oblongo: infixos hinc inde adducunt, vimine constringunt, attolluntque in modum scaphæ, non sine specie puppis, & proræ, sed alveo peranguſto. Levissima sunt ejusmodi actuariola, nec aguntur nisi remis, meris videlicet virgis sine parmula, quibus navicularii ex utroque latere fluctus verberant. Frangi mergive lembos adeo leves agilesque, vix contingit. At nisi vectores utramque partem aptè librent, aut non æqualiter collocata sint onera, altero latere vel tantillum præponderante, linter evertitur, quæ frequentissima est naufragiorum causa. Est deinde omni procella formidolosius in illo lacu monstrum, quod Gummarim Indigenæ, Lusitani Hippopotamum appellant. Animal quadrupes, mole corporis prope Taurum, crura habet brevissima, pedes quadrifariam fissos, armatosque ungulis quatuor. Venter belluæ latior quam longior, rigidum & breve collum, caput specie prorsus informi; depressum quippe, ac setis hirtum, equinis auribus, simis naribus, rictu immani, qui hiando tres pateat palmos. In dentibus præcipua feri vis. Superioris ordinis duo, ut in apris, acuti, & recurvi, crassitie quatuor digitorum, longi circiter sesquipalmum. Ex brevioribus nonnulli octonos digitos longi, ferè ternos lati. Toto corpore setis riget, cute admodum crassa, mollissima tamen, & cuivis telo penetrabili. Fremens sonum edit hinnienti similem. Qui belluæ carnes gustarunt, negant differre à bubula. Narrabant Patribus indigenæ, genus hoc animalium esse in lacu frequens, & in plures quasi greges distribui: diem agitare in aquis, nocte in proxima camporum ad pastum egredi, & nisi arceantur, certam segeti ruinam importare. Sed facilem esse arcendi modum, vel aggestis circum sata lapidibus ad altitudinem cubiti, vel ignibus proximè dispositis; nam nec septum transilire ob crurum brevitatem posse, nec audere ad ignem propius accedere. Sed quæcunque de his illi narrarent, animal est utrobique pertimescendum, & in aquis maxime: Fertur enim in parva illa navigia impetu ferocissimo, anterioribus unguibus apprehensa subvertit, effusosque in aquam vectores dentibus discerpit. Quæ pericula ut vitarent Patres, duabus plerumque utebantur naviculis, legebantque quam proximè poterant littus, longo circuitu. Monstrum viderunt aliquando, semel impetiti ab eo sunt, sed vocato Numine, periculum evaserunt.

151. Cujusmodi naviculis utantur Æthiopes in Lacu Dambeæ.

152. Quale monstrum sit Hippopotamus, & quam frequens in illo lacu.

Per hæc vitæ discrimina viam quærebant nostri, qua tandem Catholicam fidem, & cum Romana sede concordiam Æthiopiæ restituerent. Sed quamquam præclaris eorum cœptis faveret impensè Imperator, adversarii non deerant numero & viribus prævalidi, quos nec ipse Rex irritare posset impune. Principem in his locum dignitate & potentia obtinebat Simon Abuna, id est sacrorum summus Antistes. Abunæ se comites & fautores adjunxerant Monachorum plerique, quorum est in Æthiopia ingens numerus; natio hominum imperitissima, metuenda tamen, quippe auctoritate plurimum valens apud populum, superba,

153. Abuna gentis Antistes, aliique, præsertim Monachi, fidem Catholicam insectantur.

Digitized by Google

perba, audax, & ciendis turbis idonea. Demum Catholicos aperte inſectabantur Imperatoris frater Emana-Chriſtus; tum ejus gener Julius Tigræorum Prorex, vir ille quidem bello egregius, ſed ob inſanam potentiæ cupiditatem dudum Principi ac ſocero ſuo infenſus: poſtremo Caſſous, præpotens Eunuchus, regiæ domus Præfectus. Hi cum viderent, Imperatorem à ſententia Romanæ fidei amplectendæ abduci nullo pacto poſſe, de illo perdendo conſpiraverunt. Primum ſeditioni fomitem dedit Abuna, gentem inflammans veterum religionum obtentu. Nuper in graviſſimo totius regni conventu cum noſtris diſputare auſus, victuſque rationum momentis, damnaverat errorem Eutichetis, & Dioſcori, & duas in Chriſto naturas palam admiſerat. Nunc facti pœnitens, quicunque duas in Chriſto naturas agnoſcerent, eos pro poteſtate, quam ſibi ajebat à Principibus Apoſtolorum traditam, anathemate percuſſit. Commotus inſolenti facto Imperator, denuo Cleri cœtum indixit apud ſe, ut in ampliſſimo conſeſſu Procerum, ac Monachorum inconſtantiæ rationem quæreret ex Abuna; tum etiam ut, re in communi deliberata, diſſidium religionis finiret. Affuere cœnobiorum Præfecti cum Monachorum doctiſſimis. Affuit præ cunctis Abuna, ſed cum eo comitatu, ut intelligeretur, non ad diſſerendum, ſed ad pugnandum veniſſe: tot undique exciverat ſuarum partium Monachos, non ſcientia, ſed audacia timendos. Omnia ex tumultu magis, quam rite atque ordine acta ſunt; apparuitque hic quoque, quod ſæpe alias, hæreticos ad publicè diſputandum ita comparatos accedere, ut cum errorem ſuum revinci ſenſerint, in eo pertinacius obſirmentur. Principio rogatus ab Imperatore Abuna, cur ſententiam mutaſſet? diſerte negavit ſibi unquam excidiſſe, ut duas in Chriſto naturas diceret. Quam mentiendi audaciam non ferens Princeps: Itane, inquit, his coram dictum negas, quod ex te omnes audierunt? Simul adſtantes Catholicos anteſtabatur, an non illum audiſſent, cum affirmaret, duas in Chriſto naturas admitti oportere? Ad hæc homo effrons, neminem, ait, teſtem eſſe idoneum contra ſe: ſuſpectos omnes, omnes eſſe inteſtabiles. Idem ex compoſito pronunciarunt Judices, quos deligi voluit Imperator, ut de teſtium exceptione cognoſcerent. Ventum erat ad præcipuum controverſiæ caput. Duplicis naturæ dogma diſſerebat Cela-Chriſtus ea perſpicuitate, & vi, cui reſiſti non poterat. Succlamatum eſt ex adverſo, non debere quæ diceret, vel audiri, vel refelli: quæ Dioſcorus tradidiſſet, pro certis retinenda: vetuiſſe ſibi Dioſcorum æterno anathemate, ne Leonis doctrinam audirent. Tum ſermone turbulento, & inconditis vocibus, converſi ad Principem, procaciter poſtulant, ut interciſis litibus, velit jubeat, ſolam Dioſcori fidem, decem jam & amplius ſæcula vigentem in Æthiopia, ſartam tectam ſervari, nec Abiſſinos cogat, relicta Patrum religione, duos Chriſtos cum Neſtorio, vel quod deterius, duos cum Ethnicis habere Deos. Quo facto, aliqui Monachorum manipuli, egreſſi in caſtra circumpoſita, & per militum contubernia concurſantes, miſcent omnia vocibus ſeditioſis: adeſſe tempus oppignorandi pro pietate vitam, exemplo Martyrum: certandum adverſus hæreſim Neſtorianam, moriendum, ſi res ita poſtulet, pro patrio dogmate. Affertur inter hæc Principi nuncius, triſtia omnia imminere, milites ſeditionem moliri, parum abeſſe, quin à ſignis abſcedant. His rebus cognitis P. Paezius, qui aderat in conſeſſu, videns negotium verſari in ancipiti, nec tales eſſe vires Imperatoris, ut legem dare nolentibus poſſet, auctor illi fuit, ut continuo cœtum diſſolveret, in integro relicta re, cujus gratia fuerat convocatus. Nam coactæ in unum, & concitatæ multitudinis primos impetus eſſe prævalidos: minui tamen ſenſim, ac tolli penitus ejus vires, cum audaciam, quam multi ſibi invicem fecerant, ſingulis adimit ſolitudo. Viſa hæc Imperatori haud minus utilia, quam vera. Quocirca Monachos tumultuantes admonuit leniter, ut monumenta antiquitatis diligentius ſcrutarentur, mox pacatos dimiſit in ſuas domos. At eorum poſt hæc odium adverſus Regem exarſit impotentius. Audaciores faciebat favor multitudinis, quæ ad tuendas avitas religiones plus nimio incenſa videbatur. Abuna,

154. Abuna Catholicam veritatem profitentes anathemate ferit.

155. Imperator Conventum Monachorum indicit.

156. Abunæ inſignis audacia contra Principem.

157. Monachi dogma Catholicum reſpuunt per tumultum.

158. Et milites ad ſeditionem ſollicitant.

159. Imperator Cœtum diſſolvit re infecta.

Digitized by Google

na, homo ſanguinarius, & pro hæreſi Alexandrina præceps in omne ſcelus, ea populi conſternatione uti ſtatuit ad publicum parricidium, multoſque potentiorum illexit, ut coirent infandi ſceleris ſocietatem adverſus Regem, & ſe duces rebellioni præberent. Sed quemadmodum hæc omnis machina in ſuum reciderit auctorem, libro proximo demonſtrabimus.

160. Acta Sociorum in Imperio Mogolico uſque ad hoc tempus.

Ex Africa convertimur nunc in illam Aſiæ partem, quæ inter Indum & Gangem continetur, & magni Mogoris Imperium dicitur: nam & hunc ampliſſimum terræ tractum excolebant Goanæ Provinciæ operarii. Jam ante annos aliquot domicilium, & ſacram ædem habebat Societas in duabus Mogolici Regni præcipuis urbibus, Agræ, & Lahoriæ. Sociis ibi conſidentibus, & Chriſti amplificare cultum ſtudentibus, præerat P. Hieronymus Xaverius, magni Xaverii Indiarum Apoſtoli fratris filius non degener, qui in cultura Mogolum, multis exanthlatis laboribus, conſenuerat. Regnum obtinebat Selimus Jehanguirus, Princeps hactenus à Chriſtiana religione adeo non alienus, ut imo nulli eſſet dubium, quin eam aliquando vellet amplecti. Nam & noſtris amiciſſimum ſe præbebat, & iiſdem regio diplomate poteſtatem ampliſſimam fecerat aggregandi Chriſtianis quoſcunque poſſent; & Mahometanorum, Ethnicorumque, qui ibi plurimi, ſuperſtitiones & fabulas ex æquo contemnebat; ac demum, ne qua ſubeſſet de ſua voluntate ſuſpicio, duos regiæ ſtirpis adoleſcentes, quos ut proprios alebat liberos, ultro tradiderat Patribus baptiſmo initiandos, educandoſque Chriſtianorum moribus, & inſtitutis. Ex tam ſecundis initiis læta, ac fauſta omnia ſperabantur; ſed diſſimilis fuit exitus: magna autem rerum inclinatio hoc anno facta. Jehanguirus, ſeu non bona fide egiſſet uſque ad hoc tempus, ſive Chriſtianæ legis difficultate deterritus mentem mutaſſet, ex improviſo duos repoſcit, quos dixi, adoleſcentes, & redire ad Mahometem jubet. Inconſtantiæ non aliam obtendebat cauſam, niſi negatam Luſitanis à Prorege Indiæ facultatem ut filias ſuas Mogolibus jungerent. Cum eſſet ob eam rem male erga Proregem Indiæ animatus, alia neſcio quo fato ſuborta eſt multo gravior offenſio, quæ Societatem, & rem Chriſtianam ultimum in diſcrimen adduxit. Præfectus Luſitanæ claſſis myoparonem Mogolenſium negotiatorum mercibus onuſtum interceperat, propterea quod, contra jus Luſitanorum, ex Emporio Mocæ recta Cambajam tenderet. Jure an injuria captum eſſet, navigium cum præda repoſcebat Rex Mogolicus: negante autem Prorege Indico ſe redditurum ex æquo & bono, bello repetere ſtatuit. Hinc Patrum turbata tranquillitas, & progreſſus fidei plurimum retardati. Rectè enim exiſtimans Rex, non poſſe ſe Proregi Luſitaniſque ægrius facere, quam ſi contumelia Patres, religionem injuria afficeret, hinc ferale bellum exorſus eſt. Erat apud eum ſummè gratioſus, quem ſupra nominavi, P. Xaverius. Hunc ab ſe Goam dimittit, legatum veluti ſuum, & ſequeſtrum pacis; ſimulans expériri velle, an talis viri auctoritate confici negotium ſine armis poſſet. At proficiſcentem, nihilque ſuſpicantem minus, in ipſo itinere detineri jubet per Prætorem Cambajæ: eodemque tempore, litteris ad Prætores regiarum urbium Lahoriæ, & Agræ datis, Patrum Eccleſias obſerari, Patres ipſos adigi in exilium imperat. Nihil diſtulerunt Prætores juſſa facere, Lahorienſis præſertim, ferox ingenio vir, & ſecta Mahometanus. Involat confeſtim in domum Societatis cum ſatellitum manu, Patres Antonium Machadum, & Franciſcum Corſium nihil tale metuentes occupat, exturbat domo, & cum inſigni verborum contumelia excedere oppido jubet. Idem nihilo ſegniùs facturus erat Agrenſis cum P. Joſepho de Caſtro. At homo non adeo immitis facilè ſe exorari paſſus eſt, ut proferret nonnihil exilii diem: quo ſpatio interjecto Caſtrius Xaverium de re tota per curſorem celeriter ſubmiſſum admonuit; ille autem per amicos, quos habebat in aula plurimos, obtinuit à Rege, ut ſaltem Agrenſi domicilio parceret. Manſit itaque Agræ Caſtrius, eodemque mox venire permiſſum Machado, & Corſio, quoad diſſidia cum Luſitanis orta componerentur. At enim hæc acerbiùs crudeſcebant in dies. Goæ cum multa fuiſſet deliberatio de placando Mogole, qui ad pacem incli-

161. Rex magni Mogoris iraſcitur Luſitanis. Quæ tuerit offenſionis cauſa.

152. Vexantur Patres, & ſuis domiciliis per vim exturbantur.

Digitized by Google

163. Bellum inter Lusitanos & Mogoles nostrorum interventu componitur.

naturus putabatur, Prorex Azevedus ire maluit in eorum sententiam, qui specioſa utilibus præferentes cenſebant, eſſe è dignitate nominis Luſitani bellum minanti arma potius offerre, quam pacem. Claſſe igitur quam potuit inſtructiſſima in Cambajam ſolvit Prorex, paratus, ſi hoſtis vim faceret, litem ferro decernere. Et fortè non ſine multo partium ſanguine pugnabatur, niſi noſtri interveniſſent. Secum egerat Azevedus P. Emmanuelem Pinheirum, ſpectabilem canitie virum, & rerum Mogolicarum longo uſu peritiſſimum. Huic ſe Xaverius adjunxit. Cum ambo mentionem pacis intuliſſent, leges propoſitæ ſunt Luſitanis haud minus honeſtæ quam utiles, quibus utrinque acceptis, flamma belli jam prope erumpentis reſedit. Lahoriæ, Agræque pax eſt publicata. Utrobique redditæ Patribus ædes priſtinæ, & jus domicilii, quale antea fuerat, reſtitutum. Detractum tamen de regia in eos liberalitate plurimum, quodque gravius, conceptæ de Jehanguiro ſpes everſæ penitus, & extinctæ. Jam de ſequendo Chriſto barbarus nec verbum pati, qui id ſæpe antea ſe facturum promiſerat: jam nullam religionem malle, quam Chriſtianam. Utque ita fieri ſolet, ut Principum exemplis populi non minus quam imperiis ducantur, civium etiam pars multo maxima a noſtris ſacris incredibiliter abhorrere. Deliberabant propterea noſtri, an non expediret ſolum illud Evangelicæ ſementi contumax omnino deſerere. Sed vicit ſententia, quæ locum relinqui vetabat, ne qui ibi erant Chriſtiani fere quingenti, ſacrorum miniſterio deſtituerentur.

164. Noſtrorum & religionis res in deterius ruunt.

165. Res Provinciæ Malabaricæ. Status religionis inter Thomæos ſub Antiſtite Franciſco Rozo.

Goanam Provinciam excipit Malabarica. Hujus intra fines ingens eſt Chriſtianorum numerus, quos Luſitani a locis quibus habitant Montanos, ipſi verò ſe à S. Thoma Apoſtolo, quo auctore, & Parente gloriantur, Thomæos nominant. Gentem ab hæreſi Neſtoriana, & a Babylonico Patriarcha haud ita pridem abſtraxerat vir inclytæ famæ Alexius de Meneſes Goanus Archiepiſcopus, receperatque in obedientiam Romani Pontificis, obligata populorum fide, nunquam futuris temporibus habituros pro Epiſcopo, niſi quem deſignaſſet Luſitaniæ Rex, Romanus Pontifex inſtituiſſet. Primus poſt hæc Thomæorum Antiſtes fuerat renunciatus noſter Franciſcus Rozus, qui cum aliquandiu veteri Deceſſorum more conſediſſet Angamalæ, expertus poſtmodum, ob aſſidua inter Regulos circumpoſitos bella, nullum ibi tempus eſſe ab armorum tumultu, vel metu vacuum, impetrato aſſenſu Pontificis Maximi, Sedem Archiepiſcopalem tranſtulit Cranganorem, munitam urbem, & Luſitanis obnoxiam, unde Archiepiſcopus Cranganorenſis appellari cœpit, quo ſemper nomine a nobis in poſterum deſignabitur. Hæc tametſi fusè proſequatur Juvencius in quinta parte, leviter indicata hoc loco volui, quia lucem dicendis in decurſu annalium afferunt. Jam ergo Rozus, pacata circa ſe omnia, ac tuta videns Cranganore, adjecit animum, quantumvis pauper, ad conſtituendum ibi collegium Societatis, quod pridem inchoatum, ſed ſine certa domo, ac nullo penitus cenſu fuerat: Contulit in hunc uſum quæcunque habebat. Agrum coemit ſoli per quam frugiferi prope arcem, ad ſuſtendandos Patres: fundum ubi collegium inædificaretur noſtris addixit; nec verò aliam conditionem impoſuit, niſi ut victuri ibi Patres cura præcipua in Thomæorum ſalutem incumberent. Id unum Præpoſitum Generalem, id Provinciales ſanctè enixèque obteſtatus eſt. Quam æquiſſimam legem ut impleret Præpoſitus Provinciæ P. Gaſpar Fernandius, dedit jam tum Antiſtiti viros religionis ſtudio flagrantiſſimos, ac præ cæteris Patres Joannem Mariam Campora, & Joannem Soſa, par hominum inſigne, qui ab ipſo fundati collegii initio totam obire diœceſim aggreſſi, anno uno duodeviginti Thomæorum civitates luſtraverunt. Non exequar per partes, quid in ſingulis ubique locis geſſerint, ne ſim prolixior. Non tamen prætermittam tacitus, quod Calicolani factum comperio. Erat omne oppidum privatorum inimicitiis ſciſſum in partes, & maximè turbulentum. Progreſſus ad concionem frequentiſſimam unus Patrum, narravit prius S. Joannis Gualberti celebre exemplum, perrexitque mox de condonandis injuriis multa appoſitè diſerteque dicere. Senſit ex vultu oculiſque audientium, alte in omnium animos penetrare orationem. Inſtitit con-

166. Fundatur collegium Cranganorenſe. Primi ejus fructus.

167. Multorum diſſidia in uno oppido feliciter extincta.

Digitized by Google

contentiore voce, ac duos ex primoribus ira inveterata discordes compellans nominatim: Prodite, inquit, in medium vos: abjicite aliquando funesta odia, & vobiscum invicem in gratiam redite. Crederes Dei vocem fuisse. Exiliunt ambo, in mutuos amplexus ruunt, osculantur se se, Gestiebant lætitia cives in tam jucundo, & insperato spectaculo. Cum ecce tibi alii duo, & paulo post alii plures similiter alter alteri pacem & amplexum offerunt, usque ad viginti hominum paria. Fuit ex eo numero qui Regulo sæpe antea roganti ut simultates finiret, semper obstinatè restiterat. Ei nunc exprobrabat Præfectus urbis, quod externi hominis pauca verba pluris apud eum fuissent, quam tot Principis suasiones, & preces. Id minime mirandum esse, respondit; neque enim paris periculi fuisse in ea re voluntatem Principis, & Concionatoris monita aspernari: ab altero, præter exilium, nihil habuisse quod timeret: ab altero propositam sibi fuisse divini Numinis offensionem, & pœnam sempiternam. Cæterum tantam Patribus auctoritatem conciliabat, cum perspecta morum integritas, tum etiam opinio quædam, quæ latè percrebuerat, vim illis cœlestem esse ad pellendos morbos, aliaque supra naturæ usum patranda. Nec erat opinio prorsus imprudens. Solebant Patres decerptas ex Evangeliorum codice sententias exarare parvis in schedulis, easque poscentibus distribuere, præsidio futuras videlicet adversus artes maleficorum, aliaque infortunia. Schedulas Christiani argenteis inclusas laminis circumligabant brachiis, gestabantque perpetuò, ac sæpe in desperatis rebus utiles, præter omnem humanam opem, experiebantur. Ipsi, quod magis est, Ethnici interdum, ad hujusmodi schedularum contactum, valetudinem jam conclamatam recuperabant. Hinc apud vulgus Patrum existimatio incredibilis. Hinc ad eos crebri concursus, & tanti, ut vix possent omnibus satisfacere.

168. Curationes morborum supra naturæ vim factæ, nostris auctoritatem conciliant.

Ad australem Malabaricæ Provinciæ partem pertinebat hoc tempore Ceylanum, Insularum circa Peninsulam Indicam adjacentium maxima, quam multi putant illam esse tanti apud antiquos nominis Taprobanam, idest terram deliciarum. Opinioni fidem facit cœli mira temperies, ubertas soli, & omne genus deliciarum, quas ibi perhibent sponte nasci. Sed utcunque sit de hac re, inducta fuit Societas in Ceylanum ineunte sæculo de quo scribimus, auctore, quem alibi nominavimus, Hieronymo Azevedo, nostri Ignatii Azevedi Martyris germano fratre, qui dominantes ibi Regulos armis feliciter insecutus, pacavit ad extremum Insulam, & Regi suo subjecit. Borealem regionis partem Societas excolebat, australem oppositam Franciscani: sic enim præscripserat Episcopus Coccinensis, ne qua inter duos ordines contentio oriretur. Columbi, quæ arx est Lusitanorum præcipua, consederant initio nostri. Inde mox in interiora progressi, stationes collocaverant Chilai, Caymelæ, Mandapæ, & Mategamæ, quibus in locis cum nulli essent ante Patrum adventum Christiani, jam superstitionis vix reliquiæ supererant. Itum quoque in Cardivam, brevem Insulam, æstuario potius quam freto divisam à continenti, ac tribus diversis locis erectæ Ecclesiæ, dissipati errores, multi mortalium ad Christi gregem traducti. Sic in illa terræ plaga perrexerant nostri divinam Religionem augere usque ad hoc tempus: cum Cingalarum (ita Ceylanenses vocant) fœda defectio præsentem laboris successum, & spem futuri non nihil retardavit. Haud obscura præluxerant tumescentis rebellionis indicia; nec ignorabant Lusitani, indignantibus externa imperia populis, non animum ad rebellandum deesse, sed Ducem, quem non extiturum aliquando in tanta Ethnicorum multitudine, vix videbatur credibile. Extitit nunc, & temporius quidem, quam primi ejus conatus caveri potuerint, aut comprimi. Signum rebellionis sustulit vir conditionis infimæ, cui hominum fere quinque millia momento se aggregarunt. Discurrebant huc illuc perduelles quasi lymphati, vastabant oppida, expilabant domos, omnia tumultu, rapinis, cædibus miscebant. Venerant eorum circiter quinquaginta Mategamam, ubi simul degebant nostrorum Patrum duo, Joannes Metellus, & Ludovicus Matthæus Pelingottus, hic loci Pastor, ille hospes. Cæteris ad

169. Status rerum in Ceylano usque ad hoc tempus.

170. Ceylanensium seditio contra Lusitanos.

171. pp. Joannes Metellus, & Matthæus Pelingottus crudeliter interfecti.

Digitized by Google

ad diripiendas ædes oppidanorum dispersis, pauci recta provolant ad Ecclesiam, & nuntiari Patribus jubent, adesse missos à Prætore nuncios, qui litteras ad eos, & nescio quæ mandata perferrent. Patres quod erat minimè suspicantes, egrediuntur nullo metu. Poscebat litteras Pelingottus, cum loquentem invasit qui propius aderat sicarius, transfixitque, adacta in pectus lancea. Adrepsit ille semianimis ad crucem ex adverso ædis erectam, ubi dum genibus nixus Jesu nomen inclamat, eum barbari iteratis ictibus confecerunt. Metellus, tentata nequidquam fuga, ubi sensit non posse se hostes a tergo instantes evadere, procubuit in genua, necem excepturus fortiter, & lancea similiter confossus jacuit. Religionis, an gentis odium rebelles ad tantam immanitatem impulerit, haud satis constat. Patres fidei causa necatos Lusitani credidere, quam opinionem affirmare visa latronum insignis impietas. Patrata enim cæde, Ecclesiam, & sacra omnia furentium more diripuerunt, aras subverterunt, Christi crucifixi signum fœde mulctaverunt, demum capita interfectorum, sive ad Christianorum terrorem, sive ad religionis ludibrium, pro foribus templi hastilibus infixa reliquerunt. Corpora piè collegerunt Lusitani, ac tunc quidem in loco ubi fuerat Ecclesia condiderunt sine splendore ac pompa; sed melioribus postea temporibus Columbum honorificè deportarunt. Pelingottus gente Italus, natus erat Sorbolongi, in oppido Diœceseos Forosempronienſis. Metello patria fuerat Lusitaniæ pagus, cui Bonoviridario nomen, in ditione Præpositi Cratensis. Erant ambo in ipso robore ætatis, & Cingalarum linguam apprime callebant. Incidit eorum mors in diem sextam Decembris. Jam vero hoc Ethnicorum motu hæsit paululum in Ceylano promulgatio Evangelii. Sed mox seditione compressa, & pacata iterum Insula, cursu quo cœperat, læto admodum, ac felici progressa est. Interim cognoscere licuit iram læsi Numinis manifestam in præsenti impiorum pœna. Lusitani, contractis omnibus copiis, bellum internecinum rebellibus inferebant; sed dum prælium committitur, obruebantur numero, & terga dabant. Fugientibus, nescio quo casu, objicitur illud Christi crucifixi signum, quod barbari, ut supra docuimus, indignè violaverant, adhuc retinens illatæ contumeliæ notas. Ea species, mirum ut omnibus indignationem moverit, & quantum addiderit audaciæ, ac virium. Primus omnium redit in aciem nobilis Centurio Emmanuel Correa, vincendum clamans, aut pro Christi gloria moriendum. Sequuntur ejus voce & exemplo incitati cæteri milites, prælium redintegrant ferocia incredibili; donec, supplente numerum virtute, seditiosos jam victoria exultantes cum magna occidione fuderunt.

172. Odio Religionis peremptos Lusitani credunt, nec immerito.

173. Rebelles insigni clade attriti pœnas impietatis luunt.

174. In Regno Bengalæ omnia ad interitum properant.

Rebus in hunc modum alternantibus in Ceylano, in regno Bengalæ, quod est circa Gangis ostium, itemque in Insulis, quas Molucas vocant, quousque Malabaricæ Provinciæ fines orientem versùs porrigebantur, omnia periere. Nihil jam Lusitanis, nihil religioni erat reliquum in regno Bengalensi, præter munitissimam quamdam arcem, in finibus regnorum Arracanensis & Peguani sitam, cui Siriæ nomen, & Sundivam, insulam brevi freto diremptam à continenti. Cætera paulatim ademerant Reges, qui plures, & validi in diversis ejus terræ oris imperitabant. His tamen stantibus, multum adhuc supererat spei. Portum efficit Siria, scopulorum objectu tutum. Arcem imposuerant Lusitani lapideis munimentis instructam, qua Reges proximos, tanquam fræno, continerent. Sæpe Rex Arracani, conjunctis cum Rege Tangi viribus, arcem terra marique obsederat, sed irrito semper conatu. Locum obtinebat pro Rege Lusitaniæ Philippus de Britto, lectam militum manum in præsidio habens. Aderant Societatis nonnulli Patres, & collectum Christianorum gregem non exiguum sedulò custodiebant. Cum Avæ Rex, omnibus quibus potuit viribus ad arcem exscindendam coortus, nactusque præsidiarios numero pauciores, & victoriis ipsis plurimum debilitatos, post obsidionem aliquot mensium, eos ad deditionem coegit. Captis omnibus, Brittum barbarus palo infixum extulit in editissimum propugnaculum, & misero in tam atroci supplicio crudeliter illudens, velle ajebat eum ibi esse, unde suam illam arcem habere subjectam oculis, &

175. Expugnatur à barbaris Arx Sirtana, nostri in servitutem abducuntur.

me-

Digitized by Google

melius in posterum custodire posset. Reliquam multitudinem, quatuor fere millia Christianorum, Avam in servitutem abduxit. Inventi in hoc numero Patres Didacus Nunnius, & Emmanuel Fonseca. Sed prior ærumnis captivitatis confectus decessit in ipso itinere. Alter post annum scribebat Goam ad socios, se jam Avæ mitius haberi, frui libera facultate agendi cum captivis, in iis excolendis consolandisque operam non inutilem ponere: se denique alia re non egere, nisi instrumento sacrificali, quod properè ad se mittendum curarent; redimi enim, quamdiu tantus ibi detineretur fidelium numerus, omnino nolle. Sed ut redeam ad rerum seriem, paulo post Sirianæ arcis excidium, etiam Sundiva collapsa est. Hanc nuper ex manibus barbarorum receperat, ac suam fecerat nobilis Lusitanus Sebastianus Gonsalvius. Adjunctis enim sibi aliquot suæ nationis hominibus, cum instituisset in maritimas illas oras armato lembo prædabundus excurrere, opes in dies augens ex præda, eas brevi collegerat vires, quibus occupare Sundivam potuit. Potitus Insula Gonsalvius, ut novæ ditionis initia religione firmaret, eò Societatem reduxerat, attributa sede pristina tribus nostrorum, qui colligerent Christianorum reliquias, & fidem nondum plane abolitam restituerent. Sic Lusitana, sic Christiana res stabat in illa Insula: cum Gonsalvii potentia in dies formidolosior finitimos excivit Reges, ut in ejus perniciem vires & arma conjungerent. Non ille propterea despondebat animum, scopulis frætus scilicet, nativis loci propugnaculis, & suorum virtute. Sed tandem, commisso parum prosperè navali prœlio, cum amisisset classem, nec Insulam, ob terrestium virium paucitatem, tutari posset, loco cedere coactus est. Excessere pariter nostri; atque hoc uno casu, Lusitanorum æquè ac Societatis res in sinu Gangetico penitus conciderunt.

175. Ultima omnium deseritur Sundiva per vim a barbaris occupata.

In Molucis Insulis affulserat haud ita pridem læta spes reparandi religionis ruinas, quæ copiosè narrantur in quinta parte nostrorum annalium. Petrus de Acunia Prætor Philippinarum Ternatem munitissimam arcem expugnaverat, expulerat ex Insula Tydorensi Batavos, collocaverat opportunis in locis præsidia, relicto demum ad belli reliquias persequendas milite, victor Manilam se receperat. Quo rerum successu cum pateret denuo Societati aditus in eas insulas Xaverii primum, ac deinde Sociorum laboribus feliciter excultas, affuerunt continuò ex Provincia Malabarica PP. Joannes Baptista Scalamontius, Andreas Simi, Emmanuel Leitanus, aliique impigri operarii: Morum, & Morotajum fixis stationibus occuparunt, in reliquas Insulas excurrerunt; nactique adhuc vividam in multis indigenarum Christianam fidem, in aliis vix extinctam, gentem ubique docilem, aut non adversam, præteritas clades non improsperè reparabant. Verum inter hæc trepidus accurrit nuncius, adventare cum apparatissima classe Batavos, minaces proras in conspectu esse. Conterritus, ut insubito malo, Præfectus Hispanorum, incertusque ubi nam vellent exscensionem facere, quidquid usquam erat militum contrahit ad tuendam arcem Ternatensem, in qua rerum summa videbatur reposita. Ita Batavi, prohibente nemine, ejiciunt sese in Morum & Morotajum, ac duabus Insulis impune potiuntur. Ternatenses, qui ægrè Hispanis se subjecerant, audito Batavorum adventu, hanc occasionem suam rati, raptim expediunt arma, fugatisque Hispanis, omnia intra Insulam suam recuperant, præter arcem. In hanc simul cum militibus nostri se receperant, ut in asylum rei labantis ultimum. Accidit post paulo dira calamitas, quæ hinc etiam dejecit Hispanos, & spem omnem rerum meliorum in Molucis prorsus extinxit. Novus Philippinarum Prætor Joannes de Silva classem paraverat validissimam, utque certius cum Batavo simul & Ternatensi confligeret, misso Goam P. Emmanuele Ribero, petierat ab Indiarum Prorege Hieronymo Azevedo militum Lusitanorum auxilia; namque idem tunc Rex Hispaniæ, & Lusitaniæ. Azevedus quatuor confestim illi dederat eximiæ magnitudinis naves, refertas omni bellico instrumento, & veterano milite, sub Præfecto Francisco Miranda rei navalis scientissimo: quæ vires si cum Hispanicis jungerentur, nulli erat dubium, quin Batavi tota Molucarum possessione depelli pos-

177. Revirescit in Molucis religio nostrorum laboribus, & industria.

178. Batavorum adventu denuo concidit.

179. Hispanorum irriti conatus ad Molucas Insulas recuperandas.

Digitized by Google

possent. Sed celeritate opus erat, in qua fere semper aliquid commodi, sæpe rei summa versatur. Miranda autem Malacam delatus, prohibitus est aliquandiu adversitate ventorum ulteriùs progredi. Trahitur deinde in pugnam ab Acenorum Rege, qui ad expugnandam eam urbem veniebat cum classe navium ferè tercentum. Eminebant naves majoris formæ quinquaginta quinque, plenissimæ militum, & omnibus belli copiis instructæ. Atrox itaque conseritur prælium. Eo prælio barbarus amisisse dicitur majorum navium quadraginta, minorum fere centum, cum innumera hominum multitudine. Plenus quidem certè cladis & ignominiæ discessit. Sed caro stetit Lusitanis victoria, nec fere contingit, ut non etiam vincendo atterantur militum vires. Eduxerat in aciem Miranda, præter quatuor quas ipse ductabat naves, sex rostratas, & actuarias duodecim in portu Malacensi inventas. Ex illis prioribus una, nescio quo casu, conflagravit. Reliquarum aliæ deustæ sunt, aliæ tormentorum fulminibus laceratæ. Militum multi ceciderant in certamine, plures vulnerati fuerant. Quibus damnis reficiendis Malacam cum repeteret Miranda, & naves aliquæ, quippe instrumento nautico spoliatæ, remulco ducerentur; ecce tibi repente apparent ex adverso octo bellicæ Batavorum, quarum congressus nec vitari, nec ulla cum spe sustineri poterat. Lusitani, quod unum circumspicientibus occurrit, naves applicant ad parvam Insulam, ne hostibus pateant, nisi a fronte. Impressionem Batavi faciunt, quam Lusitani in tanta virium inæqualitate non sustinentes, in littus se ejiciunt, subjecto prius suis navibus igne, ne eas hostibus simul cum victoria relinquerent. Dum hæc agebantur, Joannes de Silva egressus ex Othonienſi Philippinarum portu, proras direxerat Malacam, ut se Mirandæ conjungeret. At vix ingressus fretum Aureæ Chersonesi, audit periisse classem Lusitanorum, Batavos victores intulisse hominum, & navium auxilia in Molucas. Concidit animo vir cæteroqui fortissimus, nec multo post, seu mœrore ejus cladis, seu alia quavis morbi causa contabescens, occubuit: quo destituti capite minores duces, classem, nulla re gesta, Manilam reduxere. Ita liberum Molucarum imperium Batavis relictum est. Nam & Ternatinam arcem Hispani, quam in tota provincia solam retinuerant, aliquanto post dimiserunt. Nunc autem ager ille, magni olim Xaverii laboribus & industria florentissimus, cultoribus destitutus omnino silvescit.

180. Lusitani auxiliares insignem victoriam referunt de Acenis.

181. Mox a Batavis profligantur.

182. Hispani Molucarum imperium relinquunt Batavis.

183. Res Provinciæ Japonicæ. Novus Imperator religioni Christianæ se præbet infensum.

Sequitur post Malabaricam Provincia Japonica, extrema omnium quas in Asia Societas habet. Tempore de quo scribimus, præter regnum à quo nomen accepit, Sinam quoque, Cocincinam, & Tunkinum complectebatur; nondum enim Sina in proprium Vice-Provinciæ corpus erecta fuerat. Nos de singulis regionibus separatim agemus, ut locus & tempus poscet. Nunc Japoniam ingreditur historia, non tamen sine horrore quodam ac metu: tam atrox occurrit ærumnarum & suppliciorum facies, quibus religionem ac Societatem dirus Ethnicorum furor per triginta, qui sequuntur, annos laceravit. Et opportunè ingreditur eodem anno, qui novum Japoniæ Imperatorem dedit Xogunum, Daifusamæ improbi parentis pejorem filium, Japoniæ Neronem, quo nulla crudelior fera, nullum monstrum religioni exitialius. Paterna vitia Xogunus æmulabatur, aut superabat omnia, virtutes Patris, cujusmodicunque in Ethnico & crudeli Principe esse poterant, habebat nullas, & quanto regnandi artibus erat parente minor, tanto illum odio Christiani nominis anteibat. Educatus ab ipsis incunabulis in cœnobio Bonziorum, inde studium erga Deos inanes, odium erga Christianos hauserat. Pungebatur etiam molestis suspicionum aculeis contra Hispanos, quos sæpe audierat obtentu religionis Regno insidiari, & in omnem invadendæ Japoniæ occasionem imminere. Hoc velut œstro dies noctesque incitatus, perdere decrevit Sacerdotes & Religiosos omnes, nempe, ut putabat, consiliorum, quæ contra Japoniam struerentur, conscios, & administros. Tamen à principio nihil gravius statuebat: quæ res, ut nonnullis fecit rerum meliorum spem, ita plerosque Evangelii Præcones ad opus strenuè peragendum erexit. Erant tum ibi Societatis operarii omnino tres supra triginta, qui totam

184. Noitri rem

ferè

Digitized by Google

ferè Japoniam diverſis itineribus obeuntes, hoc ipſo anno adultorum mille & trecentos Chriſto adjunxerunt; pauciores illos quidem, quam ſolerent cum in tranquillo navigabatur, ſed, ut erant tempora, ſatis multos. Non enim audebant jam publicos Chriſtianorum conventus habere, ſed clam domos ſingulorum luſtrantes, operam miniſterii ſine ſtrepitu circumferebant, ne præpoſtero ardore fructum præteriti laboris omnem momento perderent. Nam quamquam novus Imperator, aliis regni curis diſtentus, his indormire videretur, nimis tamen excubabat ad omnes motus, nec fidendum erat malaciæ ſubdolæ, ac fallaci, quam quælibet vel leviſſima rumoris aura turbare poterat. Serviendum itaque tempori exiſtimabant, nec tam clamoſis miniſteriis agendum, quam patientia, ſilentio, latebris; cum præſertim uſu ipſo conſtaret, his artibus ſatis bellè, quamvis paulo lentiùs, procedere rem Chriſtianam. Sic procella ſæviente, contrahit vela nauclerus prudens, obliquat ſinus in ventum, ac tempeſtati parumper obſequitur. Aliter ſentiebant alii fervidioris ingenii Religioſi, minimè probantes hanc rationem Chriſtianæ rei gubernandæ, quam noſtri ut certiſſimam, ac tutiſſimam ſequebantur. Quouſque, inquiebant, lenti reſideſque latebimus? Non eſt Evangelica lux occultanda ſub modio, ſed in apertum, ut luceat omnibus, proferenda. Prædicandus palam Chriſtus, aut ſi non licet, pro Chriſto moriendum. Sic illi magno animo, ſed fortaſſe minus prudenti conſilio, quod paulo poſt uſus oſtendit. Nondum tertius exierat menſis poſtquam Xogunus Imperii adminiſtrationem ſuſceperat, cum efferatus eorum ardore ac libertate barbarus, priora Daifuſamæ contra Chriſtianos edicta, quæ jam ſenuiſſe videbantur, inſtauravit, unde paulatim illata religioni pernicies.

Chriſtianam ſedulo adminiſtrant, caute tamen, & ſine ſtrepitu.

186. Aliorum Religioſorum fervidiora, & parum opportuna conſilia.

Vulgatum fuerat in Mexico (nihil intereſt ſcire quibus auctoribus) ſed certè vulgatum temerè fuerat, affuturam propediem ab Imperatore Japoniæ Legationem, cum mandatis paciſcendi æquum fœdus, & jus mutui commercii inter Japones & Hiſpanos, poſtulandique complures Chriſtianæ legis doctores cujuſcunque ordinis, modo ne eſſent de Societate. Hac fama commoti Franciſcani quatuor & viginti, conſcenſa properè navi, inde ſolvunt, & circa dimidium anni labentis Satzumam Japoniæ portum appellunt. Ad eorum adventum haud ſecus infremuit Tyrannus, quam ſi ad invadendam Japoniam centuriones & anteſignani à Chriſtianis miſſi adeſſent. Excludi portu navim juſſit. Tum circummiſſis per omnes Japoniæ provincias litteris, Regulos & Præfectos admonuit, ne quem Chriſtianorum in poſterum undecunque venientem reciperent. Pœnam capitis propoſuit, ſi quis Sacerdotem, aut religioſi ordinis cujuslibet alumnum tecto exciperet: qua pœna comprehendi voluit patresfamilias vicinis decem ædibus habitantes, niſi de hoſpitio religioſis præbito indicarent. Hoc tam atroci edicto, nequaquam animus aut fiducia Evangelii Præconibus ceſſit. Noſtri tamen præteritis exemplis edocti, quantam afferret ſæpe numero perniciem inconſultus pietatis ardor, inſiſtebant priſtinis latendi, & omnia cautiùs agitandi conſiliis. Cum Europæos oris color, vultus, vox, inceſſus ipſe proderet, in denſa nemora, in ſpeluncas, in depreſſum domus infimæ cavum interdiu retruſi, nocte concubia pauliſper ad Neophytos juvandos emergebant, & opem quam licebat pio ferebant gregi. In urbe Nangaſachienſi, ubi ſeveriores exercebantur quæſtiones, ſeptem latebant Patres. Civitatem diviſerant in certas regiones, eaſque ſinguli procurabant, anxii unicè & ſolliciti, ne caris hoſpitibus exitium crearent. Alii contra Religioſi audacius rem gerere, quam cautius pergebant: prodire geſtiebant in publicum, Principis edicta palam aſpernabantur, nihil optantes avidiùs, quam glorioſim pro Chriſto mortem oppetere. Id ubi reſcivit Imperator, minas, edicta, exploratores geminavit; adeo ut coacti demum fuerint ipſi quoque captare latebras ſibi neceſſarias, & Chriſtianis utiles. At dum omnia gerunt ardentiùs, & Chriſtianorum animos ardore fidei ſuccenſos in eandem ſecum ſententiam trahunt, Magiſtratuum ſollicitudinem, & inveſtigandi curam acuerunt. Hinc primæ cædes, hinc primæ ſub Xoguno victimæ religionis. Deprehenſus in Figenſi regno Paulus Tariſuquius, cum liberè

186. Atrox Imperatoris edictum contra Chriſtianos, ejuſque cauſa.

187. Quid noſtri, quid alii Religioſi geſſerint tam ſævo tempore.

Digitized by Google

188. Paulus Tarisuquius prima religionis victima sub Xoguno Imperatore.

ac fidenter pro religione dissereret, in vincula conjectus est. Hunc ut amici resciverè captum, fingunt conscriptam ab eo schedam, qua Christi fidem à se abjuratam testaretur, eamque offerunt Magistratui, qui Tarisuquium eximit confestim vinculis: eundem tamen ad se perductum adscribere jubet in eadem scheda, ad quam ex pluribus Japoniæ sectis animum applicuisset. Sensit fraudem, & indignissimè tulit vir fortissimus. Schedam concerpsit, neque atramento, inquit, sed sanguine meo me Christianum esse scribam, ac publice profitebor. Verba factis æquavit. Jussus mori, unam oravit rem, ut in crucem ageretur exemplo Christi: negante autem Centurione facultatem sibi esse mutandæ sententiæ, quæ cervices ipsi præcidendas pronunciabat, lætus collum securi subjecit. Par genere supplicii, & animi magnitudine fuit in regno Chicungi Martinus Suguimotus. Cum nullis neque amicorum precibus, neque Præfecti minis ad ejurandam Christi fidem impelleretur, Præfectus expediri arundines jussit: tormenti genus, de quo infra dicemus. Sperabat improbus, intentato propius pœnarum metu frangendum. Ille non animo, non vultu mutatus, ponere sua manu tunicas, corpus ultro offerre tortoribus. Abstinuit tunc quidem ab eo violando Præfectus, credo reverentia generis, & cognationis splendidissimæ. Sed mox pergentem Christianorum instituta liberius exequi, denuo in custodiam detrusit cum conjuge, & liberis. Pari omnes alacritate ærumnam ferebant, pari mortem opperiebantur. Sed post novem dies solus ad supplicium rapitur Martinus, cæteris demuntur vincula. Nihil sic animos spectatorum perculit, quam cum eodem pariter educti sunt carcere, atque à se invicem distracti. Uxor & liberi, non viri & parentis necem, sed vitam suam lugentes, omnia gemitu ploratuque complebant. Ille siccis oculis, & erecto vultu, supremum abeuntibus vale dicens, unam illis etiam atque etiam mandavit rem, ne Christo fidem aliquando fallerent. Tum progressus ad supplicii locum, mira constantia cervices carnifici dedit. Tertiam hujus anni coronam tulit Firoximæ juvenis patria Voarensis. Hunc noverca à patris hæreditate excludebat, ut filium ex se genitum intruderet, negans jus ullum, aut actionem ei convenire, qui esset professione Christianus. Interrogatus de religione juvenis, non solum id quod erat liberè confirmavit, verum etiam addidit, nullo se neque præmio, neque supplicio à Christi cultu depulsum iri. Cruci ob eam causam suffixus est, in qua dum adstrictus ferreis manicis pedicisque pendebat, confertissimam multitudinem admonuit, extra divinam Christi religionem viam nullam esse ad æternam felicitatem. Atque hæc locutus, lanceis per utrumque latus transversim immissis, illustre martyrium explevit.

189. Religionis odio interficitur alter Christianus. Mira ejus fortitudo.

190. Par constantia cujusdam juvenis in subeundo ob eandem causam supplicio.

191. Multis cruciatibus tentatur Ludovicus quidam. Cujusmodi sit tormentum Arundinum.

Multo tamen plures fuerunt, quibus ad martyrium nihil defuit, præter beatæ mortis coronam. Ut de uno tantum dicam, ex quo capi de reliquis conjectura poterit, Cusani, qui regni Chicungensis est vicus, cruciatus ipsa prope morte acerbiores tulit Christianus nomine Ludovicus. Solam exorare non potuit mortem, ne finem suppliciorum inveniret. Eum primò ferox, & immitis Regulus arundinum tormento subjecit, quod est hujusmodi. Arundines per longum sectas funiculis contexunt in modum storeæ, sic tamen, ut cava calamorum in interiorem texti partem cadant. Homini deinde nudo circumdant illam quasi tegetem arundineam, prominentibus interne cannis horridam, adstriguntque quam possunt maxime, ut sic involuto vix copia sit animam reciprocandi. In eo tamen vis tormenti præcipua, quod præacutæ arundinum acies, dum adductis funibus comprimuntur, scindunt, penetrantque corpus, & ex omni parte dilacerant. Maceratus est diu tam immani supplicio Ludovicus. Cum inde constantior fieret, Surungæ, ut loquuntur Japones, admovetur, de quo tormento ita comperio. Duobus tigillis imponitur transversa trabs: e trabe duplex funis demittitur, cujus extremis capitibus hominem ea pœna puniendum alligant manibus, pedibusque. Circumagunt deinde, & rotare ex una parte non cessant, donec rudens intortus, seque magis ac magis in semet contrahens, ad summam usque trabem pendulum corpus attollat. Tunc omittunt illud naturali pon-

192. Surungæ tormentum describitur.

Digitized by Google

pondere deferendum in præceps. Funem in ſpiras agglomeratum dum moles corporis deorſum ruens ſua gravitate explicat, atque diſtendit, agitur in turbinem velociſſimè, totque illas, ac tam vehementes converſiones ſequuntur oculorum tenebræ, vertigo capitis, oppreſſio cordis, reſpirandi difficultas, aliæque acerbitates vix humanis viribus tolerandæ. Hunc Ludovicus cruciatum, intra unius horæ ſpatium, iterum ac tertio ſubire coactus eſt. Jacuit propterea ſemianimis, nec niſi longo poſt tempore, affuſa vultui frigida, ſpiritum ac vocem recepit. Inſtant ſatellites ut ſibi conſulat, & nuncium Chriſto remittat. Abneganti Judex ferreas applicari fiſtulas jubet ad utrumque ſiniſtri cruris latus, quas cum tortores quanta vi poterant comprimerent, concrepuit quaſi diffractum os tibiæ, pedis malleoli parum abfuit quin comminuerentur; nullam tamen vocem homine Chriſtiano indignam dolor quamvis acerrimus expreſſit. Ferocior inuſitata ac nova conſtantia Judex, eam frangere atrociore cruciatu parat. Ex eo genere calamorum, unde apud Japones confici ſagittæ ſolent, unum tortores deligunt intus vacuum, qui partem extremam habebat in orbem cuſpidatim inciſam. Hunc dextro ejus femori infigunt inſtar terebræ, vi multa verſantes, atque intra carnem immergentes. Quantum os calami ex carne circumſecta momorderat, tantum in vacuam ſubibat arundinem. Cum ad certam altitudinem ventum erat, educebatur calamus carne oppletus tamquam medulla, qua feſtucis extracta, denuo per idem foramen arundinem impellebant, fodiebantque altius in eodem vulnere, ac ſemper recentem doloris acerbiſſimi ſenſum excitabant. Terebrato in hunc modum Ludovici utroque femore, tormentum fiſtularum, quod antea deſcripſi, a læva tibia in dexteram translatum eſt. Sed cum nihilo ſecius perſtaret in ſententia Chriſti pugil invictus, tandem, ſive amicorum interventu, ſive deſperatione vincendi quem talia non vicerant, dimiſſus eſt. Tam inauditis ſævire cruciatibus cogebantur Japoniæ Magiſtratus, ut Chriſtianorum ardorem, & illam quaſi famem tormentorum avidam aut ſatiarent, aut opprimerent. Sed de his in decurſu annalium multo uberior nobis ſermo redibit.

193. Alios atrociores cruciatus vincit Ludovici fortitudo incredibilis.

Dum his calamitatibus in Japonia Chriſtiani conflictabantur, læta admodum erat rerum facies in Sina. Ex quindecim ejus Imperii Provinciis, quinas occupabat fixis ſtationibus Societas, Pekinenſem, Chekianenſem, Chiamſianam, Nankinenſem, & Cantonienſem. Sociorum numerus ad viginti omnino, Europæi tredecim, hique omnes Presbyteri, ſeptem reliqui Sinenſes, & domeſticis miniſteriis addicti, ſed iidem ob materni ſermonis peritiam, magno Patribus uſui ad docendum. Alebant præterea noſtri apud ſe delectos ex juventute plures Societatis candidatos, ſi ſe ſatis probaſſent, ſuo tempore recipiendos. Ipſi, obtrita penitus, quæ vix unquam minuenda videbatur, invidia peregrinitatis, minimè prohibebantur verſari luce palam in Sina, ex una in aliam Provinciam diſcurrere, Neophytos ad religionis officia cogere, Chriſtianam ubique rem promovere; quod tamen cautè præſtabant, ſatis gnari, (quod olim Matthæus Riccius, miſſionis Sinicæ primus fundator & parens, admonere ſolebat) religionem inter Sinenſes ſine fragore ac ſtrepitu adminiſtrandam eſſe, alliciendos peregrinæ ſcientiæ veluti hamo litteratos, adhibendam ubique moderationem, & legendum, ut in procelloſo mari, littus; ſic enim aptum eſſe ad gentis indolem ſuperbam, faſtidioſam, ab advenis non ſecus quam ab hoſtibus abhorrere ſolitam, domeſticarum autem legum & conſuetudinem tenaciſſimam. His noſtri conſiliis ſanctè inſiſtentes, irrepſerant paulatim in animos litteratorum, quorum eſt ibi natio florentiſſima, expetebantur paſſim à doctioribus Mandarinis, & de naturalibus diſciplinis diſſerentes audiebantur aviditate incredibili: quem illi ſermonem ſenſim ad arcana fidei deflectentes, hominibus ſuopte ingenio ab idolorum cultu alienis facilè perſuadebant, ut in Chriſti jura concederent. Hinc jam Mandarini Chriſtiani plures, iidem Patrum amici, & fautores eximii. Eminebant inter cæteros auctoritate & potentia duo ſæpe nobis in hac hiſtoria cum laude nominandi, Paulus, & Leo; viri quippe ſingulari doctrina, in ipſa

194. Res Sinicæ. Status Societatis, & religionis progreſſus.

195. Plures Mandarini Chriſtianam ſuſcipiunt & tuentur fidem.

Digitized by Google

aula prævalidi, & ad omnes religionis casus semper intenti. Denium ut in placido ac tranquillo mari, secundissima navigatione utebantur Patres, & spirantibus à puppi ventis vela paulo liberius explicabant; cum mota repente est adversa aura, quæ rerum cursum non nihil retardavit.

196. Turbantur res Pekini ob falsam de nostris opinionem.

Irrepserant haud ita pridem ex occidente in Sinam Bonzii nescio qui scelerati, qui sacras Christianorum cæremonias, imo virtutes, & pietatis opera externè imitantes, charitatis & pœnitentiæ speciem immanibus flagitiis obtendebant. Credulæ plebi imposuerant hactenus congerrones impii. sed deprehensi demum Pekini clandestinos agitare cœtus, & veneficorum execrandis sacris operari, moverunt rituum Præfectos, ut detraherent improbitati larvam, & exoticam superstitionem publico edicto proscriberent. Edictum in dedecus & perniciem Christiani nominis redundavit. Inde enim apud multos orta suspicio, ne quid pariter sceleris cultores Christi simulatione virtutis tegerent. Utque sancitum lege fuerat, nullo inter maleficos illos, Christianosque discrimine, ne cujuscunque sectæ hominibus unum in locum convenire liceret, ob eam rem sacræ Christianorum ædes solitudine, ac tristi divinorum officiorum vacatione aliquandiu damnatæ fuerunt. Itaque Patres Pekinenses Didacus Pantoja, & Sabbatinus de Ursis, haud plures hoc anno Neophytos Christo dederunt, quam viginti. Cujus paucitatis illud etiam fuit in causa, quod Patres usu edocti, Christianam legem inter Sinas multo facilius suscipi, quam impleri, non omnibus petitoribus fidei sacramentum committebant, sed iis tantum, qui facto periculo, viderentur divinam professionem vita & moribus impleturi. Nam sanctitatem quidem Christianæ legis probabant omnes: at ejus præcepta aliqui graviora existimabant, quam ferri à se possent. Erant non adeo pauci, qui in cæteris consentientes, cum deinde jubebantur plures secundi ordinis uxores, non toro solum excludere, sed etiam tecto, id enimvero indignum, & inhumanum ajebant esse. Est quippe feminis magno apud Sinenses probro, si à viris abjiciantur, quod nunquam fit, nisi deprehensis in flagitio; earum autem dedecus manat in filios, qui matre ejecta, pro nothis habentur. Pollicebantur propterea multi, se quas antea uxorum loco habuissent, non alio deinceps habituros officio, quam ancillarum, modo ne cogerentur eas à se dimittere. Sed neque id tolerabile videbatur Patribus. Metuebant scilicet, nec immerito, ne videntes Ethnici eumdem uti prius feminarum numerum apud Neophytos, eodem esse illas crederent loco, quo fuissent ante baptismum, ac perinde offenderentur. Cum ergo nulla suppeteret ad amoliendum hunc fidei obicem ceratio, pauciores jam, nec sine exquisito delectu ad baptismum admittebantur.

197. Pauci ad baptismum admittuntur ob difficultatem Monogamiæ.

198. Neophytorum Nankinensium charitas, & pietatis ardor admirabilis.

Sed Neophytorum non tam numerus in pretio erat, quam pietas. Nankini, quæ altera est post Pekinum civitas Imperii princeps, pusillum Christi gregem ita educabat P. Alphonsus Vagnonus, ut speciem quamdam referret primævæ illius, quæ sub Apostolis fuit, Ecclesiæ. Dici vix potest, quo animi ardore officia religionis obirent novi Christiani, cum privatim apud se, tum communiter in sacris locis. Incurrebat præsertim in omnium oculos eorum charitas, & benefaciendi studium. Sibi mutuo præsto erant omnes, & quidem sic, ut esse quoddam inter eos videretur certamen benevolentiæ, cujus expertem esse patiebantur neminem. Pauperibus, & ægrotis omnia largè suppeditabant. Opifices ipsi, ac tabernarii labore manuum victitare soliti, partem de mercede diurni operis pauperioribus seponebant. Quibus deerat argentum, opera juvabant ægros, assidebantque illis noctu & interdiu non minore cura, quam si suos quisque parentes, aut liberos, aut germanos fratres curarent. Spectabatur præ cunctis Jacobus quidam, qui ne ab his charitatis officiis abstraheretur, matrimonio jungi noluerat. Vir tenuioris cæteroqui fortunæ, sua omnia pauperibus ægrotisque largiebatur. Monentibus autem amicis, si ita pergeret, mox ad ultimam egestatem redactum iri, negabat id futurum aliquando: & nihilominus, si ita factum esset, tunc enim vero, ajebat, fore se beatissimum; esse enim Christianis repositas apud Deum opes, terrenis istis & fluxis multo præ-

Digitized by Google

præſtantiores, ac nunquam interituras. Eodem ſpiritu imbuebantur à P. Lazaro Cataneo Hamceani. Caput eſt Hamceum Provinciæ Chekianenſis. Numerabantur ibi Chriſtiani ferè quingenti, quorum dignitate, opibus, & religionis ſtudio facilè primus Michael Mandarinus. Is præter alia præclara merita, initium Hamceanæ ſtationi fecerat ære ſuo, & domicilium noſtris conduxerat. At homo eximiè pius angebatur plurimum, cum tam multi civium ad Chriſtum quotidie tranſirent, non idem facere etiam uxorem ſuam, feminam pervicaciſſimam, & idolis perditè mancipatam. Quod diu ſummis, at irritis votis optaverat, obtinuit denique unde minime putandum erat. Anceps internè erat de religione mulier, ambigebatque quam ſibi amplectendam putaret. Conſuluit ſua numina. Reſponſum eſt (utique Dei nutu, cui etiam ſtygii dæmones famulantur,) bene ac præclare facturam, ſi abdicata veteri ſuperſtitione, eodem quo vir itinere graderetur: quo reſponſo permota, confeſtim Chriſtianis adjungi voluit cum liberis, ac toto domeſtico Gynæceo. Ob eam rem Michaelis diuturnus mœror incredibili gaudio eſt commutatus. Geſtiebat lætitia, vix ſui compos videbatur. Pro gratiarum actione, ſive, ut alii malunt, voti ſolvendi cáuſa, coemit præſenti pecunia, quas prius tantum conduxerat in uſum noſtrorum ædes, eaſque Societati mancipio dedit. Sacellum amplificavit, ornavitque. Demum, quod magis eſt, cum jam pridem docendi munus, quod apud Sinas obiri vel à Proceribus ſolet, depoſuiſſet, illud recepit denuo, ut ſimul cum Sinicis litteris inſtillare adoleſcentibus doctrinam Chriſti poſſet: quo ſuo conſilio quantum profuerit rei Chriſtianæ, vix credibile. Veritatem profecto teneris illis mentibus, non ſolum exquiſita dicendi vis, ſed etiam dicentis auctoritas perſuadebant. Addunt, ejuſdem voce, & imperio ipſos interdum Dæmones fuiſſe coactos de idolorum vanitate confiteri, idque ita factum narrant. Frequens eſt apud Sinas interrogare de occultis rebus Magos, quorum eſt propterea maximè quæſtuoſa profeſſio. Reſponſa præſtigiatores impii dum exquirunt à dæmone, penicillum magicum, ſcriptorio atramento imbutum, tenui filo ſuſpendunt ſupra papyrum. Circumſtat tacitus ſpectatorum globus intentis oculis, atque animis. Magi neſcio quid inconditum murmurant. Sub hæc nutare paulatim incipit motus occulta vi penicillus, & in ſubjecta charta deſcriptas relinquit ambigui ſenſus litteras, quas Magi ut divina oracula interpretantur. Sic ibi, Deo permittente, Dæmon cultoribus illudit ſuis. Jam ergo ingreſſus forte Michael, ubi frequens hominum corona his nugis operabatur, ſublata ad frontem dextera, ſignavit ſe cruce, ac momento eodem penicillus, qui litteras exarare cœperat, immotus reſtitit. Perculſis rei novitate cæteris, acceſſit propius Michael, ac dæmonem libera compellans voce: *Quid ceſſas*, inquit, *nequiſſime? Age*: *Scribe mihi nunc, quid ſit idololatria*. Mirum dictu! Moveri iterum penicillus, donec in ſubjecta papyro Sinenſibus depictæ ſunt litteris iſtæ voces *Vanitas, & mendacium*. Teſtimonium illuſtre veritatis, quo adſtantium multi ab errore retracti fuerunt.

199. Præclara merita, & ſingularis pietas Mandarini Michaelis in urbe Hamceo.

200. Vanitas Idolorum ipſo Dæmonum teſtimonio comprobatur.

Interim P. Joannes Rocha, qui ante aliquot annos amplificandæ religioni feliciter allaborabat Nanciani in Provincia Chiamſienſi, novam Chriſtianorum coloniam erexit Cenchiani, quæ urbs eſt in eadem Provincia nobilis, & ſi non magnitudine, ſoli tamen amænitate, ac feracitate cæteris præſtans; eo autem de quo ſcribimus tempore, opibus, populo, voluptatibus, & vitiis inter pauciſſimas abundabat. Ex ea mercator opulentus, & ſenex, profectus erat negotii neſcio cujus cauſa Nancianum. Subiit illum cupido viſendi Patres, homines videlicet ex ultimo delatos orbe, ut reverſus in patriam de iis narrare, ac peregrinis moribus deſcribendis percunctantes amicos oblectare poſſet. Sed primo congreſſu, auditis quæ Patres de uno Deo & vero, de pœnis æternis ac præmiis diſſerebant, adeo rerum novitate ac magnitudine perculſus eſt, ut erudiri maluerit, quam negotiis, quorum cauſa venerat, operam dare. Eruditus aptè, baptiſmum, & Bartholomæi nomen accepit, rediitque Cenchianum. Hic de doctrina Chriſti, ejuſque Præconibus mira prædicare, acuere omnium cupidita-

201. Initium novæ Chriſtianorum coloniæ Cenchiani in Provincia Chiamſienſi.

Digitized by Google

ditatem, ut ejuſdem boni participes eſſe vellent. Movit ſenis oratio plurimos. Excurrebant ſubinde bini, ternique, interdum plures Nancianum ad Patres: omnes poſt menſem Chriſtiani redibant. Collectus erat hoc modo numerus Neophytorum non exiguus Cenchiani, ſed qui rem ſacram apud eos faceret, erat nullus. Præterea de tota ratione religioſi cultus non ſic fuerant edocti, ut moderatore non indigerent. Id illi reputantes, Nancianum legationem miſerunt, Rocham ut ad ſe pauliſper excurreret, rogaverunt. Advolavit Sacerdos, comite ex domeſticis adjutoribus Paſchale Mendezio. Exceptus incredibili gaudio ab affuſis obviam Neophytis, ad paratum hoſpitium deducitur. Poſtridie, qui erat dies SS. Simoni & Judæ ſacer, adeſſe puſillum gregem jubet, ſacris operatur, duos quos nominavi Apoſtolos naſcentis Eccleſiæ patronos dicit. Cum nec ipſe, nec Mendezius inſtituendis omnibus, qui ad cœleſtem doctrinam audiendam concurrebant, par eſſet, delegit ex Neophytis probatiores quoſdam, à quibus Ethnici prima elementa condiſcerent. Intra menſem parati ad baptiſmum erant centum viginti, magnam partem Mandarini, & litterati. Omnes eodem die cum inſigni apparatu abluti ſunt: omen felix, & pignus futuræ meſſis, quæ proventu non minus celeri, quam læto ſuccrevit. Quis jam Neophytorum pietatem explicet ſatis? Inanium deorum ſtatuas provolvebant in luto palam, argenteas aureaſve, ſubjectis ligneis, comburebant, ac liquabant.

202. Audax adoleſcentis Chriſtiani facinus contra ſtatuas falſorum numinum.

Enituit in primis ardor egregii adoleſcentis, cui Paulo nomen. Fanum erat prope paternam ipſius domum, recens à Bonziis ædificatum ad placandos nocturnos Lemures, quibus tota circum vicinia vexabatur. Ædem eximiæ apud populum religionis impii Sacrificuli magno idolorum numero repleverant. In eam venit Paulus nocte concubia cum ardenti face, omneſque circumiens falſorum Numinum formas, primo ſingulis ad ludibrium os aduſſit, tum dejectas ex baſibus confregit, poſtremò relictis humi truncis malè multatis, abſciſſa capita in culinam tranſtulit ad alendum ignem. Fœda tot Deorum ſtrages, ut illuxit, immane quam vehementer populum, & maxime Sacerdotes commoverit. Putabant plerique ſtragis auctores fuiſſe Patres, nec ferre modeſtè poterant, duos paucorum dierum hoſpites tantum nefas in aliena terra auſos eſſe. Concurſum ad eos undique, cum ingenti indignatione & fremitu. Turba ſeditionis in modum hoſpitii noſtri januam obſidebat, cum egreditur ad illam Paulus, & ſilentium manu poſcens, profitetur, nihil eſſe quod de everſis confractiſque idolis crimen inferant Patribus, qui ejus rei nec conſcii fuiſſent: culpam, ſi quam in eo facto fuiſſe exiſtimarent, in ſe uno reſidere, qui ſigna muta, & inanima non tuliſſet dignari cultu, qui uni ſummo Deo ac vero deberetur. Tum dicere exorſus de vanitate ſimulacrorum, tam aptè diſertèque locutus eſt, ut qui audierunt, poſitâ ferocià, alii aliò nihil ultra moventes abſceſſerint. Ita demum audax adoleſcentis conſilium, Deo gubernante, non infeliciter ceſſit; utque appareret, illud in cœlo ratum fuiſſe habitum, exinde Pauli ipſius domus ab omni Lemurum moleſtia eſt liberata. Urebantur hæc videntes Bonzii: ſtetit tamen aliquandiu furor inter metum iramque velut conſtrictus. Dolebant contempta Numina, & ſe ipſos magis; ſed male ſibi metuentes à tot Proceribus Chriſtianis, gravius quidquam incœptare non audebant. Apparuerunt denique in compitis probroſa in divinam legem ſcripta, mala carmina, infames ſatyræ, quibus traducebantur indigniſſimè Patres; Sinenſes vero peregrinis religionibus impliciti in ſuſpicionem vocabantur conjurationis initæ, ad patriam externo imperio ſubjiciendam. Refixa ſtatim ſunt a Neophytis ſcripta maledica, & contrariis ſcriptis tam perſpicuè refutata, ut dempta ſit Bonziis audacia amplius obloquendi. Atque ubi pacata omnia Cenchiani vidit Rocha, in ſtationem ſuam Nancianenſem ſe recepit.

203. Tumultus inde ortus ejuſdem adoleſcentis oratione comprimitur.

204. Bonzii libellos maledicos ſpargunt, ſed nullo effectu.

205. Noſtrorum labor Nankiumi prope inutilis.

Longè diverſa utebantur fortuna Patres Gaſpar Ferreira, & Emmanuel Diaz Nankiumi, in finibus Provinciæ Cantonienſis. Stationem ibi fixerant ante triennium, non ſine magna rerum bene gerendarum ſpe. Erat enim oppidum ob ſitus opportunitatem mercimoniis frequens, plenumque advenarum, quos illuc

Digitized by Google

illuc ex diverſis provinciis ratio mercaturæ contraxerat. Cives adeo non, ſicut reliqui Cantonienſes, inhumani, ac ſemibarbari, ut potius naturali indolis bonitate viderentur ad Evangelicam diſciplinam, ſi ita loqui fas eſt, nati factique. Commune illis ſtudium bene merendi de omnibus, cavendique ne quid, non modo in quemquam injuſtè, ſed nec turpiter in ſemetipſos, & intemperanter admitterent. Homines itaque ipſo quaſi naturæ habitu ad virtutem proni, minimè dubitandum videbatur, quin agnoſcerent ſanctitatem Chriſtianæ legis, & cognitam amplecterentur. Sed hic quoque, ut ſæpe alibi, videre licuit, cœleſte donum eſſe divinam fidem, nihilque in humanis rebus eſſe præſidii, niſi ſuperna virtus aſpiret. Toto triennio Nankiumi duo egregii divinæ legis magiſtri vix centum homines Chriſto ſubjecerunt, quorum ferme viginti pertinent ad hunc annum, cujus acta perſequimur. Quodque magis mirere, ille ipſe habitus animorum, unde Patres fiduciam ſumpſerant, pleriſque impedimento fuit, ne oblatum beneficium reciperent. Pervaſerat illuc ex India commentum vetus Gymnoſophiſtarum de tranſitu animarum in alia corpora, in quibus aliter poſt mortem vivant. Hunc miſeri errorem tam altè in pectus demiſerant, ut contraria ſuadentibus nec aures darent. Atque ut intereſſe plurimum exiſtimabant, qualiter in hac vita ſe geſſiſſent; inde enim obventurum ſibi corpus nobilius, aut vilius: ſic vana illa ſpe corporis melioris, & vitæ beatioris, ſtudebant innocenter vivere, atque omnibus bene facere. Ea tamen felicitate quam ſibi ipſi pollicebantur contenti, oblatam a noſtris contumaciter reſpuebant. Adeo qui videntur levius errare, errorem dediſcunt ægriùs: qui autem de falſa virtute ſibi placent, eos ad veram trahere difficillimum. Ejuſmodi præjudiciis occupati non erant advenæ, convenæque; ſed non propterea plus aliquid apud eos profectum. Homines ſcilicet mercimoniis unicè dediti, & curis augendæ rei diſtracti, de ſtatu vitæ futuræ perparum, aut nihil laborabant, ex æquo repellentes noſtrorum, & indigenarum doctrinam. Quare deliberabant Patres, an non expediret deſerere ſolum divinæ ſementi contumax, & apoſtolicos labores aliò transferre. Sed dimitti non debuit illa ſedes, ne Sociis Sinenſibus communicatio cum Macaenſibus, quæ per Nankiumum erat commodiſſima, abrumperetur. Sed è Sina gradum faciamus in Cocincinam.

206. Cur Nankiumenſes veritatem Chriſtianæ religionis repellerent.

De Cocincinæ ſitu, natura, moribus, de Incolarum publica re, ac privata, dictum eſt fusè in quinta parte. Regnum hoc ingreſſus anno ſuperiore Pater Franciſcus Buzomius, populo bene docili, & ad excipiendos Evangelii ſatus optime comparato utebatur. Anno uno erecta fuerant ſupremo Numini duo templa, quæ non minori Chriſtianorum pietate, quam numero celebrabantur. Frigebant idolorum fana, cultuſque multis in locis jacebat. Ægerrimè tulerant hactenus, ſed tamen ſilentio tulerant, profani Sacerdotes (Onſajos vocant) templorum ſuorum ſolitudinem, contempta nuthina, ſe deridiculo habitos. Angebantur etiam egeſtatis metu, ſi ad ſacras Chriſtianorum ædes tota plebis liberalitas derivaretur. Ne tamen in apertam ultionem, & odia manifeſta prorumperent, obſtabat Regius in noſtros favor. Noſtros inquam; nam Buzomio comes acceſſerat P. Franciſcus Pina cum duobus rei domeſticæ curatoribus, hoſque omnes Rex perhumaniter & amicè habebat. Sed compreſſus diu furor erupit aliquando. Via brevior ad Patres evertendos viſa, ſi populus, cui etiam Reges interdum coguntur cedere, in eos commoveretur. Juvit improborum conſilia ſterilitas anni, ac difficultas annonæ. Cocincinam exundantes certis menſibus fluvii, ut Ægyptum Nilus, fœcundare ſolent. Hinc arvorum pingui uligine ſtagnantium ubertas, hinc tota ſpes meſſis. Nullus hoc anno imber deciderat, flumina arentes campos malignè, ac parcè rigaverant; adeo ut certa toti regno fames immineret. Arripiunt occaſionem idolorum Sacrificuli, pœnam hanc eſſe conclamant ab iratis profectam Diis, quorum deſerta eſſent templa, cultus neglectus. Piandum ſcelus eorum vel exilio, vel nece, qui religionem peregrinam invexerint; neque enim cœleſtium irarum finem prius fore, quam illi exterminati penitus fuerint. His ſermonibus inflammata plebs ad regiam concurrit, Patrum ex i-

207. Status rerum in Cocincina, & religionis primi progreſſus.

208. Sacerdotes idolorum ſeditionem commovent contra Societatem. Unde ſumpta ſit occaſio.

Digitized by Google

exilium insano clamore depoſcit. Quidam arma quatientes, & Tunkinum procaciter appellantes, defectionem minantur, ſi Rex pergat damnoſis hoſpitibus patrocinari. Rex, qui propter Tunkini propinquitatem precario magis quam juſto imperio dominabatur, ſatis gnarus quid Sacerdotum ſuorum ira, quid populi furor poſſet, Patres ad ſe vocat, & excuſata temporum neceſſitate, rogat ut abeſſe tantiſper velint: brevi revocandos promittit. Quid facerent? Periculoſum erat obſiſtere, obtemperare neceſſarium. Conſcenſa igitur navi, in exilium proficiſcuntur. Sed vix inde ſolverant, cum coorta ex adverſo ventorum vis eos impulit ad eandem oram. Cum excluderentur urbe, in proximam ſolitudinem ſeceſſere, ubi inter carecta & paludes abditi, rerum omnium inopia preſſi, vitam ærumnoſiſſimam aliquandiu duxere. Buzomius, propter æſtuoſi cœli gravitatem, & ſoli putris ac lacunoſi noxios vapores, acri tentatus morbo, in ultimum vitæ diſcrimen venit; neque tamen ullis impetrari precibus potuit, ut in urbem vicinam deportaretur. Bacchabatur interim in noſtras ædes populi furor, nec ipſis temperaſſet Patribus, quantumvis extra urbem degentibus, ac prope nudis, niſi ad eorum incolumitatem excubans Chriſtianorum fida cuſtodia, vim impiam arcuiſſet. Concitatæ multitudinis odium auxit ficti miraculi ſpecies ex eorum genere, quibus ſæpe Deus mortales pœnam commeritos in errorem induci patitur. Eminebat inter Bonzios nequiſſimus veterator, ex auſteritate vitæ, nemorumque latebris, famam ſanctitatis maximam conſecutus. Non efferebat e ſua ſolitudine pedem, niſi onuſtus ferreis catenis. Tetro vultu, macilento, cadaveroſo, pietatem meram ſpirabat. Semper ruinas & exitia lamentabili voce denunciabat: quæ quidem familiari, & arcano cum ſuperis colloquio reſcire ſe mentiebatur. Et erat ei ſanè magna cum tenebrarum principibus familiaritas, ut vel maxime ex eventu, quem habemus præ manibus, patuit. Homo vanus, adductus in ſpem augendæ vehementer famæ, ſi ope tartarea pluviam extorquere cœlo pertinaci poſſet, ita ſe facturum palam edixit. Comitante igitur populo innumerabili, ſcandit montem, & magicas preces immurmurat. Obductum illico eſt cœlum nubibus, & aliquantulum imbris depluit. Parum id quidem erat ad explendam arvorum ſitim, ſed ad famam Præſtigiatoris augendam ſatis. Omnes divinum hominem prædicant, veſtes oſculantur, lambunt veſtigia, ipſum denique triumphantis ritu in urbem, atque adeo in regiam inducunt. Simul invehi in Chriſtianos petulanter Onſaii, exprobrare ipſis imbecillitatem ſui Dei, quem tamen cœli Deum ac Dominum dicerent. Non ſurdis auribus hæc opprobria Deus accepit, nec diu paſſus eſt illuſos homines in errore verſari. Dum oblitus latibuli ſui nebulo moratur in regia, dum alitur ſplendidè ac baſilicè, adjecit oculos ad unam è Reginis, eique ſtuprum intulit. Cognito ſcelere, in jus rapitur, & humo vivus infoditur ut flagitioſus & nequam, qui modò erat ſanctitatis opinione inclytus, & honores divinis proximos affectabat. Valuit ea res plurimum ad conſternandos Bonzios, recreandamque Chriſtianam rem afflictam prorſus ac perditam. Alia poſt paulo contigere, quibus in ſtatum priſtinum erecta eſt: ſed ea nos rejicimus in annum proximum.

209. Indicitur noſtris exilium. Eorum graves ærumnæ hoc tempore.

210. Cujuſdam Bonzii falſum miraculum, verum ſcelus, & juſta pœna.

Infra Sinas, inter circulum æquinoctialem, & tropicum Cancri, jacent Inſulæ Philippinæ, latus ad excolendum ager, & una e ſeptem provinciis, quas in India Hiſpanæ ditionis Societas cenſet. Sex habebamus hoc tempore majores domos in Philippinis: minora domicilia, ſeu reſidentias, ut loquimur, fixas omnino decem, præter varias huc illuc errantes Miſſiones. Ad majora domicilia pertinebant Collegia Manilanum, Zebuanum, Arevalenſe, & Cavitenſe: tum ſeminarium Hiſpanæ juventutis Manilæ conditum, & Probationis domus. Ex reſidentiis duæ apud Tagalas erant in Luzonia: reliquæ inter Biſſayas, diviſæ per tres majores inſulas, Samarim, Leitem, & Boholim. Acceſſerat anno ſuperiore Curia S. Michaelis in ſuburbio Manilenſi, cui aggregati ſunt plerique Japonum Religionis cauſa exulantium in illis inſulis. Fuerat jampridem apud nos longa deliberatio, utrum in Philippinis Societas Curiarum pro-

211. Res Philippinarum. Status Societatis in illis Inſulis.

Digitized by Google

procurationem ſuſciperet. Obſtare videbantur Inſtituti noſtri leges, & mores. Sed rebus mature diſcuſſis, vicit quæ ſuprema lex eſt charitas; nec Claudius Generalis alienum a Societate duxit tale miniſterium, quo maxime quæri poterat Philippinenſium ſalus. Ea tamen providentia noſtri Curias late diſperſas adminiſtrabant, ut bini, quoad fieri poſſet, habitarent ubique, & ordinis diſciplinam, qualiſcunque eſſe poſſet in tam anguſtis domiciliis, ſervarent. Sanctum præterea illud erat, ut quotannis per certa temporum intervalla Parochi ad ſuum quiſque Rectorem convenirent, cum eo viverent plures continenter dies, eidem rerum ſuarum rationem redderent. Hæc nimirum, aliaque ejuſdem generis ſapienter in leges induxerat P. Didacus de Garzia Viſitator, ne noſtri ſeorſum apud ſe vivendo, paulatim excuterent domeſticæ diſciplinæ jugum, & conſuetudines communis vitæ dediſcerent. Quæ cum ſervarentur exactè, laborabant ubique Patres contentione tanta, ut monendi eſſent plerique, ne ſe abripi ſinerent ardore immodico, ſed adhiberent modum, curarentque in miniſteriis exercendis valetudinem ſuam. Id Præſides eo monebant impenſius, quod brevi temporis ſpatio laboribus confecti perierant operarii plures, nec ſupplementa conquiri facile poterant. Sed referre juvat, quid ad ejuſmodi Provincialis admonitionem hoc ipſo anno reſcripſerit P. Franciſcus Vincentius Puccius ex arce Othoniana. „ Si dies, inquit, noctesque totas audiendis pœnitentibus aſſiderem, nunquam deeſſent quos audirem. Si decem mihi corpora ſint, & animi totidem, vix pro rerum gerendarum magnitudine ſatis fuerint. Itaque, quod me paterne mones omnia ſic agere, ut ad valetudinem reſpiciam, ſcito id fieri omnino non poſſe. Simul ac verba feci, circumſtant deſcendentem e ſuggeſtu conferti Hiſpani pariter, & Indigenæ: flent, opem, & ſalutis remedia flagitant. Quid dicam? feſſumne me, & defectum viribus? Hactenus ego, mi Pater, hujuſmodi nihil vidi. Omnes in lachrymas effuſi de totius anteactæ vitæ cauſis audiri poſtulant. Quem alibi fructum cepi ex pluribus, hìc fere ex omnibus capio. An non itaque, ſi vita corporis pereat, lucro apponam? „ Hæc ille: ex quibus æſtimare licet, quo ſpiritu ageretur is, cui vilis erat vitæ jactura, dum prodeſſe proximorum ſaluti poſſet.

212. Monentur Socii ut in laborando modum adhibeant.

213. Quid Provinciali reſcripſerit Pater Franciſcus Puccius.

Sed jam ſtilum ad ſe vocat America, quam vulgo Indiam occidentalem appellant. Dividitur America in partes duas, Septentrionalem, & Auſtralem. Ad priorem pertinet Regnum Mexicanum, de quo nunc, & Canadenſe. Ad poſteriorem Peruvia, novum Granatæ Regnum, Chile, Paraquaria, & Braſilia, totidem Societatis Provinciæ, quas deinde percurram. In Provincia Mexicana augebatur in dies proſperis ſucceſſibus chriſtiana religio. Per Cinaloam, quæ ampla eſt regio, & longe lateque fuſa, ſparſæ inveniebantur Neophytorum coloniæ plures, & frequentes. Progreſſi noſtri ad montes Topios, totam illam circumcurſabant plagam, quæ ſeptentrionem verſus ſexcenta circiter millia paſſuum excurrens, ab occidentali latere ſinum Californiæ proſpectat. Sed exorta repente fœda Tepeguanorum ſeditio, omnia in diſcrimen adduxit. Signum rebellionis ſuſtulit inſignis præſtigiator, qui ſe filium ſolis, ac cœli terræque Deum nominabat. Is chriſtiana religione, quam olim ſuſceperat, ejurata, in omnium flagitiorum licentiam effuſus, cum partam veneficiis auctoritatem maximè ab hominibus Societatis infringi cerneret, eos perdere, ac nomen Chriſtianum, ſi poſſet, delere conſtituit. Hac mente puſillum circumferens idolum, cujus ore reſponſa, atque oracula reddebat, pagos & oppida circumire, deterrere Chriſti cultores a religione vera, alios odio Hiſpanorum inflammare, omnes ad defectionem ſollicitare cœpit: quibus artibus concitata ſeditio ſenſim, ſed occulte gliſcebat. Noſtri, qui apud eam gentem erant omnino octo, tametſi minime ſuſpicarentur in quantam atrocitatem proruptura res eſſet, mutatos tamen erga ſe barbarornm animos haud obſcuris indiciis agnoſcentes, monuerunt Prætorem novæ Cantabriæ, ut proſpiceret publicæ rei, colligeret vires, ſaltem majoribus copiis montium præſidia firmaret. Irriſit vir militaris inanem, ut putabat, metum; non intelligens, pericula, præſertim ſumma, neminem bene aſper-

214. Res Provinciæ Mexicanæ. Quam læto ſucceſſu propagaretur ibi religio.

215. Inſignis Præſtigiator ſeditionem occultè concitat contra Societatem, & Hiſpanos.

Digitized by Google

aſpernari, niſi qui præcavet. Magus interim, ubi animos rebellionis facibus incaluiſſe videt, vocata concione: „ Quouſque, exclamat, quouſque cives, ignota & „ peregrina gens abutetur patientia noſtra? Quamdiu Hiſpanis ſervire Chriſtianiſque „ non pudebit? Nobis regionem & urbes noſtras, nobis avita ſacra, Deoſque patrios „ eripuerunt. Nunc, nunc tempus eſt indignum excutere jugum: nunc in libertatis priſtinæ poſſeſſionem redeundum. Ducem me vobis præclari facinoris, auctoremque do: præeuntem ſequimini. Libertas, gloria, felicitas, belli fructus & „ merces erunt. Si quis in hoc fœdus nomen dare ſuum recuſabit, æterno per „ me mactabitur infortunio. Qui vero fortiter in acie ceciderint, eos ego poſt „ dies ſeptem ad vitam revocabo. Ite mecum: urite hoſtiles agros, tecta diruite, „ templa, altaria, monumenta omnia, & veſtigia peregrinæ religionis evertite. „ Ajunt, cum hæc diceret magus, idolum, Deo ſic permittente, viſum nutu capitis eadem confirmare. Hac ergo oratione incenſi, conſpirant Tepeguani in dirum fœdus, diemque exequendo impio facinori conſtituunt XI. Cal. Decembres, qui præſentatæ in templo Deiparæ ſacer eſt. Magna eo die offerebatur barbaris opportunitas ad direptionem, & prædam. Proponenda ſiquidem publicæ venerationi erat in oppido S. Ignatii pulcherrima Divinæ Matris effigies allata Mexico, perque vias publicè circumvehenda cum ſolemni ſupplicantium Hiſpanorum agmine, qui ad celebritatem fuerant è ſuis coloniis invitati. Quod niſi rebelles condictam diem prævertiſſent, actum erat de Hiſpanis, & omnino de re Chriſtiana. Milites quidem certe ſupplicationi intentos, & inermes, opprimere nullo negotio poterant barbari: Guadianam etiam, arcem eorum cervicibus recens impoſitam, ſed præſidiariis per idem tempus vacuam, occupare facillimum erat. Sed ordinem gerendæ rei paucorum avaritia turbavit.

216. Tepeguani conſpirant de mactandis uno die noſtris, & Hiſpanis omnibus.

Dies erat XVI. Cal. Decembris, cum unus Hiſpanorum militum, vehicula neſcio quæ plena cibariis deducens ad præſidiarios proximæ ſtationis, divertit in pagum S. Catharinæ. Vehicula ut viderunt pagani, illecti præda, ad ea diripienda conſurgunt, agglomerant ſeſe, & intentis armis ruunt. Ad primos irruentium clamores admiſit equum miles, & celeri fuga ſe proripuit. Militi comitem ſe adjunxerat P. Ferdinandus de Tovar Mexicum petens, nihilque adverſi ſuſpicans. Hunc eminus conſpicati ſicarii, provolant turmatim, inermem ferociter invadunt, jumento detrahunt, ac demum lanceis confodiunt, illud vociferantes: Jam non audiemus ex te puerilem, quam nobis occinere ſolebas cantilenam: *Pater noſter qui es in cœlis: Ave Maria gratia plena*. Hinc, ut in aperta ſeditione, curſare huc illuc furentium more, Hiſpanos ad cædem quærere. Convenerant in unum Hiſpani ferè ducenti, pars maxima feminæ, puerique, & grex ſervitiorum. Omnes a turba oppreſſi, incenſis in quas ſe incluſerant ædibus, aut ferro, aut igne conſumpti ſunt. Cum his cecidit venerandæ memoriæ vir Petrus Guttierez ex ordine Franciſcano Sacerdos, quem barbari egreſſum cum ſigno Chriſti crucifixi, & de pace dicere incipientem, ſagitta confixerunt. Pago S. Catharinæ proximus erat vicus S. Jacobi, Papazquari dictus, ubi Patres Bernardus de Ciſneros, & Didacus de Oroſco rem Chriſtianam curabant. Illi certiores de nefaria conjuratione facti, continuò Hiſpanos, & ſi qui ex Indis fidi reſtabant, in templum colligunt, in quo primos furentium impetus ſuſtinere tantiſper, ac remorari poſſent. Adſunt perduelles, templum obſidione cingunt. Ac primò quidem ſaxis, teliſque parietes fruſtra quatiebant. Sed deinde, injectis facibus, eas in anguſtias adduxerunt incluſos, ut facienda deditio fuerit. Facta eſt in eas leges, ut obſeſſi poſitis armis diſcederent tuti, & incolumes, reciperentque ſe aliò. Prodiere itaque quicunque erant in templo, capita amplius centum, agmine in ſpeciem ſupplicantium compoſito, ut objecta religionis ſpecies barbarorum animos ad reverentiam flecteret. Præibat P. Didacus de Oroſco, ſacroſanctam Euchariſtiam geſtans. Pater Bernardus de Ciſneros ſublimem ferebat imaginem B. Virginis affabre pictam in tabula. Perduelles novo pioque perculſi ſpectaculo, poſitis humi genibus, hæſerunt initio quaſi venerabundi, ac procedentem pompam taciti contuebantur.

217. Conjurati diem conſtitutum prævertunt, & cladem inchoant à P. Ferdinando de Tovar.

218. Barbarorum crudelitas contra alios plurimos.

219. PP. Bernardus de Ciſneros, & Didacus de Oroſco cum aliis multis crudeliter interempti.

Digitized by Google

tur. Animum ſumpſit P. Didacus. Conſtitit parumper, & pauca pro re dicere aggreſſus, ſeditioſos hortabatur ad retinendam quam ſe magiſtro ſuſcepiſſent fidem, graves denuncians ab ultore Deo, quem præſentem cernerent, pœnas, ſi quo caſu deficerent. Hic illi, quaſi ex condicto, ſimulatam pietatis perſonam exuere momento viſi. Mentiri ipſum clamitant. Deum Chriſtianorum nequaquam ſuum eſſe Deum. Alios ſibi Deos, & præſentiores, melioreſque eſſe. Nec plura. Eripiunt Sacerdoti de manibus ſacram pixidem, divinam Hoſtiam ſpargunt humi, & proculcant, B. Virginis imaginem diſcerpunt, totum denique agmen crudeliter contrucidant. Ex duobus Patribus Bernardum de Ciſneros clava in caput impacta necaverunt. Didacum de Oroſco humi dejectum huc illucque raptarunt aliquandiu, donec ſupinum, & divaricatis jacentem cruribus brachiiſque, unus ſecuri medium diſſecuit. Tot inter carnificinas vir manſuetiſſimus tortores ita compellabat: *Agite ut lubet, filii. Nihil tam durum accidere mihi a vobis poteſt, quod veſtra, Chriſtique cauſa non feram libenter.*

220. Seditioſorum impietas in rebus ſacris violandis.

Barbari poſt hæc fuſo ſanguine ferociores, è vico S. Jacobi procurrunt ad pagum S. Ignatii, ubi parabatur, ut ſupra docuimus, ſolemnis pompa ad imaginem B. Virginis circumferendam. Patres Joannes à Valle, & Ludovicus de Alabes, quibus impoſita pagi cura, rerum omnium quæ gerebantur ignari, nihilque hoſtile metuentes, ædem ſacram ornabant. Aderant Hiſpani, ſervulique circiter octoginta: cum irruit in eos perduellium cohors adeo ex improviſo, ut nec defenſionis, nec fugæ parandæ ſpatium fuerit. Ut erant imparati & inermes omnes, ex clade nemo ſuperfuit, præter unum adoleſcentem, qui ſicarios tot cædibus diſtentos fefellit. Simul ſanctiſſima religionis monumenta protrita, ac comminuta ſunt. Dum hæc ibi geruntur, P. Joannes à Fonte, & P. Hieronymus de Moranta, invitati ad celebrandum in eodem pago diem Beatæ Virginis feſtum, illuc è ſuis ſedibus properabant. Aberant jam mille duntaxat paſſibus, nec tamen de ferali tragœdia, quæ pridie acta fuerat, quidquam audierant. Progreſſi obviam barbari, primò jaculis eminus, mox cominus lanceis & clavis utrumque peremerunt. Octava demum acceſſit victima P. Ferdinandus de Santaren. Is Guadianam pergens, rogatu ſociorum deflexerat nonnihil ex itinere, ut in pago S. Ignatii ad eam, quam ſæpe dixi, celebritatem adeſſet. Fines Tepeguanorum ingreſſus, ſubſtitit parumper Tenerapæ, parabatque rem divinam facere. At deſertum templum, aram everſam, direptas imagines ſacras, & alia barbaræ impietatis veſtigia intuens, mirari primò quid eſſet: Tum adverſi aliquid ſuſpicatus, abire feſtinabat. Indi, qui ex inſidiis conſpexerant venientem, profugum ad præterfluentem amnem aſſecuti, circumſiſtunt infeſtis telis, Jumento dejectum nudant, vinciuntque. Rogat vir mitiſſimus, quid in ipſos commiſerit, cujus luere pœnam debeat. Reſpondent, ſatis ad necem cauſæ eſſe, quod Chriſtianorum Sacerdos ſit. Simulque impacta capiti trabe, aliiſque impoſitis vulneribus, innocentem mactant. Corpus in profluentem abjiciunt.

221. Necantur Patres Joannes a Valle, & Ludovicus de Alabes.

Lugenda Societati profecto jactura tot Heroum fuit, lugenda novæ Cantabriæ, cui diſcuſſa errorum, ac vitiorum caligine, cœperant oſtendere virtutis, ac veritatis lucem. Jam è Tepeguanis, & vicina regione, cenſebantur ſupra quinquagies mille capita ſacro fonte conſperſa. Jam gentem ſilveſtrem è ſummis montium jugis in planitiem noſtri contraxerant, ac pagatim vivere conſuefecerant, eamque communis vitæ, ac religionis vinculo colligatam, in ſumma pace ac tranquillitate continebant. Præter tres majores, quos ſupra nominavi pagos, numerabantur minores vici quamplurimi, ad quos Indi è ſuis montibus ac ſilvis erudiendi identidem confluebant. Belliſſimè demum ſuccedebant omnia, cum meſſem penè maturam ſcelerati Præſtigiatoris dementia, & perduellium furor evertit. Tamen jacturam hanc tantam citius quam putabatur reparavit Hiſpanorum virtus; tum etiam Patrum, qui cæſorum in locum ſuffecti ſunt, induſtria. Statim atque indignam cædem fama vulgavit, Gaſpar de Albear novæ Cantabriæ Gubernator, contracto undique Hiſpano milite, in regionem parrici-

222. Tum PP. Joannes a Fonte, & Hieronymus de Moranta.

223. Poſtremò Pater Ferdinandus de Santaren.

224. Quam lugenda fuerit ea clades Chriſtianæ rei.

225. Perduelles pœnas parricidii luunt, omnia reſtituuntur in priſtinum.

Digitized by Google

ricidarum irrupit. Pars fuga dilapſi jam erant, ſatis gnari non impune ſibi tot ſcelera fore. Pars, ut eſt natio ferox, & bellis aſſueta, domandi variis præliis fuere. Præcipui perduellionis auctores capti, & in furcam acti ſunt. Cæteris in montium interiora compulſis Prætor pacem offerri juſſit per duos Societatis Patres, Andream Perez, & Joſephum de Lomas. Barbari, qui malefactorum conſcientia Hiſpanis ſe permittere non auderent, venerunt ad Patres turmatim, ferociam poſuerunt, iiſdemque deprecatoribus & ſequeſtris, in fidem priſtinam recepti fuerunt. Hinc refloreſcere denuo Chriſtiana res cœpit. Inſtauratæ ſacræ ædes, ſuos in pagos Parochi reſtituti. Viſa quin etiam religio ex illa clade vividior vegetiorque; haud equidem ſcias, utrum præſentium cultorum opera, an magis ſanguine occiſorum. Horum corpora tertium prope menſem inſepulta Prætor conquiri diligenter juſſit, & honorificè in ſuis quæque Eccleſiis condi. At qui cæſi fuerant ad pagos S. Jacobi, & S. Ignatii, eorum quatuor corpora, quippe inventa labis omnis ac tabis, tanquam recenti cæde, prorſus expertia, deferri placuit in urbem Guadianam novæ Cantabriæ primariam, ubi cum inſigni honore excepta ſunt, affuſa obviam populi, & nobilitatis promiſcua multitudine, tubis lituiſque perſonantibus, ac feſto campani æris, & tormentorum fragore lætitiam publicam accendente. Ibi cum fuiſſent depoſita in æde Societatis, reſerato poſt aliquot annos ſepulchro, inventa iterum ſunt, non modo integra ab omni labe, verum etiam odore ſuavi fragrantia. Idem honor habitus viro maximè venerabili, P. Sebaſtiano Montano è ſacro Prædicatorum ordine, quem ad Hiſpanorum ſtationes Roſarii propagandi cauſa profectum, ſimiliter Tepeguani necaverant. Ejus autem corpus, non modo incorruptum, ſed recenti perfuſum ſanguine repertum eſt: quodque auxit miraculum, adſtabat prope codex quotidianæ pſalmodiæ, ab imbribus, qui trimeſtri illo ſpatio frequentes deciderant, omnino inviolatus. Quare idem poſtea corpus Mexicum translatum eſt, & in æde Fratrum ſuorum per quam honorificè conditum. Sed ut redeamus ad noſtros, aliqua jam de ſingulis attingemus, ne quorum vigent nomina, virtutes in oblivione ſint.

226. Quatuor cæſorum corpora poſt tres menſes integra inveniuntur.

227. Similiter corpus Patris Sebaſtiani Montani ordinis Prædicatorum.

228. Elogium PP. Ferdinandi de Tovar, & Didaci de Oroſco.

P. Ferdinandus de Tovar patriam habuit Culiacanum, coloniam novæ Cantabriæ prænobilem, parentes genere inclytos, & cum Cardinali Duce Lermenſi arcta propinquitate conjunctos. Erat ejus paterna domus commune ac dulce diverſorium noſtris Cinaolam ultro citroque commeantibus, unde illi adhuc puero datus locus cognoſcendæ Societatis, & injecta mens amplectendæ. Ut adolevit, Mexicum ſtudiorum cauſa miſſus, Societati ſe addixit anno ætatis XVII, ſpretis, quos Ducis Lermæi favor non temerè adpromittebat, honoribus. Inter nos ita vixit, ut Angeli cognomen, quod morum elegantia adoleſcenti fecerat, perpetuo retinuerit. Cumque dicendi facultate non vulgari polleret, ac poſſet in primariis urbibus elucere, maluit in miſſionum tutis utilibuſque latebris deliteſcere. Suſcepta cura novæ Cantabriæ, Acagæos primo, deinde Parras, demum Tepeguanos excoluit, quorum telis confixus, vitam Apoſtolicis ornatam virtutibus fortunatæ mortis laurea coronavit. Nondum annos quinque & triginta ætatis confecerat, duodevigeſimum agebat in Societate. P. Didacus de Oroſco ortus erat Placentiæ in Hiſpania ex illuſtri atque opulenta familia, ornatuſque fuerat egregiis à natura dotibus, ut ſi vellet caduca ſectari, facile niti poſſet ad magnam excellentemque fortunam. Maluit paupertatem Evangelicam ſequi in Societate, cui nomen dedit admodum adoleſcens. Profectus in Indiam, & ad Tepeguanos miſſus, laboris non adeo diuturni mercedem quam diximus accepit, anno ætatis undetrigeſimo, ab inita Societate decimoquarto. Quatuor tantum annis major erat P. Bernardus de Ciſneros, gente Hiſpanus, & paulo diutius in eadem miſſione verſatus fuerat. De ejus fortitudine, charitate, patientia, multa ac præclara commemorant, quorum ſpecimen ſit quod ſubjicio. Delubrum extruxerat præpotens Indus, in eoque idolum collocaverat. Bernardus indignitatem non ferens, templum diruit, ſimulacrum comminuit. Ultionem pauliſper diſtulit ferox Indus, opportunitatem ſæviendi captans. Interim

229. Et P. Bernardi de Ciſneros.

tem-

Digitized by Google

templum aliud in vicino pago molitus, novum in eo idolum conſtituit. Advolat iterum Bernardus, & licet periculi quod imminebat probè conſcius, templum disjicit denuo, idolum confractum in ruderibus ſepelit. Vindictam non ultra prorogavit efferatus ethnicus. Stricto ferro nec opinum invadit, impoſitiſque pectori tribus plagis, confectum arbitratus, fuga ſe ſubduxit. Sacerdos medicorum ope convaluit, ſed negatam tunc beatæ necis coronam, nunc feliciter eſt conſecutus.

230. Elogium P. Joannis à Valle.

Patris Joannis a Valle virtutem præcipuis laudibus annales litteræ proſequuntur. Illud unum quantum veræ laudis habet, quod in legibus inſtituti noſtri ſervandis adeo fuerit religioſus, & vigil, nullam ut violare viſus aliquando ſit! Inter Tepeguanos omnia viliſſimi mancipii obibat munia. Idem terram aratro proſcindere, eique mandare ſemina & fruges, quibus barbari alerentur: idem ligna in eorum uſum domeſticum cædere, & in tuguria comportare: idem operam ædificandis templis locare, adjutare fabros, prandium illis & cœnam ſuis manibus apparare conſuevit. Cibos lautiores, Regis Catholici liberalitate ſibi ad quotidianum demenſum attributos, inter Neophytos dividebat, inſulſo ipſe pulmento, aut herbis temerè collectis victitans. Illatas a barbaris injurias excipiebat manſuetudine incredibili, & beneficiis rependebat. Nec illæ paucæ fuerunt, aut leves. Recedenti aliquando ab ara, peracto ſacrificio, gravem colaphum impius ganeo infregit. Procidit ipſe in genua, & alteram genam feriendam obtulit. Sæpe male multatus fuit à latronibus, quorum ſcelera increpabat. Semel fuſte impetitus à projectæ pudicitiæ muliercula, quam ex infami educere cœno moliebatur, iterum a nefario amatore, cujus è ſinu pellicem detrahere tentabat. Nunquam ad hæc commoveri viſus, niſi ut male de ſe meritis ſupra quam ſoleret bene ac benigne faceret. Patientiam voluntaria ſui vexatione cumulabat. Somnus in tabula nuda, aut corio bubulo tantum inſtrata. Veſtitus obſoletus, & pleriſque locis pertuſus: itinera longinqua, inter avia nemora, & ignotas ſolitudines: Juge ciſicium, crebræ, & cruentæ corporis verberationes. Templa ſtruxit plurima, profanorum ſimulacra Numinum evertit, emendavit flagitia, odia, ac diſſidia internecina compoſuit: qua in re tam feliciter Joannis verſabatur induſtria, ut Joannes à Pace vulgo nuncuparetur. Erat Deiparæ cultor eximius, voveratque ſe nihil negaturum, quod ejus interpoſito nomine peteretur. Necem ſibi à barbaris inferendam divinitus cognovit, eamque tribus ante menſibus amico per litteras ſignificavit. Expleverat cum cæſus eſt vitæ annum quadrageſimum, initæ Societatis vigeſimum decurrebat. Victoria, totius Cantabriæ primaria civitas, illum inter cives ſuos numerabat.

231. Elogium P. Ludovici de Alabes.

P. Ludovicus de Alabes, nobili loco natus Guaxacæ in nova Hiſpania, ſimul ac per baptiſmum Chriſto renatus eſt, omen quoddam & præſagium mortis pro ejus nomine obeundæ accepiſſe dicitur, deſcriptus in libro baptizatorum, non ut cæteri atramento, ſed rubrica, & majoribus litteris: id quod quocunque vel caſu, vel conſilio fecerit Parochus, viſum poſt ejus cædem vaticinii vim habuiſſe. Suam certe, ac ſociorum necem præſcivit ipſe divinitus, ac non obſcure prædixit ante paucos dies. Dum enim ad aram operatur, auditus repente eſt, cum veluti extra ſe raptus in hæc verba prorumperet: *Ita ne omnes moriemur?* ac momento poſt: *Fiat Domine voluntas tua.* Quæ tunc quidem ad liquidum non intellecta, poſtea cognitum eſt quo ſpectarent. Quæcunque in Apoſtolico deſiderari viro poſſunt virtutes, fuerunt in Ludovico ſummæ; animarum ſervandarum ſtudium invictum, charitas erga barbaros inexhauſta, inſignis caſtimonia, conjunctio cum Deo, quem ubique præſentem intuebatur, aſſidua, erga Reginam virginum pietas ſingularis. Agebat annum ætatis vigeſimum ſeptimum. P. Hieronymus de Moranta lucem hauſerat ante annos quadraginta in majore Balearium Inſularum: viginti annorum erat, cum Societati ſe tradidit. Miſſus in novam Hiſpaniam, datuſque P. Joanni à Valle ſocius & adjutor, in Tepeguanorum ſalutem indefeſſus incubuit. Mira inter ambos intercedebat contentio, uter alterum patientia, charitate, ſtudio religionis ampli-

232. Et P. Hieronymi de Moranta.

Digitized by Google

plificandæ superaret. In quo certamine sic alter alterum æmulabatur, ut nemo vinci videretur. Morantæ apud Hispanos tam præclara erat existimatio, ut eum non alio fere quam sancti nomine designarent. Moriturum se fidei causa sæpius audierat à Ven. Fratre Alphonso Rodriguez, semel etiam à P. Richardo Haller Germano, qui cum magna sanctimoniæ fama vixit, obiitque Matriti.

233. Elogium Patris Ferdinandi de Santaren.

P. Ferdinandi de Santaren clarum erat Optæ genus in Celtiberis. Educatus in collegio, quod ibidem maternus ejus avus Societati fundaverat, in eam deinde receptus est, & Indicæ missioni, quam summis precibus flagitaverat, datus. Miram ad Evangelicas expeditiones indolem ac facultatem in ipsa statim navigatione ostendit. Vectorum nautarumque controversiæ omnes ad eum, licet nondum sacerdotio insignitum, deferebantur, ex ejusque sententia ratæ ac decisæ habebantur. Ejusdem concionibus plures in navi simultates & rixæ extinctæ sunt, ludi vetiti, voces impiæ, aliaque vitia sublata. Delatus Mexicum, & sacris initiatus ordinibus, mittitur in Cinaloam, quam primus cum P. Gondisalvo de Tapia per biennium excoluit. Transiit inde ad montes Topios: gentem in eo tractu longè deterrimam, Parras, Acagæos, Xiximos, Naparæos, Tepeguanos, & Papudos, incredibili labore cicuravit, eos denique hominum, imò Christianorum ritu vivere docuit, qui antehac propiores feris erant. Quis jam itinerum molestias satis explicet! Non æquabili ducitur jugo ea montium catena, sed pluribus assurgit verticibus, quos convalles præruptæ horribilesque disterminant. Per hæc inhospitalia & inaccessa loca perpetuò discurrebat Ferdinandus, sæpe reptans verius quam incedens, nunc invios pervadens saltus, nunc torrentes amnesque rapidos, ac visu formidolosos vado trajiciens. Tanto labori fructus respondit. Amplius quinquaginta Ethnicorum millia vitalibus baptismi aquis tinxisse fertur. In pagos amplius quadraginta deduxit Indos, è montium latibulis detractos, & ad vitæ socialis formam congregatos. Idolorum vim innumerabilem confregit: superstitiones, veneficia, & alia portentosa flagitia sustulit. Conjuratos in Christianum & Hispanum nomen barbaros non semel ad pacem & concordiam flexit, furentibusque odium ex animo, arma de manibus extorsit. Magnum addebat ejus verbis pondus perspectus virtutis, ac præsertim castimoniæ singularis nitor, quod ille lilium incredibili cura custodiebat. Ad necessarias ministerii sui molestias quotidianum flagrorum usum, & alios corporis afflictandi modos adhibebat. Parcissimè victitabat, nec præter frumentum indicum, phaseolos, aut cucurbitas, quidquam lautioris obsonii ad reficiendas vires admittebat. Deum loquebatur, spirabat, cogitabatque unum, nec tantum orationis tempore ac loco, sed in medio negotiorum & occupationum æstu, ac tumultu. Hinc illæ quasi faces, quibus homines etiam perditissimos pietatis studio incendebat. Vixit annos quinquaginta & unum, quorum tres & viginti exegit in difficillima missione Topiana. Sed de Mexicana Provincia satis.

234. Res Provinciæ Peruanæ. Deteguntur occultæ superstitionis reliquiæ, & exscinduntur.

A Mexico si descendas ad dexteram, & mare Pacificum, occurret Peruvia, dives auri argentique regio, & ærarium Hispaniæ. De ea nunc differendum. Hoc anno in variis excursionibus e collegio Limano susceptis, maxima fuerunt affecti voluptate Patres, quod plerisque in locis, ubi nefarius Dæmoni cultus olim tribuebatur, nullum pristinæ impietatis vestigium extaret. At Sociis Cuzquensibus magnam moverunt admirationem repertæ non procul speluncæ, ac templa subterranea, in quibus animarum sempiternus hostis audiendum se miseris mortalibus, ac videndum identidem præbebat, eorumque donis & adoratione fruebatur. In iis antris publica veneratione consecratis, inventa est magna vis auri, argenti, & gemmarum, quibus Indigenæ Principem tenebrarum demereri, ac sibi suisque conciliare nitebantur. Jussere Patres obstrui ferales cavernas; allatæ autem ex oppido Cruces splendido cum apparatu in speluncarum culmine sunt collocatæ. Tum ad convellendas penitus occulti mali radices, Squillacensium Princeps Franciscus Borgia Prorex duo de novo domicilia construxit prope Limam, quorum in altero alerentur nobiliores adolescentes, ac præcipuè Caziquiorum, idest Principum, liberi; in altero tamquam in honesta custodia deti-

Digitized by Google

detinerentur, qui deprehenſi poſthac eſſent Idolorum Sacerdotio perfungi, Utrumque mox Societati adminiſtrandum commiſit. Interim Patribus collegii Potoſini non deerat laboris ampla materies, tum in frequentiſſima civitate, tum etiam in officinis metallicorum, quæ ſunt ibi plures, & magnæ celebritatis. Multa Hiſpanorum, plura Æthiopum millia circa fodinas auri argentique deſudabant, rudes plerique, inculti, & rerum divinarum penitus incurioſi. Singulis hominum generibus certæ ſunt conſtitutæ ſodalitates, in quibus ad pietatem informarentur. Aderant præterea Mercatores Europæi plures, qui de lucro magis, quam de ſalute ſempiterna ſolliciti, haud facilè ad cœleſtium opum deſideria erigebantur. His ut conſuleretur, quæſtiones de moribus, & leges negotiationum explicari cœperunt, in quibus interpretandis ſua cuique utilitas eſſe lex & magiſtra conſueverat. In collegio Arequipenſi pia ſodalitas ex mulieribus eſt conflata, novo quidem inſtituto, ſed ad fovendam promovendamque in familiis pietatem utiliſſimo, ut demonſtravit orta ſtatim inter viros & mulieres præclara contentio, cum neque viris feminæ, nec his viciſſim illi de virtutis ſtudio concederent, ſed ſe invicem ſuperare certarent. In ſodalitium adſcribi voluerunt nobiliſſimæ quæque civitatis feminæ, quarum cum eſſent exempla illuſtriora, earum pietas & modeſtia, non in ipſarum duntaxat domos, ſed in univerſam plane urbem manavit. Ex oppido S. Crucis itum eſt ab Hiſpanis hoc anno ad novas indagandas provincias. Silveſtres homines, & feris beſtiis quam hominibus ſimiliores ſunt inventi, qui humanis carnibus veſcebantur. Aderat in comitatu Hiſpanorum noſter Sacerdos, qui non paucos ex ea gente in Eccleſiæ gremium induxit. Narrabant hi Neophyti, in provinciis proximioribus Caziquios quinque & quadraginta numerari, hoc eſt Regulos totidem, & provinciarum Principes; eſſe autem in propinquo montes auri argentique feraciſſimos. Quod ut cognovit Hiſpanus Prætor, futurum ſperans ut Mercatores, lucri cupiditate illecti, penetrarent in illam ampliſſimi ſoli vaſtitatem, ejuſque barbariem abſtergerent, ſcripſit ad noſtrum Provinciæ Peruanæ Præpoſitum, enixè petens ſtrenuos Evangelii miniſtros, qui cœleſtis doctrinæ theſauros genti miſeræ ac deſtitutæ importarent. Advolarunt impigri operarii, magnamque ejus terræ partem vitiis, & ſuperſtitionibus ſilveſcentem paulatim Chriſto ſubjecerunt.

235. Patres Potoſini pietatem inter metallicos & mercatores promovent.

236. Mulierum ſodalitas in collegio Arequipenſi excitatur.

237. Novæ detegunter gentes, & à noſtris hominibus excoluntur.

Peruviæ ad latus ſeptentrionale adjacet novum Granatæ Regnum, ita dictum à Granatenſi cive Gonzalo Ximenio de Queſada, qui primus eam terram detexit, & Regis Catholici dominio ſubjecit. Perampla eſt regio, & frugum omnis generis ferax. Regni caput urbs Archiepiſcopalis S. Fidei, & ſedes ſupremi tribunalis, quod Hiſpani Regium Auditorium vocant. Pars antea fuerat apud nos novum Regnum Provinciæ Peruanæ. Sed cum longiùs abeſſent a Peruviæ finibus urbs S. Fidei, & nova Carthago, quam ut poſſent à Peruano Præpoſito commodè adminiſtrari, partem detraxit Claudius Generalis, additiſque novo Regno domiciliis Quitenſi, & Panamenſi, novum & ſeparatum Provinciæ corpus confecit, à novo regno appellatum. Sectum deinde eſt iterum iſtud corpus, quia amplum nimis, & immenſo ſpatio diffuſum, coaluitque quam nunc Provinciam Quitenſem dicimus. Provinciæ novi regni præerat hoc tempore P. Gonzalus Lyra, Patri Didaco de Torres primo ejus moderatori, atque ut ita dicam, Parenti ſuffectus. Lyra autem præfecturam obtinente, aliæ atque aliæ Societati ſedes accreverunt. Non longe à metropoli S. Fidei Tungia erat, Hiſpanorum ampla colonia, locuples, frequens, & copia ædificiorum nulli ſecunda. Cives incenſi deſiderio habendi apud ſe ſtabilem Societatem, domicilium offerebant. Accepit donationem Lyra, & Tungiæ domum probationis conſtituit. Caxicæ poſtmodum, Duitamo, & Fontibonæ, quæ oppida ſunt non ignobilia, Socios dedit, qui Curias adminiſtrarent: ea tamen lege dedit, ut eſſent revocandi, ſimul ac ex educatis in ſeminario S. Fidei adoleſcentibus ſuppeterent Sacerdotes, quibus curiale miniſterium tutò committi poſſet. Namque id Claudius Generalis ſanxerat, id uſu receptum erat. Interim in iis locis licuit agnoſcere, quantum interſit inter bonos Paſtores, & mercenarios, *qui-*

238. Res novi Regni. De diviſione hujus Provinciæ à Peruana.

239. Tungiæ, & aliis in locis novæ ſedes Societati tribuuntur.

Digitized by Google

240. Mores emendati gratuito miniſterio noſtrorum Parochorum.

quibus non eſt cura de ovibus. Brevi temporis ſpatio pellicatus, ebrietas, & alia prope communia gentis mala, ex magna parte ſublata fuerunt. Multi, quos abſterruerat hactenus à baptiſmo metus, ne ſtipem Parocho dare cogerentur, certi jam à novis Paſtoribus nihil exigi, ultro ſe initiandos offerebant. Erant qui infandos exercuerant pellicatus matrimonii nomine, ne ſi nuptias rite contraxiſſent, honorarium Curioni deberent. Hoc nunc metu ſoluti, & gratuita noſtrorum opera illecti, flagitioſas conſuetudines ſancto nuptiarum vinculo commutabant. Per hæc in urbe S. Fidei vigere cœpit magnæ utilitatis & pretii ſodalitium, a Rectore collegii P. Ludovico Santillano inſtitutum. Ei qui aggregantur ſodales, Chriſto in Sacramento latenti ſeſe mancipio dedicant. Adlecti ſunt in piam ſodalitatem honeſtiſſimi civium, ac ſæpe de ſacrificio participare, ſæpius ante incruentam victimam precando conſiſtere, quotidie aliquam temporis partem cœleſtium meditationi tradere, ſibi in leges induxerunt. Hinc manante ad reliquam civitatem exemplo, mira morum converſio, & alia prope facies in urbem inducta. Geſtiebat gaudio hæc videns Archiepiſcopus Bartholomæus Guerrerus: at ſimul graviſſimam noſtrorum inopiam miſerabatur, qui adhuc omni certo proventu deſtituti, ad quotidianos vitæ ſumptus ſtipem oſtiatim corrogare cogebantur. Quare litteras ad Regem dedit graves, & efficaces, quibus regiam erga illos liberalitatem implorans, totidem verba ſubjiciebat: „ Magno Rex obſequio Deum promerueris, ſi Patribus Societatis in hoc „ Regno ſummâ rei familiaris anguſtia laborantibus, benigne dabis unde vivant. „ Nam vere is ordo præcipuo ſtudio laborat, ut animum Majeſtatis Tuæ multis „ exoneret religionibus, cunctiſque mortalibus æterna bona procuret. „ Hæc ille ex hiſpanicis latine reddita.

241. In urbe S. Fidei ſodalitium magnæ utilitatis inſtituitur.

242. Archiepiſcopus Sanctæ Fidei liberalitatem Regis implorat erga noſtros.

Sed nihil adeo ad ſalutem animarum quæſtuoſum in novo Regno ſuſceptum, ac procuratio Æthiopum, de qua nunc paulo copioſiùs diſſerendum. Inter præcipuas Regni urbes numeratur nova Carthago, Emporium totius Americæ celeberrimum, & caput negotiationis, quam exercent Europa atque Africa in America, & ipſæ Americanæ provinciæ inter ſe. Præter alias merces, plura huc ex diverſis Africæ oris importari ſolent Æthiopum millia, quorum proſtant in quibuſdam veluti promptuariis venales greges, & à Mangonibus in omnes continentis provincias quæſtu maximo diſperguntur. Iſtorum curam gerit Societas, eſtque ſemper in collegio Carthaginenſi Sacerdos huic miniſterio addictus. Ut appulere ex Africa naves, accurrit ad portum Sacerdos, Æthiopum recenſet numerum, omnes amice alloquitur per interpretem, pomis, icunculis, aliiſque munuſculis ineſcare, & conciliare ſibi ſtudet. Qua die ſunt e navibus educendi, adeſt iterum Pater: ægros, quorum ob cœli mutationem, & navigationis incommoda, magnus ſemper numerus, componit in vehiculis ad hunc uſum paratis, omnes ad domum eorum cuſtodiæ deſtinatam deducit. Ibi prima curarum eſt, ut certa conſignentur teſſera, tum quos fuiſſe baptizatos, tum quos non fuiſſe conſtet, atque illi demum, de quibus neutrum pro certo conſtitui poſſit. Singulos ergo tandiu interrogat, donec eliciat, ad quam quiſque claſſem pertineat ex illis tribus. Tum plures continenter dies, ad captum tam rudium ingeniorum verba faciens, docet illos publice ac viritim, quid credere, quibus deinceps moribus vivere debeant. Poſtremo, ubi ſatis inſtituti videantur, eos omnes baptiſmo, ut opus fuerit, vel certo, vel interpoſita conditione, Chriſtianos facit. Hanc Æthiopes curandi rationem ſapienter inſtituit vir magni inter nos nominis P. Alphonſus Sandovallius, qui cum eorum curam primus ſuſcepiſſet, eandem gerebat hoc ipſo tempore, non labori, non induſtriæ parcens, ut quam maximum ex ea fructum legeret. Neque vero intra præſens tempus ſe continuit Apoſtolici viri charitas inexhauſta; ſed ad ſucceſſorum utilitatem tranſiit: ſcripſit enim de modo erudiendi Æthiopes volumen utiliſſimum, quod in eandem poſtea procurationem ſuffectus Ven. Petrus Claver, ut aureum opus laudare, ac ſequi conſuevit. Porrò quam utile ſit miniſterium, vel ex eo conjici velim, quod toto decennio Sandovallius Æthiopum triginta mil-

243. De cura Æthiopum, quam Carthagine gerit Societas.

244. Hoc miniſterium primus ſuſcipit Pater Alphonſus Sandovallius, deinde P. Petrus Claver.

Digitized by Google

millia ſalutaribus baptiſmi undis aſperſit: ſucceſſor vero Claver, intra annos quadraginta, baptizaſſe dicitur ſuis manibus trecenta millia, & ſi quid amplius. Sed tam uberi fructui non impar eſſe ſolet labor & patientia cultoris. Agendum cum hominibus ſupra quam credi poſſit, non agreſtibus tantum & barbaris, ſed omnis ferme humani ſenſus expertibus. Ferenda eorum barbaries, ſtoliditas paulatim ſubigenda. Eorum alloquio & conſuetudine nihil moleſtius. Nullo percelluntur horrore cujuslibet immunditiæ, nec ſecus quam bruta animantia in ſordibus volutantur. Accedit quod ſæpe inter navigandum replentur ulceribus, non minus fœdi aſpectus, quam odoris intolerandi; ut eos adire propiùs, & alloqui natura ipſa refugiat. Accidit aliquando, hoſpitum quempiam ad eos inſpiciendos admiſſum, illato vix pede in conclave tam fœtidum, totque infectum ſordibus, loci graveolentia corruiſſe exanimi ſimilem, aut nauſea correptum vomuiſſe. Verum quæcunque ea ſint, non abſterrent Evangelicam charitatem, quæ patiens, quæ benigna eſt, & his maximè deliciis oblectatur.

245. Cujus laboris & moleſtiæ ſit ea procuratio.

Altera Peruanæ Provinciæ pars olim fuerat Paraquaria, ad auſtralem ejus plagam poſita. Diviſa fuit anno labentis ſæculi octavo, & in ſeparatum Provinciæ corpus erecta. Ea nunc Tucumaniam complectebatur, & Chilenum regnum, quod ſimiliter diviſum, peculiarem poſtea Provinciam conflavit. Paraquaria propriè dicta jacet infra Braſiliam ſecundum littoralem oram, & in continentem occaſum versùs, longe porrigitur. Tucumania Paraquariam ſpectat ad ſeptentrionem, Terram vero Magellanicam ad meridiem. Chilenſe regnum ad mare Pacificum longo, ſed anguſto tractu, à ſeptentrione ad meridiem extenditur. Paraquariam ingreſſa Societas ante annos ferme triginta, magnam indigenarum partem Chriſtianæ vitæ moribus ac præceptis informaverat. Sed nunc difficili admodum loco res ejus erant, ob Hiſpanorum inſectationes & odia, quibus impediebatur, ne ſua miniſteria uſitato cum fructu obiret. Res eſt altioris indaginis, & in quinta hujus Hiſtoriæ parte prolixè tractata, * de qua propterea nihil ultra dicam, niſi quod in ea rerum jactatione ac tumultu cauſæ bonitas, & rectè factorum conſcientia, magno noſtris ſolatio erat. Namque id demum agebant Patres, ut miſeros Indos, contra fas, contra jus, contra iterata Regum Catholicorum edicta oppreſſos, impotenti Colonorum dominatu eximerent, Chriſtianoque pariter, & Hiſpanico nomini conciliarent. Quiddam accidit circa hunc annum, unde colonorum in nos acerbitas majorem in modum recruduit. Duo erant ad Paraquariæ ripam oppida, aſcendentibus adverſo flumine millia paſſuum fere centum ab urbe Aſſumptionis. Oppida Neophytis Ethniciſque mixta noſtri in rebus ſacris adminiſtrabant. Multum ibi profecerant hactenus, plus profecturi videbantur in poſterum, ſi diutius manerent. Omnia momento perdidit colonorum inexplebilis avaritia. Conabantur illi oppidanos in perſonalem, ut ajebant, famulatum abripere, nihil penſi habentes, quod eam immanitatem Rex edicto recentiſſimo vetuiſſet. Conatibus iniquis obſtitere noſtri pro viribus, & reipſa ne quemquam abducerent prohibuerunt. Nihil avidis prædonibus accidere gravius poterat. Efferati, & paſſim quiritantes, non licere ſibi per Jeſuitas uti jure ſuo, civiles ſacroſque Magiſtratus incitant, ut noſtros inde dejiciant. Dejecti ſunt Patres; ſed iplis abeuntibus, oppidani quoque, vacuis relictis ædibus, alii aliò diſperſi ſunt: quippe tolerabilius rati in ſilvis ferarumque latibulis vitam agere, quam ſub iniquis dominis duram ſervitutem ſervire. Adeo ex rebus omnibus ſua cuique libertas cariſſima, & pretioſiſſima eſt.

246. Res Paraquariæ. Societas Hiſpanis odioſa, quia Indorum libertatem tuetur.

* Lib. xxiij. §. xii.

Pari invidia laborabat in Chileno Regno Societas, ob eandem cauſam. Unus tamen odii molem ſuſtinuit P. Ludovicus Valdivia, ingens toto illo terrarum tractu nomen, nec unquam ſine honoris præfatione memorandum. Nemo fortius liberiuſque libertatem Indorum tutatus fuerat hactenus: nemo conatus improborum, qui ex illis in ſervitutem abreptis quæſtum iniquiſſimum faciebant, retuderat majori ſpiritu, atque conſtantia. Quare eum unum, quippe integræ fidei, & animi contra vulgi clamores imperterriti virum, delegerat nu-

247. Hiſpani noſtros deturbant ex duobus oppidis: oppidani in ſilvas dilabuntur.

248. In Regno Chileno P. Ludovicus Valdivia Indigenas tuetur auctoritate Regis Catholici.

Digitized by Google

per Rex Catholicus, ut novas de Indigenarum manumiſſione leges in Chilenſi Regno promulgaret. Verum ut innotuit quæ Valdivia accepiſſet à Rege mandata, vix credibile quantum exarſerit quidquid uſquam Hiſpanorum erat. Omnes in ipſum, veluti hoſtem publicum, & odioſæ novitatis auctorem, atrociter conſurrexerunt, nec eum inſectari deſtiterunt, niſi cum traditam à Rege procurationem depoſuit. Quod aperta vi non ſperabant ſucceſſurum, fraudibus & calumniis pervicerunt. Provinciam Paraquarienſem regebat P. Petrus de Ognate, vir ille quidem egregius, ſed fortaſſe plus æquo meticuloſus, credulus certè, & in accipiendis accuſationibus non ſatis cautus. Hunc Hiſpanorum præcipui, & nobis in ſpeciem amiciſſimi, falſis implent ſuſpicionibus contra Valdiviam, quaſi licentius ageret interdum, & amicitias coleret parum caſtas. Mulierculas deinde ſubornant, quæ confictam fabulam aptis delationibus proſequantur. Provincialis, etſi talis viri integritate occupatus cauſæ cognitionem non inſtitueret, eum tamen privatim increpuit quaſi ſontem, certas leges ne tranſiliret admonuit, injectis denique præceptorum vinculis agendi libertate privavit. Valdivia, adversùs alias malevolorum obtrectationes ad illam uſque diem invictus, hujus mœrorem calumniæ, & tam turpe de ſe judicium moderatoris ſui ferre non potuit. Cauſatus itaque, eas præceptorum pedicas impedimento ſibi eſſe, ne regia juſſa exequeretur, in Hiſpaniam navigavit, Philippo III. Regi, ejuſque conſilio Indico rerum a ſe geſtarum rationem explicaturus. Matriti auditus eſt cum eximia approbatione, & laude. Sed cum ſimul veniſſent ad Præpoſitum Generalem crebræ Sociorum litteræ, in quibus erat, intereſſe plurimum Societatis, ut nec ipſe, nec alius noſtri ordinis quiſquam ad procurationem ejus generis deſtinaretur, ejuſdem Generalis induſtria detentus eſt in Hiſpania. Nec ille manſit invitus. Oblatum tamen à Rege locum inter Senatores conſilii Indici modeſtiſſimè recuſavit, maluitque, aula relicta, Valliſoletum concedere, ubi conſcribendis libris, & proximorum moribus regendis intentus, ſupremum diem explevit anno MDCXLIV. Ita improborum fraudulentus livor ademit Chilenſi regno virum de Rege, de re publica, de Societate optimè meritum. Non tamen obſcurare ejus famam, aut imminuere potuit. Prius etiam quam in Hiſpaniam ſolveret, qui auctores accuſationis fuerant, adacti conſcientia ſceleris, fraudem coram idoneis teſtibus confeſſi ſunt, & calumniam innocenti irrogatam retexuerunt. Valdiviam Neophyti, ut defenſorem acerrimum libertatis ſuæ, diligebant in parentis loco. Ejus conſilio, & opera, ferociſſimi populorum, bellum jam tot annos cum Hiſpanis gerentes, ſæpe victores, ſemper indomiti, & armis fortè nunquam domandi, ſine cæde & ſanguine in jus Catholici Regis tranſierunt. Ad quinque millia fuiſſe dicuntur, quos ſuis ipſe manibus baptiſmo conſignavit. Nec ei parum Societas debet. Collegium in oppido Conceptionis ejus præſertim induſtria fundatum eſt. Idem in præcipuis Hiſpanorum caſtellis plura conſtituit Sociorum paria, unde in præſidiarios, ac totam vicinitatem haud levis utilitas derivata. Callebat Chilenſium linguas tres adeo perfecte, ut eas in artem ac methodum redegerit.

249. Propterea inviſus colonis, & calumniis appetitus.

250. Redire cogitur in Hiſpaniam, ubi remanet reliquo vita tempore.

251. Indicantur Valdiviæ præclara merita in Societatem & Regem.

Inter Paraquariam, & flumen Amazonum, immenſo tractu diffunditur Braſilia, Luſitani dominii regio in America ferax opum, & Provincia Societatis ampliſſima. Hic quoque odioſam colonis fecerat Societatem defenſa Indigenarum libertas, & iniqua vis a miſeris propulſata. Actum proinde hic quoque mendaciis & ſtrophis contra nos, nec ſine aliquo, ſaltem ad tempus, ſucceſſu. Rexerant noſtri hactenus in rebus ſacris pleroſque Neophytorum greges, labore & induſtria ſua collectos in oppida, & ad formam civilis Chriſtianæque vitæ traductos. Caræ oves Paſtoribus, cariſſimi ovibus Paſtores erant. Sæpe Luſitani, augendæ rei ſtudio, Indis ſimplicibus inſidias ſtruebant. Semper ad Indorum cuſtodiam excubabant Patres, vim apertam arcebant, dolos eludebant, fortunas eorum & libertatem à raptoribus tuebantur. Id ægrè ferentes Mangones improbi, ſemel, atque iterum populari impetu coorti ſunt contra inviſos Patres, ut eos a ſuis curiis depellerent. Seditione a Magiſtratibus ſemel iterumque com-

252. Res Brasiliæ, Societas in invidiam adducta, quia libertatem Indorum defendit.

253. Occupatus falſa relatione Rex

Digitized by Google

compreſſa, dolis graſſari nihilominus ſtatuerunt. Præter alia invidioſius confi-
cta, latè ſpargunt, & ad aulam uſque Matritenſem tranſmittunt, ex oblationi-
bus Neophytorum redire ad Societatem quotannis magnum, ac prope incredibi-
lem argenti numerum, qui in regium ærarium inferri melius poſſet: quæ rela-
tio fidem cum inveniſſet Matriti, Rex adimi noſtris curias, & aliis Sacerdoti-
bus committi juſſit, triumphantibus gaudio prædonibus inhumanis, quos à ve-
xandis, abripiendiſque in ſervitutem Indis nulla in poſterum res deterreret. Sed
nec diuturna fuit lætitia, & ſpem impiam fefellit exitus. Novus Braſiliæ Guber-
nator Gaſpar de Soſa, ſtatim atque in provinciam venit, & res perſpicere per
ſe potuit, falſa eſſe videns quæ ad aulam fuerant delata, ita Regi perſcripſit, ut
perſuaſerit, intereſſe publicæ rei, tum civilis, tum ſacræ, curias ut antea per
homines Societatis adminiſtrari. Nam ad emolumenta quod attinet, nulla hæc
eſſe ajebat, præter amplificationem divini cultus, & animarum ſalutem, quibus
rebus ſtuderent unicè Patres Societatis. Periculum verò eſſe, ne deſtituti Pa-
trum ſuorum miniſterio Neophyti, refugiant iterum in interiora regionis, quæ
fuga inſignem ſanè plagam regiis vectigalibus infligeret. Acquievit Soſæ ratio-
nibus & auctoritati Rex: Patres in poſſeſſione curiarum ſunt relicti: Colonorum
animi paulatim patientia mitigati. Ad demerendas eorum voluntates nonnihil
valuit charitas, quam eodem hoc anno, graſſante per Braſiliam peſtilenti lue,
noſtri languentibus impenderunt. Nullam illi quidem prætermiſerunt induſtriæ
partem, qua prodeſſe miſeris poſſent. Diu noctuque obibant omnium tecta,
omnibus remedia corporis animæque circumferebant, nulla laboris intermiſſio-
ne, nullo reſpectu valetudinis ſuæ. Quo tempore circa Bahiam (ſic vulgo no-
minant urbem S. Salvatoris Braſiliæ primariam) res accidit ad memoriam inſi-
gnis. Neophytus nomine Antonius, etſi tabe penè conſumptus, irrepſerat in
vicinam ſilvam, ut herbam neſcio quam ſalubrem exquireret. Ibi defectus vi-
ribus, corruit ſemianimis. Dum ægrè animam trahit, jacenti ac morienti vi-
ſus adeſſe vir gravi & liberali aſpectu, Franciſcanorum indutus tunica, qui fon-
ticulum indicans occulta ſcatebra in proximo ſubſilientem, jubebat ex eo ut
biberet. Evanuit momento ſpecies. Æger ſenſibus redditus, & fontem vidit,
& ejus hauſtu convaluit. Non tamen in ea curatione virtus monſtrati fontis ex-
hauſta. Re vulgata, fit ad ſaluberrimam aquæ venam ægrorum ingens concurſus.
Omnes valetudinem recipiunt. Nulli fuit dubium, quin auctor prodigii eſſet
magnus ille Antonius, quem nos à loco tumuli Patavinum dicimus. Ab eo
itaque inditum novo fonti nomen, quem poſt illud tempus Indigenæ fontem
S. Antonii appellaverunt.

adimi noſtris jubet curias Neophytorum.

254. Sed detecta mox fraude, mutat ſententiam.

255. Graſſante per Braſiliam lue, noſtri languentibus opitulantur.

256. Fons aquæ ſaluberrimæ a S. Antonio nuncupatus quomodo inventus ſit.

Interea quem diximus Gaſpar de Soſa Braſiliæ Prætor, ſuſcepta difficillima
expeditione ad Maranonios, rem antea fruſtra tentatam mira felicitate confecit:
unde in illa terrarum parte longè prolati fines Luſitani imperii, & Evangelii
Præconibus latiſſimus ac novus ager ad excolendum apertus. Glorioſum Luſi-
tano nomini, fauſtum religioni facinus, & in quo nonnullæ fuerunt Societa-
tis partes, paulo diligentius exponam. Quæ proprio nomine Maranion dicitur,
inſula eſt admodum brevis, ſex circiter millia paſſuum diſtans a ſeptentrionali
continenti Braſiliæ. Inſulam facit, & nomen ei præbet Maranion, alvei ingen-
tis amnis, cujus deinde aquas excipit flumen Amazonum. Patet in longum
millia haud amplius quinquaginta, lata plus minus duodeviginti. At inde ſe-
cus oram fluminis, ſub ipſa æquinoctiali linea, in immenſum excurrit ampla
regio, quæ nunc Præfectura Maranonia dicitur. Accolunt feroces populi, & an-
te tempus de quo ſcribimus, adhuc ignoti. Hanc terræ plagam Soſa ſubjicere
Luſitano juri cum ſtatuiſſet, eo conſilio claſſem inſtruit novem bellicarum
navium, claſſi quadringentos veteranos milites, & ex Neophytis delectos ſa-
gittarios trecentos imponit, duce Alexandro de Mora, perito belli viro. Ad-
dit duos Societatis Patres, Emmanuelem Gomez, & Didacum Nunez, ad re-
gendos Neophytos: namque his opus erat in primis, non tam ad vim, ſi qua
fieret, repellendam, quam ad demulcendos barbaros, eoſque Luſitano nomini

257. Luſitanorum expeditio in Maranionem.

258. In eandem expeditionem proficiſcuntur duo Patres Societatis.

Digitized by Google

conciliandos . Cum hoc apparatu ventum eſt ad inſulam Maranoniam , quam tunc forte cum valida arce obtinebant Prædones gente Galli , ſecta Calviniani. Ut ſtetit in conſpectu claſſis , denunciatum eſt Præſidiariis , ut deditionem facerent ; præfinitumque temporis anguſtum ſpatium , intra quod niſi feciſſent , omnibus moriendum eſſet . Conterriti denunciatione Prædones , nec ignari , vires Luſitano eſſe ad perficienda quæ minabatur , pacti tutum in Galliam reditum , arcem tradidere . Capta in hunc modum , & pacata inſula , in proximam continentem progreſſi ſunt Luſitani , duce Franciſco Caldeira , ac porrò tendentes per millia paſſuum ducenta circiter & quadraginta , venere ad oſtia ingentis fluminis , quod ob immenſam aquarum molem incolæ ſua lingua appellant *Para* , ideſt mare . Ibi meram ſolitudinem nacti , caſtellum opportuno ac munito loco extruxere , ut eo veluti fræno contineretur circumpoſita regio, quam ſucceſſu temporis coloniis occuparunt Luſitani , Chriſti cultu Societas illuſtravit , ut ſuo deinceps ordine narrabitur . Nunc initium religioni diſſeminandæ factum in ea quam dixi inſula . Neophyti ex Braſilia adducti , ut facile convenit inter homines ejuſdem gentis & linguæ , Indigenas ad audiendam ex Patribus cœleſtem doctrinam trahebant . Auditam probabant illi vehementer , multi amplexabantur , & baptiſmi ſacris initiari poſtulabant . Erat omnino fructus ſupra expectationem , ac prope ſupra ſpem . At Patres in Braſiliam quam mox ex præſcripto ſui Præſidis redituri , cum non haberent in ea temporis brevitate cui initiatos committerent , non audebant fidei ſacramentum adultis impertiri . Tantum confirmabant illos in ſuſcepta fide , ſpem certam facientes , vel ſe , vel certè alios de ſuo cœtu propediem reverſuros . Suſtinerent interim haud longam moram , perſtarent in propoſito , dignos ſe cœleſti dono præſtarent : Brevi omnes , non voluntate ſolum , ſed etiam baptiſmo Chriſtianos fore. Quod licuit , nonnullos ex moribundis infantibus ſalutari lympha aſperſerunt , ac velut ejus terræ primitias in cœlum tranſmiſerunt . Cruces multis in locis erexerunt , ſacras imagines adorationi publicæ propoſuerunt . Acceperunt a ducentis uſque millibus paſſuum legationes populorum , ut ad eos erudiendos accederent comprecantium : nec tamen licuit tam æqua poſtulantibus ſatisfacere . Urgebat quippe lex obedientiæ , quæ Patres ibi diutius immorari vetabat . Uſi igitur opportunitate claſſis inde ſolventis , Pernambucum , unde diſceſſerant , redierunt .

259. Prima religionis ſemina jaciuntur in Maranione .

HI-

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ

LIBER SECUNDUS

ANNUS CHR. 1617. SOC. 78.



NEUNTE anno ſæculi decimo ſeptimo, traducitur in Siciliam pia conſuetudo menſtruæ Communionis generalis, quam Romæ natam anno præterito demonſtravimus. Felicibus plane initiis, & magno hominum concurſu nova eſt inſtituta celebritas Panormi in æde Profeſſorum. Qui enim illo die, ſacra participarunt, ad quindecim millia numerati fuerunt, nec ferè quiſquam nobilium ex eo numero defuit. Provinciam adminiſtrabat hoc tempore P. Carolus Maſtrillus, vir olim oratoria excellens laude, ſed nunc ſenio languidior, magiſtratu præterea ſuo, & ipſa concionandi deſuetudine ab eo miniſterio prorſus abſtractus. Nihilo tamen minus, vocatus à ſupremo ordinis Hieroſolymitani Magiſtro Melitam ad habendas per majora jejunia ſacras conciones, non ætatem, ut poterat, non muneris curas multas & varias excuſavit, graviſſimo demum labori ſe non ſubduxit. Collegit virtutem priſtinam, & quaſi emeritus miles denuo in aciem prodiit. Ut autem cœpit audiri, conceptam de ſe opinionem non æquavit modò, ſed multis partibus ſuperavit. Nemo audiviſſe illum dicitur, qui non melior fieret. Civitas univerſa novos eo concionante mores, & aliam induere faciem viſa. Erat Melitæ grex meretricularum, quæ Equitum pudicitiæ inſidiabantur, mille artibus ad libidinem prolectantes juventutem incautam, & plus nimio ſequacem. Pleræque audito Maſtrillo reſipuerunt. Incolæ novæ urbis (Vallettam appellant) ſolebant certis anni diebus ſacram neſcio quam ædem, quingentis ferme ab urbe paſſibus, inviſum ire; ſed quæ eſt interdum rerum etiam optime inſtitutarum perverſio, piam conſuetudinem in occaſionem nequitiæ verterant. Ibant enim promiſcue homines inter mulierculârum agmina, & pudet referre quæ inter illos fieri & dici non pudebat. Licentiam a Chriſtianis moribus abhorrentem ſemel reprehendit Maſtrillus, & una oratione ſuſtulit. Verum hæc momenti levioris. Diſſidium intercedebat grave & inveteratum inter magnum, ut vocant, Magiſtrum, & ſeniores ordinis. Diſtracti in factiones reliqui Equites, & diverſis partibus, ut ſua quemque ſtudia, vel privatæ rationes moverant, adhærentes, diſcordiam alebant prope inſanabilem. Malo remedium adhibuit Maſtrillus, quodque viri principes ſæpe fruſtra ten-

1. RES PROVINCIÆ SICULÆ. Conſuetudo menſtruæ Communionis Panormum inducitur.

2. P. Caroli Maſtrilli conciones quadrageſimales Melitæ, earumque fructus.

3. Grave diſſidium inter Equites Hieroſolymitanos componitur.

Digitized by Google

tentaverant, capita factionum perpulit, ut magno Magistro prius, deinde sibi invicem satisfacerent; quo demum sublata est omnis contentio, & in ordinem nobilissimum concordia revocata.

4. Res Neapolitanæ, Nostri juvenes vicariæ carceres excolendos suscipiunt.

Dum hæc gerebantur in Provincia Sicula, Neapoli publicis privatisque hominum sermonibus celebrabatur studium singulare nostrorum in formandis ad pietatem vinctis regii tribunalis, quam *Vicariam* vulgo appellant. Erant illæ custodiæ totidem quasi regni sentinæ, & omnium scelerum receptacula. Furta, sacrilegia, impiæ in Deum & superos voces, veneficia, libidines, & quæ alia, nominare nefas flagitia, ibi regnabant impune. Cum enim novi quotidie facinorosi e toto regno contruderentur in hæc ergastula, indeque multi subinde ad triremes, aut ad patibulum traherentur; qui recenter adveniebant, sua importabant vitia, qui educebantur, sua relinquebant: succrescente in dies nova flagitiorum messe, & miserandum in modum luxuriante. Alebant peccandi impunitatem otium, & infamia, duo scelerum maxima incitamenta. Tot malis ut medicinam adhiberent aliqui Juvenes Societatis, cœperant ante annos novem itare illuc per dies festos, duce omnium & hortatore Petro Ferracuto, egregiæ spei juvene, qui tunc philosophicis studiis operabatur. Miscebant pia cum vinctis colloquia, singulos ad detestationem criminum excitabant; sed initio nullum laboris fructum capiebant. Quod videntes custodes carcerum, laudabant illi quidem juvenum optimam mentem, at simul eorum simplicitatem irridebant, perinde quasi aquam postularent a pumice, qui inter ejusmodi hominum sordes excitare pietatem conarentur. Deo tamen pia incepta fortunante, capti paulatim, emollitique sunt juvenum optimorum charitate & patientia nonnulli. Quo facto, venit in mentem Ferracuto ex illa vinctorum multitudine delectum habere, & sodalitium in honorem B. Virginis instituere. Paucos selegit, quorum videbatur melior indoles, & vita correctior, eosque in formam piæ sodalitatis conjunxit, sub titulo ac patrocinio Virginis a Monte Carmelo. Certas deinde præscripsit sodalitati leges, in quas sodales universi consenserunt. Legum hæ porro præcipuæ: ut sodales quotidie interessent divinæ rei: ut singulis minimum mensibus ad cœlestem mensam accederent: ut certas corporis afflictationes identidem usurparent: ut rerum divinarum meditationi, ac lectioni piæ aliquam quotidie temporis partem traderent. Præterea ut elementa doctrinæ Christianæ rudibus explicarent: ut pacem foverent inter vinctos: ut feria quarta, & sabbato pium supplicantium agmen per carcerem deducerent: ut quotannis missionem quasi domesticam obirent in ipso carcere: denique ut dierum festorum venerationem omni pietatis officio prosequerentur. Hæc ut servari ab illis, ut observari ab aliis cœperunt, dici vix potest, quantum universè mutaverit rerum facies. Obstructus illico aditus aleæ, scortis, ebrietati, cæterisque pestibus, quæ pridem ibi stabulabantur. Pro impiis & obscenis vocibus, quibus antea carceres per momenta singula personabant, nunc divina cantica, & Virginis laudes exaudiri. Nullæ jam rixæ, rara jurgia, pax & quies insolita, charitas vero tanta, ut cum adducebantur ex provinciis novi catenatorum manipuli, mirarentur majorem in modum. Occurrebant enim venientibus pii sodales, eos alloquio blando, & cunctis benevolentiæ significationibus excipiebant: abluebant iisdem pedes, cœnam, & lectum parabant. Manavit interea in publicum rei tam insperatæ fama, & urbem admiratione complevit. Rescivit præ cæteris Archiepiscopus Neapolitanus Octavius Cardinalis Aquaviva, eaque re plurimum delectatus, florentem pietate & numero Congregationem confirmavit, ejusque omnes leges ratas esse ac firmas jussit. Ejusdem postea curam in perpetuum suscepit domus Professorum, certo designato Sacerdote, qui in procurationem illius sodalitii totus incumberet. Quæsitus etiam inter Proceres civitatis patronus, qui cœtum per se ignobilem illustraret dignitate sua, auctoritate tueretur, videretque ne quid contra illum præter ordinem fieret.

5. Petrus Ferracutus primum vinctorum sodalitium instituit.

6. Pii instituti fructus uberrimi, ejusque confirmatio.

7. Alia duo sodalitia ad utilitatem vinctorum eriguntur.

Hinc, ut proclive est ex bene cœptis ad meliora transire, altera sodalitas vinctis nobilioribus est addicta, quæ præter leges cum priore communes, hoc ha-

Digitized by Google

haberet peculiare, ut ſodales ſemel ſingulis annis ſpiritualibus S. Ignatii exercitiis animum excolerent, ut vinctorum pauperum, & ægrotantium curam præcipuam gererent, ut ſacrum Viaticum, quando ad morientes defertur, cum accenſis facibus deducerent. Dicata fuit ſodalitas B. Virgini ab Angelo ſalutatæ. Tertia demum acceſſit congregatio, prioribus quaſi auxiliaris. Nomen illi a Sanctiſſima Trinitate. Complectitur ſelectos cives, qui regio tribunali, ſeu *Vicariæ*, novant operam. In hoc potiſſimum verſatur eorum ſollicitudo, ut vinctis morbo laborantibus opem ferant, curamque præcipuam gerant mulierum, quæ in peculiari carceris parte (domum pœnitentiæ vocant) incluſæ detinentur. Tribus ſodalitatibus ita conſtitutis, videbatur vinctorum corporibus animiſque ſatis conſultum. Non ſatis viſum eſt Sodalibus Miſericordiæ, quod ſodalitium eſt in urbe Neapolitana frequens, & inclytum. Illi ergo in partem pii laboris venientes, ſuam libentiſſimè contulerunt operam veſtiendis, alendis, collocandis in idoneo conclavi vinctis, præſertim recens advenientibus, qui tanto ſæpe numero, tam improviſi, tam rebus omnibus deſtituti ſuperveniunt, ut niſi maturè proviſa fuerint quæ ſunt ad vitam & valetudinem neceſſaria, repentinis opprimantur morbis, & è medio tollantur, quod olim non raro accidiſſe conſtabat. In hunc uſum tranſcripſere partem ampli proventus, quem in pauperes erogandum adminiſtrabant. Atque hæc quidem omnia, citius feliciuſque quam putaret, confecta vidit Ferracutus, ſaluberrimi operis præcipuus auctor, & parens. Idem poſtea, ſuperatis quæ objiciebantur difficultatibus, pervicit, ut triduo ante Dominicam quinquageſimæ in ſacello carcerum ſolemnis quadraginta horarum ſupplicatio perageretur. Idem adoleſcentibus intra carceres extruenda curavit duo ſeparata conclavia, ubi ſeorſum a natu grandioribus, & extra periculum injuriæ cuſtodirentur. Eodem auctore, ſua eſt excitata mulieribus ædicula, in qua divinæ rei copiam haberent quotidie, confeſſionis vero piacularis quotieſcunque opus eſſet. Non tamen putandum, nihil egiſſe dæmones ut hæc ad animarum ſalutem tam bene conſtituta convellerent. Omnes ex adverſo moverunt machinas, vim, fraudes, odia, inſectationeſque adhibuerunt. Ferracutus Neapoli, ac Romæ falſis criminibus eſt circumventus, ac penè oppreſſus. Sed eorum ingratiis ſtetit utiliſſimum inſtitutum, & ad hanc uſque ætatem feliciter perſeverat. Boni contra ſic eo ſunt delectati, ut primores civitatis, ac præcipui Magiſtratus regii tribunalis, datis ad Præpoſitum Generalem litteris, agere gratias illi ſuo, urbis, ac Regis nomine non dubitaverint.

8. Sodalitas Miſericordiæ vinctis benefacere inſtituit.

9. Alia Ferracuti beneficia erga carceres, ejuſque ob eam cauſam moleſtiæ.

Inter hæc læta, cooritur ex improviſo tempeſtas periculoſa, quæ Patres Neapolitanos multum jactavit. Erat Romæ apud nos puer egregiæ indolis ex illuſtri Spinellorum genere, Marcellus nomine, eminebatque inter Convictores Seminarii Romani pietate, ingenio, & in addiſcendis litteris diligentia. At incenſus Societatis ineundæ deſiderio, nec veniam a parente exorabat, nec ſine illa expugnare Præpoſitum Generalem poterat, ut ſe reciperet. Perſtitit annum integrum orare, atque obſecrare fruſtra. Cum videretur a pio propoſito dimoveri non poſſe, ejuſque potius vota vehementius in dies incaleſcerent, Neapolim abducitur juſſu parentis, Tarſiæ Principis, attinetur domi famulorum cuſtodia ſeptus, ab omni noſtrorum commercio arcetur. Anguſtias loci, & paternam indignationem pertulit aliquandiu Marcellus. At demum, acuente ingenium explendi voti cupiditate, cuſtodes clam fefellit, fugam arripuit inobſervatus, ac denuo Romam venit, ubi tantum precibus & lacrymis valuit apud Generalem Præpoſitum, ut voti compos effectus, & tironibus aggregatus fuerit. Ut cognovit de filii fuga pater, vix credibile quantam irarum molem conceperit. Adit e veſtigio Proregem (erat is Petrus Gironus Oxunenſium Dux), fidem ejus & æquitatem implorat, ereptum ſibi filium queritur, orat obteſtaturque, ut Jeſuitas ad eum redhibendum compellat. Viſa Proregi æqua poſtulatio, neque res factu difficilis; pro certo enim ſumebat, non exceſſiſſe Neapoli adoleſcentem, ſed alicubi a noſtris occultum detineri. Noſtros ergo admonet, ſibi ut Marcellum quamprimum ſiſtant. Excuſare illi adoleſcentis abſen-

10. Marcellus Spinellus in Societatem recipitur parente invito.

11. Quot inde perturbationes ortæ fuerint, adverſo nobis Prorege.

Digitized by Google

ſentiam: facti culpam, ſi qua eſſet, a ſe amoliri. Non audiebantur. Cum res in longum extraheretur, Prorex contemptum ſe & dignitatem ſuam putans, ut erat in iram pronior, diſponi circa domos Societatis præſidia militum jubet, cum acri mandato, ne quem ingredi, egredive ſinant. Illatam viris lociſque ſacris vim, jura Eccleſiæ violata, non otioſi ſpectarunt Archiepiſcopus Cardinalis, & Pontificius Nuncius. Nihil eſt factum propius, quam ut libelli anathematis contra regios miniſtros per urbem affigerentur. Sed cum hi ſcribebantur, jam Prorex milites revocaverat, parabatque alia via moleſtiam Societati exhibere. Paucis interjectis diebus, denunciat Patribus, deliberatum ſibi eſſe abolere ſodalitates omnes in noſtris domibus inſtitutas: clandeſtina ſcilicet conventicula non eſſe permittenda apud homines dubiæ in Regem fidei, qui ſemper jura Pontificis contra regiam poteſtatem tuerentur. Ea denunciatione trepidatum eſt in noſtris ubique domiciliis. Apparebat enim plus nimio exulceratum eſſe Proregis animum, conſtabatque non deeſſe in aula malevolos, qui aptis criminationibus, & ſermunculis oleum, ut ajunt, camino adderent. His rebus cognitis Mutius, memor in ſimili offenſione delinitum ab ſe fuiſſe Gironum, uti libro proximo de rebus Sicilienſibus agentes dicebamus, ſcripſit ad eum litteras dignitatis ſimul & obſervantiæ plenas, ſed nullo ſucceſſu. Adhibuit apud eundem validos deprecatores, nec tamen iratum placavit. Servabatur nimirum operis perficiendi laus B. Parenti Ignatio, cujus demum interventu & beneficiis omnis eſt illa acerbitas mitigata.

12. Delinitur Prorex B. P. Ignatii beneficiis.

Dies erat Ignatii anniverſaria, eaque die angebatur plurimum Prorex, quod nondum apparerent naves aliquot bellicæ, quas cum pluribus centuriis militum ab Hiſpania expectabat. Certo ſciens eas a longo tempore vela feciſſe, nec ignarus quot quantiſque periculis maritima itinera ſint obnoxia, adverſi aliquid metuebat. Illato de hac re ſermone in conſeſſu nobilium, ſe quidem, inquit, minimè dubitaturum B. Ignatio, utcunque meriti de ſe eſſent ejus filii, lychnum argenteum mille aureorum donare, ſi naves cum milite incolumes reciperet intra menſem. Hæc ille pridie Cal. Auguſti. Triduo poſt naves Neapolim tenuerunt. Jam ergo voti damnatus, & beneficio obſtrictus, aliam erga nos induere mentem cœpit vir optimi cæteroqui moris, & nobis tunc quidem iratus, ſed nunquam inimicus. Acceſſit poſt paulo novum Ignatii beneficium, quo ira eſt omnis extincta penitus, atque deleta. Tentabatur gravi ac permoleſto morbo Prorex, cumque nullam neque noctu, neque interdiu partem quietis caperet, perferri ad ſe juſſit aliquid ex Ignatii reliquiis. Dum eas exoſculatur, remiſit momento febris æſtuans, nec ita multo poſt prorſus evanuit. Hic enimvero deditionem fecit Oxunenſis; ac reputans indignum eſſe, cum beneficia acceperis a parente, non aliquam vicem exſolvere ejus filiis, faciendum omnino ſibi ſtatuit, ut amicitiam priſtinam redintegraret cum Societate, deleretque inſigni aliqua honoris & benevolentiæ ſignificatione injuriam cuſtodiarum, nobis ante ſex menſes illatam. Id eo a ſe deberi putavit magis, quod reſciverat, pro ipſius valetudine indictas fuiſſe apud noſtros in communi preces,

13. Idem in æde noſtra inſignem edit celebritatem, mutati animi documento.

& multiplex piaculorum genus adhibitum. Deliberanti quid opus facto eſſet, ſubiit celebritatem inſignem edere in æde Profeſſorum, quo die agebatur feſtum B. Virginis ſine labe conceptæ. Ad hunc igitur diem, cum ornata prius fuiſſet ejus ſumptu Baſilica inuſitato ſplendore ac pompa, affuit ipſe cum magno procerum comitatu, affuſoſque obviam Patres amicè admodum comiterque allocutus, non ſolum quæ intra ædem peracta ſunt religionis officia præſentia illuſtravit ſua, verum etiam devectum longo circuitu per celebriores urbis vias ſimulacrum Virginis religioſè deduxit. Ea porro ſupplicatione nihil magnificentius, nihil poſt hominum memoriam ſplendidius. Parietes domorum, quacunque tranſeundum fuit, peripetaſmatis diverſi generis erant intecti. Surgebant in viarum capitibus triumphales fornices, cum inſcriptionibus, & emblematis. Legiones per locorum intervalla diſpoſitæ ſignum Deiparæ minoribus baliſtis ſalutabant, more bellico. Baliſtis majori fragore ex arcibus reſpondebant tor-

Digitized by Google

tormenta curulia. Urbs tota ſuis prope convulſa ſedibus præ gaudio videbatur. Producta fuit in noctem lætitia. Feneſtræ omnes ac viæ nocturnis luminibus, & feſtis ignibus coruſcarunt. Omnino acta res principali magnificentia, de qua ut multus fuit per eos dies ſermo Neapoli, ita una omnium audita vox, Oxunenſium Ducem facto tam honorifico reddidiſſe Societati cumulatiſſimè, ſi quid antea in æſtu iracundiæ, aut cuſtodiarum ignominia, aut verborum inclementia detraxiſſet.

14. Averſæ ſtatio Societatis collocatur, mox a noſtris deſeritur.

Averſæ interim, quæ civitas regni Neapolitani notiſſima, novum domicilium tribuitur Societati, ſed quale nec optari à nobis, nec retineri diu poterat. Epiſcopus ejus urbis Carolus Carafa, cum eſſet anno præterito Romæ, aliquot popoſcerat à Mutio Socios, ſpem minimè dubiam faciens, intra breve tempus collegium erectum iri. Mutius ut ei morem gereret, tres ire Averſam juſſit Sacerdotes, cum Fratre rei domeſticæ adjutore. Jerunt illi libentiſſime: at domicilium paratum ipſis erat nullum, præter ſeminarium Epiſcopale, cujus tantum adminiſtratio Societati offerebatur. Patres, qui ſe ad uſitata ordinis miniſteria vocatos crederent, ſua ſpe fruſtrati, & alienum a ſe cenſentes in regendis duntaxat paucis adoleſcentibus occupari, referre continuo pedem cogitabant. Prius tamen Præpoſitum Generalem per litteras docuerunt quo res eſſent loco: ſimul quid opus facto eſſet, exquiſierunt. Manere eos juſſit Mutius, & curam ſeminarii ſuſcipere; cum hoc tamen, ut nec alumnos aſſectarentur per urbis vias, nec in eorum conclavibus habitarent, nec rei familiaris œconomicam adminiſtrationem attingerent. Conſenſit in conditiones Epiſcopus. Patres in loco manſere, curam gerentes omnium, quæ ad ſtudia litterarum, ad pietatem, ad diſciplinam domeſticam pertinerent. At ſexto poſt menſe, cum nulla affulgeret collegii inſtituendi ſpes, Epiſcopus autem mutati animi præberet indicia, cum bona ejus venia ſtationem deſeruere.

15. Res Provinciæ Venetæ. Reſidentia Regienſis in collegium erigitur.

Felicius in Provincia Veneta ceſſit ſtationi Regienſi. Eam civitas ante annos ſeptem ſuſtentare cœperat, certo conſtituto proventu, quantumvis modico. Nunc duo germani fratres ex familia Ruffinia nobili, ac locuplete, eamdem, collata patrimonii parte, in collegium extulerunt. Dubitavit nonnihil Mutius, utrum iis nomen & prærogativas Fundatorum tribueret. Ut enim eſſent de collegio inſigniter meriti, videbantur tamen perfeciſſe illud potius, quam ex integro condidiſſe. Sed expenſa donationis magnitudine, & huic addita ſingulari beneficentia, qua ſemper antea noſtris ultro citroque commeantibus hoſpitium Regii præbere conſueverant, dignos cenſuit, quos Regienſis collegii fundatores appellaret. Per idem tempus orbatur Provincia Veneta cariſſimo, & optimo moderatore ſuo P. Octaviano Navarola, nec minus multis quam veris lacrymis jacturam tam cari capitis dolet. Natus erat Cremonæ Navarola ante annos amplius ſexaginta. Bononiæ diem clauſit extremum XVII. Cal. Octobris, nondum evoluto biennio regiminis, quo cum eximia omnium approbatione fungebatur. Ab omnibus, tum noſtris, tum etiam externis, vir ſanctus habebatur, & paſſim audiebat: quæ laus homini tanto debebatur æquius, quanto magis humiliter ac demiſſe de ſe ipſe ſentiebat. Cum eſſet iis dotibus egregiè inſtructus, quæ ad gubernandum requiruntur, eas tamen ipſe non videbat unus, ſumma proinde contentione ſuperiorem quemlibet locum in Societate refugiens, & imparem ſe atque indignum exiſtimans. In gerendis magiſtratibus religioſæ diſciplinæ cuſtos, & exactor erat adeo diligens, ut hac una re videri ſubmoleſtus poſſet. Id ſi exciperes, nihil Navarola fieri benignius poterat, nihil humanius. Iraſci, aut quempiam durioribus verbis accipere, nunquam eſt viſus, quantumvis acer natura, & fervidus. Auctoritate parcius utebatur, nec in quemquam ſeverius quam in ſe exercebat imperium, hanc uſurpare vocem ſolitus, bene detrahi auctoritati quidquid charitati additur. Nulli parcebat curæ in ſublevandis, conſolandis, reficiendis ægrotantibus: nulli ſumptui, ut neceſſaria ſanis ac valentibus præſidia compararet; tanto diligentior in procurandis alienis commodis, quanto negligentior in ſuis. Cum verſaretur in Germania,

16. Obitus & elogium P. Octaviani Navarolæ.

Digitized by Google

(ubi & Brunenſe tirocinium ad multos annos, & totam deinde provinciam Auſtriæ rexit) meram ad potum aquam adhibebat, ne ad potentium geniales epulas invitaretur. Hiberna frigora, quibus Longobardiæ cœlum riget, dum provinciam viſitandis collegiis percurrebat, vel foco, vel pexa & molliori veſte ut leniret, adduci nunquam potuit. Licet urgentibus negotiis vigilare interdum ad multam noctem cogeretur, ſomnum tamen non producebat ultra conſuetam ſurgendi horam, ut deſtinatum meditationi tempus cum cæteris traderet. Arte opus erat, ut ei veſtis nova in locum annoſæ ac detritæ ſubſtitueretur. Ægerrimè ferebat Medicorum in gravi & ignoto, quo demum conſumptus eſt, morbo conſultationes, & exquiſita remedia, ſanitatem effœti jam ſenio corporis, ac ne vitam quidem tanti eſſe dictitans. Morti proximus rogavit humi deponi, ut Chriſtum in nuda cruce mortuum propius imitaretur.

17. P. Franciſcus Stadiera Societatem deſerere ſtatuit.

Hoc ita ſublato viro, parum ac prope nihil abfuit, quin alium æquè memorabilem nobis adimeret, non mors, ſed morte penè dixerim luctuoſior ejus levitas, & inconſtantia. Fuit is P. Franciſcus Stadiera, acris ille quidem ingenii vir, & exquiſitæ eruditionis, quam longo ſtudio, & labore aſſiduo comparaverat: ſed vitio naturæ inquies, aſper moribus, parumque tractabilis. Ex omnibus quæ Societas complectitur miniſteriis, nulli minus aptus videbatur, quam habendis concionibus. Non vox, non actio congruebat. Ille non aliud malle, & præter hoc unum, à cæteris abhorrere. Non inveniens in tota provincia ubi pacatè viveret, multis affligebatur angoribus, quorum cauſas, non ut debebat in ſe, ſed in ſocios ac Præſides rejiciebat. Quod itaque remiſſioribus religioſis non raro perſuadet ejuſmodi ægritudo, conſilium cepit ad alium ordinem tranſeundi. Re deliberata, miſſionem à Præpoſito Generali petit, illud etiam atque etiam rogans, ne moras uſitatas, ſed inutiles nectat: omnem quippe cunctationem ſibi, non ad mutandam voluntatem, ſed ad moleſtiæ cumulum valituram. Non difficilem ſe præbuit Mutius. Rectè exiſtimans, hominem tam inquieti ſpiritus, quantumvis doctum, ſemper moleſtum & gravem Societati fore, facile induxit animum ut poſtulatis annueret. Stadiera potens voti factus, diem conſtituit, qua ad alia caſtra migraret. Incurrebat forte in illam diem feſtum Pauli Apoſtoli ad Chriſtum converſi. Pridie ejus diei ſub noctem, cum ſe cubitum contuliſſet Stadiera, tot ſimul pungi cœpit conſcientiæ ſtimulis, tot æſtuare ſollicitudinum fluctibus, ut ſomnum captaret fruſtra. Blanda, ſed valida vi ad Deum compellebatur. Exclamat, ut olim Paulus: *Domine, quid me vis facere?* ac totidem reſponderi verbis audit: *Quod antea feciſti, ſed melius*: quas voces poſtea teſtabatur, perceptas ſibi fuiſſe ipſis auribus, cum maximè vigilaret, & omnino ſui compos eſſet. Vix autem ea, & confeſtim ipſi quoque, ut Paulo, ſquammæ ex oculis ceciderunt. Vidit, quæ antea dura & intoleranda exiſtimaverat, nihil habere, quod non facillimè ferri Deo adjuvante poſſet. Vidit quibus irretitus fuiſſet à ſtygio veteratore tendiculis, in quod barathrum ſe præcipitem daret. Exhorruit, gratias egit Numini, mentem & conſilium mutavit: neque ſolum Societatem non deſeruit, ſed ducto inde vitæ ſanctioris exordio, totum ſe Deo ac virtuti tradidit, totum obedientiæ permiſit. Uti nunc cœpit, ita perrexit poſtea uſque ad extremum, exemplo domi foriſque ſemper laudato: donec anno ſæculi trigeſimo, lue Bononiam vaſtante, dum ægrotis vitæ ſuæ prodigus famulatur, piè deceſſit. Exſtat poſthumum ejus opus, quod *Fallacias explicatas* inſcripſit: aureus liber, & ſtudioſis Chriſtianæ perfectionis cum primis utilis.

18. Miſſione impetrata, conſilium divinitus mutat, & perſeverat in Societate.

19. Res Provinciæ Mediolanensis. Fructuoſi Patrum labores in caſtris Allobrogum, & Hiſpanorum.

In Provincia Mediolanenſi, flagrante adhuc bello, quod ante biennium exarſerat inter Allobroges & Hiſpanos, noſtri apud utroſque pietatis arma ſuo more tractabant. Ex una parte pervaſerat in caſtra Allobrogum ſæva morbi vis, quæ multos, præſertim Gallorum auxiliarium, proſternebat. His præſto fuerunt Patres Taurinenſes. Diſtributi enim per militaria Noſocomia, audiendis confeſſionibus, miniſtrandis ſacris, ægrotis recreandis ſedulam operam impenderunt. Ex altera, ut plures Germanorum legiones Hiſpano militabant, multique in iis in-

Digitized by Google

inveniebantur hæreſi Lutherana, quæ peſtis multo nocentior, infecti, operam haud minus utilem Patres Mediolanenſes poſuerunt. Amplius ſeptuaginta fuerunt Hæretici per eos ad Eccleſiam reducti. Erat eodem anno Genuæ P. Nicolaus Promontorius, quamque pridem Romæ fundaverat, & in alias deinde Italiæ urbes invexerat, menſtruæ ſynaxeos religionem, hic quoque conſtituendam curabat. Succeſſu non caruit pium conſilium. Accepta res eſt approbatione omnium ordinum ſumma; cumque periculum fieri placuiſſet in S. Ambroſii, primo illo die de ſacro epulo participarunt Genuenſes magno numero, uſque ad quadraginta millia. Eandem mox conſuetudinem Promontorius tranſtulit Alexandriam, nec diſpari eventu. Sed, quod dolendum maximè, nec tamen diſſimulandum, id illi rerum in Societate geſtarum ultimum fuit. Etenim haud multo poſt tantæ frugis operarius ab ea defecit, utile documentum relinquens poſteritati, primam Apoſtolici viri curam eſſe oportere, ut ſaluti ſuæ, & perfectioni conſulat. Cauſas tam nec opinatæ mutationis non habeo dicere. Tantum in monumentis invenio, Alexandria Sarzanam veniſſe Promontorium, ut longævæ matris mœrorem & orbitatem conſolaretur: inde Romam reverſum, miſſionem flagitaſſe adeo pertinaciter, ut extorſerit.

20. Inſtitutum menſtruæ communionis propagatur per Patrem Nicolaum Promontorium.

21. At idem mox a Societate deficit.

Pertinet ad Mediolanenſem provinciam inſula Corſica. Dividitur perpetuo montium altiſſimorum jugo, à ſeptentrione in meridiem ducto, in partes duas. In ea parte, quæ boream & orientem ſolem ſpectat, Baſtia, regni primaria civitas, gaudebat jam collegio Societatis. Alteri, verſus occaſum & auſtrum porrectæ, datum eſt hoc anno ſuum in urbe Adjacio, quæ primum poſt Baſtiam obtinet toto regno locum, ſive multitudinem civium, ſive copiam mercimoniorum ſpectes. Collegio condendo ſumptum contulere nobiles æquè ac pii cives Genuenſes, Joannes Stephanus Auria, Marcus Antonius Auria, & Joannes Lucas item Auria, nec non Petrus Franciſcus Salutius. Adjacium ergo appulere VII. Idus Octobres Sacerdotes Societatis quatuor, & bini minoris ordinis Clerici, prima naſcentis collegii familia. Quibus honoris & lætitiæ ſignis excepti fuerint, non eſt dictu facile. Urbem intrantibus affuſi obviam ſunt magno numero cives, fauſta illis omnia comprecantes. Flexis eoſdem genibus ſalutabant è populo plures, ſeque enimvero beatos prædicabant, qui tales Dei miniſtros, tandiu fruſtra expetitos, tandem eſſent divino munere conſecuti. Viſum Patribus nihil eſſe cunctandum, quominus amantiſſimam civitatem Evangelico miniſterio ſuſciperent excolendam. Exculta eſt, miſſione ſacra ad octo dies producta, magnum operæ pretium factum. Erat civitatis conditio admodum miſerabilis. Populus otio & deſidia marcebat, ſimulque turpi cœleſtium ignorantia laborabat. Sacerdotum par inſcitia, graviora etiam flagitia. Nullum in veſte diſcrimen a populo: audacia incredibilis ad fovenda internecina odia, ciendaſque factiones, quarum ipſi duces erant, & anteſignani. Templa ſordida, ſqualida, inornata. Nonnihil erat in tantis malis ſolatii, gentis mira docilitas, qua feliciter utentes noſtri, fructum legerunt labori non exiguo parem, ſpe prope majorem. Rediit concordia in familias, in forum æquitas, in Deum & res divinas amor, ac veneratio. Puerilis ætas admirationi præſertim fuit. Qui prius vagi, petulantes, protervi, ludo, choreis, libidinibus indulgebant, jam litteris operam dare, modeſtiam ac pudorem ore ipſo, & inceſſu præ ſe ferre. Sic urbe novam in lucem è diuturnis tenebris velut educta, procurſum eſt in finitimos agros, exſtirpati vitiorum infelices tribuli, virtutum Chriſtianarum ſemen ubique jactum. Conati præcipuè ſunt Patres colligere opportunis locis Paſtorum & Agricolarum mapalia, per montes devios & ſaltuoſos temere ſparſa, ut ruſticani illi, & feroces incolæ, unius majoris oppiduli communione juncti, erudirentur facilius, & ſilveſtres animos citius exuerent.

22. Initia collegii Adjacenſis in Corſica.

Sed jam ab Italia gradum facimus in Germaniam, quæ ſuperior dicitur. Dux Neoburgenſium Wolfangus Wilhelmus, veræ fidei ſtudioſiſſimus Princeps, gnarus quantum momenti in recta puerorum inſtitutione ſit poſitum, quod pridem deliberabat de eripiendo Lutheranis magiſtris, & Societati tradendo gymna-

23. Primi Patrum Adjacenſium labores, & fructus.

24. RES GERMANIÆ SUPERIORIS. Gymnaſium Neoburgenſe Societati traditur.

Digitized by Google

mnaſio Neoburgenſi, id anno labente perfecit ad XVI. Cal. Februarii. Ea res vix credibile, quantum irritaverit Hæreticorum miniſtros. Illatam ſibi, ut rebantur, injuriam cum aliter ulciſci non poſſent, id ſaltem conabantur initio, ne cives liberos ſuos noſtris hominibus in diſciplinam traderent. Et vero multis perſuadebant. Hinc aliquandiu apud nos diſcipulorum mira paucitas, & ſcholarum triſtiſſima ſolitudo. Sed non propterea Patres, quod futurum ſperabant adverſarii, docendi provinciam dimiſerunt. Rerum uſu edocti, omnes bene cœptorum difficultates conſtantia minui, perrexere uti cœperant exiguum puerorum numerum inſtituere eodem ardore ac diligentia, ac ſi palæſtram haberent florentiſſimam; donec ſpe ſua dejecti cives, ac plane intelligentes, ratum fixumque eſſe Principi non alios Neoburgi profeſſores pati, quam noſtros, his demum ſuos liberos permiſerunt. Sic teneriori ætati conſultum. Adjecit deinde animum Princeps ad natu grandiores. His porro ut proſpiceret, pellere cogitabat è viginti admodum curiis Paſtores hæreticos, iiſque Catholicos ſubſtituere. Cunctabatur tamen ea ratione, quod nondum ſatis perſpexerat, quatenus id ſibi liceret. Dum ambigit, & Theologos conſulit, notatum eſt, inter cætera privilegia illi nuper à Pontifice Paulo V. conceſſa, eſſe uſum juris, ut vocant, patronatus in Parœcias minimum triginta, quas olim Præſules monaſteriorum adminiſtraverant. Id ſatis viſum ut anxietatem deponeret, & rem optatiſſimam, imò neceſſariam, non ultra differret. Cum non eſſent ad manus idonei Sacerdotes, qui tot ſimul ejectis Pſeudopaſtoribus ſubrogarentur, eos interim ſumi placuit de Societate. Subiere noſtri in vacuas ſedes quo decuit animo, ac ſtatim ſinceræ doctrinæ fontes recludere erranti populo inſtituerunt: quæ res hæreſi cladem paulatim in Palatinatu, & ultimam perniciem attulit. Hæreſeos vulnus haud leve fuit prompta tranſitio ad Catholicos Joannis Zeſchlini, viri doctrina egregii, & in aula Palatina Cancellarii, quem hactenus erroris tenaciſſimum ad deditionem coegit P. Jacobus Rheingius. Vulnera totidem fuerunt alii plures ſimiliter errorem dedocti, & expugnati. Sed de ſingulis dicere longum eſſet. Atque has tulit primitias collegium Neoburgenſe.

25. Pelluntur hæretici paſtores, & his noſtri ſubrogantur.

26. Labores Sociorum in variis Provinciæ locis, & laborum fructus.

In Eyſtadiano florebant quam ubi maxime miniſteria Societatis. Ex eo Berchingam ſunt miſſi Sociorum duo, ac præter alia præclarè geſta, Magiſtratui Berchingenſi perſuaſerunt, ut rudibus pueriſque, quorum lacrymabilis erat inſcitia, daret perpetuum Catechiſtam, à quo deinceps erudirentur. Alii duo Hervedam vocati, ut maleficos aliquot rogo damnatos ad ſupplicium piè ferendum præpararent, quamdiu ibi fuerunt, ea dedere modeſtiæ & charitatis exempla, ut accolæ Anſpacenſes, etſi hæretici, palam affirmarent, longè alios ſibi viſos eſſe Jeſuitas, quam à ſuis miniſtris audire conſueverant. Ad collegium Dilinganum duæ pertinebant per iſtud tempus ſtationes, Donavertana, & Abuſiacenſis, quarum neutra jam ſupereſt. Utraque fruges dedit non pœnitendas. Donavertæ intra biennium Lutherani amplius quingenti Catholicis aggregati fuerint. Abuſiaci à ſex fere annis conſidebat par Sociorum. De illis Epiſcopus Auguſtanus Henricus à Knoringio ita perſcribebat hoc anno ad Mutium:

27. Teſtimonium Epiſcopi Auguſtani de noſtris Abuſiaci conſidentibus.

„ Quantum fructus tam exiguo tempore collegerint Patres, qua publicis, qua privatis ſermonibus, probitate præſertim, & vitæ religioſiſſimæ exemplis, documento ſunt civium emendati mores, & nova pietas. Nam qui antea vix ſemel in anno adigi poterant, ut peccata confeſſione eluerent, & panem Euchariſticum ſumerent, nunc id aliquoties intra annum factitare magno numero ſolent„. Secundum hæc pergit rogare Mutium, ut duobus illis Patribus additos velit alios totidem, qui primas doceant litteras, & in vicos pagoſque circumjacentes excurrant. Morem geſſit optimo Antiſtiti Vitelleſchus: ſed non proinde illa ſtatio radices egit. Eluaci contra, quæ miſſio tantum incerti erat temporis, fit hoc anno ſtabilis reſidentia Dilingano collegio obnoxia. Eluacum vocati fuerant noſtri, ut quamplurimis maleficarum artium damnatis præſto eſſent in extremo ſupplicio. Id illi non minus ſedulò quam utiliter cum præſtitiſſent, duorumque annorum ſpatio tres ſupra trecentos ad rogum deduxiſſent, quæſtione demum

28. Conſtituitur reſidentia Eluacenſis.

de

Digitized by Google

de magicis artibus interminſa, parabant ad ſuos regredi. Vetuit Præpoſitus ejus Eccleſiæ Joannes Jacobus Plarer, decretum ſibi eſſe inquiens Societatem perpetuò habere apud ſe. Plurerium rogabat Præpoſitus Provincialis Chriſtophorus Grenzingus, ut Patres dimitteret. Injuſta poſtulari, reſpondit ipſe, quippe ſibi, ac populo Eluacenſi noxia. Neque vero ſe inducturum fuiſſe in animum, ut impoſitam dignitatem acciperet, niſi certo ſperaſſet, auxilio ſibi futuros homines Societatis. Non licuit tam benevolæ voluntati ultra obſiſtere. Relicti itaque ſunt Eluaci qui hactenus fuerant duo Sacerdotes, & exinde illa ſtatio ex temporaria in perpetuam tranſiit.

29. Res Provinciæ Auſtriacæ. Memorabilis converſio Michaelis Adolphi comitis ab Althan.

Etiam Provinciæ Auſtriacæ novas hic annus peperit domos, & primo collegium Crembſenſe. Sed de hoc prius quam dicam, aliquid de Fundatore dicendum eſt. Fuit is Michael Adolphus Comes ab Althan, qui ex perditè hæretico Catholicus ſtudioſiſſimus, totus erat in propagando Chriſti nomine & cultu, multus etiam in ornanda beneficiis Societate, cui ſuum ad fidem acceſſum ſe, ſecundum Deum, debere profitebatur. Intereſt vero ſcire, quæ tantæ mutationis fuerit cauſa. Pragæ cum eſſet, conſpicatus in ponte effigiem Chriſti è cruce pendentis, quam prætereuntes venerabantur, ut ſolebat Romana ſacra rituſque omnes impiè execrari, deriſit ſimplicitatem populi, & incuſſo altius capiti petaſo, commurmurans, ac frendens, ſuperſtitionem, ut ajebat, increpuit. Paulum inde proceſſerat; cum viſus illi ſubito pons dehiſcere, & aperiri ſub pedibus vorago terribilis, cujus in crepidine labaret ipſe, volvendus in præceps. Retulit ſemianimis gradum. Mox pœnam impietatis haud temere ſuſpicans, redit ad ſacram effigiem, honorem illi habet aperto capite, Chriſtum ſupplex orat, ut veniam licet immerenti det, & viam veritatis oſtendat. Ita precatus, in noſtrum S. Clementis collegium properat, eruditur, mutatur, Romanæ fidei ſacramentum dicit, è peſſimo denique Lutherano fit inſigni pietate Catholicus. Argumento eſſe poteſt votum quo ſe obſtrinxit, nihil unquam commiſſurum, quod alienum à divina voluntate cognoſceret. Ardua ſane res, quam tamen tam ſanctè præſtitit, ut omnia deinceps ejus conſilia, dicta, facta unicam Dei voluntatem gloriamque ſpectaverint. Hinc ſummus ille ardor propagandæ inter Ethnicos, Turcas, & barbaros fidei. Hinc voluntas egregia erga noſtram Societatem, quam videbat in hanc præcipuè divinæ gloriæ amplificandæ curam incumbere, quamque propterea pluribus augere ſtuduit collegiis, nulli parcens ſumptui, modo Chriſti regnum proferre poſſet. Longum eſſet percenſere, quot modis, quot impenſis religionem & pietatem amplificaverit in Boſnia, Valachia, Tartaria minore, viciniſque regionibus: quot templa diruta refecerit, refecta ornaverit, quot aras inſtauraverit, quot cœnobia ſuſtentaverit, quot captivos vindicaverit in libertatem, quot nobiles ob religionis cauſam fortunis everſos ſublevaverit, quot Eccleſiæ deſertores ad ejus gremium reduxerit ipſemet, aut reducendos curaverit. Quæ cum Urbanus VIII. P. M. cognoviſſet, nihil dubitavit litteras ad eum ſcribere perhonorificas, & tam illuſtrem virtutem verbis amantiſſimis gratulari. Imperatores vero Rodulphus II., Mathias, & Ferdinandus II., Adolphum, tanquam Heroem ad religionis & Imperii decus divino munere datum, eximiis honoribus ac præmiis ornaverunt.

30. Ejuſdem virtutes eximiæ, & inſigne ſtudium Catholicæ religionis.

31. Ejus ſumptu collegium Societatis erigitur Crembſæ.

Ejurata igitur hæreſi, Adolphus pactum iniit cum uxore Eliſabetha Stotzingia, matrona æquè nobili ac religioſa, ut de communibus bonis collegia Societatis, ubicunque poſſent, conſtituerent. Cogitantibus unde initium ſumerent, occurrit Crembſa, urbs Auſtriæ inferioris ad lævam Danubii ripam, undecim ferè millibus paſſuum citra Viennam; quæ cum eſſet ſitu opportuna, quippe commeantibus ultro citroque ad aulam Cæſaris obvia, & ad hæc civium frequentia, opibus, & rerum omnium copia in paucis florens, cæteris tunc quidem præferenda urbibus videbatur, cum præſertim civium pars multo maxima Lutherum ſectarentur. Re deliberata, tantum quærebatur Crembſæ aptus collegio collocando locus. Qua urbs ad aquilonem ſpectat, collis aſſurgit leniter acclivis. In eo ſummo templum erat B. Virgini ſacrum, amplum illud, ma-

Digitized by Google

magnificum, & operis elegantia ſpectandum, quod ſi Societati attribueretur ab Epiſcopo Paſſavienſi (erat is Leopoldus Auſtriacus, germanus frater Ferdinandi tunc Carinthiæ Archiducis, paulo poſt Cæſaris), cenſebat Adolphus, non alio melius loco collegium poſſe conſtitui. Rogatus itaque eſt de templo Leopoldus. Is autem, ut erat noſtri ordinis fautor eximius, non ſolum petitioni prolixè annuit, ſed etiam Canonicis, ut templi donationem à ſe factam ratam firmamque eſſe vellent, perſuaſit. At præter templum, nihil erat initio in jure Societatis. Quare cum adveniſſent noſtri Crembſam, apud Patres Capuccinos, ipſis benignè invitantibus, aliquandiu ut hoſpites habitaverunt, donec propriæ ipſis ædes à munificis Fundatoribus paratæ fuerunt. Pari religionis amplificandæ ſtudio motus eſt Ladislaus Popelius, ut Societatem induceret Holeſkoviam, ſuæ ditionis oppidum non ignobile in Moravia, ſed omnino hæreticum. Templa, & parœcias ibi omnes occupabant, partim Picarditæ, partim Lutherani. Catholico cultui locus erat nuſquam, niſi in arce, inter Principis familiares. Popelius ergo, ſupremus armorum dux in Moravia renunciatus, cum veniſſet Holeskoviam, quatuor evocavit è collegio Olomucenſi Patres, ut oppidanos ab errore ad veritatem adducerent. Id illi magno animo aggreſſi, multos brevi tempore Catholicis aggregaverunt: quodque jucundiſſimum accidit, fuit inter primos fortunati laboris fructus nobiliſſima virgo Anna Maria Comitiſſa de Salmis, Popelio ipſi deſponſa. Lætus ſucceſſu conſiliorum ſuorum Toparcha, Societatem ibidem collocare in domicilio ſtabili cogitabat. Dum ſecum deliberat qua iſtud ratione perficeret, commodum accidit ut miniſter Picarditarum committeret, cur deberet urbe ejici, & ſpoliari bonis. Arripuit occaſionem Popelius. Miniſtro ejecto, ejus domum, & domui conjunctam ſacram ædem Societati tranſcripſit, addiditque mox, unde Patres non incommodè ſuſtentarentur, prædiola, quæ ſceleratus acceperat a gregalibus. Ita conſtituta fuit domus Holeskovienſis, apta illa quidem, ſed brevis ævi futura. Duos annos circiter illam tenuit Societas, donec ſcilicet tota excedere Bohemia Moraviaque, ut ſuo loco narrabimus, coacta eſt.

32. Ladislaus Popelius Societatem inducit Holeſkoviam.

Quam multi fuerint hoc anno per totam latè Provinciam Auſtriacam ab hæreſi ad Eccleſiam revocati, nemo ſatis accuratè recenſuit. Exceſſiſſe eorum numerum ad multa millia, credibile faciunt fructuoſæ expeditiones ad diverſa loca ſuſceptæ, quarum ſpecimen ſubdo. Oppidum eſt in Auſtria frequens Eiſenſtadium, ſed quam frequens, tam erat hoc tempore corruptum. Regnabat ibi hæreſis adeo impune, ut vix Catholici ritus veſtigium exſtaret. Par noſtrorum ad illud per intervalla temporum excurrentes, totum ferè Catholicum reliquere. In Moravia amplam ditionem obtinet Antiſtes Olomucenſis. Caput ditionis Zara. Huic tria ſubſunt minora oppida, pagi duo ſupra quadraginta. Totam regionem adeo contaminaverant Huſſitæ prius, poſtea Lutherani, ut ſi pauciſſimos excipias Zaræ commorantes, Catholicorum nihil uſpiam inveniretur. Ita res habebant, cum Epiſcopus Franciſcus Cardinalis à Dietrechſtein duos è Brunenſi probationis domo Patres immiſit Zaram, ut concionibus publicis, privatiſque ſermonibus dogma Catholicum cæco populo perſuaderent. Perſuaſerunt tam feliciter, ut civitas univerſa Romanum cultum duo ante ſæcula abdicatum reſumpſerit. Ex urbe itum eſt in pagos & oppida circumpoſita, lætæ ubique fruges lectæ; niſi quod Muſticenſes oblatam veritatem diutius aliquanto, & pertinacius repulerunt. Sic ibi, ſic in aliis ampliſſimæ Provinciæ locis geſta res. Trecentos octoginta duos ad Eccleſiæ gremium adduxere Socii Pragenſes, in iiſque filium primogenitum Henrici Lavemburgenſis in inferiori Saxonia Ducis. Egregium juvenem dudum percuſſerat dignitas & ſanctimonia cæremoniarum, quibus religio Catholica Numinis majeſtatem ſenſibus velut admovet, animoſque per ſigna corporea ſapienter inſtruit. Illas cognoſcere ſtuduit accuratius, & latentem veritatem per hæc quaſi veſtigia ſecutus, aſſecutus etiam eſt Pragæ, quo ſe contulerat, ut inde in Cæſaris caſtra tranſiret. Verum in medio rerum ſecundiſſimarum curſu non nihil turbatum eſt Olomucii, atque hæc fuit occaſio

33. Hæretici ad veritatem adducti in variis Provinciæ partibus.

34. Fit Catholicus Pragæ Princeps Lavemburgenſis.

Jus

Digitized by Google

35. Perturbatio Olomucii orta, ejuſque exitus.

Jus olim conceſſerat Rodulphus Cæſar Academiæ Olomucenſi, ut de cauſis Academicorum nemo cognoſceret, præter conſtitutos ab ipſa Judices, idque ſemper antea ſervatum nemine reclamante fuerat. Accidit ut in agro ſuburbano jurgium neſcio quod oriretur inter nobiles aliquot ſcholaſticos, & agricolas. Jurgio dum ſe immiſcent ſcholaſticorum famuli, unum ex his villici capiunt, abripiuntque in carcerem ſui pagi. Eum collegii Rector P. Gregorius Rumer, ne Academiæ jus & immunitas læderetur, ſibi tradi poſtulabat. Sed cum abeſſet tunc Olomucio Cardinalis Dietrechſteinius Epiſcopus, & Gubernator Moraviæ, eaque propter per litteras agendum eſſet, dum litteræ ultro citroque commeant, moram iniquius ferentes academici, ſumptis armis ad pagum provolant, effringunt vi carcerem, exutum vinculis famulum in urbem ovantes inducunt. Nemo fuit Patrum, qui non id ut temere & inſolenter factum reprehenderet. Inventi nihilominus qui Cardinalem falſis relationibus occuparent, arguerentque homines Societatis ut facti conſcios, & tranquillitatis publicæ perturbatores. Haud difficile Rumero fuit calumniam diluere, ſeque ac ſocios culpa liberare. At de ſcholaſticis hac demum conditione paciſci debuit, ut qui vinctum extraxerant, illum reducerent in eundem carcerem, graviore pœna mulctandi, ſi facere cunctarentur. Paruerunt illi quamvis inviti: at ſimul quiritantes, tolli Academiæ ſua contra fas privilegia, eam frequentare deſierunt, multoſque ſodalium in ſocietatem ejuſdem conſilii traxerunt. Hinc in ſcholis, præſertim altiorum diſciplinarum, moeror, ſilentium, ac ſolitudo: donec novo ineunte anno Cæſar, confirmatis Academiæ priſtinis privilegiis, frequentiam ei quoque priſtinam, & lætitiam reſtituit.

36. Obitus & elogium P. Ferdinandi Alberi.

Inter has rerum vices, doluit Societas Auſtriaca, nec immerito, ereptum ſibi ſuum Præpoſitum P. Ferdinandum Alberum, patria Tirolenſem, quem prope ut parentem optimum, & obſervabat, & diligebat. Per omnes illuſtriores ordinis præfecturas traductus fuerat vir præclarus, ſuamque ita ſemper probaverat ſedulitatem atque prudentiam, ut hac præſertim cauſa dignus putaretur vita longiore, ut diutius imperaret. Eum Claudius Generalis, hominum æſtimator eximius, provinciæ Auſtriacæ primò, deinde provinciæ Superioris Germaniæ præfecerat, poſtremo ad Rhenanam cum poteſtate Viſitatoris miſerat. Eumdem cum accepiſſet à ſexta generali Congregatione pro Germania Aſſiſtentem, quo proximius intimiuſque agnoſcere potuit hominem, eo majori habuit in pretio. Itaque proxime moriturus, officii ſui Vicarium generalem reliquit pro tempore interregni, quo tempore Alberus univerſum ordinem cum ingenti laude adminiſtravit. Suffecto in Claudii locum Mutio Vitelleſcho, iterum Alberus præficitur Societati Auſtriacæ. At ejus domicilia dum luſtrat, in morbum lapſus, III. Cal. Novembres piè deceſſit Homonæ in Hungaria, cum numeraret vitæ annos novem ſupra ſexaginta. Paulo ante quam moreretur, Socios qui aderant ad ſollicitam inſtituti cuſtodiam ſupremis, & graviſſimis verbis eſt cohortatus. Hujus mœrorem funeris auxit obitus P. Joannis Hilin, Concionatoris, non Auſtriæ ſolum, ſed totius ferè Germaniæ præſtantiſſimi. Cooptatus fuerat in provinciam Germaniæ Superioris: ſed eum Ratisbonæ concionantem cum audiſſet Rodulphus Cæſar, Viennam traducendum curavit, ratus tantam dicendi facultatem non alibi melius, quam in urbe imperii ſede futuram. Annos ſeptem Hilinus conciones habuit in S. Stephani: quo temporis ſpatio multos ab hæreſi ad veram fidem, plures à ſolutioris vitæ genere ad frugem bonam reduxit. Fidem penè ſuperat, quantam obtineret opinionem virtutis, quanto apud omnes in pretio eſſet. Ut increbruit Viennæ, Hilinum periculosè decumbere, tota ferme civitas commoveri viſa. In duobus ſacrarum Virginum templis data in conſpectum populi ſacroſancta Hoſtia, & ſupplicationes quadraginta horarum indictæ, quas ſummi infimique frequentarunt. Quoſdam ferunt ſua capita Deo O. M. pro ipſius incolumitate devoviſſe, quod tamen effectu caruit. Mortuo pia ſodalitas à Chriſti corpore nuncupata funus quam apparatiſſimum celebravit in æde S. Stephani: Nec multo poſt proſtare palam cœpit Hilini

37. Obitus & elogium P. Joannis Hilin.

effi-

Digitized by Google

effigies ære inciſa, ac certatim empta, per totam latè Germaniam volitavit.

38. Obitus & elogium P. Petri Uragovitii.

Pari luctu Zagrabienſes civem extulerunt ſuum P. Petrum Uragovitium, de quo hæc memoriæ ſunt prodita. Adhuc tiro cum ſpatiaretur in agro ſolus, ab homine amenti ferro furiosè impetitus, confoſſuſque eſt tam alto vulnere, ut ex eo proximè moriturus putaretur. Dum ſe ad exitum comparat, vidit clara luce adſtantes Chriſtum, & ſanctiſſimam ejus Matrem. Lætus jucundiſſimo aſpectu, tendebat manus Uragovitius, rogabatque hinc divinum Servatorem, inde patronam, ac parentem ſuam amantiſſimam, ut ſe jam tum haberent ſibi comitem, & cœleſtem in patriam ducerent. Reſponſum eſt, placere ut adhuc viveret, & præmium tam opimum longo promereretur labore. Reipſa convaluit præter omnium opinionem, & ſpem. Reliquos autem vitæ annos triginta, per Tranſilvaniam, Hungariam, Croatiamque, animarum ſaluti totos impendit, donec, morbo ex laboribus contracto, finem actuoſæ vitæ invenit eo prorſus in loco, ubi ante annos circiter quinquaginta primam lucem hauſerat. Suprema funeris Antiſtes, Canonici, Patres Franciſcani, & ingens frequentia civium celebravere.

39. Res Poloniæ. Inſtituitur Barenſe collegium.

In Polonia duas, qui vertebat, annus peperit Societati domos, Barenſem, & Premislienſem. Podoliæ munitum oppidum eſt Barum, non procul Cameneco. Huc initio anni cum veniſſet Stanislaus Zolkevichius regni Cancellarius, & ſummus copiarum ductor, Regi ſignificandum curavit, perutilem fore Bari manſionem Societatis, utque opus à ſe meditatum perficeret, rogavit. Annuit prolixè Rex piiſſimus, & alendo in perpetuum noſtrorum pari vectigal certum attribuit. Tum Zolkevichius duos Barum vocavit Patres, rebuſque omnibus ad ipſorum munia neceſſariis inſtruxit. Barenſem ſtationem confirmavit poſtea, & beneficiis auxit Stanislaus Koniecpolkius Caſtellanus Cracovienſis. Sed viginti poſt annis, cum perduelles Coſaci omnia ferro & igne delerent, ea ſtatio, quamvis eſſet jam ad collegii dignitatem evecta, concidit, & ad ſtatum ſimplicis miſſionis redacta fuit. Quietiorem eſt experta fortunam ſedes Premislienſis. Civitas eſt Premislia parvæ Ruſſiæ, quam nigram vocant, intra Volhiniam, & Podoliam, haud procul Leopoli. Ibi ante annos ſeptem conſtituta fuerat paucorum capitum ſtatio, cura & favore Stanislai Siecinski Epiſcopi Premislienſis, & Hieremiæ Kraſiski Eccleſiæ Cathedralis Præpoſiti. Nunc annuente Societatis Præpoſito Generali, & adjuvante clariſſimorum civium liberalitate, nomen & jus collegii adepta eſt.

40. Reſidentia Premislienſis ad collegii ſtatum traducitur.

41. Supplicationes à noſtris inſtitutæ contra Turcas Cracoviæ.

De rebus ad ſalutem animarum in Polonia geſtis, multa ſunt in litteris hujus temporis. Nos aliqua carptim attingemus. Aderat prope regni fines magnus Turcarum exercitus, obtentu quidem puniendi Coſacos, qui anno ſuperiore proxima Tartarorum prædabundi incurſaverant, re tamen vera, ut plerique non temere ſuſpicabantur, infeſta arma illaturus in Poloniam. Ad avertendum periculum, Socii Cracovienſes inſtituerunt publici ſupplicii genus, quod cum totos duos menſes civitas uſurpaſſet, piè creditum eſt regno ſaluti fuiſſe. Eo quidem certè exacto ſpatio, Turca, quamvis numero & armis præfidens, non auſus cum regio exercitu confligere, abſceſſit innoxius. Lutherani hoc tempore annum agebant ſæcularem, miſerantque ſectæ principes & magiſtri ex Academia Vittembergenſi in Poloniam litteras encyclicas, quibus gregales ſuos excitabant ad celebrandam ludis & ſupplicationibus lætiſſimam, ut ajebant, inſtauratæ religionis memoriam. Hæ tamen litteræ prohibere non potuerunt, ne noſtrorum labore & induſtria, Lutherani centum & triginta ad Eccleſiæ ſinum redirent eodem anno Poſnaniæ, in toto autem regno ſeptem ſupra trecentos.

42. Hæretici ad Eccleſiam reducti Poſnaniæ, atque alibi.

43. Cameneci libidinum incitamenta ſublata.

Cameneci interim, magna urbis parte, ut anno præterito narrabamus, flammis abſumpta, confertim habitabant oppidani in paucis quæ reliquæ fuerant domibus, nullo ætatum ſexuumque diſcrimine, unde noxiæ fomenta libidinis, quotidiana flagitia, ac fere communia. Ea res noſtrorum vigilantiam excitavit. Alia incaſſum experti, Præfectum urbis admonuerunt ut, ad exſcindendam peſtem reipublicæ pernicioſiſſimam, gladium publicæ poteſtatis exereret, & neceſſariam malo pro-

Digitized by Google

providentiam adhiberet. A collegio Camenecenſi duæ pendebant ſtationes, altera Vinnicæ in Ukrania, altera hoc ipſo anno, ut ſupra demonſtravimus, collocata Bari in Podolia. Utraque fruges non pigendas noſtris operariis reddebat. Ukraniam P. Joannes Turowskius ad Mutium ſcribens, Poloniæ Indias appellabat: adeo ferax erat laborum, & animarum. Regio eſt ingentis ſpatii. Excurrit in longum, a Nitro Valachiæ flumine uſque ferè ad oſtia Boriſthenis, per trecenta circiter paſſuum millia, lata dimidio minus. Qua vergit in orientem ſolem, accolunt Tartari, gens religione ac moribus barbara, nunquam pacata, & crebris incurſionibus infeſta. Partem nigræ Ruſſiæ propiorem tenent Rutheni, Græcorum ſchiſmati conſentientes. His permixti habitant Polonorum non pauci, qui ante hoc de quo ſcribimus tempus, vix à ſchiſmaticis differebant: propriis enim deſtituti Sacerdotibus, rudes, inculti, religionem in poſtremis habebant. In hunc agrum, erroribus & vitiis miſerè ſilveſcentem, procurrere cœperant ante ſex annos Patres Vinnicenſes, totam obeuntes oppidatim, & per uſitata miſſionum officia excolentes regionem, dubites utrum majori ſuo incommodo, an fructu indigenarum. Multi ſane Ruthenorum cenſebantur jam à ſchiſmate retracti. Polonorum plerique aptè eruditi, & ſacris expiati, mores in melius verterant, & dignam nomine Chriſtiano vitam agitabant. Simili modo Socii Barenſes utilem navabant operam, tum apud milites regii exercitus, qui ibi in ſtativis erat, tum apud indigenas. Uſitatæ vulgo erant circa Barum ſuperſtitioſæ quædam morborum curationes: alia ejuſdem generis ſortilegia paſſim, & citra religionem adhibebantur. Labem hanc Patres brevi tempore ſuſtulerunt. Progreſſi inde ſunt ad Coſaccos, feroces natura populos, & militiæ nomine publicum quaſi latrocinium exercentes. Hos ab inſtitutis ſuis abducere difficillimum erat. Gens enim multitudine præpotens, armis aſſueta, longoque uſu & impunitate prædandi audaciam adepta, leges omnes magiſtratuſque contemnebat. Tamen ubi noſtros audire cœperunt, religione ac metu Numinis manſuefacti ſunt bene multi, & melioribus exinde artibus vitam tolerare inſtituerunt.

44. Labores & res geſtæ Sociorum in Vinnicenſi ſtatione commorantium.

45. Primæ fruges ſtationis Barenſis.

Par in Lithuania labor, laboris par utilitas. Octingenti & quadraginta, partim ex variis hæreticorum ſectis, partim è Græcorum ſchiſmate intra hunc annum Catholicis adjuncti numerantur. Ex collegio Niſviſienſi Patres per totam uſquequaque provinciam miſſi, præter alia multis in locis præclarè geſta, Novogrodecii auctores nobilitati fuerunt, ut Ariani dogmatis magiſtros aſſertoreſque pellerent, & ejus ſectæ reliquias penitus abolerent. E' Rigenſi duo in Curlandiam ſunt ducti ab Epiſcopo Culmenſi, quem Rex Sigiſmundus principem conſtituerat legationis ad reparandam in ea provincia rem Catholicam miſſæ. His autem adjutoribus, & adminiſtris, Epiſcopus divinam in Curlandia liturgiam, & cætera religioſi ritus officia reſtituit, calendarium ad normam Gregorianæ correctionis emendavit, frementes Lutheranorum Doctores irriſit, & ad ſilentium compulit. Legatus eodem tempore fuerat à Sigiſmundo Rege Adamus Koſſubuskius in eam Pruſſiæ partem, quæ Poloniæ beneficiaria cum ſit, Brandeburgico paret. Ire noluit vir clariſſimus, niſi legationis comitem & adjutorem haberet unum de Societate, quem ſumpſit è collegio Lomzenſi. Quatuor amplius menſes eum apud ſe detinuit Regiomontii, in ipſa ſede provinciæ; eidemque poſtea referebat acceptum, quod Catholicis jus utendi ſuis ritibus aſſeruiſſet, & in eorum æde palam Romana ſacra inſtauraſſet. Orſenſem agrum infeſtum habebant hoc anno Moſchi, quæ res degentibus in ea ſtatione Patribus impedimento erat, ne extra urbem pedem efferrent. Non tamen defuit intra urbem charitatis exercendæ materies. Cuſtodiebantur in vinculis Moſcorum militum plurimi diverſis velitationibus capti, & gravi inedia torquebantur. Moti eorum calamitate Patres, obire domos civium, ſtipem à ſingulis corrogare, panem quotidie, & quidquid rei cibariæ poterant, ſuis humeris ad vinctos comportare cœperunt. Miſericordiam ipſi mirati ſunt hoſtes, quantumvis barbari. Itaque viciſſim Moſcorum ductor clementer habere cœpit, quos habebat apud ſe captivos

46. Res Provinciæ Lithuanæ. Hæretici ad fidem revocati.

47. Acta noſtrorum in Curlandia, & in Pruſſia.

48. Patres collegii Orſenſis Moſchis captivis miſericordiam impendunt.

Digitized by Google

vos regii exercitus, eoſque mox Patribus ſine pretio remiſit. Præter hæc, multæ ubique mulierculæ ab infami quæſtu revocatæ fuerunt: multis negotiatoribus perſuaſum, ut rem iniquis pactionibus, vel alia fraude partam ſuis dominis reſtituerent. In quo genere memorabile eſt quod uni noſtrorum contigit Pultoviæ. Acceperat à pœnitente certum pecuniæ numerum, vel erogandum in pauperes, vel in aliquem pium uſum, ſiquidem incerti erat domini, pro libito impendendum. Pium neſcio quod opus meditabatur Pater, eaque propter pecuniam ſervabat in arcula repoſitam. Ecce autem nocte quadam, dum altè dormiebat, excutitur repente, & ſonum audit nummorum in terram decidentium. Miratus quid rei eſſet, proſilit lecto, lumen infert. Tota in pavimentum effuſa erat pecunia, arcula prorſus obſerata. Portenti novitate perculſus, nihilque certi habens quod apud ſe ſtatueret, nummos reponit denuo. Iterum nocte proxima effuſi ſunt, & eodem modo. Tum ille reputans, forte minus gratum Deo eſſe quem meditabatur pecuniæ uſum quantumvis pium, aut certe gratius fore, ſi ſublevandis egenis impenderetur, eodem die totam in pauperes erogavit. Atque hæc de Lithuania.

49. Memorabile exemplum pecuniæ in pauperes dividendæ, incerto domino.

Provincia Flandrobelgica, ad quam modo tranſgredimur, Bataviam complectitur, & cæteras Ordinum fœderatorum provincias. Anni fluxerant admodum triginta, ex quo Societatis homines hanc regionem ingreſſi, totos impendebant ſeſe animarum ſaluti. Baptiſmata infantium, rudiorum inſtitutio, expiandæ multorum conſcientiæ, danda conſulentibus reſponſa, nocturnæ vigiliæ, diurni & aſſidui metus, paucos Sacerdotes ita diſtringebant, ut iis reſpirare non liceret. Submittebantur interdum duo, treſve, qui oppreſſos onere immodico adjutarent; ſed ipſos quoque brevi pondus immenſum obruebat. Hoc demum anno impetratum eſt à Præpoſito Generali, ut certis urbibus aſſignarentur delecti Patres, qui laborantibus Catholicis, & opem enixè flagitantibus præſto eſſent, minore ſuo labore, ſed ad diuturnitatem certiore. Stationes locis undeviginti fuerunt conſtitutæ, nimirum Amſtelodami, Ultrajecti, Harlemi, Lugduni Batavorum, Delphis, Roterodami, Goudæ, Hornæ, Hagæ-comitis, Halcmariæ, Leowardiæ, Harlingi, Groningæ, Bolſwardiæ, Swollæ, Zutphaniæ, Neomagi, Vianæ, & Mildeburgi. Quid deinde in iſtis ſingillatim ſtationibus geſtum, toleratum, profectum fuerit, dicendum erit annis ſequentibus. Nunc quæ alicubi hoc præterito tempore acta ſunt, curſim indicabimus. Amſtelodami paucos ante annos vix cenſeri poterant centum, qui in Paſchalibus ſacra perciperent. Hoc anno ad duo millia ſunt numerati, præter trecenta conjugum paria legitimo, & Catholico ritu juncta. Roterodami, ante noſtrorum adventum, erant familiæ Catholicorum haud plures quatuor. Nunc cenſu facto, inventæ amplius trecentæ, quibus intra ſpatium ejuſdem anni centum & ſeptuaginta capita acceſſere. Hornæ, quæ caput eſt Bataviæ ſeptentrionalis, Operarius Societatis ex Anabaptiſtarum ſynagoga adultos fere centum & octoginta baptiſmo tinxerat, & ex aliis hæreticorum ſectis ultra ſexcentos veræ fidei reſtituerat: cum ex labore immodico morbum contraxit gravem, & periculoſum, ex quo cum putaretur proxime moriturus, reviviſcens civitatis pietas, & religio, ſuam in unius interitu extimeſcebat perniciem. Sed ne moreretur effecit admiranda mulieris charitas, dignam ejus vitam putantis, quam redimeret ſua. Audito noſtri Sacerdotis periculo, obteſtari Deum matrona fortis inſtitit, ut in ſe morbum viri populo tam neceſſarii, mortemque, ſi eſſet opus, transferret, eum vero ſervaret. Audivit orantem Deus, & ratum ejus votum habuit. Eodem quo Sacerdos morbo corripitur repente mulier. Paribus deinde momentis febris in illo ſenſim remittere, in hac intendi: donec eodem die alter e lecto vivus valenſque evaſit, altera ad ſepulchrum elata eſt. Alcmariam, ſive Almeriam, cum primum unus e noſtris acceſſit, vix inveniebat viginti oppidanos, qui ſacris concionibus intereſſe vellent. Poſtea quingentos, ſeptingentoſque lætus vidit. Eadem initio paucitas auditorum Leowardiæ, eadem deinde ubertas & copia. Ultrajectum, quod etiam Trajectum ad Rhenum vocant, quo reli-

50. Res Flandrobelgicæ. Status Societatis in Batavia, & fœderatis provinciis.

51. Fructus ubique collecti uſque ad hunc annum.

52. Charitatis exemplum inſigne a muliere editum erga unum ex noſtris.

53. Res utiliter geſtæ in aliis locis.

Digitized by Google

religioſiùs per novem fere ſæcula poſt magnum Willebrordum, primum Friſiæ Apoſtolum, Romana ſacra coluerat, eo luctuoſius poſtremis temporibus ab Eccleſia defecerat. Urbem ſectarum omnium colluvione conſpurcatam ita excoluerunt noſtri, ut jam apud opulentiores civium invenirentur ſacella plus quam viginti, in quæ Catholici coeuntes, cœtus celebrabant ſuos, & ſacris intererant. Gouda, præter Arminium cui ſe addixerat, ſequebatur etiam Memnonem novæ fabricatorem ſectæ, quæ in triginta ramos diviſa, in plures quotidie pullulabat. Multi Goudenſium nihilominus ad Eccleſiæ ſigna ſe recipiebant identidem. Multi hoc ipſo anno apud noſtrum Sacerdotem totius anteactæ vitæ labes ſacramento expiarunt, qui ab annis viginti aut quinquaginta ſacrum pœnitentiæ tribunal nunquam adierant. Ibidem emendata ſunt matrimonia plurima, quæ nullo ſacro nexu hæreſis colligarat. Sed ne eadem frequentius iterando ſatietatem legentibus afferam, reliqua ejuſdem generis prætermitto.

54. Labores & res geſtæ P. Joannis Riſerii.

Non tamen ſilentio tegam labores apoſtolicos P. Joannis Riſerii, quem in litteris hujus temporis præcipuè laudatum invenio. Ex uno capi de reliquis conjectura poterit in eodem agro deſudantibus. Egreſſus Amſtelodamo Riſerius cum veniſſet in vicinam Goytlandiam, sex ibi luſtravit pagos, agricolas vero, quorum pars multo maxima avitam religionem colebant, ſacris expiavit. Progreſſus inde eſt in proximam regionem, partim Geldricæ, partim Ultrajectinæ ditionis, eandemque impendit operam Catholicis fere viginti mille, qui paſtore Catholico deſtituti, ſacra, & doctrinam flagitabant. Arnhemii in Geldria cœnobium adhuc erat ſacrarum Virginum, quæ inter medias hæreſum ſordes, non modo veterem religionem, ſed & virginitatem, omnemque monaſticæ diſciplinæ formam inviolatè ſervabant, licet ad violanda inceſtis nuptiis ſacroſancta vota, præmiis propoſitis, & opimis oblatis conditionibus perpetuo ſollicitarentur, & nuper Senatus conſulto exutæ bonis fuiſſent, modica tantum penſione ad ſuſtentationem vitæ relicta. Eas Riſerius divino verbo, cujus erant appetentiſſimæ, pavit, ſacramentis refecit, ad conſtantiam denique egregiè confirmatas reliquit. Tranſiit poſtea Doesburgum, nobile oppidum, olim, ut incolæ gloriantur, à Druſo Cæſare conditum. Catholici Doesburgenſes, quæ major pars civitatis, venientem incredibili gaudio excepere, ejuſque præſentia, & miniſterio plurimum recreati, pari mox ſenſu mœroris abeuntem dimiſere. Doeſburgo egreſſum excepit Velavia, terræ ingens tractus inter Iſalam, & Rhenum. Erat ea regio frequens incolis natura ipſa durioribus, ac ſubagreſtibus, quos calamitas temporum incultiores adhuc, & horridiores fecerat. Sed hic habitus animorum non prohibuit, quominus ad noſtrum Sacerdotem confluerent magno numero, eique ſe erudiendos, & expiandos præberent. Hæc circuitione una præſtitit Riſerius, quæ quidem haud levia videri debeant, etiamſi ſola penſi habeantur itinerum, & Apoſtolici miniſterii incommoda.

55. Sociorum pericula in provinciis Fœderatis.

Quid quod accedebant proditorum inſidiæ, & iniquitas Magiſtratuum, ſemperque oculis obverſabantur immania pericula, lictores, multæ, vincula, opprobria, metus egeſtatis & necis? Catholicis enim Sacerdotibus tota Fœderatorum ditione interdictum erat. In Friſia autem proſcripti nominatim fuerant homines Societatis ob eam cauſam (decreti verba ipſa refero), *quod quoſcunque alloquerentur, ad Papiſmum traherent*. Excubabant ubique lictores, plena delatorum omnia. Longum eſſet jam dicere, quoties noſtri fuga, quoties latebris, quoties ope Numinis ſingulari, manus ſatellitum evaſerint. Fuit, ut de aliis ſileam, Harlingi in Friſia inſignis fraudum artifex Cornelius Wochem, quem ab immani odio, quo Catholicos inſectabatur, Papiſtarum diabolum vulgo appellabant. Homo ex omni concretus ſcelere, & ſæpe judicio publico infamia notatus, operam ſuam addixerat magiſtratibus ad conquirendos noſtros, & uni præſertim Harlingi tutò degenti inſidiabatur. Captata ergo hora, qua ſciebat plures apud eum Catholicos rei ſacræ cauſa conveniſſe, perrumpit ex improviſo in ædes cum ſatellitum globo. Sed dum ingenti molimine domus januam prius, & objectas deinde fores cubiculorum perfringit, evaſerat jam per

56. Unus noſtrorum fruſtra conquiritur Harlingi.

Digitized by Google

posticum Sacerdos, relicta altaris supellectili, cujus subducendæ spatium non fuit. Hanc impii prædones fœdè conspurcarunt. Totam mox diripientes & spoliantes domum, litteras interceperunt, quæ inter ipsum, & Societatis Præpositos a longo tempore commeaverant. Triumphavit, velut reperto thesauro, sceleratus Wochemus, nihil dubitans, grande aliquod mysterium in iis chartis contineri; quod Societati conflaret invidiam. Idem sperantes alii malevoli, qui litteras indiligentius pervolutaverant, eas omnes unum in volumen collectas in lucem ediderunt. Erat inscriptus liber *Occultus Mercatus Jesuitarum*, cui titulo, & errori occasionem dederant, quæ subinde occurrebant vocabula ad mercaturam spectantia. Nam quia periculosum erat in ea temporum iniquitate de religionis negotiis apertè scribere, ea solebant nostri explicare per ambages, & plerumque à negotiatione allegoriam sumebant. Ut legi cœpit liber, arcanum nullo negotio intellectum est: simul apparuit, quanta sollicitudine Præsides Societatis animarum salutem, Dei cultum, pecuniarum abstinentiam, tolerantiam laborum, virtutesque cæteras Patribus commendarent; quantam hi vicissim obedientiam profiterentur erga suos moderatores, quanta inter se conjunctione viverent. Doluerunt Magistratus hæc in vulgus spargi; ac veriti ne inde honor accederet Societati, unde quæsitum illi fuerat odium ac dedecus, exempla libri, quæcunque apud Typographum exstabant, abstulerunt.

57. Interceptæ ejus litteræ typis vulgantur.

58. Sed à magistratibus supprimuntur, quia Societati honorificæ.

59. Res Gallobelgicæ. Collegium Insulense novo censu constabilitur.

Per hæc novis beneficiis ornabatur Societas in Gallobelgica. Insulis ante aliquot annos civitas collegium nobis extruxerat: verumtamen non ea collegio assignaverat vectigalia, quæ alendo Sociorum justo numero essent satis. Quod tunc ob angustias ærarii non potuerat, hoc anno præstitit: qua nova beneficentia retulit à Mutio Generali litteras, quibus collegiorum Fundatoribus Societas gratum ac memorem animum profiteri solet. Neque vero commiserunt Patres Insulenses, ut amantissimæ civitatis liberalitas male in se collocata videretur. Eodem anno ad quatuor, quæ jam vigebant, sodalitia, addidere alia duo præcipuæ utilitatis. Alteri adscripti sunt adolescentes illiterati, & artium liberalium expertes. Alterum ex negotiatoribus Flandris conflatum est, quorum in ea urbe, propter commerciorum opportunitatem, magnus semper est numerus; atque hujus commissa est cura Sacerdoti Flandricè scienti, qui sodales materna lingua institueret. Quod habebamus Atrebati domicilium, adeo angustum, & à re familiari imparatum erat, ut collegii potius initium dici posset, quam collegium numeris omnibus absolutum. Absolverunt illud Monachi S. Vedasti, ac sane liberaliter. Structo enim à fundamentis templo magnifico, & apta domo, hanc demum etiam annuo censu dotaverunt. Quibus proinde viris religiosissimis, & de re nostra optimè meritis Mutius, ut æquum erat, nomen & jura Fundatorum attribuit. Præclara erant in collegium Montense merita illustris matronæ Antoniæ Godiniæ. Eadem nunc Montibus seminarium pro adolescentibus condidit, ampliſque ædificiis partim coemptis, partim de integro constructis, dotem consentaneam adjecit. Tamen oravit frustra Societatem, ut seminarii sic instructi curam susciperet. Id modo concessum est à Præposito Generali, ut Rector collegii Montensis Sacerdotem è populo unum eligeret, qui munere isto fungeretur. Sed progressu temporis, cum per ejus incuriam disciplina seminarii & fama seneſceret, permisit ad extremum Generalis, ut nostri per sese illud administrarent, suumque seminario Rectorem alteri non obnoxium imposuit.

60. Collegium Atrebatense a Monachis S. Vedasti perficitur.

61. Erigitur Montense Seminarium, & Societati committitur.

62. Sæviente pestilentia nostri tabidorum obsequio se devovent.

Sæviebat interim pestilens in provincia lues, multosque mortalium dira morbi vis prosternebat. Ut prima proruperunt mali semina, exarsit nostrorum impavida charitas, multi se curandis infectis magno animo devoverunt. Duaci, Namurci, Insulis, datæ illis sunt propriæ ac separatæ ædes, ne reliquos domesticos contagione inficerent. Ac Namurci quidem munus periculosum solis fere incubuit hominibus Societatis: Cæteri enim Sacerdotes, conterriti duorum Parochorum morte, abdiderant sese, nec audebant in ejusdem casus aleam se conjicere. E' nostris pestilentia afflati plures, solus Namurci extinctus Frater

Pe-

Digitized by Google

Petrus de Thier rei domeſticæ adjutor. Eodem lethi genere occubit Duaci Frater Michael Poix. Alii morbo tentati, Deo bene juvante conſanuerunt. Inſulis ex Fratribus domeſtica miniſteria tractantibus conſumpti tres, Petrus Perù, Tuſſanus Cabart, & Joannes Fendenier. Præter hos, duo Sacerdotes peſtem contraxerant: ſed quaſi in eorum capitibus publica periclitaretur ſalus, tot pro illis fuſæ preces, tot privatim ac publicè adhibita piacula, ut demum revaluerint. Conſpecti itaque ſunt haud multo poſt, reſumptis viribus, iterum ſuſpectas obire domos, & ſalutis eternæ præſidia languentibus circumferre.

63. Socii in e charitatis officio extincti, alii mirabiliter perſanati.

Audomari initia ejuſdem anni funeſtavit obitus P. Ægidii Scondonchi, quem inter illuſtriores provinciæ Gallobelgicæ viros meritò Societas numerat. Natus erat Brugis ante annos circiter ſexaginta, ferebaturque a parentibus diu ſterili uſis conjugio precibus impetratus. Id ille prædicari de ſe audiens, adhuc puer deberi ſe Deo totum ſtatuit, cœpitque in illa ætatula pietatem eximiè colere, cui ut vacaret unicè, Societatem adoleſcens iniit. Poſt varia inter nos munera rectè & laudabiliter geſta, cum Philippus II. Hiſpaniarum Rex ſeminarium Anglis adoleſcentibus Audomari conſtituiſſet, ei regendo formandoque primus omnium Scondonchus præfectus eſt. Familiam vero juvenum amplius centum ita compoſuit, iis gubernavit legibus & inſtitutis, ea diſciplinæ forma continuit, ut ſeminario Audomarenſi nihil per illud tempus eſſet pietate & litteris excultius, quod egreſſi poſtmodum ex illa religionis velut officina viri ornatiſſimi, reique publicæ utiliſſimi, comprobarunt. Cunctis ſpectabatur Scondonchus dignis religioſo Moderatore virtutibus, ſed prudentia in primis: Et quod mirere, cum eſſet legum exactor rigidus, effecerat tamen comitate, & modo agendi ingenuo ac liberali, ut ab illa juventute tanquam communis parens diligeretur. Compertum id maximè eſt III. Cal. Februarias, in quem diem incidit ejus obitus. Nulla enim eſt mœroris ſignificatio, quam ob ereptum ſibi Rectorem ſuum adoleſcentes optimi non ediderint. Idem annus eidem Audomarenſi collegio virum ademit de Anglicana miſſione præclarè meritum, P. Thomam Stannæum. Ex diœceſi Sariburienſi, in qua natus erat, Romam venerat adoleſcens conſervandæ ſtudio religionis, & inter Anglicani collegii alumnos cooptatus fuerat. Tranſiit inde in Societatem, ut peracto tirocinio natale ſolum repeteret, ac ſuis popularibus labores, vitam, mortem, ſi eſſet opus, ac ſanguinem devoveret. Haud ſecus atque promiſerat fecit. Multos & rectè vivere, & religiosè ſentire, & fortiter mori docuit. Urebat regios ſatellites hominis virtus, & felix ad hæreſim ubique debellandam induſtria. Sed quanto illi ad inveſtigandum ſagaciores, tanto ipſe ad ſe occultandum ſolertior. Latebræ tamen difficiles in parietum anguſtiis, in ſubterraneis cavis, in paluſtri, & uliginoſo ſolo, ut facile exploratores fallebant, ſic ejus vitam ægrè tuebantur, & eandem miſerè cruciabant. Demum comprehenſus, & in carcerem compactus, brevi ex incommodis complures morbos, & mortes quotidianas collegit, calculum, ſtranguriam, herniam, nervorum diſtenſionem, & rigorem. Jacebat in tetro ergaſtulo Stannæus cadaveri & trunco, quam vivo corpori ſimilior. Ex hoc tamen trunco laudem clementiæ quæſiverunt iniqui Judices, vitamque magna, & meliori ex parte raptam, condonatam perduelli, & immerenti prædicarunt. Fortaſſe puduit in publicam patibuli lucem proferre hominem membris fere omnibus captum, & hoc ſpecimine crudelitatis famam clementiæ, quam captabant, deterere. Igitur clam dimiſſus, conceſſit Audomarum præclarus exul, ubi paralyſi conſtrictus, diem extremum clauſit IV. Cal. Junias, annos natus ſexaginta duos.

64. Obitus & elogium P. Ægidii Scondonchi.

65. Mors & Elogium P. Thomæ Stannæi.

Pari noſtrorum luctu elatus eſt Treviris in provincia Rhenana P. Chriſtophorus Browerus, patria Arnhemienſis in Geldria, vir ſacra profanaque eruditione inſignis, eaque de cauſa, tum ab aliis eruditis viris, tum ab ipſo præſertim laudatus Cardinali Baronio. * Aſperrimos calculi, podagræ, atque arthitridis dolores pertulit fortiter ad annos plures. In extremo morbo rogatus à collegii Rectore, numquid ipſi religionem injiceret, aut moleſtiam afferret?

66. Res Provinciæ Rhenanæ. Mors & elogium P. Chriſtophori Brovveri.

* *Tom. x. act. edit. ad an. Chr. 968. n. 6.*

Digitized by Google

ret? pio animi ardore ſuccenſus: O *ſancta*, inquit, *Providentia! Quam bonum, & quam jucundum eſt in Societate mori!* Sic ille ſcilicet, quia ſemper vitam Societatis filio dignam vixerat. Obiit III. Idus Junii, anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſeptimo. Sed quam læta accidat hominibus verè religioſis dies extrema, luculentius exemplo ſuo docuit Fr. Joannes Cornelius, Coloniæ mortuus VI. Cal. Junii. Etenim poſtquam B. P. Ignatium piè admodum invocaverat, morientis ultima vox fuit *Alleluja*, in eaque ſpiritum reddidit. Ut audivit de Cornelii obitu Colonienſis Septemvir Ferdinandus à Bavaria, ad familiares converſus: *Equidem*, inquit, *niſi iſte æterna potitus eſt gloria, non video quis alius potiturus ſit*. Tantam Princeps conceperat opinionem de virtute illius. Natus erat Cornelius honeſto genere Amſtelodami. A prima juventute militiam ſecutus, Batavis per annos aliquot terra marique ſtipendia fecerat. At incenſus demum melioris militiæ deſiderio, mereri inter nos maluit in infimo domeſtici adjutoris gradu. Nulla eſt hujus ordinis propria virtus, quæ non in illo emineret, manſuetudo præſertim, charitas, & obedientia. Si quid temporis à ſui muneris occupationibus vacui nanciſceretur, id vel lectioni piæ, vel precibus totum dabat. Officio janitoris in collegio Colonienſi perfunctus eſt annos amplius viginti, nec quamquam ſenio & morbis fatiſcens, adduci unquam potuit, ut miſſionem à laborioſo & permoleſto munere peteret, aut illud exerceret remiſſiùs. Creditur præſciviſſe divinitus mortis ſuæ diem: cujus rei indicio fuit, quod extremo vitæ tempore nullum inferebat, niſi de cœleſti gloria, ſermonem, ut omnino in proxima ſpe ejus conſequendæ videretur.

67. Pretioſa mors & elogium Fr. Joannis Cornelii.

Quod pertinet ad res in provincia Rhenana geſtas, numerati hoc anno mille & quinquaginta ex partibus hæreticorum ad Eccleſiam traducti. Paderbornæ vero tres Societatis tirones exemplum edidere, quod in commendationem & decus ordinis univerſi ceſſit. Miſſi fuerant animi relaxandi cauſa in ſuburbanam ſilvam. Progreſſi paululum, hominem vident ſaucium, jacentemque inter dumeta, perfoſſo tam graviter latere, ut ex hiatu inteſtina diffluerent. Rogabat miſer opem querulo ejulatu. Opem pii juvenes ut animæ ſimul corporique ferrent, regreſſi in urbem propere, Sacerdotem & Chirurgum adducunt, illum ad expiandam hominis conſcientiam, hunc ad curanda vulnera. Eumdem mox feretro impoſitum, ſuis ipſi brachiis in urbem deportant, affuſa ad pium ſpectaculum omnis generis multitudine, in qua nec Heterodoxi continere ſe potuerunt, quin pie & generoſe factum admirarentur majorem in modum, laudarentque Societatem, quæ ſuos ſic educaret novitios, & tali virtute informaret. Sed quamquam his, & ſimilibus ſæpe laudibus ornaretur Societas ab hæreticis, eorum tamen odia non miteſcebant. Nec vero novum eſt odiſſe, quos non poſſis contemnere. Fridericus Elector Comes Palatinus Rheni adeo noſtros homines averſabatur, ut eorum neminem pateretur intra fines ditionis ſuæ conſiſtere. Caſu accidit ut e collegio Wormatienſi egrederentur duo Patres, neſcio quo profecturi. Dum per Vangiones tranſeunt, capti ſunt ab immiti armatorum manipulo, abductique in urbem proximam onuſti vinculis, quaſi fuiſſent in aliquo ſcelere deprehenſi. Rogantibus cujus delicti pœnas luere cogerentur, reſpondit Prætor, deliberatum eſſe Principi Jeſuitas omnes habere ut hoſtes, eoſque arcere finibus imperii ſui, propterea quod verborum lænocinio, quaſi dulci veneno, inficerent populos, & Papiſmi erroribus enecarent. Quæ locutus, utrumque contruſit in ſeparatos carceres, inedia ac ſiti maceravit ad multos dies, demum eductos faceſſere actutum juſſit.

68. Hæretici ad Eccleſiam reducti. Tres Societatis tirones ob charitatis exemplum valde laudati.

69. Duo noſtri inhumaniter habiti in ditione comitis Palatini.

Minus quidem acriter, ſed non minore malevolentia nobiſcum egit Senatus Wormatienſis hæreticus. Videns diſcedere quotidie a ſignis aliquot ſuæ ſectæ, & crebris tranſitionibus augeri partes Catholicorum dolens, vetuit degentibus Wormatiæ Patribus, ne quem deinceps haberent cum civibus de religione ſermonem. Non acquievit tamen iniquo edicto Rector collegii P. Ludovicus Frankeſtein. Appellavit Imperii leges, quibus Catholicæ religionis libertas aſſerebatur: negavit aperte ſe, ſuoſve in ea re ſubeſſe Senatui: ſe demum uti velle opti-

70. Decretum Senatus Wormatienſis contra Societatem. Noſtrorum conſtantia contra illud.

Digitized by Google

optimo ſuo jure ſine cujuſquam injuria pronunciavit. Quod ne magnificè magis quam verè dixiſſe videretur, injunxit Patribus, uti ſuis fungi liberè miniſteriis pergerent. Juſſa fecerunt illi magno animo, ac præter alia, recurrentibus Paſchalibus, ſupplicationem ſolemnem inſtituerunt, quæ tanta omnium ætatum atque ordinum frequentia eſt celebrata, ut adverſarii, in quorum oculis res acta fuit, mœrorem diſſimulare non potuerint. Longè alio erat erga nos animo Senatus Colonienſis Catholicus. Documento ſit quod ſubjicio. Poſcebant noſtri, ad extruendum Coloniæ templum, ædes neſcio quas collegio vicinas, ubi fuerant hactenus balnea civitatis. Dum res in Senatu deliberatur, non nemo, ut interverteret conceſſionis decretum, repulſam obtendebat alterius familiæ religioſis idem olim petentibus datam. Sed excepere alii contra, nemini omnium iniquum videri debere, Senatum Colonienſem dare nunc Societati, quod aliis noluiſſet. Non eadem eſſe omnium ordinum in rem publicam merita. Coloniæ quidem quod inter tot undique graſſantes hæreſes religio incolumis permaneret, Societatis præcipuè curis, laboribus, & induſtriæ acceptum referri oportere. Sic illi pro egregia ſua in noſtrum ordinem voluntate. Ac ſecundum hæc Senatus, non modò ædes quas dixi tradidit Societati, verum etiam decreto, quod ea de re factum eſt, teſtimonium honorificentiſſimum dedit officiorum, quæ ad illam uſque diem Societas Colonienſibus præſtitiſſet.

71. Judicium Senatus Colonienſis Societati perhonorificum.

Progredimur ad res Gallicas, & narrationis initium à Lugdunenſi provincia ducimus. Dienſi miſſioni additur hoc anno Vivarienſis, liberalitate Ducis Vantadorii. Quippe Dynaſtes pius, ut purgaret ab hæreſeos labe terras ſuæ ditionis, id omnino ſibi faciendum cenſuit, ut in eas Societatem induceret. Lugduni nondum abſolutum erat collegii ædificium, quod nobis civitas dignum ſe, & opulentia ſua excitabat: cum cives, haudquaquam territi ſumptuum magnitudine, paris magnificentiæ templum moliri cœperunt. Id illis conſilii primus injecit urbis Antiſtes Dionyſius de Marquemontio. Nam cum veniſſet Calendis Januarii in veterem collegii ædem, & vix perrumpere confertiſſimam turbam intra illius anguſtias potuiſſet, occaſione inde ſumpta, cives cohortari vehementer cœpit, ut laxiorem extruerent Societati baſilicam: quæ cum res initio magna omnium approbatione fuiſſet excepta, Carolus de Neufuille dominus de Alincurtio, provinciæ Gubernator, ſe quidem promiſit, ſi manus operi admoverentur, minime dubitaturum ædificare ſuis impenſis apſidem novi templi. Alii ſuam ſe collaturos ſymbolam ſpoponderunt. Re igitur in communi deliberata, decernitur auguſtæ molis Baſilica, auguſtiſſimæ Trinitati ſacranda. Deſignatur area, operi inchoando deligitur ea prorſus dies, in quam celebritas ſanctiſſimæ Triadis incidebat. Ea verò die cum acceſſiſſent ad locum, hinc Hierarcha cum Sacerdotum collegio, inde Gubernator cum flore nobilitatis, ille primum lapidem ſolemni ritu dedicavit, hic eundem in fundamenta dejecit. Quo immortali ſuo beneficio Lugdunenſes, ſi quid unquam Societas mereri de illis ſtuduit, cumulatè rependerunt.

72. Res Provinciæ Lugdunensis. Inſtituitur miſſio Vivarienſis. Novum Lugduni templum extruitur.

Aliter affecti erga nos erant per illud tempus Aquenſes, nondum penitus obliterata apud eos veteri ſuſpicione, qua noſtri homines plus nimio Hiſpanis addicti ferebantur. Fuit è Senatoribus qui crimen Societati quærens, litteras finxit à Rectore collegii Barchinonenſis miſſas ad P. Grangerium, qui forte ex collegio Avenionenſi venerat Aquas ſextias ad concionandum. Rogabatur iis litteris Grangerius de rebus Gallicis, tunc civili tumultu turbidis, accurate perſcribere. Reſpondit bona fide, nihilque adverſi ſuſpicans Grangerius, ſibi concionum laboribus occupato, nec ſatis notas eſſe res Gallicas, nec otium ad eas curioſius inveſtigandas ſuppetere: aliquos audiri civilium armorum ſtrepitus, ex quo Princeps Condæus fuiſſet in cuſtodiam traditus: ſpem tamen eſſe, omnia brevi, ac feliciter compoſitum iri Regis & Reginæ conſiliis: Cæterum ſibi, quamdiu Aquis ſextiis commoraretur, minus gratas accidere ejus litteras: eſſe enim Aquenſes noſtro nomini ſubinfenſos, quod plerique ſuſpicarentur, totam Societatem ſtare ab Hiſpanis: ſe propediem reverſurum Avenionem. Hæc ille, quæ

73. Calumnia contrà P. Grangerium conficta Aquis ſextiis.

Digitized by Google

quæ dum Barchinonem ferri arbitratur, audit per urbem circumferri suas litteras, legi passim, & à multis in sequiorem partem intelligi, quasi exstaret in illis indicium perfidiæ. Sensit Grangerius insidias ab aliquo veteratore sibi structas, nec de ipso doli fabricatore difficulter cognovit. Fiducia conscientiæ erectus, adit Senatum, publicam implorat fidem. Atrox enimvero Senatoribus videbatur, potuisse hominem sui ordinis tam indignis artibus in famam & caput innocentis grassari. Multa in uno continebantur scelera gravi animadversione digna: suppositio, interceptio, publicatio litterarum, dolus, calumnia. Res erat testatissima, scriptura ipsa falsarum litterarum accusante suum auctorem. Cum tamen homo vecors in judicium vocatus omnia incredibili contumacia pernegaret, satis visum Senatoribus admonere acriter collegam suum, ne quid tam alienum a sua dignitate inceptaret in posterum. Simul Grangerio innocentiæ testimonium publicis litteris datur. Utque ex uno documento constaret, vel falsa, vel certe suspecta habenda esse quæcunque tunc, & voce, & scripto ad opprimendam Societatem vulgabantur in eodem genere, placuit hanc totam actionem publicis tabulis consignatam perpetuo servari in secretiori Senatus tabulario. Quo demum fraus adeo non fuit Societati detrimentosa, ut ejus in utilitatem potius, Deo protegente, verterit. Sic Aquis sextiis.

74. Diluitur non sine probro ac dedecore auctoris.

75. P. Joannes Georgius metu populi excedere cogitur Montepessulo.

At quam odiosa sit nationi hæreticorum Societas, declaratum est Montepessuli, quod oppidum erat hoc tempore ex parte maxima Calvino addictum. Eo venerat accitu Episcopi P. Joannes Georgius, clari nominis concionator, ut verni jejunii tempore conciones sacras haberet. Ejus adventu præsentiaque plebs adeo commoveri, fremere, tumultuari cœpit, ut prope in apertam seditionem prorumperet. Extimuit periculum Episcopus, non contempsit Dux Vantadorius provinciæ Gubernator. Ambo itaque Georgio, quid consilii caperet dubitanti, auctores fuerunt, ut secederet paululum, & sævienti turbini se subduceret, dum tempestas desedisset. Id futurum brevi spondebant: curæ enim sibi fore, ut quiescerent interea concitati civium animi, nec esse dubitandum quin intra paucos dies redire posset, obsistente nemine. Re ipsa cum cessisset loco Concionator, plebs mitigari visa: quæ causa fuit, ut aliquot dierum intervallo Antistes eum denuo arcessendum putaret. Placuit tamen adhibere industriam, ac ne populari forte impetu mœnibus excluderetur, eundem ipse Præsul revehere secum statuit in eadem rheda. Hoc consilio extra urbem progressus ad teli jactum circiter, assidere sibi ad latus Georgium jussit, cum eoque subibat urbem, nihil hostile suspicans, debitæ sibi reverentiæ fiducia. At sua illum opinio lusit. Ut auditum in urbe, redire cum Episcopo invisum Jesuitam, exarsit veteri odio populus. Rhedæ appropinquanti occursum magno agmine, & occlusæ portæ sunt. Rogabat Episcopum multitudo, seu verius jubebat procaciter, ut Jesuitam dimitteret, ut urbem solus intraret. Qui cum negaret se ingressurum sine illo, perstaretque in sententia immotus, eum simul & Jesuitam cum insigni injuria aditu prohibuerunt.

76. Oppidanorum insignis contumacia contra ejus loci Episcopum.

Duos interim dignos annalium memoria viros Lugdunensis provincia desideravit, Gulielmum Crittonium, & Franciscum Caguinum, illum Sacerdotem, hunc Fratrem rei domesticæ adjutorem. Crittonius nobili loco natus in Scotia, receptus in Societatem fuerat à P. Didaco Lainio, ante annos septem & quinquaginta. Cum esset prudentia, charitate, vigilantia, & omnibus imperandi artibus egregie instructus, collegia Lugdunense, & Avenionense administravit. Ex Gallia missus in Scotiam, rem ibi Catholicam augere bonis initiis cœperat, persuaseratque jam Duci Lenoxio Jacobi Regis pueritiam moderanti, ut eum catholice institueret. Sed prævalentibus Hæreticis, irrita fuerunt tam præclara consilia. Cogitur Lenoxius fuga salutem quærere, quo summoto, Crittonius etiam regno ad tempus cessit. Iterum navigabat in Scotiam: at circa Ostendam capitur à Piratis, & in Angliam devehitur. Triennium egit in carcere Londinensi, donec solutus est ab Elisabetha vinculis, & abire compulsus. Nihilo tamen minus tertio pervasit in Scotiam cum aliis quatuor de Societate, quorum opera, & la-

77. Mors & elogium P. Gulielmi Crittonii.

Digitized by Google

& laboribus magna nobilium Scotorum pars Eccleſiæ reſtituti fuerunt. Multas hinc & longas peregrinationes pro ſalute ſuorum popularium ſuſcepit Crittonius. E' Scotia in Hiſpaniam, inde Romam, Roma in Belgium, atque iterum Romam venit. Remiſſus demum in Galliam, Lugduni in ſenecta uberi diem clauſit extremum, v. Idus Junii. Ejus maximè induſtria duo Scotis adoleſcentibus fuerunt ſeminaria inſtituta, Romæ unum, alterum in Belgio. Frater Franciſcus Caguinus, cum rem familiarem, & bona omnia collegii Lugdunenſis adminiſtraret, in tanta curarum multitudine, & varietate, ſive domi eſſet, ſive rure, ſive intra ſepta collegii, ſive in itineribus, nullam negligebat earum rerum, quæ ad cultum animi pertinent, nihil ſibi præripi de quotidiano piarum exercitationum penſo patiebatur. Hoc rerum cœleſtium ſtudio minimum trahebat ex terreno illo pulvere, quo, ut ait S. Leo, neceſſe eſt etiam religioſa corda ſordeſcere. Qui cum eo vixerunt familiariſſime, teſtabantur, vix leviorem ullam in ejus vita noxam ſibi perſpectam aliquando fuiſſe. Prius quam Societati ſe traderet, nulla re magis delectabatur, quam erudiendis doctrina Chriſtiana pueris, ſolitus eorum greges in triviis compitiſque convocare, & ad audiendas divinas inſtitutiones munuſculis allicere. Id cum præſtare non poſſet in Societate, ex paternis bonis, quæ collegio Lugdunenſi tranſcripſit, certum deſignavit ac perpetuum cenſum, parandis in uſum catecheſeos munuſculis, quibus ætas puerilis capitur, & ad æmulationem accenditur. Erat Caguinus honeſtiſſimi generis, & latinis litteris haud leviter tinctus. Quare Moderatores poteſtatem illi fecerant ad Sacerdotalem ordinem aſcendendi. Sed oblatum honorem vir modeſtiſſimus conſtantiſſimè repulit. Obiit Lugduni, uti vixerat religioſiſſimè, III. Id. Auguſti.

78. Et fratris Franciſci Caguini.

Duobus, quos ſupra nominavi, æquum eſt ut alios duos adjungamus eximios viros Toloſanæ provinciæ ereptos, P. Joannem Pujolium ſenem emeritum, & tironem unius anni Franciſcum Rivultium. Pujolius patria Ruthenenſis, ut inſtare ſibi horam extremam ſenſit, publicè profeſſus eſt, magnum ſibi ſolatium, & parem oppetendæ mortis fiduciam afferre, quod annis omnino quinque ſupra quadraginta, ex quo nomen dederat Societati, nullam neque loci, neque muneris mutationem à moderatoribus poſtulaſſet aliquando, aut injunctam reſpuiſſet. Miniſtrum egerat in collegio Anicienſi per annos continenter duodeviginti, ac toto eo tempore domeſticæ diſciplinæ exactor fuerat, non ille quidem importunus, ſed tamen ſummè diligens, nemini autem ſeverior quam ſibi. Omnium, quæ ad corporis uſum cultumque pertinent, deterrima ſeligebat. Reperta eſt poſt ejus obitum ſcheda, in qua notaverat ſelectiſſimas de religioſa perfectione ſententias, hiſque, affirmabant domeſtici, vitam ejus per omnia conſenſiſſe. Rivultius, etſi adhuc novitius, ita ceſſit è vita, ut optimus quiſque veteranorum velit. Eo cum decumberet morbo, cujus eſt paulatim peſtifera tabe conſumptus, mœrentibus cæteris, ipſe exilire gaudio, ſollicitare votis mortem, ac tardam dicere, præter cœleſtia nihil cogitare, nihil loqui. Pridie obitus, aſſidentem lectulo Rectorem contuens lætabundus: *Ad cœlum*, inquit, *mi Pater, ad cœlum*. Tum identidem Deum alloquens: *Ita ne*, ajebat, *Tantulæ operæ, bone Deus, tanta merces*? Creditur migrationis ſuæ diem, & horam ipſiſſimam divinitus præſenſiſſe. Indicio eſt, quod ante quam moreretur quatriduo, diſertè affirmavit, quatuor ſibi eſſe reliquos vitæ dies. Die autem quatridui ultima percunctatus, quota eſſet hora? cum audiſſet eſſe ferè duodecimam, dolere ſe dixit, tantum adhuc ſupereſſe ejus diei: ſe tamen, addidit, in noctem non dilatum iri. Dicti veritatem affirmavit eventus. Hora enim poſt meridiem ſeptima pius adoleſcens ad ſuperos, ut ſperare fas eſt, evolavit.

79. Res Provinciæ Toloſanæ. Obitus & elogium P. Joannis Pujolii.

80. Et Franciſci Rivultii tironis.

His ita ad triumphum abeuntibus, bellum urgebant inexpiabile contra errores, & vitia qui relinquebantur commilitones, nec ſine laude certabant. Egreſſi in diœceſim Ruthenenſem duo Patres, totam cum ſacra miſſione peragraverunt, & Apoſtolici laboris ubique impreſſa veſtigia reliquerunt. Quocunque adventarent, præter privatas multorum inimicitias, deferebantur ad eos etiam forenſes

81. Labores, & res geſtæ Sociorum per provinciam Toloſanam.

Digitized by Google

Civitatum lites, ut ipsorum arbitrio finirentur. Multæ hoc modo finitæ compositæque sunt, sine strepitu, ac sumptu. Itaque, si paulo diuturnior esset illa missio, affirmabant Causidici, in tota regione perpetuum justitium fore. Similiter ex collegio Aniciensi procurrerunt in Vivariensem diœcesim alii duo Patres, & totam oppidatim lustraverunt. Quid ubique viri præstantes bene ac salubriter gesserint, longum esset per partes exequi. Illud ad memoriam insigne, quod in cunctis fere locis ad quæ itum est, ad augendum Eucharistiæ cultum sodalitates pias instituerunt, quarum esset proprium ac perpetuum officium sacrosancto altaris mysterio honorem, ac venerationem exhibere. Ejusmodi sodalitatum erectæ sunt sexaginta circiter. Similia de aliis provinciæ collegiis litteræ tradunt, quæ ego, ne satietatem legenti afferam, prætermitto. Interim

82. In collegio Bitterrensi nova aperitur schola pro Parochis agrestibus.

Narbonensis Antistes, dolens magnam populi sui partem, præsertim rusticos, haud satis eruditos divinis rebus & excultos esse, idque confieri ex eo putans, quod Rectores agrestium curiarum turpi inscitia laborarent, cœpit ex his senos septenosque subinde mittere ad Bitterense collegium, ut res scitu necessarias tandiu docerentur, donec ad eas docendas apti viderentur. Præsulis consilium magna est utilitas consecuta, nec vero sera. E Parochis doctioribus cito in plebem manavit notitia earum rerum, quas Christianis hominibus nefas nescire: qua re delectatus Episcopus, necessitatem imposuit Patribus novam aperiendi apud se scholam, in qua seorsum à cæteris erudirentur homines ætate, officioque spectabiles.

83. Res Provinciæ Aquitanæ. Socii fructuosè laborant in Bearnia.

Similia ferme sunt, quæ reperiuntur in actis provinciæ Aquitanæ; nisi quod hic hæresis quasi dominans, nostrorum conatibus validè resistebat. In Bearnia, cum sectæ principes multis, aliisque coercitionibus absterrerent gregales suos, ne à Calvino descisceret, haud satis erat veritatem ostendere errantibus, sed quod multo difficilius, permovendi erant præterea, ut mallent fortunas, patriam, gratiam domesticorum amittere, quam in errore versari. Paucorum fuit hæc virtus & gloria, cum præsertim desudantes ibi Patres, occulte regionem ingressi, abstinere publico cogerentur, nec auderent hæreticorum fidei se committere. Tamen fructu non caruit labor inter Catholicos. Restituta est jejuniorum severitas, sacri cæremoniarum ritus ad antiquæ disciplinæ normam revocati: quarum rerum paulatim negligentia apud eos irrepserat, vel oblivio. Vasatensium Antistes Joannes de Barraut par Sacerdotum ex collegio Burdigalensi sumpserat, quibus in inspicienda diœcesi sociis, & adjutoribus uteretur. Quocunque itum est, concurrebant ad eos summi infimique expiandæ animæ causa, atque illi vicissim omnibus præsto erant: Ut miraretur ex æquo Præsul, quam nostri ubique habebant opinionem virtutis, ac patientiam charitatemque, qua laborem immodicum tolerabant. Generalis Præpositus Monachorum Grandimontensium, collapsam in uno quodam è suis cœnobiis disciplinam videns, ac pro merito dolens, ad eam excitandam adhibere statuit operam Societatis. Petenti datur e collegio Lemovicensi Sacerdos prudens, & industrius, qui apud Monachos ad plures dies commoraretur. Pauci præterierant dies, & jam hortando, monendoque, priorum institutorum formam illi familiæ restituerat. Inter Santones invaluerat hæc apud populum opinio, inesse hominibus Societatis arcanum quoddam, & quasi divinam artem componendi dissidia, quod persuasum habebant usque adeo, ut ad eos interdum iter bidui triduique se conferrent non alia causa, quam ut veteres inter se inimicitias ipsorum arbitrio finirent. Ob eam unice rem tres hoc anno familiæ ex Santonibus Engolismam venerunt, & quem sibi proposuerant itineris fructum cumulatissime retulerunt. In Aginnensi collegio puer annorum undecim audierat sæpe Præceptorem suum cum diceret, parentes nonnunquam à liberis discere quæ salutis interfint, & posse eorum monitis, si opportune adhibeantur, ad pietatem incendi. Accidit ægrotare graviter ipsius patrem, nec inveniri qui auderet ægrotantem admonere periculi, aut verbum ullum de confessione piaculari cum illo facere. Officium desertum à cæteris arripuit generosus puer, pa-

84. Fructus collecti in aliis provinciæ partibus.

85. Memorabile exemplum pueri de parentis salute æterna solliciti.

Digitized by Google

patrem periculi certiorem fecit, tergiverſanti perſuaſit, ut ſaluti æternæ proſpiceret, tandiu demum inſtitit orare atque obteſtari, donec ille, arceſſito noſtræ Societatis Sacerdote, confeſſionem peregit, ac plenus optimæ ſpei ex hac vita migravit. Viſa res quibuſcunque innotuit in tantula ætate admirabilis: viſa nobis non indigna his annalibus; cum maximè documento eſſe poſſit, quantum interſit pueros præceptis optimis imbui, quidque in cereos illos animos valeat vox magiſtri. Sed gradum ad alia faciamus.

86. Res Provinciæ Campanæ. Fundatur collegium Barroducenſe.

Secundus hic annus erat à conſtituta provincia Campaniæ: idem Barroducenſis collegii primus fuit. Barroducum, urbs ampla, & elegans, caput eſt ditionis, quam Barenſem Ducatum vulgo nominant. Huc ante ſeſquiannum Dux Lotharingiæ Henricus mitti curaverat Societatis aliquot operarios, utique ſperans fore, ut poſtquam cives illorum operam experti eſſent, ad eos perpetuò retinendos adjicerent animum. Non fefellit prudentiſſimum Principem ſua ſpes. Gymnaſium erat publicum cum annuo proventu, ex quo Ludimagiſtri conducebantur. Sub initium hujus anni cum obiiſſet gymnaſii Rector, occaſionem arripuit Præfectus urbis, & ad conſilium omnium ordinum retulit, placeret ne gymnaſium illud tradi Patribus Societatis Jeſu? quam relationem approbante omnium conſenſu, paucos poſt dies traditum eſt Societati gymnaſium, noſtri in ejus poſſeſſionem immiſſi. Reclamabat decreto civitatis unus civium, & nonnullas obtrudebat moras, gymnaſium contendens jure, ut dicitur, patronatus ad ſuam familiam pertinere, utpote ab avo neſcio quo ſuo fundatum. At Henrici Ducis beneficio delinitus, juri tandem ſuo libens & volens ceſſit. Hæc habuit initia Barroducenſe collegium in provincia Campaniæ.

87. Res Provinciæ Castellanæ. Collegium Salmanticenſe ex integro ædificatur regio ſumptu.

In Hiſpania, atque in ea Hiſpanienſium provinciarum, quæ Caſtellana dicitur, collegium Salmanticenſe numerabat ab ortu ſuo annos circiter ſeptuaginta. Nunc tamen ortum eſt denuo, ac tanto quidem magnificentius, quanto auguſtiores habuit fundatores. Jamdiu Margarita Auſtriaca Hiſpaniarum Regina, amantiſſima noſtri ordinis femina, tale ibi collegium excitare conſtituerat, quod non modo provinciis Hiſpanicis, verum etiam tranſmarinis quoddam quaſi ſeminarium ſacrorum miniſtrorum eſſet. Rem exequi morte ſuperveniente prohibita, quod potuit, vectigal annuum reliquerat in ejus dotem, rogaveratque ſupremis tabulis quam graviſſima obteſtatione Regem Philippum conjugem, ut in partem pii operis veniens, ædificaret de ſuo domicilium Patribus Salmanticenſibus, quod Regii Fundatoris amplitudini reſponderet. Motus cariſſimæ Conjugis æquis, & noviſſimis precibus Philippus Rex, ædificium inchoari hoc anno juſſit magnificum, ac Rege dignum. Primo jaciendo lapidi indicta eſt dies ante Idus Novembris. Ea die Franciſcus Mendoza urbis Antiſtes, ad aream operi deſtinatam cum inſigni celebritate ac pompa progreſſus, primum dedicavit ſolemni carmine lapidem, & ad ima fundamenta demiſit. Erat porro lapidi inducta lamina his notis inſcripta. *Spiritus Sanctus operi adſpiret, ſub cujus tutelari Numine Philippus III. Hiſpaniarum Rex, & Uxor humata Regina Margarita, hoc Societatis Jeſu collegium à fundamentis erexere, & perpetuo cenſu donavere. Epiſcopus D. Franciſcus de Mendoza, proſpectante Senatorum, & Presbyterorum ordine Salmantino, primarium ejus lapidem poſuit. Anno xiij. Pontificatus Pauli V., & noſtræ Reparationis MDCXVII. pridie Idus Novembris.*

88. Primus lapis in fundamento collegii poſitus.

89. Turbæ ortæ Valliſoleti in ſeminario Anglorum, earumque cauſæ.

Dum hæc Salmanticæ agebantur, Valliſoleti in Anglorum ſeminario non nihil turbatum eſt, quarum ego turbarum initia, atque exitum paucis abſolvam. Ante annos plus minus triginta, cum primum Philippus II. Rex de erigendo illo contubernio deliberavit, interceſſerant ejus conſilio Quæſitores fidei, periculoſum rati, in urbe apprimè Catholica tot ſimul collocari juvenes inter hæreſes natos, & ſuæ gentis erroribus innutritos. Illud ad extremum pervicerant, ut ſiquidem ſeminarium omnino condi oporteret, ſaltem ejus adminiſtratio perpetuo eſſet apud Patres natione Hiſpanos; alumni autem in Ambroſiano ejuſdem urbis collegio litteris operam darent, & Hiſpanis omnino moribus viverent. Perdiu ex his majorum inſtitutis mutatum fuerat nihil: niſi

Digitized by Google

quod extremis Claudii temporibus P. Alphonſus Carillius provinciæ Viſitator, neſcio quibus de cauſis, paſſus fuerat dari alumnis Profeſſores Philoſophiæ, ac Theologiæ domeſticos, eoſque Anglos. Verum poſt hæc, facto ſenſim ulterius gradu, datus etiam fuerat ſeminario Rector ex Patribus Anglicanis, ex Anglicana item Societate quæſiti fuerant litterarum magiſtri, famuli poſtremò & adminiſtri omnes ex Anglia peti cœperant: ut jam nullus Hiſpanis locus in ſeminario relinqueretur, ac nullus reipſa eſſet Hiſpanus, ſi unum modo excipias Fratrem rei domeſticæ adjutorem. Hujus indicio Fratris, (ſive ille temere & caſu, ſive de induſtria loqueretur) innotuit res Duci Lermenſium Regis adminiſtro primario, qui forte verſabatur per eos dies Pinciæ, & in ſeminarium venerat. Dux factum improbans vehementer, Patribus qui circum frequentes aderant, denunciavit, periculoſum videri ſibi, nec ferendum, talem juventutem in Hiſpanorum manu non eſſe. Admonitus Provincialis, continuo graviſſimos Patrum in conſilium adhibet. Fit omnium conſenſu decretum, revocandam omnino eſſe ſeminarii adminiſtrationem ad primævam inſtitutionis ſuæ formulam, paulatim tamen, & iiſdem fere gradibus, quibus fuerat immutata: nam de Rectore ſtatuere nemo poterat, præter Generalem Præpoſitum, cujus expectanda erant reſponſa. Edicitur ergo alumnis illud primum, ut deinceps Ambroſiani collegii ſcholas adeant. Juvenes ad inexpectatam novitatem fremere, tumultuari, iniqua imperari dicere. Et quamquam principio cauſas obtenderent in ſpeciem honeſtas, & quotidianos illos itus redituſque valetudini perincommodos excuſarent; tamen haud multo poſt imperium ſuperbè ac ferociter detrectare, obfirmati nullam frequentare ſcholam, niſi domeſticam, nullos audire Præceptores, niſi Anglos, & populares ſuos. Fruſtra preces adhibitæ, fruſtra intentatæ minæ. Perſtitere in contumacia ad plures menſes, nec apparebat quo demum prorupturi eſſent, niſi concreſcentem ſeditionem una litterarum ſignificatione Rex compreſſiſſet. Jubebat iis litteris Rex, ad Provincialem ſcribens, ſi quid ex primis ſeminarii inſtitutis mutatum fuiſſet, illud omne reſtitui in priſtinum ſine mora: ita ſibi placere, ita deliberatum ac fixum eſſe. Viderunt alumni litteras, nec auſi contra hiſcere, continuò ad Ambroſianum gymnaſium rediere. Dimotis poſtea ſeminario Patribus Anglicanis ſucceſſere Hiſpani. Rector ſucceſſorem accepit, ex deſignatione Mutii, P. Franciſcum de Bonavides. Demum obedientia, concordia, quies, & bonarum artium ſtudia in illa domo refloruerunt.

90. Alumnorum incredibilis contumacia.

91. Auctoritate Regis omnia componuntur.

92. Res geſtæ in variis Caſtellanæ provinciæ locis.

Jam ut odioſis innectam lætiora, nonnulla, quæ ad amplificandum divini nominis cultum fuerunt eodem anno ſuſcepta, paucis expediam. Pompejopoli, quam urbem nunc vulgo Pampilonem appellant, cœptum eſt in mores induci, quod alibi paſſim Societas uſurpabat, ut ſingulis menſibus condiceretur civitati dies ad ſacrum epulum, una cum indulgentiæ beneficio fruendum. Piæ conſuetudinis lætiſſima fecit initia pietas civium, qui ſacræ celebritati mira frequentia interfuerunt. Ex Ovetenſi collegio ad Aſtures montanos excurrerunt octo divini verbi Præcones. Multæ ſunt per eos revulſæ ſuperſtitiones, quæ in populo agreſti & inculto à longo tempore inoleverant, multorum reſtincta odia, & à prima uſque ætate confeſſiones auditæ. Unum ex illis ferunt mira Dei providentia fuiſſe ab interitu liberatum. Hoſpitium ſumpſerat vir Apoſtolici moris, quale in illis montibus haberi poterat, in tugurio neſcio quo humili, & anguſto: cum repente pelli ſe intimo inſtinctu ſenſit, ut alio demigraret. Ingruebat nox, obductum nubibus cœlum procellam minabatur. Tamen continere non potuit ſeſe, quin actutum abiret. Poſtridie audit, corruiſſe ſubito lapſu tugurium, ejus autem ruina oppreſſam familiam integram periiſſe. Huic geminum eſt quod contigit aliis duobus Patribus, ex collegio Legionenſi in montana ejus regni profectis. Ruralis Parochus hoſpitium illis negaverat illiberaliter admodum, & inurbanè. Eadem nocte ædes, quas Dei miniſtris occluſerat, inopinato incendio conflagrarunt. Sed memorabile in primis beneficium, quo B. P. Ignatius Pampilone hominem ſceleſtiſſimum, ſibi tamen utcunque addictum, eripuit ab interi-

93. Noſtri mira providentia ab interitu liberati.

94. Inſigne benefi-

teritu corporis animæque. Torquebatur miſer immanium flagitiorum conſcientia, & ſeſe male deſperabat. Deliberanti qua demum ratione tot animi angores finiret, apparuit, habitu Sacerdotem ſimulans, Tartareus genius, & mortem voluntariam ut mali remedium unicum ſuadens, reſtim ad ſuſpendium offerebat. Jam penè perſuaſerat: cum adeſt repente Ignatius cœleſti circumfuſus luce, ac primo infeſtum tenebrionem ipſo in fugam agit aſpectu. Hominem deinde benignè alloquitur, & ſperare jubet meliora, unam modo præcipiens rem, ut conſcientiæ onera apud Sacerdotem deponat. Fecit ille ut monebatur, nulla interjecta mora; ac poſtea quam confeſſionem rite peregerat, cum eſſet jam alius prope vir, pacatus, alacer, ac mira mentis dulcedine delibutus, rem totam, uti acciderat, noſtro Sacerdoti aperuit, utque inſigne beneficium Ignatii vulgaret, injunxit.

cium, Beati P. Ignatii erga hominem ſe deſperantem.

Per hæc in provincia Aragonienſi vivere deſiit venerabilis Frater Alphonſus Rodericius, notiſſimæ vir ſanctitatis, cujus cum impreſſa & pervulgata ſit vita, nos de eo pauca curſim leviterque perſtringemus. Patria Segovienſis, genere non obſcurus fuit Alphonſus. Adoleſcens vacare litteris cœperat Compluti, ſed à parente revocatus domum, mercaturæ faciendæ adjecit animum, & uxorem duxit. Poſt aliquot annos in matrimonio mira innocentia traductos, uxore orbatur, & liberis, uno tantum ſuperſtite. Hoc ille loco, rerum omnium humanarum tædio captus, de ſtatu religionis profitendæ cogitare. Non alia prohibebatur re, quam filioli qui ſupererat caritate: cum illum etiam ad extremum amiſit, & quidem adeo ſine mœrore, ut potius ejus mortem in loco beneficii longè maximi habuerit. Nam cum ſemel Deum rogaſſet, ut ſiquando videret puerulum tunc innocentiſſimum in crimen aliquod prolapſurum, prius eum raperet, quam malitia mutaret intellectum ejus, nocte proxima viſus ſibi eſt in ſomnis illum efferre, & reipſa extulit intra menſem. Sic ab omni humana cura liber, ſeque ad Societatem noſtram vocari ſentiens, Præpoſito provinciæ Caſtellanæ ſe obtulit. Rejectus propter provectiorem ætatem, Valentiam venit ad Præpoſitum Aragonienſem. Is, qui qualis vir eſſet Alphonſus, quam innocens, quam pius, fama cognoviſſet, toto illum complexus eſt animo, admiſſum iri promittens: Prius tamen nonnullam dare litteris operam juſſit eo conſilio, ut poſſet inter Sacerdotes adſcribi. Erat tunc Rodericius annorum triginta novem. Ea ætate vir non dubitavit in puerorum turbam ſe conjicere, & grammaticæ ſalebras ſub Ludimagiſtro tentare. Cum nihil proficeret, redit poſt aliquot menſes ad Provincialem, & ad qualecunque genus miniſterii ſe offerens, inter fratres rei domeſticæ curatores recipitur. Vix inierat tyrocinium, cum ad collegium Majoricenſe eſt miſſus, ubi reliquam deinde vitam exegit uſque ad annum ætatis octogeſimum ſeptimum. Æquè incredibilia ſunt quæ per annos quadraginta ſex à malis ſpiritibus Alphonſus pertulit, quæque de cœlo gaudia percepit: Per has quippe viciſſitudines virum innocentiſſimum Deus ad ſummæ ſanctitatis culmen perduxit. Sæpè illum dæmones horrenda ſpecie viſendi atrociter verberabant. Sæpe Chriſtus, ac Beatiſſima ejus Mater benigno aſpectu & ſermone refovebant. Nunc inter orandum nullus ſenſus, & ariditas ſumma: nunc cœleſtium deliciarum incredibilis copia. Toto ſeptennio duriſſimum pro pudicitia certamen tulit. Deo enim ſic, ad probandam ſtrenui militis conſtantiam, augendamque gloriam permittente, inſtabant dies & noctes mali dæmones, nec ejus tantummodo mentem obſcœnis imaginibus agitabant, ſed ipſis etiam oculis pravæ libidinis irritamenta ſubjiciebant: tormenti genus viro caſtiſſimo adeo moleſtum, ut diceret, nullam eſſe tam acerbam pœnam, quam non mallet experiri. Ea tandem moleſtia liberatus, alio conflictari cœpit incommodo, haud ſanè levi. Simul ac in genua ſe demiſerat ad orandum, magnis, & vix ferendis corripiebatur doloribus, qui, (ne dubium eſſet ab hoſte tartareo malum inferri) ad ſignum finiendæ precis omnino ceſſabant. Decem ipſos annos tenuit vexatio, quibus exactis, miſeratus famuli ſui diuturnos angores Deus, tantam illi indulſit facilitatem orandi, ut nec inter actiones externas, & domeſticorum mi-

95. Res Provinciæ Aragoniensis. Mors & elogium V. Fr. Alphonſi Rodericii.

96. Mortua conjuge unicum non invitus amittit filium.

97. Societatem poſtulat. Recipitur inter Fratres, & Majoricam mittitur.

98. Quibus gradibus ad inſignem ſanctitatem pervenerit.

Digitized by Google

99. Mira ejus pietas erga altaris mysterium, & B. Virginem.

ministeriorum curas à meditatione rerum cœlestium abstraheretur. Summa perfundebatur voluptate in venerando, sumendoque altaris mysterio: atque olim cum rei sacræ ministraret, matrona nobilis, & notæ probitatis, vidit ex ejus capite profundi lucem ingentem, quæ bifariam divisa, duobus radiis in altum ferebatur. Secundum Deum, præcipuus Alphonsi amor Virgo Dei Mater. Hanc parentis numero & loco habebat, hanc ut parentem suavissimam in suis rebus omnibus compellabat fidenter, ac familiariter, nunquam frustra. Ejus

100. Ejusdem nonnulla dona supra naturæ ordinem.

aspectu & alloquio sæpe fuisse dignatus dicitur, semel ejusdem voce prohibitus dubitare, an ab ipsa diligeretur. Multa illi de abditis, & futuris rebus, multa de gloria Beatorum ostensa. Divinarum rerum homo nullis eruditus litteris tantam habuit intelligentiam, ut nec Theologorum exercitatissimi sublimius de Deo sentirent, aut aptius loquerentur. Propter hæc, aliasque sanctitatis eximiæ notas, quas longum esset exequi fusius, toto Regno Balearico magnum erat Alphonsi nomen, magna opinio, nec alio passim designabatur, quam Sancti nomine, quamvis nihil illi esset semetipso contemptius. Obiit pridie Cal.

101. Moritur, ac statim ei cœlestium honores deposcuntur.

Novembres, elatusque est incredibili omnium ætatum, atque ordinum celebritate ac frequentia. Statim autem post ejus obitum Prorex nomine totius regni preces Paulo V. Pontifici obtulit, enixè rogans, ut homini omnium opinione sanctissimo cœlestium honores decerneret: quod etsi nondum est factum, faciendum tamen speramus aliquando. Interim privata piorum veneratione ubique terrarum colitur venerabilis memoriæ vir, & omnium manibus cum ingenti fructu teritur ejus vita.

102. Mors & elogium P. Joannis Sancii.

Paulo ante Rodericium, XIV. Cal. Octobres decesserat Valentiæ P. Joannes Sancius, de quo etiam litteræ hujus temporis multa tradunt ad memoriam illustria. Humanis divinisque litteris egregie excultus, eam præcipuè callebat Theologiam, quam misticam dicimus. Seu mente precaretur, seu voce, mira mentis dulcedine perfundebatur, ut cœlestium deliciarum specimen prægustare quodammodo videretur. Plura administravit collegia, semel provinciam universam; Hos autem magistratus ita gessit, ut in omnibus ejus factis dictisque charitas & humilitas elucerent. In collegio Valentino proprium sibi munus fecerat dividere inter pauperes, qui ad ostium gregatim conveniebant, mensæ reliquias, idque non aliter faciebat quam de genu, ac detecto capite, plane ut videretur agnoscere ac venerari in unoquoque inopi Christum Dominum, memor divinæ illius vocis: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Suum curari à quoquam Fratrum adjutorum cubiculum nunquam est passus, ne tum quidem cum regiminis curis erat implicitus, imo nec in senectute extrema, famularibus ipse ministeriis exerceri gaudens, studio humilitatis, qua in virtute maximam religiosæ perfectionis partem constituebat. Paupertatem habebat in deliciis. Tota ejus supellex lectulus, mensa, sella, ligneum Christi Crucifixi signum, & B. Virginis imago è charta. Præter hæc nihil in cubiculum admittebat. Agebat cum mortuus est annum ætatis septuagesimum primum. Sed à laudibus mortuorum ad labores viventium transeamus.

103. Mulier divinitus admonita, nostros adit, & conscientiæ angoribus liberatur.

Ex variis provinciæ domiciliis ad pagos atque oppida circumposita de more procursum est: ubique pretium operæ factum. Fuit in loco nescio quo mulier multis anxia religionibus, eaque propter inquies, tristis, ac vitam agens turbulentissimam. Malo ut remedium inveniret, fundebat ad B. Virginem assiduas preces, quibus dum insistit, oranti hæc reddita vox: bono esset animo: duos propediem affore pœnitentiæ ministros, cujusmodi opus esset: his se tuto regendam committeret. Nec ita multo post affuere nostrorum par, in sacram expeditionem profecti. Mulier ipsos esse rata, de quibus oraculum indicaverat, eos confestim adit, alloquitur, uno congressu omnes conscientiæ angores deponit.

104. Acta Sociorum Valentiæ, & Ilerdæ.

Valentiæ in domo Professorum conflatum est novum ex Sacerdotibus sodalitium, iis tantum cooptatis, qui morum integritate, & exemplo vitæ probatissimi haberentur. Ilerdæ detectum nuper fuerat veneficarum conciliabulum, quo nihil sceleratius. Horret animus dicere, quibus carminibus & devotionibus dia-

Digitized by Google

diabolo initiatæ eſſent mulieres impiæ, quam flagitioſe viverent, quot populo damna, quot peſtes inferrent. Pleræque ſuſpendio necatæ fuerunt. Ut tamen prius ad pœnitentiam criminum adducerentur, Magiſtratus advocandam cenſuerunt induſtriam Societatis, quodque optabant unicè, viderunt feminas antea ſceleſtiſſimas ſua ultro confitentes flagitia, pudore ſuffuſas, fletu madidas, & ſupplicium quo decet animo, ac pietatis ſenſu ſubeuntes. Pari ſupplicio cum afficeretur in majori Balearica juvenis furti convictus, illuſtre Societati noſtræ teſtimonium dedit. Educatus fuerat in ſcholis collegii Majoricenſis, vixeratque perdiu non innocenter ſolum, ſed piè admodum, & laudabiliter. At mulierculæ amore captus, ut ei morem gereret, abſtraxerat ſeſe paulatim ab omni uſu commercioque noſtrorum: quo excuſſo veluti fræno, deflexerat deinde ad juventutis vitia, ac tandem ad extremum inopiæ, ut uſuvenit, redactus, calicem ſacrificalem ex æde ſacra ſurripuerat. Deprehenſus, & ſacrilegii damnatus, producitur ad patibulum. Ut ſtetit in ſcala, ex qua erat dejiciendus, vocem intendit, & ad confertiſſimam multitudinem ſermonem convertens: *Diſcite*, inquit, *ex me quanti interſit, cujus quiſque utatur conſuetudine. Quamdiu fui ſub diſciplina Patrum Societatis Jeſu, cum iiſque uſum & familiaritatem habui, vitam vixi integram, & Chriſtiano dignam. At poſtquam valere illos juſſi, ut aliis quibuſdam ſolutioris vitæ hominibus me adjungerem, intra ſemeſtre ſpatium per varios ſcelerum gradus prolapſus, ad hunc tandem quem videtis locum deveni.* Movit oratio plurimos, præſertim juvenes: noſtris autem, qui ei benignè aſſiſtebant, lacrymas excuſſit.

105. Juvenis in extremo ſupplicio honorificum Societati teſtimonium reddit.

Provinciæ Toletanæ nova accrevit hoc anno Profeſſorum domus Matriti. Domui autem Profeſſorum vix natæ ſacrum B. Franciſci Borgiæ corpus tributum eſt à Romana. Utrumque auctoritate, & ſumptu viri in aula Hiſpanienſi prævalidi, Franciſci Rojas de Sandovalio Lermæi Ducis, mox Cardinalis. Is cum eſſet ex ejuſdem beati viri filia natus, impetraverat haud ita pridem à Romano Pontifice, ut quæſtio de avi ſui ſanctimonia inſtitueretur; ſimulque ejus reliquias petierat a Præpoſito Generali, fundaturum ſe promittens in urbe regni ſede domicilium Societatis, cum magnifico templo, in quo apte collocarentur. Ægrè adducebatur domus Romana, ut theſauro ſpoliaretur tam pretioſo, tam ſuo: ſed non licuit viri potentiſſimi poſtulatis obſiſtere. Relicta igitur Romæ ex cunctis Borgiæ oſſibus tantum inferiori mandibula, reliqua Matritum delata ſunt. Eodemque tempore Dux Lermæus, ut quoquo modo promiſſa præſtaret, quaſdam coemit inſulas, ornavit, inſtruxit, Societati mancipio tradidit. Reliqua erat cura de templo. Amplum illud, & magnificum Fundator moliri cogitabat. Sed donec extrueretur, aliud interim parari opere tumultuario placuit, in quo Patres ſacra non incommodè miniſtrarent. Huc inter longos funalium ordines ſacrum Franciſci corpus illatum eſt XIII. Cal. Januarii, deducente ipſo Lermæo nocturnam pompam, quam Socii ſupra centum in templi veſtibulo exceperunt. Poſtridie vero novam ædem ſolemni ritu initiavit Antonius Cardinalis Zapata, præſente Rege, & Regiis liberis. Paulo antequam hæc agerentur, Patres Matritenſes parandam curaverant perfugii domum mulieribus, ex meretricio quæſtu reſipiſcentibus. Immigrarunt in ea ſepta quamplurimæ; utque eximerentur periculo, quod eſt in egeſtate graviſſimum, vitam deinceps partim utili opificio, partim piorum liberalitate ſuſtentare cœperunt. Eodem anno domus Profeſſorum Toletana, ob anguſtiam loci perincommoda, multum laxata eſt, adjuncto illi proximo noſocomio, & ægrotis alium in locum traductis. Res tum ad domeſticos, tum ad publicos uſus planè neceſſaria, ſæpe antea tentata ſine ſucceſſu fuerat, & videbatur nunquam felicem exitum habitura. Compluti id agebat celebris illa toto orbe terrarum Academia, ut ſuum erga B. Virginem ſtudium luculentius in dies teſtaretur. Hac mente cum ſtatuiſſet diem, qua academici piam, & jam fere communem de conceptu ejus immaculato doctrinam profiterentur, magno concurſu & gaudio ea dies eſt celebrata. Ut nonnullæ fuerant in eo capiendo conſilio partes Socie-

106. Res Provinciæ Toletanæ. Corpus Sancti Franciſci Borgiæ Roma Matritum defertur.

107. Erigitur Matriti domus Profeſſorum liberalitate Ducis Lermæi.

108. Domus perfugii mulierculis reſipiſcentibus excitata Matriti.

109. Amplificatur domus Profeſſorum Toletana.

110. Studium Complutenſium, & Villaregienſium pro immaculata Conceptione B. Virginis.

Digitized by Google

cietatis, celebritati frequentes interfuere collegii Patres, ex quibus P. Hieronymus Florentia, magni orator nominis, pro cauſæ magnitudine peroravit. Pari ſtudio incenſus pridem fuerat cohortatione noſtrorum Senatus Villaregienſis. Hoc itaque anno jurejurando ſe obſtrinxit, nemini deinceps ullam publici muneris partem mandaturum, niſi ei, qui ſententiam de immaculato conceptu Virginis profiteretur, juraretque ſe tam inſigne privilegium divinæ Matris pro viribus aſſerturum. Ita ſenſim per totam Hiſpaniam ad tuendam Beatæ Virginis prærogativam longe pulcherrimam incaleſcebant animi, & eo quidem ardentius, quo validiores conſurgebant exadverſum impugnatores & adverſarii.

111. Murciæ Mahometanus proxime ante mortem baptizatur S. Ignatii beneficio.

Multos interea mortalium à ſcelere ad frugem, & ab interitu ſempiterno ad certam ſalutis ſpem revocatos in eadem provincia reperiebam: ſed cæteris prætermiſſis, de uno tantum Mahometano dicam, in quo videre licuit cœleſtis gratiæ vim admirabilem, & divinæ prædeſtinationis non obſcurum indicium. Jacebat Murciæ infelix gravi oppreſſus morbo, & medicorum judicio prope depoſitus; nec vero ullis cujuſquam ſuaſionibus pellebatur, ut in eo ſaltem rerum articulo reſpiceret ſeſe, & ſuperſtitionem abjiceret. Suopte ingenio pertinacem confirmabat in veſania uxor lecto aſſidens, femina ſuperſtitioni patriæ addictiſſima. Noſtri, qui præter alios fuerant evocati, poſtea quam omnia incaſſum experti fuerunt, digreſſi paululum in propinquum conclave, procumbunt in genua ſupplices, B. P. Ignatii opem implorant. Nondum finierant precem, cum æger, reclamante nequidquam uxore, compellat ultro Patres, & ablui quamprimum baptiſmo rogat. Mirari enimvero omnes mutatam tam ſubito voluntatem. Cauſam percunctantibus narrat æger, adſtitiſſe ſibi virum ſimiliter ac noſtros indutum, & omnino perſuaſiſſe ne oblatum reſpueret beneficium, ſiquidem vellet æternum ſalvus & felix eſſe. Ita vir nuper indomitæ pervicaciæ, ad omnia ſe docilem præbens, elementa fidei, quantum in anguſtia temporis licuit, edoctus eſt, Chriſti ſacramentum accepit, nec multo poſt ex hac mortali vita decedens, ad cœleſtem, uti ſperare fas eſt, tranſiit: lætis admodum Patribus, cum propter exitum feliciſſimum laboris ſui, tum quod videbant, ſibi pro ſalute animarum laborantibus non deeſſe cœleſtem opem, nec Ignatium fruſtra invocari. At Ocaniæ laboranti pro eadem cauſa noſtro Concionatori nonnihil adverſi accidit. Res eſt in ſpeciem levior, dicenda tamen, ut ſi quid ſimile aliquando noſtris operariis contingat, ſciant neque novum id eſſe, neque magnopere penſi habendum. Ludum nequitiæ aperuerat in ea urbe Hiſtrionum familia, populumque otioſum ſpectaculis detinebat pudicis parum, & ad illicita prolectantibus. Damnoſam licentiam ægre ferens concionator pius, in eam liberrima oratione invectus eſt, illam præter alias adhibens Petri Chryſologi divinam vocem: *Qui voluerit jocari cum diabolo, non poterit gaudere cum Chriſto*. Pupugit oratio ludiones, quibus decreſcente frequentia, minuebatur quæſtus, maximè vero eorum principem. Itaque ut primum in ſcenam prodiit projectiſſimæ audaciæ vir, contra moleſtum concionatorem multa ſcurriliter & impudenter jocari cœpit, donec ad ſummum temeritatis prolapſus, conſtare ſibi dixit, ſeverum illum comædiarum cenſorem Murciæ habuiſſe pellicem, flagitii autem compertum clam aufugiſſe, conjiciendum in vincula, niſi quam maturrimè ſolum vertiſſet. Sic ille petulanter, & liberè, non ad riſum concitandum, ſed ad inurendam homini innocentiſſimo infamiam. Nihil tamen conſequi minus potuit. Nauſeam movit multitudini criminatio non minus falſa, quam atrox. Cunctis confuſo fremitu obſtrepentibus, unus ſublata voce improbum circulatorem mendacii redarguit. Alii rem ad Prætorem detulere. Motus indignitate Prætor hominem rapi confeſtim jubet in vincula, nec multo poſt calumniæ convicto hunc pœnæ modum decernit, ut jumento circumferatur per urbem, & ducentas à carnifice plagas accipiat. Jam miniſtros urgebat, ut maturarent imperata facere: ſed affuit in tempore concionator, idem ille ſcilicet quem Hiſtrio læſerat, & pœnam reo deprecatus eſt.

112. Ocaniæ circulator improbus noſtro concionatori calumniam inurit, ſed non impune.

Eo-

Digitized by Google

113. Res Provinciæ Bæticæ. Acta Hispali, Granatæ, Cordubæ, & Giennæ.

Eodem anno in urbibus oppidisque provinciæ Bæticæ, ubicunque Societas habitabat, miro populorum studio acceptum invenio diploma Pontificis, quo menstruam synaxim in aliqua nostrorum æde celebrantibus plenaria, ut dicitur, indulgentia tribuebatur. Hispali, primo anni die, supra quatuordecim millia numerati, qui in templo Professorum ad sacrum epulum accessere. Par alibi, pro locorum diversitate, fuit frequentia. Granatæ, tribus jam pridem institutis, quartum additur hoc anno sodalitium pro academicis: nondum quippe consultum hac ratione fuerat moribus adolescentum, in gymnasio publico litteris operantium. Cordubæ unus erat nostrorum designatus, qui singulis mensibus prandium curaret vinctis, quorum ingens numerus in carcere attinebatur. Venere hoc anno in partem pii operis Mariani sodales, nostrorumque animati exemplo, minime dubitarunt ollas per urbem mediam, aliaque plena cibariis vasa ad carceres comportare. Giennæ mulierculis, nefarium quæstum corpore exercentibus, providit Sociorum industria, parato illis domicilio, ubi perfugium tutum haberent, & partim labore manuum, partim aliena misericordia vitam tuerentur. Verum inter hæc novitium amisimus, cum aliis laudibus, tum præsertim constantiæ commendatione dignum, qui locum obtineat in annalibus Societatis. Fuit is Lazarus Caravagialius, adolescens eximiæ spei. Ad ingentem fortunam sanguinis ingeniique fiducia connitenti, persuaserat repentinus amici obitus, ut spretis omnibus quæ morte finiuntur, animum ad æterna converteret, eoque consilio ex paterna domo, lauta illa atque opulenta, migraverat in tirocinium Societatis. Ibi dum coercendis animi cupiditatibus, subigendoque corpori vim omnem intendit, atteri paulatim valetudo ex assidua contentione cœpit, donec tabem contraxit exitialem. Cum nulla invenirentur depellendo morbo idonea medicamenta, datum est iteratis parentum precibus, ut Guelvam ad eos remitteretur, curandus scilicet in natali solo commodius. Illi, qui omnem familiæ spem in adolescente haberent repositam, necdum conceptum ex ejus discessu mœrorem penitus abjecissent, hac mente curandum repoposcerant, ut, si qua fieri posset, inflecterent ejus animum, alienarentque à Societate. Ergo, ut aliqua ostendebatur prosperæ curationis spes, instare apud eum multis cum lacrymis, orare, & obtestari, ne suos in tam calamitosa orbitate relinqueret: sustineret collabentem domum: misereretur saltem sororum parvularum, quibus utroque mox parente carituris aliud præsidium non esset, nisi in ejus ope. Hæc subinde occinentibus resistebat immoto animo Lazarus. Cum pergerent illi nihilo secius machinas omnes ad ejus labefactandam constantiam admovere, præcidendam denique omnem victoriæ spem uno velut ictu statuit. Duos ad se Patres è proximo Higuerensi collegio vocat. Qui ubi affuerunt, his coram, adstantibusque circum domesticis, & comploranti-bus, intendit vocem, ac disertissimis verbis omnipotenti Deo vovet, se usque ad extremum spiritum in Societate perstiturum. Quieverunt tum demum parentes. Ipse vero haud ita multo post, vi morbi intenta moriens, voti fidem implevit. Longe disparem habuit exitum unus è Fratribus rei domesticæ adjutoribus. Huic missionem enixè postulanti negaverant perdiu moderatores, ac tandem ægrè concesserant. Veste vix mutata miser, dum discedit ex urbe Corduba, subita vi morbi afflictus concidit in itinere, diem eundem nactus vitæ & Societatis ultimum. Mortui cadaver die postero relatum Cordubam, quærebant sollicitè Magistratus, cujus esset? Nemo norat. Ea brevi fœditas formam ejus omnem corruperat. Repertæ casu in pera missionis litteræ prodiderunt.

114. Mors Lazari Caravagialii tironis, ejusque mira constantia in vocatione.

115. Defectio, & repentina mors domestici adjutoris.

In Lusitania lugubrem toti Societati fecit hunc annum mors Doctoris Eximii Francisci Suarez, qua morte lumen nostri ordinis ferè præcipuum extinctum est. Moriendi causam traxisse creditur ex laboribus, molestiisque pro communi bono susceptis. Cum enim Ulyssipone esset, contigit ut inter regios ministros, & Oratorem Pontificium (Collectorem tunc vocabant) gravis de jure imperii controversia nasceretur; quæ dum vehementius incalescit, eo ventum est, ut Collector usu sacrorum interdiceret civitati. Publicam offensionem ut tolleret

116. Res Lusitaniæ Mors & elogium V.P. Francisci Suarez.

Digitized by Google

Suarius, concursare urbem in summis anni caloribus cœpit, causam agere voce, & scripto, non labori, non industriæ parcere. Itaque febri correptus, cum acri dolore lateris, decima post die, quæ fuit VII. Cal. Octobris, animam exhalavit. Jam vero hujus viri celebrius est nomen, quam ut qualicunque litterarum commendatione apud posteros egeat. Scholæ prius omnes, atque optima quæque studia interibunt, quam Suarii memoria intercidat, aut parta tot libris existimatio consenescat. Granatæ natus erat, parentibus non pietate minus, quam nobilitate conspicuis. Dum jurisprudentiæ vacat Salmanticæ, incensus incundæ Societatis desiderio, quamquam esset & generis claritate, & morum innocentia spectabilis, tamen communi Patrum judicio rejiciebatur, ut ineptus ad omnia ordinis ministeria. Ea putabatur esse tarditate ingenii. Recepit illum nihilominus provinciæ Præses; Patribus autem in consilio contradicentibus, divino instinctu respondit, quem ipsi putarent oneri futurum, magno olim decori & ornamento futurum Societati. Suarius, anno tirocinii vix exacto, contra quam usus habet apud nos, Dialecticæ studiis admovetur in collegio Salmanticensi. At dictata Præceptoris dies noctesque evolvens, nihil proficiebat initio. Itaque re desperata, adit ultro Rectorem collegii P. Martinum Guttierez; & quoniam constaret, non esse sibi ingenium altiorum disciplinarum capax, rogat, ne se patiatur in earum studio tempus atque operam perdere, sed magis humilioribus ordinis ministeriis addictum velit. Collaudavit adolescentis modestiam Guttierez; quod tamen rogabatur, disertè negavit se facturum ullo modo, aut permissurum. Bono esset animo: cœptis fidenter insisteret, & in sinum divinæ Matris, quæ sedes est omnis sapientiæ, se conferret. Id ille cum faceret diligenter, ecce tibi haud multo post inopinata rerum, ac mira commutatio. Veluti ex densa caligine in clarissimam eductus lucem, ille nuper tardus atque hebes, jam æquales omnes ingenii celeritate, & perspicacia superabat. Sensit beneficium Virginis adolescens, nec commisit ut ulla eum dies immemorem coargueret. Inter prima, quæ adhuc discipulus ex ingenii sui officina deprompsit, lucubratio fuit Virgini perhonorifica, qua, quod olim recolendæ memoriæ vir Joannes ab Avila in concione dixerat, probabiliter credi Beatam Dei Matrem Sanctis simul omnibus Angelisque fuisse sanctiorem, id invictis rationum momentis confirmabat. Tradunt annales litteræ collegii Complutensis, ipsam post hæc Virginem sese visendam exhibuisse Martino Guttierez, & gratias egisse, quod talem de se opinionem vulgandam curasset. Jam de monumentis ingenii atque doctrinæ, quibus deinde Suarius rem scholasticam auxit, illustravitque, otiosum sit hoc loco dicere: teruntur enim Theologorum omnium manibus ejus scripta præclara, nec est qui non miretur, potuisse unum hominem tam multa, tam varia, eaque tam sapienter, aptè, ac nervosè conscribere. Pauca igitur ad commune documentum attingam de sanctimonia ipsius, quæ dubito an non multo supra doctrinam eminuerit.

117. Societatem petens rejicitur ut ineptus, & vix tandem admittitur.

118. In studiis parum aut nihil proficit aliquandiu.

119. Illustratur ex improviso, & miram consequitur ingenii vim.

120. Beneficium B. Virgini acceptum refert, in ejusque honorem primam edit lucubrationem.

121. De eximiis Suarii virtutibus pauca indicantur.

Christianam humilitatem, quæ sanctitatis veluti basis & fundamentum est, vel inter summos honores ita coluit Suarius, ut nihil esset illi semetipso despectius. Celebrabatur ubique ut theologicæ facultatis sui temporis scientissimus. Illum Romani Pontifices, illum summi Reges, Episcopi, Academiæ in honore ac pretio habebant, ornabantque certatim. Illum doctissimi quique in rebus gravissimis ac difficillimis consulebant. Romæ cum esset, & Theologiam in collegio Romano traderet, fama est, primæ ejus prælectioni ipsum interesse voluisse Pontificem maximum Gregorium XIII., raro admodum honoris exemplo, nec scio an non etiam unico. Paulus V., visis Suarii scriptis, ejusque excellenti fama permotus, dedit ad eum litteras amantissimas, quibus eundem Eximii Doctoris appellatione honestabat. Quacunque iter faceret, confluebant magno numero summi infimique, visendi studio virum doctrinæ fama nominatissimum. Fuit ubi venienti, ad urbis usque portas obviam processere Doctorum collegia, cum suis insignibus, omnique apparatu ac pompa, ut cum quanto poterant maximo honore eum exciperent, salutarent, & ad hospitium deducerent. Tot inter publicæ exi-

Digitized by Google

exiſtimationis indicia vir abjectiſſimè de ſe exiſtimans, tam multum aberat, ut ullo afflaretur inanis gloriæ ſenſu, ut imò illis nihil ferret moleſtius. Suis ſemper laudibus offendebatur. Contra, ſi cujuſpiam vel invidentia, vel alia qualibet perturbatione, contumeliis afficeretur, id enim vero ſibi debitum ajebat eſſe, id gratiſſimum accidere oſtendebat. Cum ad publicè diſceptandum more ſcholaſtico vocabatur, in certamine ingenii, quo tantopere incendi ſolent animi, non tam id agebat ut adverſarium difficultatibus includeret, quam ut ei exitum expediret, diſputationis curſum de induſtria reflectens molliter, ſi quando irretitum videret, ut ſpatium evadendi relinqueret: hanc uſurpare vocem ſolitus: *Malo confundi, quam confundere*. Nunquam ita ſe in libros, & ſua ſtudia demerſit, ut non potiorem haberet precandi curam. Quotidie ſummo mane ſeſquihoram, horam alteram ſub noctem divinis commentationibus dabat. Fertur ejus familiare dictum, malle omni carere ſcientia, quam de conſtituto orandi tempore vel tantillum decidere. Inventus eſt aliquando inter orandum ita à ſenſibus alienatus, ut neque vocem ullam, neque ſtrepitum audiret. Viſus etiam quatuor aut quinque palmos à ſolo ſublatus, cum interea magna vi luminis ex imagine Chriſti emiſſa perfunderetur. Quæ, & ſimilia traduntur copioſius in hiſtoria, quam Joſephus Maſſejus edidit de ipſius vita. Obiit venerabilis vir in Ulyſſiponenſi Profeſſorum domo, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo, cum ageret in Societate quinquageſimum tertium.

122. Signis cœleſtibus illuſtratur.

Interea loci ardens illud pro Conceptu Virginis intaminato ſtudium, quo flagrare Hiſpaniam ſupra demonſtrabamus, pervaſit etiam in Luſitaniam, & primam omnium Eborenſem Academiam corripuit. Dederat ad eam litteras Rex Philippus, doctores admonens, ut libellum ſuper ea cauſa conciperent, communi nomine deferendum ad Romanum Pontificem. Una omnium fuit ſententia, rogandum enixè Chriſti Vicarium, ut rem pleriſque jam Theologis certam, & omnium fere gentium perſuaſione comprobatam, inter fidei capita adnumerandam decerneret. In hanc ſententiam reſponſum eſt Regi, & libellus ad Ponticem miſſus. Fit deinde ſummo academicorum conſenſu decretum, ne quis deinceps ad ullum ſcientiarum honorem admittatur, niſi ſe prius ad defenſionem ejuſdem cauſæ ſacramento obſtrinxerit. Neque hic ſe continuit hominum pietas. Diem conſtituunt Divinæ Matris Conceptioni ſacram, qua die in ejuſdem honorem quotannis in poſterum ſolemnis ſupplicatio peragatur, ducto agmine à Collegio, quod Dei Matris vocant, ad noſtram uſque ædem: quod ideo ſanxerunt, ut extaret perpetuum quaſi teſtimonium publicæ voluntatis erga Deiparam ſine labe conceptam. Cæterum, quod ad noſtrorum res geſtas attinet, Patribus Luſitanis nuſquam hoc tempore uberior conſtitit laboris fructus, quam in illo Africæ tractu, quem Guineam appellant. Regio eſt ſecus mare Atlanticum, quo alluitur à meridie, in magnam longitudinem exporrecta, ferax opum diverſi generis, negotiatione & commercio Europæorum non minus, quam cœli inclementia, & intolerandis caloribus cognita. Terminatur celebri promontorio, quod vulgo Caput viride nominant. Crebræ adjacent inſulæ, modico inter ſe freto diremptæ. In his Chriſtiani inveniebantur plures, haud ita pridem à P. Balthaſſare Barreira ejus gentis Apoſtolo inſtituti: ſed alicubi cultorem habentes nullum, alibi non ſatis idoneum, deflexerant plerique jam ad errores priſtinos, permixtique Saracenis atque Ethnicis, vitam prope ut illi corruptiſſimam agitabant. Noſtri ergo, etſi numero haud amplius tres, ſua relicta ſede, quam habebant in continenti Guineæ, has peragraverunt inſulas, & Evangelicum quaſi imbrem arentibus ubique ſatis circumtulerunt. Reſpondit laboris magnitudini fructus. Multorum revixit quæ pene emortua erat fides, plurium caſtigati ſunt mores, pietas excitata. At operi dum inſiſtit ardentius, labori ſuccubuit P. Emmanuel Alvarus, operarius impiger, actuoſus, ſtrenuus, & quo poſt Barreiram nemo fortaſſe melius de illa miſſione unquam eſt meritus. Novem ante annos in eam Africæ oram navigaverat ex Luſitania, totoque hoc præterito tempore Chriſti nomen inter barbaros propagaverat, non minori ſua patientia,

123. Univerſitas Eborenſis ſuum pro Conceptu Virginis immaculato ſtudium profitetur.

124. Sociorum labores in Inſulis Guineæ.

125. Mors & elogium P. Emmanuelis Alvari.

Digitized by Google

quam utilitate animarum. Præter cæteras ejus virtutes, effuſam in pauperes beneficentiam, cum Luſitani, tum Indigenæ admirabantur. Obiit in vico, quem Saltum leænæ vocant.

126. Res Provinciæ Goanæ. Obitus & elogium P. Hieronymi Xaverii,

Sub idem tempus in provincia Goana P. Hieronymus Xaverius, B. Franciſci Indiarum Apoſtoli ex fratre nepos non degener, ejuſque virtutum æmulator egregius, dum maxime Goanum collegium cum approbatione omnium ſumma regit, & pari domi foriſque opinione ſanctitatis floreſcit, repentino ictus morbo, inter curantium manus expiravit, XIV. Cal. Quintiles. Adſcriptus fuerat in Societatem Compluti ante annos ferme quinquaginta. Exacto vix tirocinio ad Indos venerat, Patrui ſui memoriam inter eas gentes renovaturus, non minus apoſtolicæ vitæ inſtituto, quam nomine. Goæ cum eſſet, & Profeſſorum moderaretur domum, accidit ut Achabarus magni Mogoris Rex poſtularet Societatis viros, qui religionem Chriſtianam in illo Imperio diſſeminarent: quæ res cum accideret noſtris optatiſſima, eo ſtatim perrexit cum Patre Emmanuele Pineiro noſter Xaverius: ex quo tempore in Regia Mogolica per annos amplius viginti commoratus, ita ſe Regi quantumvis barbaro, & virtutem ſuam probavit, ut poſſet apud eum auctoritate & gratia plurimum. Ejus itaque patrocinio tutus, divinam legem privatim ac publicè docuit, multos mortalium ad Chriſti partes adduxit, Neophytos cum ethnicis, Mahometaniſque conviventes in fide & pietate continuit; frementibus nequidquam impiæ ſuperſtitionis doctoribus, & mortem, ſi porro pergeret, comminantibus. Neque has tantum minas Xaverius Chriſti cauſa contempſit, ſed, quod multo majus, ipſi interdum Regi de ſe optimè merito reſiſtere ſacerdotali ſpiritu, ejuſque in ſe iracundiam provocare non dubitavit. Legem propoſuerat barbarus, qua matrimonia inter affines jubebat rata eſſe. Non tulit pravitatem Sacerdos. Interceſſit palam, & Chriſtianum neſcio quem deterruit, ne ſororem defunctæ conjugis, uti conſtituerat, duceret. Vocatus à Rege, & increpitus graviter, quod rem vetaret ſua lege permiſſam, ſe vero, reſpondit, perire millies, atque omnia perpeti malle, quam iniquam legem, & inceſtas nuptias tacendo comprobare. Quod ea vocis animique conſtantia dixit, ut qui aderant aulici, tantam in homine inermi, coram potentiſſimo ac ferociſſimo rege, libertatem mirarentur majorem in modum. Miratus eſt ipſe Rex: & quamquam ita loquentem ſuperba duntaxat irriſione puniendum cenſuerit, iræ moderans; nihil tamen effectum propius, quam ut beneficiis illum omnibus, quibus ante ornaverat, & vita ipſa ſpoliaret. Animi magnitudini pares fuerunt Xaverii virtutes reliquæ. Effecerat ſanctitate morum ſuorum, ut ipſis venerationi eſſet hoſtibus Chriſtianum nomen. Quamvis autem ſteriliorem expertus fuerit agrum Mogolicum, nec eos ceperit fructus, qui tot laboribus reſponderent, non tamen vacuis omnino rediit manibus. Præcipuum operæ pretium fuere morientes parvuli, quorum ingentem numerum baptiſmo tinxit. Deſignatus fuerat ſucceſſor Archiepiſcopi Cranganorenſis. Sed ante vivere deſiit, quam Pontificalibus Sacris initiari potuerit.

127. Ejus fortitudo in tuenda inter Mogoles Chriſtiana lege.

128. Acta in Æthiopia. Multi contra Imperatorem apertè conſpirant.

Per hæc in Æthiopia, intento Principe ad Religionem catholicam inſtaurandam, gravis contra eum coitio, ut ſupra indicatum eſt, tumeſcebat, quæ demum in apertam rebellionem prorupit. Convenerat inter conjuratos, ut Julius Imperatoris gener, Tigræorum Prorex, armis repente invaderet regnum Gojamenſe, Proregem Cela-Chriſtum catholicæ partis fautorem præcipuum opprimeret, eoque interfecto advolaret cum infeſto exercitu ad Regiam: futuram namque ibi reliquam conjuratorum manum, quæ Imperatorem vel per inſidias occideret, vel in acie proditum hoſti impune mactandum daret. In hunc modum res condixerat nefariorum conſiliorum artifex Abuna, apud quem ſummam eſſe ſacrorum poteſtatem ſupra dicebamus. Julius ergo, ſublato perduellionis ſigno, adjunctoque ſibi eorum ingenti numero, qui vel rerum novarum ſtudio, vel amore avitæ ſuperſtitionis, mutari ſtatum Reipublicæ cupiebant, ſuccinctus copiis temere & undecunque collectis, quarum mira erat audacia, ſed nulla vir-

Digitized by Google

virtus, Gojamum magnis itineribus contendebat. Festinanti occurrit Abuna, & magnopere suadet, ut omisso in præsentia Cela-Christo, totam belli molem in ipsam Imperii sedem convertat: haud dubiam in manibus esse victoriam: Seltanum rei ignarum castra habere militibus, & commeatibus imparata: Præfectorum plerosque, occulto secum fœdere conjunctos, Principem in pugnæ discrimine prodituros. His auditis Julius, conversis signis, Dambeam ingreditur. Fit nefariæ expeditionis comes & particeps, qui auctor fuerat Abuna, non minus ipse lingua, quam Julius armis, internecinum Regi bellum facturus. Tanta in eum rabie ferebatur improbus, ut non sit veritus palam pro concione dicere, si quis Imperatorem occidisset, illi Deum ob tale meritum omnium quæ deliquisset veniam facturum. Inter hæc certior fit Imperator, Julium in armis esse, & ad occupandum Gojamum cum exercitu proficisci. Nec mora. Laturus opem fratri Cela-Christo, præmittit Lusitanorum cohortem, ipse cum omnibus copiis subsequitur. At in itinere citatis alio super alium nunciis admonetur, retro flexisse gradum perduelles, venire contra ipsum rectà, iter bidui tantum abesse. Erat Seltanus numero militum longe hostibus inferior. Nihilominus eorum, quos circa se habebat, fidei virtutique confidens, nec esse è dignitate imperii existimans prælii aleam refugere, venientibus obviam ire statuit. Edito profectionis signo, aliquos præmittit, qui locum ponendis castris, explicandisque in aciem copiis opportunum capiant. Illi clam hostibus fœderati, consedere in modica planitie, perpetuo montium jugo à tergo, & à lateribus clausa, ut regios adversariorum equitatui obterendos darent; hoc etiam consilio, ne Imperatori post acceptam cladem pateret ad fugam exitus. Locum ut vidit Imperator, facilè intellexit quid haberet incommodi: tamen nihil minus quam fraudem suspicans, in collem proximum castra transtulit, quo difficilis esset equitatui adversariorum accessus. Ecce autem haud multo post, inclinante in vesperam die, adsunt in conspectu hostes, castra è regione ponunt, ad pugnam parantur in diem crastinum. Ut illuxit, utrinque acies instrui cœperunt. Abuna, furia & fax ejus belli, ex editiore loco suis in aciem euntibus animos addere non cessabat, crucem sinistra ostentans, dextera signum bene ac feliciter precantis faciens. Sed nihil Deo execrabilius fusis pro mala causa precibus impiorum. Processerat Julius equo sublimis cum turma equitum, jussisque suis præeuntem ad certam victoriam sequi, ruebat in regios. Horum qui erant in cornu dextero, locum è vestigio proditione ducum deserentes, mediam aciem, cui præerat Imperator, ab eo latere aperiunt perduellibus. Ductabat sinistrum cornu Caslous eunuchus: adeo tamen perfidus semivir suos quo periculum vocabat non impulit, ut eos potius immotos, veluti in spectaculum alieni discriminis, contineret. Non erant qui hostium impetum sustinerent, nisi paucæ peditum cohortes, quibus acies media constabat. In eam Julius cum irruisset, minaci voce, quasi jam victor, Imperatorem sibi tradi jubebat. Sed hominis temeritatem conspicatus miles gregarius, lapidem in os clamantis tam certo ictu direxit, ut ille confestim dejectus equo conciderit. Tum accurrens, jacentem acinace obstruncat, avulsumque humeris caput lætus ad Principem defert. Amisso duce, consternantur perduelles, & fuga salutem quærunt. Hærebat in aggere immotus Abuna, seu stupore cladis, seu fiducia Sacerdotii. Eum ut vidit nobilis Orthodoxus, ratus gratam se Deo victimam oblaturum, si tam implacabilem veræ pietatis inimicum mactasset, adacta in collum lancea prostravit. Post eundem alii afflictum, & suo coopertum sanguine, spirantem tamen adhuc atque sentientem, usque ad intimam tunicam spoliaverunt. Postremo abscissis cervicibus misero ablatum est caput, positumque ante pedes Imperatoris. Hunc habuerunt vitæ, & consiliorum suorum exitum primi duo furialis belli concitatores. Aliorum non eadem sors fuit. Imperator sapienter existimans, civilis belli victoriam tanto esse lætiorem, quanto minus in ea sit cædis & sanguinis, multitudini parcere constituerat, eoque signum receptui dederat. Sed Principis clementiam vicit militum ardor. Fusos fugientesque ad plures horas insecuti, ma-

129. Perduellibus obviam procedit Imperator cum exercitu.

130. Deseritur à suis, proditione ducum.

131. Dux perduellium occiditur, Abunæ caput amputatur.

132. Profligantur rebelles, nullo ex regiis amisso.

Digitized by Google

magnum eorum numerum partim occiderunt, partim vivos ceperunt. Regiorum, quod vix credibile, nemo cecidit.

133. Curæ Imperatoris de ſubſidio militum Luſitanorum.

Lætus eventu prœlii per quam ſecundo Imperator, angebatur tamen quod tam fluxam perſpexerat ſuorum erga ſe fidem, dolebatque nondum advenire legionem mille Luſitanorum, quam a Philippo Rege pridem per litteras poſtulaverat. Videbat enim, niſi externo præſidio ſibi firmaſſet imperii vim, fruſtra fore quæcunque ad frangendam factioſorum perfidiam ſuſciperet, nec unquam planè conſecuturum, ut catholicus in Æthiopia cultus refloreſceret. His de cauſis, cum accepiſſet ſuper eo negotio litteras à Mutio Generali, videns quid ille apud Pontificem Maximum, & Hiſpaniarum Regem ad impetranda quæ dixi auxilia militum præſtitiſſet, reſcripſit ad eum paucos poſt dies in hæc verba, quæ ex Luſitanis latina facimus.

134. Ejuſdem litteræ ad Mutium Generalem de hoc negotio.

„ Epiſtola Seltan-Seguedi Imperatoris Æthiopiæ reddatur P. Mutio Vitelleſcho Generali Præpoſito Societatis Jeſu, magiſtro magiſtrorum, qui hodie Apoſtolorum exemplo fidem catholicam per totum orbem diſſeminant. Pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui pro nobis humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem, tecum ſit Reverende Pater, & cum tota Societate Jeſu. Quas Reverentia veſtra ad me ſcripſit litteras menſe Januario ſuperioris anni MDCXVI., eas nunc tantum accepi ad nonas Julias, & maxima affectus ſum voluptate, propterea quod cognovi, te cum Sanctiſſimo Pontifice, & cum fratre noſtro Hiſpaniarum Imperatore egiſſe amanter ac ſedulo, ut negotium illud conficeretur, jamdiu nobis optatiſſimum, & ad ſalutem hujus Imperii ſempiternam, quam totis curare viribus conſtituimus, unicè neceſſarium. Pro ejuſmodi officio agimus tibi ingentes gratias, hortamurque te etiam atque etiam, ut curare idem negotium quanta poteris maxima diligentia pergas, pro certo habens, nullam eſſe rem, quam in hac vitæ brevitate facere poſſis Deo gratiorem. Agitur enim divini Numinis gloria, & ſalus animarum, quæ ad multa millia pereunt in his regnis, perituræ adhuc ſemper, ut oves deviæ, & paſtore deſtitutæ, niſi in ovile Eccleſiæ catholicæ reducantur. Id porro efficere dignum eſt, reverende Pater, induſtria tua, & ad illos omnes pertinet, quibus ſalutis publicæ procuratio commiſſa eſt. Facies autem, ut ſpero, etiam noſtra cauſa. Nos quippe Societatem tuam complectimur ſingulari benevolentia, hos vero quinque Patres in Imperio noſtro deſudantes, ut cœleſtes Angelos colimus, & veneramur. Illud poſtremo rogamus Reverentiam veſtram, ut propitiare nobis ac rebus noſtris velit divinum Numen, curetque idem fieri in Societate univerſa. Multum enim veſtris precibus & piaculis fidimus, iiſque acceptum ferimus, quod, poſtea quam Patribus uti magiſtris cœpimus, & veritatem catholicam amplexi ſumus, multa nobis proſpere præter ſpem, ac præclarè ſucceſſerint„. Hæc Imperator III. Idus Julii. Quæ prius quam Romam perferrentur, cognoſcere potuit, quam non temere in Rege Hiſpaniarum ſpem collocaſſet ſuam. Nondum enim annus exierat, cum accepit à Philippo Rege Catholico litteras ſuis votis maximè conſentaneas. Significabat iis litteris Rex, curæ ſibi eſſe pium ejus propoſitum, ac porro fore. Dediſſe jam in mandatis Proregi Indiarum, ut ubi primum ea provincia à Batavorum quieviſſet injuriis, mitteret in Æthiopiam ſubſidia militum, quæ poſcebantur: nullam ſe denique prætermiſurum rem, qua probatam illi facere ſuam voluntatem poſſet. Hoc nuncio, vix credibile quantum voluptatis ceperit pius Princeps. At voluptas intra ſpem ſe continuit: nunquam enim ea Regis mandata, ob temporum difficultates, peragi potuerunt.

135. Accipit a Philippo Rege promiſſa ſuis votis conſentanea.

136. Transferendos curat in linguam Æthiopicam utiliſſimos libros.

Interim reputabat cum animo ſuo Imperator, quibus potiſſimum rationibus quamplurimos ſchiſmaticorum ad catholicas partes pelliceret. Multa agitanti venit in mentem, opportuniſſimum fore, ſi Patres Societatis in linguam gentis transferrent aliqua divinorum voluminum commentaria, quibus Dioſcori refelli poſſet impietas. Certè non defuturos, ajebat, qui ea legerent; contumaces autem poſtea quam ea legiſſent, veritatem amplexaturos facilius, quod illam videri poſſent ſtudio ac labore ſuo detexiſſe. In clamoſis & publicis diſputatio-

Digitized by Google

tationibus, non tam plerumque de veritate, quam de ingenio doctrinaque contendi, & durum humanæ ſuperbiæ accidere erroris, inſcitiæque redargui ab adverſario; ut etiam ſi victus ſis, tamen videri nolis. Id incommodi libros non habere, in quibus veritas traditur ſine faſtu, ſine pudore diſcitur. Conſilium probarunt vehementer Patres: et quamquam erant privatis publiciſque curis adeo diſtricti, ut ægrè poſſent operi laborioſo manus adjicere, tamen materiam omnem inter ſe partiti, citius quam ſperabant edidere commentaria Franciſci Cardinalis Toleti in epiſtolam Pauli ad Romanos, itemque commentaria Joannis Maldonati in Evangelium Matthæi. Nec ſui illos laboris ac vigiliarum pœnituit. Excepti ſumma omnium, præſertim Monachorum, aviditate libri, toto quam celerrimè imperio volitarunt, ac lætum ſemen fuerunt copioſæ meſſis, de qua ſuis infra locis dicendum erit. Hæc in Æthiopia.

137. Res Japoniæ. Perquiruntur Chriſtiani Sacerdotes circa Nangaſachium.

At in Japonia aſperiora fiebant omnia in dies. Non enim jam, uti prius, clanculum, & diſſimulata fraude, ſed aperta vi, ferroque, ac ſanguine Imperator Chriſti nomen inſectabatur. Unicus erat toto regno locus Nangaſachium, ubi licebat Chriſtianis impune degere: eum hoc tamen, ut capitale eſſet, ſiquis Sacerdotem ullum juvaret hoſpitio. Cum innotuiſſet Principi, multos ibi latere diverſorum ordinum Sacerdotes, negotium dedit Omuræ Regulo, quippe ejus urbis accolæ, ut ad eos perquirendos accederet cum militibus, & quoſcunque deprehendiſſet, in vinculis cuſtodiret. Hac vulgata fama, dilapſi plerique ſunt, & per vicina loca diſperſi, paucis exceptis, qui in ipſa urbe tutiores ſibi latebras paraverunt. Ex Sacerdotibus Societatis proripuerat ſe Nangaſachio P. Joannes Baptiſta Machadus, juſſus à Provinciali Præpoſito in Gotum, inſulam haud longe poſitam, properare. At illato vix pede in navim, ab amicis admonetur, nihil ipſi tutum in inſula Goto fore: compertum ejus eſſe iter exploratoribus: imminere fugienti Omurenſem. Hortantur propterea, ut curſum alio dirigat, vel Nangaſachium repetat potius, ubi latebræ faciliores, ut in urbe amica, & populoſa. Collegit tantiſper ſe fortis Sacerdos, & conſulto per precationem Deo, ſtatuit non alio, quam quo jubebatur, divertere. Nihil temere ajebat fieri, cum fit quod imperatur: ſi veniret in hoſtiles manus, duplici potiturum ſe præmio, altero fidei, obedientiæ altero; nec vero melius poſſe ad martyrium, quam per iter obedientiæ pergi. Ita comparatus progreditur ad præſtitutum locum, & in inſulam exponitur Aprili menſe. Poſtridie quam exſcenderat, dum maximè pœnitentem elata manu abſolvebat, captus, deductus Omuram, & vinculis conſtrictus eſt. Tenebatur in eo carcere Sacerdos Franciſcanus Petrus ab Aſcenſione, per eoſdem dies ſimiliter comprehenſus. Is ut Machadum aſpexit venientem, aſſurgens proceſſit obviam novo hoſpiti, ac ſodali, eum amantiſſimè complexus eſt. Hic invicem ad ejus pedes ſe abjecit. Certatum utrinque humilitate, & charitate tanta, ut id cuſtodes carceris mirari ſatis non poſſent. Ambo deinde beatæ necis expectatione læti, maximas Numini gratias perſolverunt, perſtiteruntque hoc habitu mentis à die Pentecoſtes ad ſecundam uſque feriam poſt feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ ſuprema lux ambobus, & aditus ad beatam immortalitatem fuit. Quibus in ſqualenti ergaſtulo gaudiis P. Machadus afflueret, intelligi poteſt ex ejus litteris ad Societatis Sacerdotem conſcriptis: „ O ſummam, inquit, Dei benignitatem, qui tam leves famulorum ſuorum ærumnas tantis præmiis vel in hac mortali vita compenſat! Hoc tibi, cariſſime Pater, confirmare poſſum, nullas rerum caducarum delicias, nullos honorum gradus, ac ne omnia quidem in unum collecta orbis terrarum imperia tanti eſſe, ut has catenas illis mutatas velim. Unum timeo, unum dolebo, ſi leviore quam pro votis meis cruciatu defungar. Jam dies quadrageſimus eſt, cum totius corporis acerrimo dolore torqueor, quem parit carceris in media palude poſiti craſſus aer, & ſoli putris atque uliginoſi graveolentia. Ita increvit dolor, nullam ut quietis capere partem poſſim. Id vero in maximis Dei beneficiis numero, tantaque animi pace fruor, nihil ut me angat, præter peccata mea. Nunc, nunc demum aſſequi mihi videor vim illius Apoſtolicæ vocis: „ *Cum*

138. Comprehenditur P. Jo. Baptiſta Machadus in Inſula Goto.

139. Carceri includitur cum Patre Petro ab Aſcenſione Franciſcano.

140. Machadi litteræ ex carcere Omurano.

Digitized by Google

„ *Cum infirmor, tunc potens ſum*. Hoc porro totum, quantum quantulum eſt,
„ roboris & gaudii, divinum eſſe munus, & immerenti datum, prorſus video,
„ ſentioque. In me, ac per me nihil: in eo, & cum eo, poſſum omnia. Jugum
„ Chriſti ſuave eſt, quia quod eſt oneris, ipſe perfert, ſeque imbecillitati noſtræ
„ accommodat, *nec premi nos, tentarique patitur, ſupra id quod poſſumus*„. Sic ille XII. Cal. Junii. Alias duas in eandem fere ſententiam litteras ad alios dedit ex eadem cuſtodia.

141. Quo ſint perfuſi gaudio Machadus, & Petrus, accepta capitali ſententia,

Affuit interim expectatus diu nuncius, ſententiam mortis ad utrumque perferens. Ea audita, dici vix poteſt, quibus beati viri lætitiis inceſſerint. Affirmabat Franciſcanus, ex quo pedem in ergaſtulum intuliſſet, id unum ſe à Deo flagitaſſe, ut mori pro Chriſto poſſet. Machadus vero tres ſibi fortunatos in omni vita illuxiſſe ajebat dies: primum, quo fuerat in Societatem adſcriptus: alterum, quo datus in cuſtodiam: tertium hunc ipſum, quo dictam in ſe capitis ſententiam acceperat. Nec tenere ſe potuit, quin ad Rectorem Sociorum ſcriberet in hæc verba. „ Modo mihi felix fauſtuſque nuncius beatæ mortis obeundæ allatus eſt. Mei compos non ſum præ gaudio, quia pro Jeſu meo morior, cui vitam hanc do, dedoque libentiſſimè, daturus alias mille, ſi adeſſent. Ago illi gratias immortales, quod ſervum indigniſſimum tanto beneficio cumulet. Ah! quam me piget pudetque, tot ejus in me beneficiis tam parum hactenus reſpondiſſe! Quam lætor, quod meam illi, ſaltem moriendo, probare fidem poſſum! „ Hæc ſcribebat Machadus, eadem cum ſocio triumphi Franciſcano piis ſermonibus agitabat. Reliquum ejus diei ambo piè admodum tranſegerunt, partim divinis laudibus concinendis, partim mundanda per ſacram confeſſionem conſcientia. Sub veſperam carcere eductos ingens populi multitudo proſecuta eſt ad collem, altero ab urbe diſtantem lapide, ſupplicio deſtinatum. Procedebant felices victimæ, effigiem Chriſti è cruce pendentis elata geſtantes manu; ſermone autem modo ad Neophytos, modo ad ethnicos converſo, illos ad retinendam, hos ad amplectendam fidem hortabantur. Sane ab omnibus audiri voces, inter crebra comitantium ſuſpiria planctuſque, non poterant. Cerni tamen poterat alacritas eminens in ipſo vultu, quam admirantes ethnici exclamabant: Omnino hanc veram eſſe religionem neceſſe eſt, quæ mori ſic homines docet. Ut ventum ad collem, effuſi ambo ſunt in mutuos amplexus gratulationeſque, incredibili hilaritate. Tum ſalute multa Chriſtianos circum undique collacrymantes impertiti, cum ad eos P. Petrus ab Aſcenſione uberius verba feciſſet, alter ab altero paulum dirempti ſunt, procideruntque in genua ſupplices. Fuit pius Neophytus, qui tegetes utrique ſubſternere conabatur, in quibus decentius caderent. Verum illi, terram terræ deberi ajentes, genua in nuda humo fixerunt, ſublatiſque in cœlum oculis & manibus, cervicem acinaci barbaro præbuerunt. Caput Franciſcano primus ictus abſcidit. P. Machadus, collo dimidia parte ſecto, corruerat. Erexit ſe rurſum in genua, Jeſum ac Mariam inclamans, & feliciorem ictum expectavit. Carnifex, & ſuo errore, & populi convicio attonitus, alium acinacem corripuit trepidè, novum intulit vulnus, nec tamen niſi ferro tertium impacto, immotum precantemque obtruncavit. Eo aſpectu erupit lamentabilis piorum clamor, & undique in ſancta corpora eſt factus impetus deoſculantium beatos artus, & aliquid ad venerationem decerpentium. Repreſſo ægrè populo, ſepulta ſunt ſacra pignora, & locus pariete circum ſtructo clauſus, ne clam auferrentur.

142. Procedunt ambo ad ſupplicium mira alacritate.

143. Caput utrique præciditur, ſed Machado non ante tertium ictum,

144. Vitæ ſumma, & elogium Patris Joannis Baptiſtæ Machadi.

Natus erat P. Joannes Baptiſta Machadus in inſula Tertia, Azorum una, ex nobilibus parentibus genere Luſitanis. Indolis optimæ ſpecimen, & futuræ vitæ conjecturam præbuit puer annos nondum ſeptem egreſſus. Cum enim de noſtrorum in Japonia laboribus, ac rebus præclarè fortiterque geſtis audiret, ſic animo eſt incitatus, ut evolare jam tum cuperet in iſtos orbis ultimi fines, & ſanguinem pro Chriſto profundere: quod non leve, nec puerile fuiſſe votum, oſtendit eventus. Adoleſcens annorum ſexdecim Luſitaniam petiit, ac ſe Deo in Societate, per quam confidebat ſibi aditum ad Japones patere aliquando poſſe

Digitized by Google

posse consecravit. Nullum deinde urgendi obsecrandique majores finem fecit, donec in Indiam, ac demum in Japoniam voti compos pervenit. Postquam gentis linguam edidicit in collegio Arimensi, Fuximæ substitit aliquandiu, in urbe quondam regia Taicosamæ, & Christianos earum partium pro Episcopo curavit. Indicto per Daifusamam fidei ministris exilio, remanendi potestatem, & latendi obtinuit. Plures annos exegit Nangasachii, quo tempore, cum esset ab ætate ac viribus multum valens, Parochi munus ita gessit, ut solus multorum instar esset. Nunquam illi visa dulcior Japonia, nunquam pulchrior, quam cum asperiorem, & periculis, exiliis, ærumnis horridiorem experiri cœpit. Magna illi salutis alienæ, nec interrupta cura, major suæ. Obedientiam humilitas, humilitatem patientia, hanc castimonia singularis ornabat. Ejus vitæ mortisque laudes brevi elogio complexus est P. Balthasar Torres, cum scripsit, obiisse Machadum instar Martyris, instar Angeli vixisse. In eorum numero, quos verbis exemplisque Christo peperit, Tomonangæ Girobioi clarissimum nomen, & spectatissima virtus fuit. Is, qui Christianorum acerrimus hostis esset, nuncium subeundæ mortis Machado attulit. Verum ita immutatus est ejus cohortatione, ut qui nunc pœnæ erat exactor, imitator sexto post mense fuerit, eadem causa damnatus. Multa narrant litteræ a Machado prædicta divinitus, præsertim cum jaceret in vinculis, ubi adeuntes subinde Neophytos, licet nunquam antea visos, neque cognitos, compellabat nomine, & siquidem retinerent fidem, collaudabat; sin ab ea excidissent, licet perfidia ipsorum nulli nota foret, acriter objurgabat. Palmam est consecutus vir præclarus XI. Cal. Junii, anno ætatis trigesimo septimo nondum expleto.

145. Capitalis pœnæ nuntius ad Christum convertitur.

Sperabat Omuræ Regulus, hac duorum Sacerdotum cæde finem habituras Christianorum molestias, idque porro cupiebat. Vir enim mitiori ingenio, & olim Christo initiatus, ægrè sæviebat contra Christianos, acceperatque immitem procurationem invitus, ne suis ditionibus spoliaretur. Et jam, ut satis superque regiis perfunctus mandatis, profitebatur, nihil esse præterea quod contra Sacerdotes Christianorum ageret, nec sibi deinceps curæ fore, quibus illi in locis morarentur, modo ne darent se in publicum, neu strepitum ederent. Quod nisi quosdam nimia, si fas ita loqui, martyrii cupiditas incendisset, spes erat non vana, affore brevi pacatiora, nec diram infectationem ultra progressuram. Sed gemini herois quam dixi victoria multos æmulatione succendit. Nondum tertius exierat ab eorum nece dies, cum Alphonsus Navarretus, & Ferdinandus à S. Josepho, religiosi Sacerdotes, hic S. Augustini professus institutum, ille S. Dominici, relictis latebris, & populari qua se occultaverant veste, induunt amictum sui quisque ordinis, & in publicum prorumpunt; confectoque raptim sacello in conspectu Omuranæ civitatis, rem divinam faciunt, conciones habent, sacramenta palam Christianis concurrentibus administrant. Rex Omuræ, spreta sic edicta Imperatoris furens, & sibi male timens, si ille resciret talia Sacerdotes esse ausos in territorio suo, inspectante, & quasi approbante se, volentes, occurrentesque ultro lictoribus comprehendi, & gladio percuti jubet. Socium illis, & consortem glorioſæ necis addit Leonem nescio quem, juvenem virtutis eximiæ, qui operam navare solitus P. Machado, cum eoque captus, quamvis daretur facultas fugæ, mori maluit, quam Christi cultum vel in speciem abjicere. Tum ne deinceps Christianorum concursus ad Martyrum sepulchra fierent, projici in mare jubet cæsorum corpora, eorum etiam, quos triduo ante necatos dicebamus; & quidem sic, ut in uno loculo componeretur Navarretus cum Machado, in altero cum Petro ab Ascensione Ferdinandus à S. Josepho. Arcæ occlusæ longius a littore deportatæ fuerunt, & in mare dejectæ adeo latenter, ut è Christianis nemo sciret. Tamen, ut fors tulit, pia fidelium vota ex toto elusa non fuerunt. Quæ enim arca inclusum habebat cum Petro Ferdinandum, solutis nescio quo casu retinaculis, quibus saxo fuerat alligata, ultro emergit haud multo post, exceptaque a præternavigantibus Christianis, infertur Nangasachium, & cum honore conditur.

146. Recrudescit persecutio ob nimium ardorem quorundam religiosorum.

147. Capiuntur alii duo, & gladio feriuntur cum egregio juvene.

148. Cæsorum corpora in mare dejecta præter spem inveniuntur.

Digitized by Google

149. Aliud par religiosorum comprehenditur in territorio Omurano.

Post hæc speranti adhuc Regulo Omurensi, cautius acturos in posterum Sacerdotes, seque tandem a tam tristium judiciorum functione exemptum iri, nuncius affertur, advenisse in Omurensem tractum alios Religiosos tres, versari in omnium oculis, Christianorum crebros conventus apud eos fieri. Exarsit eo nuncio supra quam dici possit Regulus, & atrocia quæque prænuncians, se quidem posthac, non ut antea remissum & incuriosum imperiorum suorum exactorem fore dixit, sed rigidum, ac prope immansuetum: misitque è vestigio satellites, qui tres illos in vincula raperent. Erant duo ex sacro Prædicatorum ordine, tertius Franciscanus. Sed cum apparuerunt lictores, diffugerat unus ex prioribus. Itaque duo tantum in carcerem contrusi fuerunt, adjunctis tamen sacri ministerii comitibus & adjutoribus quatuordecim. Eodem tempore Gubernator Nangasachiensis duos necat indidem cives, Gasparem, & Andræam, propterea quod religiosis hospitium præbuissent; octo autem patres familias in custodiam conjicit eo tantum nomine, quod domum habentes hospitibus illis Religiosorum conjunctam, de Religiosis tam proximè habitantibus ad Magistratum non detulissent. Ita sensim crudescebant res, iræ fomitem præbente paucorum ardore immodico, qui *abundantes in sensu suo*, nec forte conditionem temporis satis perspectam habentes, consultius putabant impia Tyranni jussa contemnere palam & infringere, quam qualicunque obedientiæ specie illum placare. Nostri contra, tametsi ignaviæ redarguerentur, sanioris esse consilii existimabant sui ordinis ministeria clanculum, & cautè peragere, ne aperto legum contemptu Tyrannum irritarent gravius, & rem summam in discrimen adducerent. Nec illos unquam pœnituit in hac re speciosis tuta prætulisse.

150. Nostri tantum illorum ardorem non probant, & rem agunt cautius.

151. Diræ vexantur Christiani in regno Fingi.

Talia dum gerebantur circa Omuram, alii quoque per Japoniam Reguli Christianos non leviter exercebant. Cangami in regno Fingi plures erant Christianorum familiæ. His ad defectionem sollicitandis Regulus ferox, non viros, quorum invictam sciebat esse virtutem, sed uxores, & liberos, partem scilicet eorum molliorem carioremque, abstrahere in carceres, & exagitare crudeliter cœpit. Sed vicit naturæ necessitudines Christi charitas, nec, præter paucissimos, quisquam prostratus est. In regno Chicungensi præclarum fidei testimonium dedit Joannes Tomonanga Girobiojus. Is ille est nobili in primis genere natus vir, & belli dux egregius, a quo denunciatum Patri Machado supplicium supra docuimus. Missus à Rege apparitor necem constitutam nunciaverat Girobiojo, si Christianus esse pergeret. Ipse apparitori, & Regi gratiis prolixe actis, in interiorem ædium partem secedit, & cruento flagello sese per dimidiam horam diverberat. Sic victimam sacrificio præparabat. Inde lautissima in veste progressus, uxorem Catharinam valere postremum jubet. Læta viri sorte mulier, & mœrens sua, optabat socia necis esse, quæ fidei & pietatis fuerat, nec dolebat quod moreretur maritus, sed quod ipsa vivere cogeretur. Girobiojus interim, dum plangentes amicos novissimis affatur verbis, ethnicum conspexit, à quo fuerat haud ita pridem offensus graviter. Salutat illum amicè, amplectitur, veniam dat, petitque. Postremo palam contestatus, multa se habuisse Regis beneficia cum viveret, sed nullum tanti facere atque illud ultimum, quo moriens cumulabatur, genua flexit, cervicem carnifici obtulit. Decisam generosa uxor sustulit, & capiti reverenter imposuit suo, lacrymis, quibus ubertim manabat, non se flere dictitans viduitatem suam, sed viro triumphum gratulari. Parabat satelles avehere corpus, aut abjiciendum in mare, aut secreto aliquo loco infodiendum. Sed Neophyti, consilio & astu usi, pro sarcophago arcam suppositere arena oppletam, cadaver vero ipsum exportarunt procul, ac postea Nangasachium transmiserunt. Par genus supplicii, nec minore animi magnitudine subierunt Yedi, quæ urbs erat Imperii sedes, quatuor Neophyti insignes, Vincentius, Aloysius, Thomas, & Laurentius. Sed longum esset acta singulorum referre. Unum dico, non alia fuisse causa damnatos, nisi quod vexatos Christianos ad perferendas fortiter quascunque pro Christo ærumnas voce & exemplo animaverant. In regno Bungi P. Petrus Navar-

152. Nobile martyrium Joannis Girobioi in regno Chicungi.

153. Alii quatuor Christiani perimuntur Yedi.

Digitized by Google

varrus, ne quis ſua cauſa periclitaretur, in ſaltum ſeceſſerat, ubi antrum nactus ſubterraneum, inter vepres dumoſque ſilveſtres latebat. Erumpebat tamen identidem, ac præter eam opem, quam remotioribus Neophytis afferebat per litteras, proximiores adibat ipſe coram, ſolabatur, confirmabatque. Ignatius quidam, raræ admodum pietatis vir, contempto capitis ſui periculo, illum apud ſe occultum habuit aliquandiu. Quater propterea ad tribunalia raptatus fuit: ſed ea dedit conſtantiæ documenta, ut tantam in uno homine perire fortitudinem Judices non permiſerint. Quocirca damnatum jam, & mori geſtientem capitali ſupplicio exemerunt.

154. Patris Petri Navarri pericula, & labores in regno Bungi.

Hæc in ea parte Japoniæ, quæ *Ximus* à Luſitanis dicta, una eſt trium inſularum, quibus totum illud imperium continetur, & venientibus ab occidente prima conſpicitur. In duabus reliquis, etſi minor erat Chriſtianorum numerus, eos tamen operarii Societatis haud minore labore ſuo, & periculo excolebant. P. Joannes Baptiſta Porro octo ferè, vel novem tetrarchias (regna vocant Japones) ſolus curabat, in quibus acerbæ quæſtiones de Chriſtianis exercebantur, multoſque contra omnem acerbitatem immotos lætus vidit. In urbe Fangui ſeptem milites de cohorte prætoria, in jus vocati, jubebantur cum acribus minis cultum mutare. Cum recuſarent juſſa facere, exuti ſuis omnibus, coactique ſunt cum liberis & conjugibus ſolum vertere. Illi pœna ſua læti in exilium abjerunt. Fuit in alio ejuſdem ditionis oppido maſculæ fortitudinis femina, quæ quærentibus Reguli apparitoribus, num quos ſciret ibi eſſe Chriſtianos? eſſe reſpondit. Juſſa edere ſingulorum nomina, ſe primam, deinde virum, & liberos communes duos nominavit. Vincti ob eam cauſam omnes, beatæ mortis gloriam avidè præſtolabantur; ſed poſt diuturnum carcerem, mitigata tantiſper perſequentium acerbitate, dimiſſi ſunt. In majore Inſula, quam indigenæ vulgo appellant *Niphon*, Chriſtianorum plerique ſuis ejecti ſedibus, & bonis omnibus ſpoliati, vix habebant quo ſe reciperent. Vagantes per nemora, aut in ferarum ſpeluncis abditos, magno labore, & per ſexcenta vitæ pericula perquirebant, ſolabanturque Patres Balthaſar Torres, Emmanuel Barretus, Benedictus Fernandez, & Didacus Yuqui, quorum primus Sacai, Ozacæ alter, poſtremi duo Meaci ſedem fixerant. His nequaquam contentus finibus P. Didacus Yuquius, peregrinationem ſuſcepit ad nobiles Chriſti athletas ferè centum, quos ante triennium Daifuſama fortunis everſos Tzugaram relegaverat, meram ſolitudinem, & extremum Japoniæ terminum ad orientem ſolem. Eo per confragoſa, & inacceſſa rupium juga, per teſqua horrida, per loca tantum Apoſtolicæ charitati pervia penetravit Sacerdos impavidus, ſpretis vitæ periculis, quæ plurima objiciebantur, non tam ex natura locorum, quam ex portitorum, coactorumque regiorum vigilantia, qui montium fauces omnes anguſtiaſque obſidentes, prætereuntium ſarcinas, & ipſa prope viſcera ſcrutabantur, prædones verius, quam publicani. Neque ſolum ex eorum manibus feliciter elapſus eſt Yuquius, verum etiam, quod multo inſignius, ſecum detulit ſacrum divini ſacrificii inſtrumentum, quo uno maximè ſolatio præclari exules indigebant. Gente enim Japon, popularium Philoſophorum indumento tectus, nihilque peregrinum ore, lingua, inceſſu præferens, nullam ſtationariis militibus ſuſpicionem movit. Tzugaram ingreſſus, dubites majorem ne lætitiam piæ attulerit turbæ, an viciſſim ab ea acceperit. Multum certè lacrymarum hinc atque inde fuſum. Opus ruri faciebant beati exules, viri pariter ac feminæ, cum plebe permixti nobiles. Erant æſtu ac frigore peruſti omnes, annona, veſtibus, commodis vitæ omnibus deſtituti, una divites, & læti patientia. Vitæ genus inſtituerant dignum plane Chriſti diſcipulis, tam triſte exilium ejus cauſa patientibus. Quotidiana illis jejunia, frequens flagrorum uſus, precationes ad multas horas in communi productæ. Noctes ex magna parte inſomnes tranſigebant, de Chriſtianæ profeſſionis officiis inter ſe colloquentes, tunc maximè beati, ſi paganorum aliquem erudire, & lucrari Chriſto contingeret. Una modò res deerat ex omnibus optatiſſima, Sacerdos à quo expiarentur, & ſacro epu-

155. Chriſtianorum ærumnæ, Patrum labores in aliis Japoniæ partibus.

156. P. Didacus Yuqui Tzugaram pervadit, ut Chriſtianos ibi exulantes conſoletur.

157. Quam piè viverent Chriſtiani in eam ſolitudinem relegati.

Digitized by Google

opulo impertirentur. Id nunc præter spem assecuti, triumphare gaudio, se felicissimos prædicare, nullum finem agendis Deo gratiis facere, à quo tam dulce insperatumque solatium accepissent; Sacerdotem vero ipsum, non ut hominem, sed ut cœlo missum Angelum intueri.

158. Quinque ibi Christiani vivi comburuntur.

Duo erant ex eo numero conjecti in carcerem, propterea quod tres ethnicos fidei rudimentis imbutos baptismo initiaverant. Singulos adiit P. Didacus, sacris recreavit, ad mortem, si fortè irrogaretur, fortiter perferendam accendit. Et verò irrogata est, sed non illis tantum. Nam cum Præfectus regionis facti relationem misisset ad Imperatorem, rogans quid his fieri vellet; responsum est, duos quidem exules facti auctores, vivos esse comburendos, tres vero reliquos recens baptizatos, interrogandos, & siquidem Christi fidem profiteri pergerent, eadem pœna multandos. Quibus acceptis mandatis, Præfectus tres ad se vocat Neophytos, & si modo à Christi cultu desciscant, victuros Regis beneficio docet. Abominati flagitium viri fortes, negant se facturos, subire damnationis sententiam malunt. Placuit experiri, num charitas liberorum flecteret, quos non flectebat supplicii metus. Introducuntur filii parvuli, tendentes manus, & miserabiliter ejulantes. Nihil eo spectaculo parentes infracti sunt. Quod ergo unum supererat, simul omnes ad rogum producuntur, capita omnino quinque. Duo exules alumni olim fuerant Societatis, in Meacensi seminario educati. Alteri nomen Mathias, Leo alteri. Mathiæ conjux erat Anna, ornatissima femina, quam vir cum habuisset exilii comitem, dolebat secum tacitus, quod non etiam beatæ mortis sociam haberet. Vicissim hæc ægerrimè ferebat à carissimo divelli sponso, quicum vixerat studio pietatis conjunctissima. Judicis ad pedes procidit, mortem orans, aut beneficii loco, ne virum desereret, aut pœnæ, quia pariter ut ille Christiana. Exoravit, & quinque martyribus sexta accessit. Perstitere beatæ victimæ mediis in ignibus duas horas, nullo edito doloris signo: quod constantiæ documentum in illo ultimo orbis angulo adeo simul novum, & mirabile accidit, ut id ethnici tanquam aliquid humano majus prædicarent. Hinc divina lex, quæ illic antea duntaxat è Christianorum moribus integerrimis nota erat, celebrari latius cœpit, ex eoque incendio majorem in modum eluxit. Contigit tam illustre martyrium pridie Nonas Augusti, quo tempore Tzugara jam digressus P. Didacus, aquilonaria majoris Insulæ regna percurrebat, dispersis per ea loca Christianis sacra circumferens. Idem interea munus strenuè obibat P. Hieronymus de Angelis qua se latè porrigit regnum Voxuanum, eoque faciebat liberius, quod regionis istius Regulus nondum quemquam religionis causa vexabat. Sed jam ibi quoque ardor fidelium apertius se effundebat interdum, quam tempori congrueret, imminebatque, ut in cæteris Japoniæ locis, atrox procella, & vehemens, quam in loco exequemur.

159. Mulier fortissima adjungi marito suo comburendo impetrat.

160. Omnium constantia admirabilis in mediis ignibus.

161. Labores P. Hieronymi de Angeli in regno Voxuano.

162. Acta in Cocincina. Adveniunt PP. Petrus Marques, & Christophorus Borrus.

Progredimur nunc in Cocincinam, ubi anno superiore exagitatam seditione populi Societatem, religionem eversam, Patres in exilium actos videbamus. Pervaserat harum rerum infaustus rumor ad nostros Macaum, quo tempore vela factura erat in Cocincinam navis Lusitanorum onusta mercibus. Cum videretur opportuna occasio, navim eandem conscenderunt nostrorum Sacerdotum duo, Petrus Marques Lusitanus, & Christophorus Borrus Italus, & in Cocincinam pariter navigaverunt, ut ejectorum locum occultè occuparent. Processere tamen vestito nautico tecti, ut omnis Cocincinensibus eximeretur suspicio. Post satis prosperam navigationem, subierat jam Turoni portum navis, jam ex Cocincinensibus plurimi ad merces pro more coemendas convenerant. Cum oritur in ipsa navi rixa, & altercatio vehemens inter Lusitanos. Stringuntur hinc inde gladii, minis omnia, jurgiis, & incondito clamore perstrepunt. Ad tumultum accurrerunt Patres, eorumque aspectu ipso, nedum voce, & objurgatione, compositi momento animi mitigatique sunt. Enim vero mirari Cocincinenses, duorum nautarum præsentia nutuque tantam contentionem derepente compressam: suspicari, ac mussitare inter se, nequaquam hos, ut vestis indicabat,

163. Vix appulsi cognoscuntur, & deposcuntur ad cædem.

nau-

Digitized by Google

nautas esse, sed Sacerdotes, qui regiis edictis legibusque contemptis, in Cocincinam inferre se denuo moliantur: deferendos ad Regem, supplicio afficiendos. Hæc altius jam, & apertius vociferantes, Regem adeunt, & militarem manum poscunt. Senfere periculum nostri, ad omnia paratos se superis obtulerunt: utque conspectiores caderent, depositio cultu alieno, vestem Societatis induerunt. Ecce autem, dum tota civitas tumultuatur, decidere subito largus imber, natare campi, magnæ spes fertilitatis ostendi: quæ cum res esset optatissima, & multos menses frustra expetita, ut mobile ac superstitiosum est vulgus, conversi momento sunt omnium animi. Jam non Patres ad cædem deposcere, sed magis gratulari sibi eorum adventum, quasi faustas secum pluvias, & ubertatem annonæ attulissent. Simul exprobrare calumniam Bonziis, qui jactarent, negatum fuisse à Diis imbrem, ob acceptos in Cocincinam Christianæ legis magistros. Falso hæc dici affirmare: siquidem infestum antea cœlum duos vix advectos Macao Patres gratissimo copiosæ pluviæ dono veluti salutaret. Movit in primis Regem hæc ratio, ejusque pristinum erga nostros amorem, non renovavit modo, sed vehementius accendit. Subiit etiam metus, ne, si excluderentur Patres, suas Lusitani merces alio transferrent. Itaque, ut invectam in portum navim lætus audierat Rex, ita ab Præfecto monitus, commercium stare nullo pacto posse, nisi Patribus copia fieret pariter veniendi, non solum veniendi deinceps in Cocincinam, verum etiam sui modo conveniendi potestatem fecit. Eos autem ut vidit, partim accusavit sese, partim excusavit, quod eorum sodales anno præterito tractasset durius, quam ipsorum virtus, & suus amor ferret. Sed quidquid in eo male est factum, benefactis, inquit, compensabimus. Licebit vobis in regno meo considere, templa moliri, Christianis initiare sacris quoscunque, & ubicunque libuerit. Cum respondissent, unum id sibi in votis esse, pollicitus ultro plura, si plura peterent, eos benignè dimisit.

164. Pluvia repente decidens populum iratum mitigat.

165. Rex potestatem facit Patribus Christianam legem propagandi.

Priusquam hæc agerentur, Patres, quorum superiore libro exilium, & ærumnas demonstravimus, opem & solatium habuerant unde minime expectabant. Gubernator Pulicambis (est ea Cocincinæ regio versus austrum) in aulam ad Regem salutandum profectus, cum audisset de illorum eruditione, probitate, & exilio, indignum ratus viros tales, tam levi de causa, tam male acceptos fuisse, miserat qui iisdem à se nunciaret, si venire in suam provinciam vellent, tuto futuros in posterum apud se, nihilque ad vitæ usum desideraturos. Quam viri liberalitatem accipiens P. Buzomius, quamquam gravi esset oppressus morbo, ad eum statim contenderat cum uno ex duobus Fratribus rei domesticæ adjutoribus, relicto Patre Pina, qui cum Fratre altero clam abiit Faifonem, urbem Turono proximam, & coloniam Japonum. Buzomium hactenus Gubernator domi suæ detinuerat, curaveratque benignè admodum, & humaniter. Nunc autem placatum audiens Regem, revocatum exilii edictum, alios in Cocincinam advectos Patres, eos omnes ad se trahere conabatur. Domum, templum, & vectigalia prolixè offerebat. Obstabant Christiani Japones, qui cum frequentes Faifone degerent, vel in exilium ob Christi fidem pulsi, vel sponte propter acerbitatem temporum profugi, unum aliquem ex nostris enixè deposcebant, quo sacrorum ministro uterentur. Post multa utrinque jactata, relictus est Faifone P. Marquesius cum uno Fratre. Reliqui Pulicambim, quippe latiorem agrum, incultioremque, petierunt. Iter dierum duodecim confecere, partim ornatissima triremi ad hunc unicè usum missa, partim elephantis magnificè instratis, stipati equitum peditumque lecta manu. Ut ventum est Nuocmanum, urbem Gubernatoris sedem, regium in morem excepti fuere, mirante populo, ac palam dictitante, excellentes quosdam viros esse, & magnis de rebus acturos venisse, qui sic exciperentur. Alebat hanc famam Gubernator, prædicans doceri ab iis divinam legem: beatos, qui eos audirent, fore: contra miserrimos, & salutis expertes, quicunque morem iis gerere detrectarent: præiturum porro se, ne quis præeuntem sequi dubitaret. Quibus dictis consensere ab initio facta. Tradita Patribus ad habitandum apta domo, nullum intermittebat diem Guber-

166. Pater Buzomius perhumaniter habetur à Gubernatore Pulicambensi.

167. Plerique Patres Nuocmani considunt in Pulicambensi provincia.

Digitized by Google

bernator benevolus, quin eos adiret, unicè anxius, ne quid ipſis deeſſet, ne quid noceret. Ut Chriſtianæ legi, ejuſque Præconibus venerationem, & ſtudia populi conciliaret, ſæpe debitas reis pœnas, eorum deprecatione, aut remittebat omnino, aut mitigabat. Locum excitandæ ædi ſacræ aſſignaverat in frequentiſſima urbis platea, prope domicilium Patrum. Deſcripto templi ambitu, adeſt poſt triduum nuncius, advenire templum. Conturbavit Patres rei, ſermoniſque novitas. Progreſſi ad januam, vident hominum ingentem turbam (milleni facilè numerabantur) onuſtam omnibus templi partibus, jam dedolatis probè, & ubi eſſent diſpoſitæ, inter ſe aptè cohæſuris. Hi columnas portabant, illi columnarum capitella, alii baſes, alii tabulas murorum loco futuras; nam omnia Cocincinenſium ædificia è ligno conſtant. Singulas columnas, quibus tota moles, propter autumnales eluviones, imponenda erat, humeris deferebant homines triginta robuſtiſſimi. Alia ædificii membra comportabant plures, paucioreſque, ut quæque moles erat. Statim atque proceſſerant in aream rite metatam, & idoneis ad ponendum templum fundamentis inſtructam, ſua ſinguli onera deponebant humi, & in iis conſidebant. Mox ab Architecto, qui formam operis totius gerebat in tabula deſcriptam, evocati nominatim, columnas, trabes, epiſtylia, zophoros, tigna, deſignato in loco ſtatuebant. Uno die, ac tumultu nullo, ſtetit ſtructuræ compages ſuis numeris abſoluta.

168. Uno die templum ſtruitur Nuocmani. Ejus ſtruendi mirabilis ratio.

Ex his rerum initiis læta omnia præcipiebant animo Patres, cum maximè viderent, confluere ad novam ædem populum, Chriſti doctrinam audire avidè, baptiſmum certatim poſcere. Solus cunctabatur, qui ſe præiturum cæteris ſponderat, Gubernator. Morantem Deus, immiſſo repente gravi morbo, viſus incitare velle. Verum ille de baptiſmo quamprimum ſuſcipiendo monitus, etſi nihil ſe malle diceret, dum componendis domeſticis negotiis primas curas impendit, correptus repentina phrenæſi, & de mentis poteſtate dejectus, interiit. Miſer, qui inter Chriſtianorum Sacerdotum manus deceſſit ethnicus, tantoque luctuoſius excidit ab æterna vita, quanto abfuit propius. Ingens noſtros inceſſit dolor, non modo propter exitium viri tam bene de ipſis, & religione meriti, verum etiam quia everſam videbant ſpem, in quam adducti non temere fuerant, Chriſtianæ rei ejus exemplo ac patrocinio in tota Cocincina conſtituendæ. Trepidantes, & anxios, gravior præſentiorque metus perculit, occaſione ridiculæ cujuſdam conſuetudinis, de qua ita reperiebam. Mos ibi eſt in funere virorum principum, ut exquiratur eorum necis cauſa, non phyſica illa & naturalis, quam ars medica veſtigat, ſed alia quælibet, quam ſuperſtitio commiſcitur. Huic examini, & cognitioni præſunt Onſai, Sacerdotes gentis. Cum inter illos de cauſa convenit, tum imperant, ut eidem rei, cui mortem Principis aſſignarunt, quæcunque ea tandem ſit, ignis injiciatur. Nihil videbatur proclivius, quam ut infeſti Patribus Sacrificuli in eos cauſam publici doloris conferrent, imputarentque ipſis mortem Gubernatoris: quod ſi facerent, actum omnino de noſtris erat. Et jam huc multorum inclinabant ſententiæ. Cum ſubito aſſurgens ſenior Onſajus, præcipuæ inter ſuos auctoritatis, non aliunde repetendam eſſe cauſam dixit, quam ex vitioſa trabe, quæ ante paucos dies in palatio Gubernatoris conciderat. Quove minus dubitetis, inquit, recordamini, vim morbi graviorem capiti Principis incubuiſſe. Funeſta trabs earum oppreſſit caput: illa vos ultores ſentiat. Aſſurgunt omnes his dictis, & arreptis facibus, trabem cum ipſo palatio, & omnibus ornamentis comburunt. Liberati tanto periculo Patres, gratias egerunt ſuperis, miſeræ gentis cæcitatem doluerunt. At ecce tibi haud multo poſt novum ex inopinato diſcrimen. Intererant ſolemnibus quibuſdam epulis Patres, cum magna Procerum corona. Dum captant occaſionem inſinuandæ religionis, incidit ſermo de animarum poſt mortem ſtatu. Hic aliqui ſciſcitari, quid factum putarent animæ Principis recens mortui? Plenus periculi erat locus. Si damnatam ſempiternis ignibus dixiſſent, vocem procul dubio luiſſent nece: ea Gubernator vixerat probitatis & juſtitiæ fama. Reſponderunt, *niſi quis renatus ſit ex aqua, & Spiritu Sancto*, ſalvum eſſe neminem.

169. Gubernator baptizari differens moritur ſine baptiſmo.

170. Patrum dolor, metus, & periculum, ex morte Gubernatoris.

171. Uno periculo exempti, aliud incurrunt, & ſimiliter liberantur.

Digitized by Google

nem. Tamen, quæ Dei benignitas eſt, baptiſmi deſiderium efficax ſatis ad ſalutem eſſe, ſi quis ipſo potiri ſacramento non poſſit. Porro facile ſe adduci ut crederent, Gubernatorem, pro eo quo flagrabat chriſtianæ legis ſtudio, ejuſmodi deſiderio non caruiſſe. Sic invidioſam interrogationem prudenti reſponſo eluſerunt, non ſine commendatione divinæ bonitatis, quæ tot, tamque faciles vias mortalium ſaluti aperiret. Cæterum parum jam apud gentem ſuperſtitione obſtrictam proficiebat Patrum induſtria & labor. Illudebant illis impune falſorum numinum cultores, quippe orbatis potenti patrono, & peregrinæ doctrinæ novitatem objectabant: cumque aſſignatum à Gubernatore vectigal penſitari deſiiſſet, in ſummas rei familiaris anguſtias brevi conjecti ſunt. Ut ex his poſtea malis emerſerint, ut agri ſterilitatem exceperit læta fertilitas, ſuis infra locis diſſeremus.

172. Parum fructuosè laborant, & multis conflictantur incommodis.

Dum his jactabantur noſtri fluctibus in Cocincina, multo gravior in Sina tempeſtas exorta eſt. Senſere nunc demum Patres, quam non temere eos Matthæus Riccius ſubinde commoneret, ne putarent unquam ſe ſatis firmas jeciſſe radices in Sina, neu crederent invidiam peregrinitatis ſic poſſe decurſu temporis opprimi, ut non etiam excitari iterum, & facilè poſſet. Ut multum diligi viderentur, ut ſcientiæ ac probitatis opinionem haberent, ut florerent ſplendidis potentiorum familiaritatibus, quamvis demum ſedem illis, & domicilium Magiſtratuum indulgentia permitteret; nihil obſuturum quin exulare cogerentur, ſi modo unus quiſquam appellaſſet legem de peregrinis non admittendis. Sanctiſſimam eſſe genti legem, tanquam ea in una Imperii ſalus, & felicitas publica contineretur. Ad eos pellendos ſatis in uno Mandarinorum poteſtatis fore, nihil in reliquis ad retinendos. Hæc ſæpe noſtris hominibus inculcabat vir rerum atque inſtitutorum Sinenſium ſcientiſſimus: quæ quam certa ratione dicerentur, nimio plus præſens annus oſtendit. Res quemadmodum geſta ſit, quam breviſſimè potero exponam. Nankini chriſtianam curabat rem, præter alios, P. Alphonſus Vagnonus, operarius ille quidem utilis, ſed in quo deſideares, ut eſſet paulo timidior. Oblitus enim Riccii mandatorum, elatuſque ſecundo religionis ſucceſſu, jam non, ut inſtitutum ab initio fuerat, cautè cunctanterque, ſed luce palam, ac liberè rem gerebat: quodque gravius, Bonziorum nationem impiam exagitabat, vitia eorum perſtringens acriter, odia contemnens. Irritati Bonzii, tanto urebantur vehementius, quanto veriora eſſe ſentiebant, quæ objiciebantur. Iram tamen, & mœrorem diſſimulabant improbi, potentium Mandarinorum metu, qui Patribus, & Chriſtianæ legi impensè favebant. Accidit ut tribunali rituum Nankinenſi præficeretur Xinus, Mandarinus præpotens, & Sinicis religionibus addictiſſimus, qui cum Chriſtianos omnes oderat peſſimè, tum vero Patribus exitium jamdiu moliebatur. Hoc ſuum tempus, hanc occaſionem rati Bonzii, querelas ad eum ſuas deferunt. Querelas pronis admiſit auribus Xinus, nec ſprevit munera. Conſcribit ingentem contra Patres libellum, & offerendum Imperatori per amicos curat. Accuſationis capita hæc erant. Patres regnum ingreſſos contra Sinarum leges, quæ externos homines excludant, doctrinam peſtilentem ſpargere, Deos patrios templis & aris deturbare, convellere vetuſtiſſimas conſuetudines, debitam mortuis, parentibuſque pietatem irridere: Conflari ab iiſdem cœtus periculoſos, conſcribi pene juſtos exercitus, communi crucis teſſera ſignoque colligatos: Tentari multitudinem auro, cujus conficiendi quæſtuoſam habeant ſcientiam: Litteratos neſcio quibus exoticæ doctrinæ nugis allici, & capi: Denique id eos moliri, ut cum plurimos in ſua jurare verba coegerint, certam Imperio toti perniciem inferant, & rem Sinicam ad externos trahant. Hunc libellum Mandarini Chriſtiani, quorum in manus neſcio quo pacto venerat, refutarunt, Imperator ſilentio damnaviſſe videbatur. Poſt tres fere menſes, cum reſponſum nullum à Rege fieret, Xinus ea re non deterritus, quin pudore magis incenſus, alterum atrociorem ſcribit, in quo pauca præfatus de manifeſto, ut ajebat, Imperii periculo, rogabat Imperatorem, ſibi ut liceret uti poteſtate, quam ſuum ipſi munus, & leges dabant. Libellus ut

173. Res Sinicæ, Tempeſtas atrox excitatur Nankini. Quæ fuerint cauſæ.

174. Xinus libellum mittit ad Imperatorem contra Patres.

175. Regi nihil reſpondenti libellum alium atrociorem offerri curat.

Digitized by Google

ut in Principis manus certius veniret, ſcribit eodem tempore Pekinum ad Præſidem ſupremæ Curiæ, rogans per amicitiam, ut eum Imperatori quamprimum offerat, & idoneum pro negotii gravitate reſponſum impetret. Actum quippe eſſe de ſua auctoritate & fama, actum de ſalute publica, ſi tacere pergat Imperator; & in Imperii, ac religionis exitio connivere, Præſes, & amici cauſa, & ſuo privatim in Chriſtianos odio inflammatus, libellum Xini tradendum Imperatori curat. Addit appendicis loco novas gravioreſque calumnias: Ita ſupplicare ſupremam rituum Curiam, ita velle ipſa Numina, quorum res ageretur. Denique inſtar clauſulæ ſubdit, ſe ſilentium Principis pro conſenſu & mandato interpretaturum. Ejuſmodi clauſulam vel non vidit, vel non moleſtè tulit Imperator: Cumque nihil reſponſi daret, Præſes libellum tanquam ab eo approbatum continuò ſignificat Xino, & reliquis provinciarum Præfectis, ſingulis præcipiens Imperatoris nomine, ut externos homines, & chriſtianæ legis Doctores, ubicunque fuerint conquiſitos, e regni finibus jubeant exportari.

176. Imperatore ſilente, decernitur Patrum exilium.

177. Patrum conſilia Nankini. Milites immittuntur in noſtras ædes.

His mandatis nihil uſpiam gravius conſultum eſt contra Patres, niſi Nankini, ubi rerum potiebatur Xinus. Cæteri enim provinciarum Præfecti, tum quod ſciebant Regem nihil in ea cauſa pronunciaſſe, tum quod Patrum innocentiam perſpectam habebant, nihil movendum cenſuerunt. Totus in Socios Nankinenſes incubuit turbo. Erant ibi, præter Vagnonum, tres noſtri Sacerdotes, Nicolaus Longobardus, Alvarus Semedus, & Julius Alenius. Viri fortes, re cognita, primum omnium ſe paratiſſimos ad omne diſcrimen ſuperis obtulerunt, iiſque cauſam Chriſtianorum enixè commendaverunt. Deinde commune periculum ita partiti ſunt, ut Longobardus, & Alenius properè proficiſcerentur Pekinum, malo remedium, ſi qua poſſent, quæſituri; Nankini vero remanerent Semedus, & Vagnonus, ne ſi excederent, ſua conſcientia damnati viderentur, præberentque adverſariis anſam illata crimina confirmandi. Fugam ſuadebant amici, infeſta omnia denunciantes à Xino, qui armatus nomine & mandato Imperatoris, ad extrema omnia prorumperet. Sed quocunque ſuo periculo remanere maluerunt, quam cum ignominia, & bonorum offenſione locum deſerere. Ecce autem haud multo poſt, nocte intempeſta, adeſt militum cohors, ædes noſtrorum cingit, Vagnonum, qui nominatim fuerat in libello appellatus, comprehendit. Ubi primum hæc in vulgus manavit fama, multi, quibus Patrum nota probitas, eorum dolere vicem. Chriſtiani complures eandem ſibi ſortem depoſcere, pati cum iis, & mori pro Chriſto velle. Præcipuam admirationem movit honoratus ſenex, qui, ut audivit Patrum ædes obſideri, accurrit ad eas celeriter, manu libellum præferens, ubi ſuæ fidei profeſſionem litteris majoribus exaraverat, obtuliſque ſe ſatellitibus; quærentibus autem quid infortunii quæreret in illa domo, veniſſe ſe reſpondit, ut Chriſtianus cum Patribus Chriſtianorum moreretur. Injecta faucibus reſte, intro eſt pertractus ad Mandarinos, qui domum ſubierant quæſtionem de Patribus habituri; nec quievit prius, quam ſe parem cum illis aleam ſubiturum audiret. Dum lictores certatim angulos omnes ædium perſcrutantur, Vagnonus inter populi convicia, & execrationes, tanquam hoſtis Imperii, & certiſſimus veneficus abripiebatur in carcerem. Eodem trahitur poſtridie, licet gravi oppreſsus morbo, P. Semedus: tum Frater Sebaſtianus Fernandez, cum adjutoribus Evangelici miniſterii decem, qui domi noſtræ inveniebantur. Excuſsa diligenter domo, cum nihil in ea armorum, aut pecuniæ repertum eſset, imo præter libellos paucos, & modicam ſupellectilem, omnino nihil, mutavit populus mentem, & à furore ad commiſerationem traductus eſt. Ex ipſis Proceribus plurimi in carcerem confluxerunt, & multam Patribus operam, ac perhonorificam præſtiterunt. Dicta demum in reos à cognitoribus Mandarinis ſententia hæc fuit: Aliud Patrum crimen non eſse, niſi quod exteri, & peregrinæ legis Doctores eſsent; nec graviorem videri pœnam commeritos, quam ut reportarentur unde advenerant. Moleſtiſſimè ferebat Xinus, tam levi eos multari pœna, quos ipſe ut proditores, ut veneficos, & immanium flagitiorum compertos ad Regem detulerat. Quare, ut

178. Cujuſdam ſenis Chriſtiani virtus, & fides memorabilis.

179. PP. Vagnonus & Semedus, & Fr. Sebaſtianus Fernandez, in carcerem abducuntur cum aliis decem.

180. Pronunciatur exilii ſententia contra Patres. Levior hæc videtur pœna Xino.

cri-

Digitized by Google

criminis alicujus, & gravioris accuſationis materiam deprehenderet, non ſatis habens ædes noſtras propemodum evertiſſe, veſtigandi curam vertit in ſuburbanum rus exiguum, noſtrorum ſepulturæ deſtinatum. Ibi latere theſaurum contendebat, & magnum argenti numerum per artem facti. Parietes, & ſolum omne ſubruit labore irrito. Nihil repertum eſt, quod impacta Patribus crimina vel leviſſimè attingeret. Jamque improbus publica premi ſe fama cernens, apponebat lucro, ſi litem invidioſam deſerere ſine dedecore ſuo poſſet: cum nova ſuborta eſt præter ſpem quæſtio, quæ novos ad cauſam perſequendam ſpiritus illi attulit.

181. De editione clandeſtina cujuſdam apologiæ.

Decreverant Patres Pekinenſes de amicorum ſententia commentarium in vulgus edere, quo ſuam populo innocentiam probarent. Placuit excudi libellum in ipſa urbe Nankinenſi, ubi facultas operis conficiendi promptior, & neceſſitas defenſionis major. Nankinum itaque venit clanculum F. Joannes Fernandez, Sebaſtiani Fernandez, de quo ſupra dicebamus, germanus frater, cui ea cura commiſſa. Is porro, ut res plena periculi confieri quam occultiſſimè poſſet, ſecretum ſuburbanum operi faciundo cum delegiſſet, ſex adhibuit probatæ virtutis, & fidei typographos Chriſtianos, quibus labori dies & noctes inſtantibus, negotium brevi confectum eſt. Tantum admovebatur operi manus ultima, & jam ſubducta typis folia in volumina compingebantur: cum rem olfecit neſcio quis, & ad magiſtratum detulit. Mittitur è veſtigio globus militum, qui operi intentos opprimat. Fernandius, & typographi capiuntur, & in carcerem rapiuntur. Libris potitur Xinus, qui ſupra modum lætus, quod in illis putaret eſſe, unde illata Patribus crimina confirmaret, Judici cognitionem librorum & cauſæ demandavit. Nihil in iis reperit Judex, niſi Patrum, & chriſtianæ legis defenſionem invictam. Tamen nec auſus abſolvere, quos Xinus tantarum opum Mandarinus damnari volebat, nec damnare, quos noverat innocentes, rem in medio relinquens, judicium rejecit ad Prætorem urbanum, altioris ſubſellii magiſtratum. Hic peracta cognitione, etſi Fernandium æque ac typographos noxa liberaret, tamen reſpectum habens ad iram & potentiam Xini, Fernandio, quippe clandeſtinæ editionis auctori, certum plagarum numerum infligi juſſit. Præduras, & magnæ craſſitudinis cannas ad cruciatum adhibent Sinæ. Eſt earum craſſitudo dimidii fere palmi: longitudo palmorum plus minus decem. Finduntur per longum, & qua parte cavæ aſperæque ſunt, ea adhibentur ad incutiendos ictus. Reus humi ſternitur nudus. Circumſiſtunt lictores duo robuſtiſſimi, qui jacenti femora, crura, ſuraſque contundunt ea ſæpe vi, ut caro, rupta pelle, fruſtatim avellatur, omnia circum ſanguine reſpergantur. Quod niſi pecunia mitigentur ſævi lictores, vita ipſa in periculum vocatur interdum; nec raro accidit ut ſub immiti fuſtigatione aliqui expirent. Levior tamen hæc viſa animadverſio nequiſſimo mortalium Xino. Editam in oculis ſuis apologiam Patrum dolens, qua non tam illos purgatos & abſolutos, quam ſe condemnatum videbat, ſententiam urbani Prætoris pro ſuo munere, ac majoris Mandarini jure ſumit recognoſcendam. Negat conſcriptum ad meram defenſionem librum, ſed ad concitandos in Imperii perniciem animos, ciendaſque turbas: clara in eo veſtigia conjurationis adverſus publicam rem deprehendi pugnat. Ergo inſtaurata coram ſe cauſa, Fernandium & typographos diu multumque verſat. Cum nihil per callidas captioſaſque interrogationes exſculperet, repeti plagas jubet plures, atrocioreſque prioribus: quæ cum imponerentur iiſdem artubus, qui pridie fuerant lacerati, ægrè Fernandius vitam in crudeli ſupplicio retinuit. Redintegratur poſt paucos dies quæſtio, proluditur novo cruciatu. Cum id unum ultro & liberè faterentur typographi, ſe chriſtianæ veritati, & innocentiæ Patrum defendendæ operam commodaſſe; eorum manus, inſertis inter digitos aſſulis, ita conſtrictæ ſunt, ut oſſa pæne comminuerentur. Repetuntur deinde arundinum dira verbera, quorum atrocitate cernens barbarus Fernandium emori, & invidiam metuens, illum remiſit in carcerem.

182. Fr. Joannes Fernandez, & Typographi ſex conjiciuntur in carcerem.

183. Innocentes declarantur, ſed Fernandius cannis tunditur more Sinico.

184. Furit Xinus, & novis ſævit cruciatibus.

Erant in eodem carcere Patres Vagnonus, & Semedus: tum, præter

Digitized by Google

185. Quam inclementer haberentur in carcere noſtri, & Chriſtiani reliqui.

Chriſtianos ſex in opere typographico deprehenſos, alii decem, quos in noſtris ædibus captos ſupra docuimus: poſtremo de Societate duo germani fratres, Sebaſtianus, & Joannes Fernandez. Quantum ærumnarum ferrent in hoc ergaſtulo viri innocentes, majus eſt quam ut explicare poſſim. Locus ſubterraneus, anguſtus, humilis, ſolo uliginoſo, & niſi ab uno latere nihil habens aperti, quo liberior aura perflaret. Loci ſqualorem augebat, quæ cæteris ſolatio eſſe ſolet, vinctorum ſocietas: fæx quippe civitatis, facinoroſi, impii, moribus non modo barbari, verum etiam impuri, ac petulantes, ex omni improbitate concreti. Nihilo meliores cuſtodes carceris, quorum acuebat inclementiam quod ſcirent, tanto magis ſe gratificaturos Xino, quanto plus moleſtiarum vinctis Chriſtianis intuliſſent. Pro victu nihil dabatur, præter modicum oryzæ, & neſcio quid oleris. Quod enim amici, quod Chriſtiani, pro ſuis quiſque facultatibus, ſubmittebant, partem multo maximam intercipiebat cuſtodum rapacitas. Accedebant propria aliquorum incommoda. P. Semedus tam gravi languebat morbo, ut ejus veniret in dubium, ſalus & vita; neque tamen ullis impetrari precibus à Xino potuit, ut levandi morbi cauſa facultatem illi faceret loci mutandi, quamvis id beneficii leges Sinicæ ipſis perduellionis reis concedant. Joanni Fernandio, præter laniatas verberibus carnes, nervus plagarum gravitate læſus inceſſum negabat. Ferro ſævitum eſt à chirurgo, ut ejus vitioſæ carnes, & putridæ abſcinderentur: quam carnificinam, neceſſariam quidem & ſalubrem, ſed tamen horridam, ita excepit vir fortiſſimus, ut admiratione patientiæ motus quidam ethnicus Chriſto nomen dederit. Sed ex omni illa vinctorum turba felices cum primis Neophyti duo, qui in libertatem ac vitam ſempiternam pretioſa morte ſunt vindicati. Nomen uni Petrus, Hieronymus alteri. Prior, juvenis annos natus duos & viginti, forma, indole, moribus ornatiſſimus, caſtimoniam voto ſancitam obtulerat Numini, & inde cognomentum Angeli fuerat conſecutus. Carus omnibus, præter quam parenti, & novercæ, quos ob deſerta idola infenſiſſimos experiebatur. Cum langueret in vinculis gravi correptus morbo, impetratum fuerat à Xino, ut ad ſuos è carcere transferretur, curandus domi commodius. Rejecit filium ægrotantem parens immitis, & moriatur cum ſuis Chriſtianis, inquit, cum quibus vixit. Aſſenſit inhumano ſeni Xinus, & juvenem in cuſtodiam retruſit: quem P. Vagnonus lætum, ac triumphantem amantiſſimè complexus, mox inter pios Chriſtianorum fletus preceſque morientem compoſuit. Hieronymus cum ſimiliter incidiſſet in morbum, operam dabant amici, ut vinculis eximeretur. Ille contra pulcherrimum ducens in carcere pro Chriſto mori, orare atque obſecrare, ne ſe hac conditione fraudarent. Tantum dicendo valuit, ut eum amici conſolari nequiverint melius, quam votis ingentibus, & hæroe Chriſtiano dignis annuendo. Ita ærumnis conſumptus eſt in ipſo carcere. Atque hi duo primi Sinenſium omnium, quod ego ſciam, fuerunt, qui illuſtrem pro Chriſto mortem obierint.

186. P. Semedus gravi & periculoſo morbo laborat.

187. Fratris Joannis Fernandez mira patientia.

188. Duo Neophyti in ipſis vinculis moriuntur.

189. Novæ Xini machinæ ad opprimendos noſtros, & Chriſtianum nomen delendum.

Xinus interim fremens, ac frendens, nihil tot extundi machinis potuiſſe, quo Patrum accuſatio legitima niteretur: illa etiam re efferatus, quod eorum virtutem celebrari paſſim audiret, videretque tot in eos congeſta crimina in calumniarum loco numerari; extrema omnia conari ſtatuit, ut famæ conſuleret ſuæ, & ſuam in ſententiam Imperatorem traheret. Duas, ut rem conficeret, machinas movet validiſſimas, Eunuchorum palatinorum favorem, & Bonziorum improbitatem. Horum odia in Chriſtianos, illorum apud Imperatorem gratiam norat. Eunuchos igitur primum colit omni officio: muneribus deinde, & auro (quo venale nihil, præſertim apud Sinas, non eſt) expugnat. Tum è Bonziis triginta lectiſſimos Pekinum mittit inſtructos grandi pecunia, cujus beneficio primarium eunuchum, per quem ſolum ad aures Imperatoris aditus erat, ſibi conciliarent. Addit litteras commendatitias ad purpuratos Chriſtianis infenſos, addit libellos calumniis refertos, & probris, ubique diſſeminandos. Sibi non defuerunt Bonzii ſcelerati, & ad fallendum æquè ac dicendum exercitatiſſimi. Concurſant omnia tribunalia, querelis, precibus, portentoſis calumniis in-

Digitized by Google

incendunt omnia. His artibus captus est Imperatoris præcipuus administer (Colaos vocant Sinæ), instituitque veteres refricare contra exteros suspiciones, donec eo vecordem perpulit Principem, ut omnes omni Imperio exulare Patres juberet. Attoniti ferali edicto, haud secus ac fulmine, qui Pekini erant Patres Didacus Pantoja, & Sabbatinus de Ursis, cum in amicis Mandarinis auxilii nihil invenirent, ad usitatum miseris, ultimumque in perditis rebus perfugium devenerunt, ut pœnam sibi non debitam deprecarentur. Mos illic est, ut qui se iniquè ab accusatoribus circumventum, & omni spe destitutum videt, procedat regias ad fores, ibi prosternatur toto corpore, quasi ipsum Imperatorem alloqueretur, libellum denique supplicem cum aliquo munere in mensulis ad usus parata deponat. Præsto semper est minister ex aula publicus, cujus eæ sunt partes, ut libellos ipsos ac munera Imperatori perferat. Patrum munus fuit charta geographica bellissimè descripta. Sed donis potioribus corrupti eunuchi id egerunt, ut charta cum supplice libello combureretur; omnes autem occupaverunt aditus, ne qua eorum supplicatio ad Principem penetraret. Sic dempta per summam iniquitatem sacra illa velut ancora, & postremo rei desperatæ remedio, urgentibus Magistratibus ut discessum maturarent, parendum tempori fuit. Domus divendita, pretium pro viatico Patribus attributum est. Præter ædes urbanas, erat extra Pekini muros domus, quam nostri olim dono acceperant à Rege. Hæc titulo regiæ largitionis conservata est Societati, commissa cuidam probatæ fidei Christiano ejus custodia, & sic elusa Bonziorum rapacitate, qui sedem istam, P. Matthæi Riccii tumulum, suis numinibus destinabant. Pekino discessum est xv. Cal. Apriles, quem in diem Dominica Palmarum incurrebat. Prius quam in viam se darent Patres, coacto Neophytorum grege, solemnia ejus diei peregerunt, cohortatique multitudinem, ut in professione fidei, custodiaque divinæ legis persisterent, demum flentes à flentibus digressi, Quamceum profecti sunt. Fuerunt in itinere menses omnino quatuor: quo tempore, non modo nulla uspiam injuria violati, sed plerisque in locis, per quæ transeundum fuit, a magistratibus hospitaliter excepti, ac dimissi fuerunt.

190. Edicto Regis tota Sina exulare jubentur nostri.

191. Omnis illis aditus occluditur ad Imperatorem.

192. Discedunt Pekino PP. Didacus Pantoja; & Sabbatinus de Ursis.

193. Relatio P. Vagnoni de actis contra ipsum & Semedum Nankini.

At longè aliter Nankini actum cum Vagnono, & Semedo. Hos sceleratus Xinus perduellium supplicio necandos speraverat. Ubi exilio duntaxat multatos vidit, se nummos & operam perdidisse prædicans, si patriam vivi sospitesque reviserent, ærumnis conficere aggressus est, quos perimere gladio prohibebatur. Hac mente, etsi rescriptum accepisset de mittendis illico extra Sinam Patribus, eos tamen alium præterea mensem detinuit in illo, quem dixi, squalore carceris, ac demum multo dimisit iniquius crudeliusque, quam detinuisset. Quid improbus hoc medio tempore molitus sit, fusè narrat Vagnonus in relatione, post annum scripta Macai, cujus ipsa verba subjicio. „ E[2] custodia (inquit) producti fuimus per confertam populi multitudinem ad Xini tribunal XVII. Cal. „ Apriles, ego pedes, Semedus, quia æger, in tabula. Horis duabus ego ad- „ stans in genua, Semedus humi jacens, examinati, & subdolis interrogationibus „ de vita, religione, moribus nostris, lacessiti fuimus à sex Mandarinis assessoribus Xini. Is cum *in sermone capere* nos minimè potuisset, produxit falsos testes „ duos, a quibus binas contra nos famosas lucubrationes fabricandas curaverat. „ Alter venisse me de Philippinis Insulis objectavit, ubi non ita pridem aliquot „ Sinarum millia fuerant cæsa. Venisse me omnino negavi, ac verè. Addidit, me „ insidiosis largitionibus populum ad Christianam religionem adducere. Quæsivi, unde id resciret? Cum respondisset, constare hoc fama, hoc omnium sermone celebratum esse; nihil negotii mihi fuit ostendere, quam parum famæ „ credendum esset. Quam multa quotidie, inquiebam, in Principes, in ipsum „ Imperatorem mendacia procuduntur à malevolis, & imperitis! Quæ cum ille „ fateri cogeretur, obmutuit. Ingressus alter de religione dicere, petivit quænam „ esset illa, quam doceremus, secta? tribus duntaxat in Sina religionibus locum „ esse: nostram hanc legibus excludi. Hominem ego una voce repressi, negans „ illius

194. Novo subjiciuntur examini, & falsas accusationes diluunt.

Digitized by Google

„ illius partes esse de religione quærere: Christianam legem à litteratis, doctissi-
„ misque Mandarinis probari, quorum judicio standum esset. His auditis, Xinus
195. P. Vagnonus denuo vapulat jussu Xini. „ ad me conversus: Vos vero, inquit, quin commeriti mortem sitis, nemini du-
„ bium est, quia religionem novam, & publicis rationibus inimicam atque exi-
„ tialem promulgavistis: sed quando Imperator pro sua singulari clementia vobis
„ debitum supplicium condonavit, per me non stabit, quin ejus beneficio, licet
„ immeriti, gaudeatis: æquum est nihilominus, vos aliqua leviore pœna plecti,
„ ut populo, quem in errorem induxistis, satisfiat. Hæc locutus, innuit lictori-
„ bus, qui mihi confestim paucas quidem, sed gravissimas, & immanitate incre-
„ dibili plagas imposuere. Audierant enim improbi, opera mea effectum esse,
„ ne pecuniam illis traderent Neophyti, ad redimendam verberum gravitatem.
„ Ne cæderetur mecum Semedus, in causa morbus fuit. Ita in custodiam uterque
„ remittimur. Exacto mense, cum mea jam vulnera coirent, emittimur carcere,
„ ac domum nostram deducimur, ut accuratior institueretur, nobis præsentibus,
„ ejus investigatio: ajebant enim defossum in subterraneis cavis argentum, & ar-
196. Cadaver P. Feliciani de Silva integrum invenitur. „ ma. Ibi spectaculum occurrit, quod horrore tunc adstantes, postea urbem to-
„ tam ingenti admiratione complevit. Lictores intenti vestigandis ædibus, inci-
„ dunt in arcam, qua P. Feliciani de Silva tres ante annos mortui cadaver con-
„ debatur. Gravis oritur altercatio, aliis eam recludere nitentibus, vetantibus
„ contra aliis, & inhumanum facinus, ac jus sepulchri, quod sanctissimum est
„ apud Sinas, obtendentibus. Xini satellites, nulla religione deterriti, feretrum
„ aperiunt: quo facto incredibilem tyranno conflarunt invidiam, & novum inno-
„ centiæ nostræ testimonium invenerunt. Reducto quippe operculo, apparuit cor-
„ pus P. Feliciani omnino integrum, extrema tantum nasi parte collisa paululum,
„ ac delibata. Et accidit ut cœlum, antea serenum, repente post recluſam sanda-
„ pilam nubibus fœdis, ac tonitru misceretur; quod ethnici sic interpretati sunt,
„ tanquam si facinus impium cœlites detestarentur. Conturbavit improbos pro-
„ digii novitas, quam ut opprimerent, corpus jussu Xini in deserto extra urbem
„ loco abjecerunt. Sed illud Christiani asportatum honorificè condiderunt, ac
„ tanquam thesaurum sibi à superis datum piè conservaverunt„. Pergit post hæc
narrare Vagnonus, ut dimissi cum insigni ignominia, ut Quamceum usque per
sexcenta incommoda devecti fuerint. Nos prolixiorem ejus narrationem paucis
comprehensam subjicimus.

197. Curæ Xini ne quo solatio afficerentur Patres in itinere. Decreverat Xinus navigio Patres Quamceum mittere, secundo flumine, quæ via commodior, & brevior. Et jam illis deducendis milites præfecerat decem, & duos Centuriones, serio ante commonitos, ut omnem in ipsos acerbitatem expromerent; nihil enim statui gravius in tales viros posse, qui omnia supplicia commeruissent. Sed cum olfeciſſet, præmissos à Christianis fuisse ad ripam fluminis certos homines, qui Patrum inopiam sublevarent, demulcerentque liberali largitione custodum ferociam; mutavit subito consilium, & terrestri itinere vinctos deportari jussit. Ne vero illos Christiani, quod verebatur, redemptos auro, aut vi ereptos in Sina retinerent; ligneas è palis caveas paravit, in quibus concluſi, contractique tenerentur quam longum erat iter, donec Quamceum attigissent. Sic ad exemplum circummitti solent in Sina infames rei, priusquam ad supplicium rapiantur. Die igitur constituto (is erat pridie Cal. Majas) pertrahuntur ambo ad Judices maleficiorum, quos Taolios appellant. Ante palatii fores jubentur capillos solvere, quos Sinæ in verticem glomeratos colligunt. Solutos ridiculum in morem intorquet lictor, rejicitque hinc inde in humeros, veluti duas caudas. Togæ deinde latera circa pectus colligit, & unum alteri superimponit: quibus rebus significabatur, homines eos esse genere barbaros, & civilis elegantiæ prorsus ignaros. Hinc injecta faucibus reste, ac manibus catena, in prætorium à satellitibus producuntur. In genua provolutis princeps Taoliorum adventum in Sinam, prædicationem novi dogmatis, ac turbulentæ religionis exprobrat: necis exilio mutatæ beneficium commendat: ejus ut sint memores, ut placide peragant iter, neve ullam rerum

198. Cum maxima ignominia dimittuntur.

no-

Digitized by Google

novarum ſuſpicionem præbeant, ſeverè admonet, ne gravius ſibi malum acquirant. Cæterum cuſtodibus præcipit, ut vim ab illis omnem prohibeant; quin eoſdem cavea ſua pauliſper, ad cibum & ſomnum capiendum, eximant. Poſt hæc Patres, in ſua ſinguli cavea collocati, obductiſque extrinſecus peſſulis clauſi, extra prætorium efferuntur. Vias omnes tanta populi multitudo compleverat, ut ægrè lictores turbam ſubmoverent. In eo ſpectaculo, non convicia, non inconditi, ut alias, clamores auditi; ſed triſte ſilentium, aut gemitus, & in Xinum diræ. Adeo odium ejus impotens, & tot perſpecta argumentis Patrum innocentia, omnium voluntates ad miſericordiam inclinaverat. Satellites ipſi verbis humanioribus & amicis ſolabantur Patres identidem, jubebantque bono animo eſſe; ſibi enim ſalutem ipſorum, & quantum liceret, etiam commoda curæ fore. Præibant terni lictores cum fixis in haſta ſublimi tabulis, ubi decreta tribunalium majoribus inſcripta litteris legebantur. Decretorum hæc ſententia: Patres eſſe homines improbos, ſeditioſos, publicæ quietis perturbatores, novæ religionis, & peregrinæ ſectæ magiſtros: eas ob cauſas regno ejici. Pars altera feralis pompæ conſtabat è vexillis tribunalium, & inſignibus: tum è tubis variis, timpanis, æneiſque crepitaculis. Claudebat agmen manipulus militum. Sub noctem, cum aliquo in loco quieſcendum erat, in diverſorii partem intimam recondebantur Patres, ſuis tamen incluſi caveis. Excubabat miles. Timpana ſibi invicem reſpondentia, fragore diſſono percrepabant. Quarto primum die laxata ſunt parumper clauſtra cavearum, & data Patribus facultas ſomni nudo in ſolo capiendi. Sed ita utriſque obſtupuerant ex tam diuturna & incommoda contractione membra, ut vix poſt horam explicare crura, & pedibus inniti potuerint. Vix demum in pedes ſe erexerant, cum in caveam quiſque ſuam ſunt reportati. Aderat nanque à Xino miſſus apparitor, inveſtigaturus ſedulo quam aſperè cum ipſis ageretur, & pœnas graviores pro poteſtate impoſiturus, ſi eos haberi clementius cognoviſſet.

199. Educuntur Nankino anguſtis incluſi caveis.

200. Quæ fuerit itineris ratio, quam moleſta Patribus.

Ad hunc modum per tres provincias circumvecti ſunt diebus triginta, donec Quamceum attigere, inde Macaum diſceſſuri. Eſt Quamceum caput provinciæ Cantonienſis, infeſta nomini Chriſtiano civitas propter vicinos, qui Macai degebant, ſemperque ſuſpectos Luſitanos. Itaque duriora ibi omnia, atque acerbiora timebantur. Præter expectationem accidit, ut à magiſtratibus audirentur benignè Patres, à litteratis officii cauſa inviſerentur. Conjecti fuerant initio in fœtidum carcerem, vinctis adeo refertum, ut movere gradum, niſi per calcatos vinculorum ſocios, non poſſent. Præfectus carceris, motus procerum ac litteratorum precibus, ut in honeſtam cuſtodiam transferrentur permiſit; facta cuilibet eos conveniendi poteſtate. Menſem ibi tranſegerant non incommodè: cum acceſſere pariter Quamceum PP. Jacobus Pantoja, & Sabbatinus de Urſis, quibus Pekino, ut ſupra dictum eſt, pulſis, ſed bona fide pollicitis ſe profecturos recta Macaum, permiſerant Magiſtratus, ut ſine cuſtodibus iter facerent. Miratus eſt urbis Præfectus religionem, qua promiſſi fidem inviolatè ſervabant: laudavit animi magnitudinem, qua exilium, pœnam apud Sinas morte graviorem, tam fortiter tolerabant. Poſtea vero quam oppreſſos crudelitate & invidia Xini comperit, locum illis aſſignavit in quodam Bonziorum cœnobio, ubi cum PP. Vagnono & Semedo habitarent, & ex ærario publico certam pro cibariis attribuit pecuniæ vim; facile etiam paſſurus ut Quamcei conſiſterent, niſi Imperatoris edicto cautum fuiſſet nominatim, ut Macaum deportarentur, quo demum navigare ſunt juſſi anno proximo ineunte. Nankini interim Patres Vagnonus, & Semedus à Chriſtianis tanquam extincti lugebantur: adeo perſuaſum vulgo erat, futurum ut itineris tam incommodi moleſtiis conficerentur. Id ſperaverat præſertim Xinus, id ſibi ſceleſtus propoſuerat: qui propterea, ut vivos advenisſe Quamceum comperit, parum abfuit quin præ dolore ac rabie interiret. Habebat penes ſe, illorum velut obſides, vinctos duodeviginti; præcipuè vero duos de Societate, Joannem, & Sebaſtianum Fernandez. Iſtorum ſaltem ut ſanguine crudelitatem expleret, iterum vocat omnes è carcere in

201. Quamceum devecti, ibi præter ſpem humaniter habentur.

202. Eodem perveniunt PP. Pantoja, & de Urſis, & ſimul Macaum navigant.

203. Nankini novæ exercentur quæſtiones contra vinctos Chriſtianos.

Digitized by Google

in jus: torquet eos vafris interrogationibus, expressurus indicium aliquod, quo vulgatis contra Patres calumniis probabilem veri speciem imponeret. Videbat enim, nisi hoc utcunque confeciſſet, non posse invidiam à se amoliri, quam apud omnes bonos maximam oppressione innocentium contraxerat. Cum nihil ad rem extunderet, promissis ingentibus adducere conatur Neophytos, ut dicant se fuisse deceptos à Patribus. Id si faciant, & ritus patrios repetant, non modo veniam, verum etiam opes, & amplissima præmia pollicetur. Cernens frustra esse omnia, plagis dirè contusos remittit in vincula.

204. Sententia contra Fratres Joannem, & Sebastianum Fernandez.

Sed jam fremitus ingens tota urbe audiebatur, satis quæstionum & tormentorum esse: causam, quæcunque ea esset, aliquando finiendam. Quare impar ferendæ invidiæ prædo inhumanus, causam ad tribunal maleficiorum, sive ad Taolios transtulit. Istorum decreto multati demum exilio sunt Neophyti. At cum nostris actum multo inclementius. Frater Joannes Fernandius ad trahendas remulco triremes damnatus, catenam e ferro prægrandem collo circumdatam, & manicas sigillo judicum obsignatas diu gessit; donec Mandarinorum amicorum interventu, & muneribus Christianorum, vincula deposuit. Fratrem Sebastianum Fernandium, quia matronas complures elementa fidei christianæ docuerat, relegarunt ad magnum murum, quo Sinæ à Tartaris dirimuntur. Est ibi carcer reorum fæce, tortorum sævitia, præfectorum feritate celebratus, ac toto formidatus Imperio. Sed eo adducendus cum esset Sebastianus, ne adduceretur prohibuit charitas Neophytorum: collata enim pecunia, quæ cum alibi multum, tum in Sina maximè dominatur, innocentem immiti pœna exemerunt. Atque hunc habuit exitum turbo periculosus, quo parum abfuit quin Christiana religio, tot ibi nostrorum sudoribus constituta, funditus convelleretur. Adeo tamen, Deo rem gubernante, non est convulsa, ut potius vigere exinde felicius cœperit, & radices altiores egerit. Nam inquirentibus, quid peccassent advenæ toto regno nominatissimi, quamobrem tam acriter animadversum in eos fuisset, apparebat homines esse, non modo innoxios, verum etiam insigniter probos, doctrina præstantes, bene de multis meritos, rei demum publicæ haud parum utiles. De religione autem, cujus duntaxat nomine damnati fuerant, tam multa per idem tempus perscripsere Mandarini Christiani, præsertim Paulus, ut plenum esset Imperium ejusmodi scriptis; quæ dum legebantur passim, christianæ legis augebatur notitia, hanc approbatio doctorum omnium sequebatur. Accedebat Neophytorum virtus incredibilis, cujus nihil simile in Sina visum unquam, auditumque esset. Parati rerum omnium, quæ cariores esse mortalibus solent, jacturam facere, certare pro religione cupiebant, certantibus invidebant, adeo nihil territi victorum calamitatibus, ut potius exempli æmulatione incenderentur, & inde vires atque animum sumerent. Magnum id ethnicis videbatur, nec immerito. Hac una re moti sunt nonnulli, ut divinam legem amplecterentur. Postremo, licet extra continentem Sinicam ejecti essent quatuor quos nominavi Patres, remanebant tamen, dissimulantibus locorum Præfectis, alii Sacerdotes octo, qui quamquam, ut poscebant tempora, procul urbibus degerent, & in amicorum ferme villis delitescerent, non proinde otiosi erant, aut parum utiles. Itabant ad eos occultè Christiani, ut salutis remedia quærerent. Aderant subinde etiam ut erudirentur ethnici, ex quibus ducentos hoc ipso tam sævo tempore Christo conciliatos invenio. Magno in primis erat usui Fratrum adjutorum opera. Homines enim origine Sinenses, cum non tenerentur lege adversus advenas lata, agerentque haud secus quam cæteri indigenæ palam ac liberè, Patrum, & Christianæ rei necessitatibus perquam utiliter serviebant. Sed de rebus Sinicis satis multa.

205. Nihil detrimenti capit Christiana religio, & quare.

206. Remanent in Sina occulti Sacerdotes octo, & rem utiliter gerunt.

207. Res Philippinarum. Mors, & elogium P. Gabrielis Sanchez.

In Insulis Philippinis initium anni labentis obitu contristavit suo P. Gabriel Sanchez, virtutis eximiæ operarius, gente Hispanus. Societatem inierat adolescens annorum undeviginti, repugnantibus ejus consilio parentibus, & invitissimis. Hi cum abeuntem remorari non potuissent, dolore perciti, multa nequidquam ad eum retrahendum moverunt. Præter alia, abstulerunt à Rege rescriptum, ut sal-

Digitized by Google

ſaltem per Præfectum urbis interrogaretur, ſponte ne ſua, an à quopiam de Societate deceptus eam injiſſet? Verum ad hæc reſpondiſſe fertur Gabriel, non ſe à Patribus Societatis, ſed illos à ſe inſigniter fuiſſe deceptos, à quibus obtinuiſſet, ut ineptum caput & indignum reciperent. Expectationem, quam de ſe à primo Societatis aditu movit, vitæ ſanctimonia, & rebus geſtis æquavit in poſterum. Nemo illo pauperior, nemo majoribus ad quælibet juſſa obſequentior. Solebat deſcriptam profeſſionis ſuæ formulam geſtare collo appenſam, velut perpetuum, ac porro magnum ad virtutem incitamentum. Eandem ſæpius diebus ſingulis iterabat. Olim in præſenti naufragio cum verſaretur, periturum admonuit natator Indus, ut projiceret propere veſtes, ſi ſalvus deportari vellet in littus. Ille non tam vitæ periculo, quam verecundiæ motus, quidlibet ſe malle reſpondit, quam nudum corpus oſtendere: atque ut erat indutus, & natandi imperitus, ejecit ſe in mare, perrupit undarum immenſas moles feliciter, ac terram incolumis attigit. Parochum egerat inter Biſſajas annos viginti, cum affirmavit, nullam eſſe feminam ſibi de facie notam: tantam cohibendis ſenſibus curam, & diligentiam adhibebat. Unus eorum fuit, qui primi Evangelium in Pictorum inſulas intulerunt. Primus omnium ingreſſus eſt inſulam, quam vocant Boholim, omneſque ejus incolas ſalutis fonte luſtravit. Mortalitatem exuit Palapagi, quod oppidum eſt inſulæ Samaris, Calendis Januarii, annum decurrens ætatis quadrageſimum octavum, ab inita Societate nonum ſupra vigeſimum. Paulo poſt ejus obitum, ſubodorati ejuſdem oppidi Patres, latere ibi, & in tota inſula feminas ſuperſtitionis priſtinæ retinentes, earumque fraude multos ad impias invocationes Dæmonum pellici, ad eam labem exſcindendam conſurrexere. Erutæ ſunt è ſuis latebris idolorum formæ duodeviginti, & in foro palam combuſtæ: quod ita fieri placuit, ut rudioribus perſuaderetur, fruſtra opem & beneficia ab iis poſci numinibus, quæ non poſſent flammarum injuriam à ſe repellere. Feminas quatuordecim, quæ ejus ſceleris delatæ tenebantur, Præfectus inſulæ unis concluſit ædibus, ne malum virus ſpargere latius poſſent. Viris autem ferme quadringentis, qui de ſe ultro confeſſi ſunt, impunitatem dedit, cum hoc tamen, ut ſe Patribus erudiendos, & expiandos ſiſterent.

208. In inſula Samari reliquiæ ſuperſtitionis exſcinduntur.

Cæterum initio anni impeditiorem rerum omnium, tum civilium, tum ſacrarum, curſum effecerat in his inſulis bellum Batavicum, cui cum acceſſiſſet domeſticus indigenarum motus, parum, ac prope nihil abfuit, quin Hiſpani tota Philippinarum poſſeſſione pellerentur. Cum Batavis armorum ſocietatem coiverant Mindanenſes, totamque illam oram cum infeſtis navibus percurrebant. Neophyti, metu prædonum, deſertis in quos deducti fuerant pagis, refugerant ad montes priſtinos. Noſtri, capta à Batavis Panaya inſula, incenſa quæ ibi erat Hiſpanorum colonia, Arevalenſe domicilium amiſerant. Nihil uſpiam pacatum, aut tutum relinquebatur. Poſtremo obſidebant Batavi cum claſſe decem naviuni Manilenſe fretum, urbem fame premebant. Tamen eodem anno mira facta eſt rerum commutatio, pulſis, fugatiſque cum magna clade hoſtibus. Non eſt noſtri inſtituti res bellicas ſcribere, niſi quatenus noſtris immiſceantur. Itaque ut parata Manilæ claſſis, ut in hoſtem educta fuerit, ut una die, quæ fuit pridie Idus Aprilis, Hiſpani cum Batavo debellaverint, eidemque acceptas alibi clades cumulatè reddiderint, aliis narrandum relinquimus. Quod pertinet ad Societatem, tradunt, eo tempore P. Joannem Riberam collegii Manilani rectorem civitati, ut in rebus omnino perditis, conſternatæ addidiſſe ingentes animos, & unum ex omnibus auctorem fuiſſe belli adverſus communem Regis & fidei hoſtem capeſſendi. Quod utcunque ſit, idem profecto Rector prodeunti in pugnam claſſi quatuor dedit delectos collegii Patres, qui militibus ſacrorum miniſtri, & omnium participes periculorum eſſent. Domi vero tam multa indixit ad implorandam Dei opem piacula, ut videri potuerit illuſtris illa & inſperata victoria, non tam armis parta, quam precibus impetrata. Nec parum interea laboraverunt noſtri in inſulis, quas Pictorum vocant, ut indigenas tam dubio tem-

209. Bello Batavico, & Mindanenſium rebellione, turbantur omnia.

210. Fugantur Batavi, regioni quies redditur, non ſine opera Societatis.

211. Noſtri in Inſulis Pictorum indi-

Digitized by Google

genas continent in obſequio Regis.

tempore continerent. Nonnullam iis cauſam tumultuandi dederant Præfecti regii. Dum enim emunire ſtudent objecta hoſtibus loca, incolas operibus conficiendis adhibebant, idque illis interdum imperabant iniquius: quod homines ejuſmodi omnium inſueti moleſtè ferentes, proniſſimi ad rebellandum erant. Tamen charitate Patrum deliniti, in fide manſerunt. Valuit etiam ad eos demerendos novum beneficii genus, quod per idem fere tempus Patribus debuerunt. Frequens ibi eſt humana corpora venenis inſici, tum fraude maleficorum, tum morſu ſerpentium, quas plurimas, maximèque peſtiferas tellus alit. Malum ádeo familiare ſine remediorum copia non reliquit providentia Numinis: ſponte enim germinant herbæ, quarum ſucco peſtis dira depellitur. Illud erat incommodi, quod ſalubrem herbarii ſuccum ita caro vendebant, ut pauperiores cogerentur interdum ſua omnia, & ipſam libertatem medentibus tradere. Herbarum noſtri nullam habebant ſcientiam, nec eam avari ſeplaſiarii manare ad alios patiebantur, ne quæſtum amitterent. Tamen, acuente ingenium charitate, tantum ſtudio induſtriaque contenderunt Patres, ut demum artem invenerint pretioſa antidota conficiendi; quæ cum gratis impertirentur, omnium ſibi animos mirum in modum conciliavere. Addunt annales litteræ, multas brevi ſpatio curationes fuiſſe factas, & planè miras; ut paſſim increbuerit, præter inditam à natura, divinam quoque virtutem his remediis ineſſe.

212. Eoſdem ſibi devinciunt ſingulari beneficentia.

213. Res Peruanæ. Rector collegii Potoſini, & alii duo Socii ruina oppreſſi moriuntur.

In provincia Peruana triſtem labentis anni memoriam fecit repentina calamitas collegii Potoſini. Extruebatur in eo eximiæ altitudinis turris, cumque eſſet jam prope ad culmen educta, in ſupremam ædificii partem aſcenderunt VII. Cal. Novembris Patres Valentinus Cervantes rector, & Sebaſtianus Delgado, cum uno ex domeſticis adjutoribus. Aderant ſtructores, & adminiſtri plures: cum repente, parietibus ab imo fatiſcentibus, tota disjecta moles eſt, atque ita corruit, ut eadem ſtrage confuſi fuerint homines, & cæmenta, præterque ingentem acervum ruderum, nihil exſtaret. Erutis quos ruina afflixerat, quidam omnino illæſi inventi ſunt, alii gravius leviuſque affecti; noſtri tamen, aliique pauci prorſus exanimes. In tam acerbo caſu, ſolatio fuit publicus civitatis mœror, & egregia in noſtrum ordinem voluntas, quam religioſæ præſertim familiæ exhibuerunt. Affuere certatim Patres Auguſtiniani, Dominicani, & Franciſcani, tum ut dolorem profiterentur ſuum, tum ut munus exequiarum ſibi depoſcerent. Cum non poſſet omnibus ſatisfieri, ita compoſitum eſt negotium, ut ſinguli ordines unum ex tribus defunctis efferrent, eique in ſuo quiſque templo ſuprema perſolverent. Verum his ita conſtitutis, adſunt ab æde primaria Canonici prælata cruce, & à ſe deberi viris talibus obſequia funeris contendunt. Ea res initio metum injecit noſtris, ne qua offenſio oriretur. Sed quæ ex charitate naſcuntur diſſidia, nunquam fit ut non ex æquo & bono componantur. Satis habuerunt Religioſi, ſibi ut peragendum permitteretur exequiale ante ſepulturam carmen: ſupremum honorem tumuli Canonicis reliquerunt. Cervantio tamen multo honorificentius parentaverunt lacrymæ civium, qui eo amiſſo, parentem pauperum, & commune miſerorum perfugium requirebant. Ajunt, cum ejus cadaver in ædem illatum eſt, tantam exortam fuiſſe confertæ multitudinis complorationem, ut plerique negarent ſibi alias viſum eſſe ſpectaculum illo triſtius.

214. Pium certamen inter Religioſos, & Canonicos circa eorum exequias.

215. Publicus dolor ob mortem Patris Valentini Cervantes.

Parem ferme jacturam fecit reſidentia S. Crucis, amiſſo P. Andræa Ortizio, qui cum evangelico miniſterio miſſus ad coloniam S. Franciſci de Alfaro, ibi laboribus attritus occubuit. Cives ejus oppidi ut virum ſanctiſſimum exceperant venientem, mortuum incredibili luctu extulerunt, certaruntque inter ſeſe, ut ex ejus tunica, capillis, unguibus aliquid carperent. Indidem haud multo poſt fuerunt tranſmiſſa ad Præpoſitum S. Crucis teſtimonia pluſquam viginti, publicis actis excepta, quibus ſeptem ægroti dicebantur præter naturæ ordinem, ſola Ortizii invocatione, convaluiſſe. Acceſſit poſtremo loco ad detrimenta provinciæ Peruanæ mors Ferdinandi Mendozæ Epiſcopi Cuzquenſis, qui plures annos inter nos dubia, ne dicam adverſa fama verſatus, Societatis num-

216. Mors & elogium P. Andreæ Ortizii.

217. Mortitur Ferdinandus Mendoza Epiſcopus Cuzquenſis.

Digitized by Google

nunquam melior visus est filius, quam post eam desertam, initumque Episcopatum. Exinde sane tam illustria dedit documenta, non modo probitatis, sed etiam eximiæ in nostrum ordinem benevolentiæ, ut omnes anteactæ vitæ maculas cumulatè deleverit. Hic ille est Ferdinandus Mendoza, notus Societatis turbator, cujus causâ Claudius Aquaviva Generalis multis gravibusque molestiis fuit affectus, ut in quinta Historiæ parte fusè narrat Juvencius. Laxioris olim disciplinæ vir, tandem ad meliora conversus, & Episcopus nominatione Regis Catholici renunciatus anno MDCXI., quod reliquum fuit temporis ita vixit, ita Cuzquensem rexit Ecclesiam, ut nullam in eo partem optimi Pastoris desiderares. Crebro ad concionem dicere, quæstiones de moribus explicare, obire suis temporibus diœcesim, gregem non verbo minus quam exemplo recte instituere, uti cœperat ab initio, ita perrexit usque ad extremum. Usu autem edoctus, ampliorem esse diœcesim, quam ut ab uno Antistite administrari posset, egit cum Rege, perfecitque ut divideretur, & ex una tres fierent; nihil pensi habens, quod lauti proventus similiter in tres deinceps Episcopos dividendi essent. Erat namque opum contemptor splendidus, nihilque sibi de tam magnis redditibus, præter necessaria ad vitæ usum, assumebat: reliquum, aut ad Dei cultum, aut in subsidia pauperum erogabat. Nostris hominibus utebatur per quam amicè, ac familiariter. Nihil illis inconsultis statuere gravioris momenti solebat, nec præter eorum consuetudinem, solatium ullum curarum admittebat. Cubiculum assignari sibi curaverat in collegio Cuzquensi, ut sociorum uni; seque in illud per intervalla temporum recipiens, eodem ac cæteri victu cultuque utebatur. Seminarium educandæ juventuti fundaverat eo animo, ut à nostris regeretur: sed illud Canonici, tempore interregni, per se regendum sumpserunt.

218. Ejusdem virtutes, & erga Societatem benevolentia in Episcopatu.

In provincia Mexicana, post fœdam illam Tepeguanorum rebellionem, quam anno proxime evoluto narravimus, id agebant sedulo nostri, ut cladem religionis novo ubique fructu sarcirent. Agrum Cinaloensem viginti septem operarii Societatis procurabant; sic tamen ut integro semestri pagos omnes Indorum, ac mapalia lustrarent: semestri altero velut receptui canerent, seque in urbem Cinaloam referrent, ubi rerum cœlestium contemplatione vegetiores effecti, ad solita ministeria viribus reparatis reverterentur. Novem domiciliis tota missio constabat. In oppido Cinaloa, ut in arce summa regionis, statio præcipua erat constituta. Recentiores ad Christum accesserant qui Mayum flumen accolunt. Apud eos duo de nostris versabantur, ac decem Neophytorum millia, suæ curæ commissa numerabant. Plura etiam numerassent, si plures habuissent Evangelici ministerii adjutores. E' collegio Angelopolitano, & aliis passim, procursum est in Indorum oppida finitima; tantoque fuit utilior istarum expeditionum labor, quanto plus requirebatur operæ ad præparandos animos Jubilæo, quem summus Pontifex in missionum gratiam indulserat. Ex eodem collegio Angelopolitano Sacerdos Societatis ad Temalcalcingios, quos nullus adhuc nostrorum adierat, invitatus venit: prius tamen vernaculam ipsorum linguam perdiscere studuit, cujus quia rudis erat Parochus, opem illis afferre necessariam non poterat. Longius evagatus est alius è collegio Guatimalensi; perrexitque ad urbem Granatensem in provincia Nicaragua, quindecim dierum iter à Guatimala. Exceptus summa cum voluptate, non a civibus tantum, sed etiam ab Episcopo, qui suas illi ædes habitandas offerebat; divertit ad publicum valetudinarium, & omnes diligentis operarii partes ita explevit, ut jam tum Societati civitas domicilium decreverit, quod quarto post anno conditum est. Interim Patres Mexicanæ domus cum intelligerent, quantum ad christianæ plebis mores componendos in Cleri ac Sacerdotum moribus exemplisque momenti sit, dabant operam sedulo, ut Cleri vita responderet dignitati, ac sanctitati ministerii, quod huic nomini est impositum. Ad eam rem nihil præstabilius fieri posse putaverunt, quam si Clericorum quoddam sodalitium institueretur, in quo formarentur diligentius ad omnes officii sacerdotalis partes, & mutuis exemplis accenderentur. Laudavit consilium Archiepiscopus Mexicanus, seque præclari

219. Res Mexicanæ. Nostri Cinaloam excolunt cum ingenti fructu.

220. Fructuosæ expeditiones è collegio Angelopolitano, & Guatimalensi.

221. Patres Mexicani fingendis ad pietatem Clericis operam navant.

Digitized by Google

operis ducem auctoremque præbuit. Non minore studio educabatur eodem tempore juventus nobilis in seminario S. Ildephonsi, unde velut ex umbra domestica in Sacerdotii lucem progrediebantur identidem ornatissimi juvenes, totiquæ provinciæ exemplo, & ornamento erant.

222. Primordia collegii Zacatecani, & Meridani.

Idem interea annus natalis collegio Zacatecano fuit, ubi prius modica tantum statio nostrorum erat constituta. Illi ædificando suarum fortunarum partem addixit vir nobilissimus Vincentius de Saldivar, idemque octo aureorum millia contulit ad extruendam ædem sacram; ac si quid præterea esset necesse ad manum ultimam operi imponendam, ultro promisit. In urbe Merida jacta fuerant anno præterito collegii fundamenta, seu rudimenta potius, Episcopi ac civitatis summa gratulatione. Datum est hoc anno vertente initium aliquod scholis, in quas præter expectationem frequentes & læti pueri convenerunt. Id eo accidit gratius, quod merito verebamur, ne otio & libertati Juventus assueta, ægrè litterariis inclusa septis teneretur. Maximam autem admirationem, ac voluptatem populo attulit horarum, ut vocant, quadraginta comprecatio, hoc primum anno in eandem urbem inducta. Toto triduo, quo Christus in Eucharistico latens pane adorantium venerationi patuit, incredibilis fuit omnium ætatum atque ordinum in sacram ædem concursus; tantusque ad sacra pœnitentiæ tribunalia, ut neque nostri, neque alii foris acciti Sacerdotes confitentium multitudini satisfacere potuerint. Sed fructus inde pulcherrimus exstitit, quod hac arte licentia bacchanalium compressa est, sublatusque mos deterrimus, & apud gentem inveteratus, quo se alii alios ad singularia certamina provocantes, in mutuas cædes ruebant. Spectaculum aliud civitati jucundius propositum est ab Episcopo, cui cum placuisset Jubilæum Pontificium cum aliquo apparatu promulgare, res ita peracta est. Processerunt è collegio nostro delecti pueri quadraginta, equis magnificè instratis vecti. Sequebantur cum suis insignibus Magistratus, & primores civitatis, quibus præibat adolescens vexillum ornatissimum, in eoque affixum Pontificium diploma præferens. Hoc ordine urbem totam obequitantes, devenerunt in forum, ubi festos inter tubarum, tympanorum, & tormentorum bellicorum strepitus, promulgata est Jubilæi celebritas, & ad percipiendum cœleste beneficium civitas excitata.

223. Meridæ supplicatio quadraginta horarum instituitur.

224. Ibidem Jubilæus promulgatur cum insigni pompa.

HI-

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ LIBER TERTIUS

ANNUS CHR. 1618. SOC. 79.

PROGREDIMUR jam ad annum ſæculi duodevigeſimum, & à provinciis tranſmarinis convertimur iterum ad Italicas. Romæ lætum univerſæ Societati fecit hunc annum Pontifex Paulus V., amplificato cultu Aloyſii Gonzagæ, quem ante annos undecim ornatum appellatione Beati venerationi publicæ propoſuerat. Cauſam Beati Juvenis provehebat ſummo niſu Dux Mantuanorum Ferdinandus Gonzaga, urgebant chriſtiani Reges Principeſque complures, ipſe Pontifex cordi habebat; & ejuſmodi facta jam fuerant de ejus ſanctitate judicia, ut quamprimum videretur Sanctorum faſtis adſcribendus. Id certè fieri poſſe, poſt accuratam negotii cognitionem, pronunciaverat ſacra Rituum Congregatio. Idem poſtea tres Auditores Romanæ Rotæ cenſuerant, decreto in hanc ſententiam facto: *Dignum eſſe B. Aloyſium, qui auctoritate Apoſtolica in album Sanctorum referatur*. Sed intenta tunc potiſſimum Societate augendo honori Parentis ſui Ignatii, cui filiorum neminem anteponendum cenſebat; omiſſa tantiſper fuit cauſa Aloyſii, idque unum modo datum precibus Mantuani Tetrarchæ, ut in omnibus Gonzagæ familiæ ditionibus, itemque Romæ apud nos, ejus natalitia celebrari poſthac ſolemni ritu, & liturgia poſſent. Delectavit ea res plurimum collegii Romani Patres, apud quos Aloyſii recens adhuc erat memoria, & præſens corpus. Quare, ut ſuo quondam alumno, & convictori primitias novi cultus cum ſingulari aliqua amoris ſignificatione deferrent, nequaquam eo contenti ſunt, ut diem ejus anniverſariam quam apparatiſſime celebrarent, ſed illum præterea conſenſu unanimi patronum Grægorianæ Academiæ appellaverunt, ſanxeruntque, ut recurrente quotannis ejus die feſto, eodem deinceps die noſtri juvenes ſolemnem votorum inſtaurationem peragerent; quæ conſuetudo nunc etiam viget. Cæterum quæ tunc intermiſſa tantum fuit cauſa Aloyſii, aliis atque aliis interjectis moris, dilata eſt ultra annos centum: donec tandem anno labentis ſæculi XXVI. Benedictus XIII., communibus Eccleſiæ votis annuendum ratus, permotuſque crebris & illuſtribus miraculis, quibus Beati Juvenis ubique ſanctitas & gloria incla-

1. RES ROMANÆ. B. Aloyſius Gonzaga novo cultu augetur.

2. Ejus feſto ſolemnis votorum inſtauratio aſſignatur.

3. Ejuſdem canonizatio differtur uſque ad tempora Benedicti XIII.

Digitized by Google

inclareſcebat, eundem ſolemni cærimonia Sanctis adſcripſit, & patronum ſtudioſæ juventuti dedit.

4. Res Provinciæ Venetæ. Mantuæ Beatus Aloyſius inſigni celebritate colitur.

Mantuæ interim Dux Ferdinandus, accepto Pontificis diplomate, quo Miſſam de B. Aloyſio celebrari, conſuetaſque Sacerdotum preces in ejuſdem honorem recitari permittebat, vix credibile quanta perfuſus voluptate fuerit. Miſſis propere tabellariis Guaſtallam, Novellariam, Caſtellionem, & Bozolum, læto nuntio impertivit illos familiæ Gonzagæ Principes, Aloyſii agnatos. Ipſe autem Mantuæ adjecit animum, ut ejus dies anniverſaria proximè reditura, quam maxima poſſet ſanctitate cæremoniarum, & apparatus magnificentia celebraretur. Ad ornandam collegii noſtri ædem multum pretioſæ veſtis miſit, multum cælati auri, & argenti: quo genere ſupellectilis, ante illam quæ poſt duodecim annos contigit deprædationem, tota Europa celebrabatur Regiæ Mantuanæ opulentia. Pridie ejus diei (in quam indictæ fuerant ab Epiſcopo feriæ), & jejunavit ipſe, & idem fieri ab omnibus ſuæ familiæ juſſit. Atque ubi certa affuit poſt meridiem hora, ſacram deduxit cum omni aulico comitatu pompam, qua Canonici S. Barbaræ, longo incedentes ordine, ab æde ſua partem de lipſanis Aloyſii, argentea incluſam theca, in ædem Societatis intulerunt. Ea porro ſupplicatione nihil ſplendidius. Quacunque ſacrum agmen inceſſit, affuſa erat ad ſpectaculum civitas, viarum latera pendentibus velis intecta conſpiciebantur. Venienti occurrerunt noſtri pro foribus, amictu fulgentes lineo; cumque honore quo decuit ſubeuntes Canonicos excepiſſent, ſacrum ferculum ſuper aram regio ornatu ſplendentem eſt collocatum, atque ita factum initium religioſiſſimæ celebritati, quæ ad plures deinde dies extracta eſt. Neque id ſatis Duci Ferdinando viſum. Concilio indicto, quod Curiarum vocant, egit apud omnes civium ordines, ut decreto publico civitatis Aloyſius inter patronos Mantuanorum cooptaretur; quod conſentientibus omnium animis decretum cum fuiſſet, decretum poſtea ſolemni ritu promulgatum juſſu Principis, civitatis lætitiam mirificè cumulavit.

5. Eligitur urbis Mantuanæ patronus.

6. Mutinæ duo Patres à Quæſitoribus fidei capiuntur, & Romam tranſmittuntur.

At dum hæc Mantuæ gerebantur, triſti admodum, & inopino oppreſſi caſu fuerunt Patres Mutinenſes. Rector ejus collegii Philippus Mambrianus, & P. Hieronymus Bondinarus, duo clari nominis viri, & collegii lumina fere præcipua, capiuntur repente à Quæſitoribus fidei, in carcerem contruduntur, & inde mox Romam ad dicendam cauſam apud ſupremum fidei tribunal exportantur. Nihil poterat nobis accidere, neque inopinatum magis, neque probroſius. Pervaſit momento rei fama ad circumpoſitas civitates. In omni Gallia ciſpadana Mambrianus, & Bondinarus in ore hominum verſabantur. Erant porro hominum de illis judicia valde diverſa. Multi, præſertim Mutinæ, malo res eorum loco eſſe affirmabant, idque in vulgus de induſtria ſpargebant. Longe aliter ſentiebat, loquebaturque nobilitatis pars maxima. Viribus talibus nihil metuendum ab æquiſſimo tribunali pronunciabat. Dux vero Mutinenſium Cæſar, ejuſque hæres Alphonſus, qui longa conſuetudine perſpectos haberent Patres, magis dolebant fuiſſe in judicium vocatos, quam damnandos timerent. Mitto dicere, quæ Romam tranſmiſſa fuerint documenta adverſus feminas, quarum teſtimonio cauſa fuerat inſtituta; plura enim eſſent in memoriam revocanda, quæ præſtat oblivione deleri. Quod ad rem pertinet, Mambrianus dum attinetur in vinculis, ſeu mœrore ignominiæ, ſeu quavis alia cauſa, morbum contraxit gravem, & periculoſum, cujus curandi gratia redditus Societati, exceptuſque in domicilio, quod Patres Pœnitentiarii habitant prope baſilicam S. Petri, ibi, cauſa nondum peracta, deceſſit. Bondinarus anno proximo, non ſolum crimine, ſed omni etiam ſuſpicione criminis eſt abſolutus, atteſtantibus fidei Quæſitoribus, nihil in eo fuiſſe compertum, quod vel nuda verborum animadverſione caſtigandum videretur. Quare, cum illum Ateſtini Principes vehementer repoſcerent, permiſit Mutius, ut Mutinam ad priora ſua miniſteria rediret, nec rationem habendam cenſuit litterarum, (quas ſine nomine auctoris acceperat) atrocia quæque comminantium, ſi ille Mutinam reverteretur,

7. Eorum alter poſt breve tempus moritur.

8. Alter abſolvitur, & Mutinam ad priora miniſteria remittitur.

Digitized by Google

tur. Ajunt, Mutinenſium quoſdam adeo impatienter reditum Bondinari tuliſſe, ut ei inſidias ſtruxerint in itinere, graſſaturi ferro, in quem calumniis nihil valuerant. His tamen feliciter ereptus eſt; ac Bononiam cum attigiſſet, iter reliquum curru ab aula miſſo confecit uſque Mutinam, ubi ſumma gratulatione Ducis, & Alphonſi Principis fuit exceptus. Hoc præterito tempore ſodalitium nobilium in Mutinenſi collegio inſtituerat P. Philippus Nappius, Mambriano Rectori ſubrogatus. Sodalitium regendum accepit Bondinarus, ejuſque præſertim gratia nomen inter ſodales dederunt quatuor Ducis filii, primoreſque aulæ, & civitatis. Dux ipſe Cæſar, & ejus frater Rinaldus Cardinalis, licet in cenſum ſodalium tranſcribi noluerint, profitebantur tamen, minime ſe dubitaturos uſitatis cœtibus intereſſe, quoties aliquid vacui temporis inveniſſent. Sic omnis illa macula, quæ duorum Patrum innocentiam, & famam Societatis plurimum obſcuraverat, ut licuit abſterſa eſt.

9. Regendum ſuſcipit nobilitatis ſodalitium recens ibi conditum.

Per idem tempus firmatur collegium Mirandulanum, quod aliquandiu nullo ſuffultum cenſu nutaverat. Auctor collegii fuerat loci dominus Alexander Picus, addictiſſimus Societati Princeps, qui primus in ſuam gentem vetuſtiſſimo jure Mirandulæ dominantem Ducis titulos intulit: cum vero promiſſam dotem collegio repræſentare, ob neſcio quas temporum difficultates, cunctaretur, nec Socii poſſent ibi ſine certo proventu manere diutius, deſerenda omnino erat ſedes Mirandulana. Id noſtri ut cum bona Principis ita de ſe meriti gratia facerent, eidem ſupplicaverunt, ut ſiquidem præſtare promiſſa non poſſet, æqui bonique conſuleret ſe abire, futuros nihilominus beneficii memores, nec commiſſuros, ut ingratos ulla dies coargueret. At Alexander nequaquam paſſurum ſe, dixit, ſui dominii locum tali præſidio, quod in hominibus Societatis paratum videret, deſtitui: detracturum citius ſibi, quod collegio daret. Quæ humaniſſima verba factis exæquans non abſimilibus, fundos eodem anno tradidit Societati, ex quibus tantum annui cenſus rediret, quantum ſatis alendæ juſtæ Patrum familiæ eſſet. Ita factus collegii Mirandulani re ipſa fundator, debita collegiorum fundatoribus a Mutio retulit.

10. Fundatur collegium Mirandulanum.

Quo tempore hæc agebantur in provincia Veneta, Neapolitana duos deſideravit inſignes ſanctimonia viros, Antonium Liſium, & Julium Mancinellum. Liſius patria Fundanus, cum eſſet annorum viginti, maritimo itinere Romam veniebat Neapoli, ut in Societatem reciperetur, nemine parentum conſilii ſui præmonito. Reſcivit qui Fundis erat ejus pater; cumque de ipſa navi qua vehebatur fuiſſet edoctus, celocem expedivit celeriter cum armatorum lecta manu, qui profugum interciperent, retraherentque ad paternam domum, vi etiam adhibita, ſi reſiſteret. Ferebatur ſecundo vento actuaria juvenem vehens, & forte oram legebat Fundis proximam, cum in conſpectu fuit inimicus lembus. Liſius, quod erat ſuſpicatus, conjecit ſe propere in ſentinam, latuitque ſubter onera. Perquiſitores in navim recepti, poſtea quam angulos ejus omnes diligentiſſime perſcrutati fuerunt, nuſquam reperto quem quærebant juvene, & re deſperata, ab incepto deſtiterunt. Sic elapſus, Deo protegente, ex parentum inſidiis, Romam attigit præclarus juvenis, tironibuſque adſcriptus eſt. Magnam de ſe ſpem ab ipſo aditu Societatis fecit, eamque deinde per annos duos ſupra quinquaginta, non æquavit modo, ſed multis etiam partibus vicit. Principio altiores diſciplinas in collegio Neapolitano tradidit. Præfecturis poſtea adhibitus, majora provinciæ collegia, & provinciam ipſam ſapientiſſimè adminiſtravit. Florebat domi foriſque Liſius eximia quadam opinione virtutis, quam illi tenor vitæ innocens, ſanctus, & ad omnes diſciplinæ leges exactus conciliabat. A prima ætate dederat ſe in clientelam beatiſſimæ Dei Matri, eique referebat acceptum, quod vocatus ad Societatem, quod receptus, quod inter ſexcenta corporis animæque pericula ſervatus fuiſſet. Obiit in domo Profeſſorum pridie feſtum Deiparæ ab Angelo ſalutatæ, cum ſupremi morbi longos, & permoleſtos dolores incredibili pietate, & tolerantia pertuliſſet.

11. Res Provinciæ Neapolitanæ. Obitus & elogium P. Antonii Liſii.

Liſium quinto poſt menſe ſecutus eſt ex eadem domo P. Julius Mancinellus, pa-

Digitized by Google

12. Mors & elogium P. Julii Mancinelli, ejuſque vitæ ſynopſis.

patria Maceratenſis: vir non in Italia ſolum, ſed in Europa univerſa, atque adeo in Aſia, in Africa, inter Turcas, & Mauros illuſtris. Hujus hiſtoriam viri juſto volumine complexus eſt Jacobus Celleſius: eandem Georgius Mayr latinam fecit. Ego ſummam colligens rerum, quas Mancinellus pro animarum ſalute ſuſcepit, geſſit, ac pertulit, affirmare auſim, ex tot operariis Societatis fuiſſe neminem, cui tam convenienter aptare liceat quæ de ſe ſcribit Apoſtolus Paulus, ubi labores ſuos, & pericula recenſet. Sane tempeſtatibus & ipſe jactatus eſt ſæpe, ſæpe naufragium fecit: multa ab infernis ſpiritibus, multa ab hominibus improbis paſſus eſt; nec fere eſt moleſtiæ aut periculi genus, quod non in pluribus, difficillimiſque itineribus animarum ſtudio ſuſceptis ſubierit, gracili cæteroquin corpore, & valetudine parum firma. Exacto Romæ tirocinio, & ſtudiorum orbe confecto, divini verbi miniſterio totum ſe adjecit, quod tanta tractabat eloquentiæ vi, ut magnos ſemper motus animorum in populo concitaret, nec fere diſcederet à concione, quin eum turba lacrymantium, & audiri pro confeſſione poſtulantium circumſiſteret. Auditus eſt diu in urbe Roma. Sed illam orbis terrarum arcem vir modeſtiſſimus theatrum nimis ſplendidum & amplum putans, percurrere deinde inſtituit minora oppida, & ignobiles pagos, ut fæcem hominum erudiret; non alia adire ſolitus diverſoria, niſi publica pauperum noſocomia, atque ubi hæc deeſſent, ſatis lautum hoſpitium putans oblatum caſu ſtabulum, aut mapale. Quocunque accederet, latrones ad eum, fures, homicidæ, demum ſceleſtiſſimi quique veniebant interiori inſtinctu pulſi, ut onera conſcientiæ deponerent. Si ultro adeſſe non poſſent, aut nollent, eos conquirebat ipſe in triviis, in carceribus, in triremibus, in intimis ſilvarum latibulis, *ut omnes Chriſto lucrifaceret*. Ab his rudimentis ad majora progreſſus, totam pæne Europam cum ſacra miſſione peragravit. Pervaſit deinde in Africam Aſiamque, comparatis antea diverſarum gentium linguis, quarum aliquas etiamſi ſtudio non hauſiſſet, cum audiendæ erant confeſſiones, divinitus percallebat. Cum jam Italiam, Germaniam, Hiſpaniam, Pannoniam, Illiricum, atque Poloniam percurriſſet, accepit à Gregorio XIII. poteſtatem ampliſſimam conciliandi cum Eccleſia Romana hæreticos ſchiſmaticoſque quoſcunque poſſet. Ejuſdem miſſu Pontificis adiit Conſtantinopolim, ad recreandos excolendoſque in ipſa Turcarum regia Chriſtianos miſeram ſervitutem ſervientes. Ibi, præter navatam mancipiis operam, quorum cuſtodias quaſi in cœnobia totidem vertit, inſtitutamque pro aliis Chriſtianis perpetuam miſſionem, Patriarchas Conſtantinopolitanum & Antiochenum, alioſque tredecim Græcorum Metropolitas auctoritate adegit, ut ſubſcriberent chirographo, quo obedientiam Romano Pontifici profitebantur, ſpondebantque ſe ituros hac una cauſa Romam, ut ſupremum Eccleſiæ caput agnoſcerent, & pedum oſculo venerarentur. Bizantio digreſſus Algerium petiit, & quamquam primo exceptus à Rege duriter, tamen virtute paulatim modeſtiaque demeruit illum ſibi, donec aperte benevolum expertus eſt. Multa ex uſu rei chriſtianæ confecit Algerii, multos fidelium à captivitate & vinculis in libertatem vindicavit. Progreſſus deinde in Aſiam, quam minorem vocant, Chriſtianos pæne omnibus æternæ vitæ præſidiis deſtitutos ſacrorum uſu refecit. Hinc demum per Valachiam, Moldaviam, Poloniam, Germaniamque rediit in Italiam, conſeditque Neapoli; ubi cum poſſet poſt tam longas peregrinationes honeſto frui otio, maluit reliquum vitæ tempus ſaluti proximorum impendere, aut habendis concionibus, aut confeſſionibus excipiendis, quæ duo nec in ſenectute extrema unquam intermiſit. Vitæ tam actuoſæ conjunxit Mancinellus quietem animi vix credibilem; ſtabilitatem vero mentis in orando tantam, ut fere nunquam à contemplatione cœleſtium evagaretur. Pudicitiam coluit prope ad miraculum: neque ſolum primum innocentiæ candorem ſepulchro intaminatum intulit, verum etiam ex tot, tamque variis legibus, quibus diſciplina Societatis continetur, nullam in omni vita ſciens & volens violaſſe creditur. Sæpe vel caſu fortuito, vel de induſtria indigniſſimè habitus, ejectus interdum à Parochis quaſi fur, aut unus aliquis è ſycophantis,

13. Indicantur alia qua de ejus virtutibus & miraculis.

Digitized by Google

tis, ſæpiſſime conviciis appetitus; injurias excipiebat ut beneficia, & hominibus male de ſe meritis gratias agebat. In afflictando corpore modum omnem exceſſit. Cilicio utebatur hiſpido, non tamen præcincto ad latera, ut alii ſolent, ſed totum cooperiente corpus inſtar interulæ. Catenam è ferro gravem, ac rubigine ſcabram, collo illigatam perpetuo geſtabat. Quotidie ſe flagris atrociter concidebat: ex qua conſuetudine cum obſtupuiſſent paulatim carnes, & ſenſum doloris amiſiſſent, crura deinde faciemque tundebat, pedes, brachia, femora admotis facibus uſtulabat. Verum hæc, & plura de Mancinelli virtutibus fuſe deſcripta videre erit in ejus hiſtoria, de qua dictum eſt ſupra; ubi etiam multa ſupra naturæ ordinem ab eo geſta memorantur, quæ nos leviter indicamus. Crebris cœleſtium viſis dignatus fuiſſe, aliquando oblatum à Matre beatiſſima divinum Infantem ſinu excepiſſe dicitur. Multa & loco, & tempore remotiſſima, quaſi præſentia, & oculis ſubjecta inſpexit, prænunciavitque. Sæpe cum ſacrum faceret, aut divina meditaretur, conſpectus eſt in aere ſuſpenſus, & cœleſti luce perfuſus. Ejus precibus multi valetudinem, multi prolem, aut proſperos negotiorum ſucceſſus debuerunt. Quæ cum eſſent pervulgata, vivo, mortuoque ii honores ſunt habiti, qui vulgo ſanctis haberi ſolent. Obiit poſtridie Idus Auguſti, in ipſo pervigilio Virginis in cœlum aſſumptæ, cum numeraret vitæ annos amplius octoginta. Ejus funus tota fere civitas celebravit: nec multo poſt, gliſcente in dies fama beneficiorum, quæ Mancinellum invocantes divinitus impetrabant, conventus nobilium ex omnibus, ut Neapolitani vocant, ſubſelliis collectus, communi conſenſu decrevit, agendum nomine publico cum Romano Pontifice, ut quæſtionem de ejus virtutibus & miraculis inſtitueret, eundemque Sanctorum faſtis adſcriberet. Et jam Decius Cardinalis Caraſa Archiepiſcopus Neapolitanus teſtes audire cœperat: ſed intervenientibus mox decretis Urbani VIII., quæ de hoc genere cauſarum prodierunt, negotium abruptum eſt.

14. Neapoli Prorex feſtum Beati P. Ignatii apparatiſſime celebrat.

Eodem anno Oxunenſium Dux regni Neapolitani adminiſtrator, memoria repetens, ſe haud ita pridem ope B. Ignatii ex gravi morbo, ut alibi dicebamus, convaluiſſe, celebrandam curavit diem ejus anniverſariam eo ſumptu, qui grati non minus quam generoſi animi luculentum indicium eſſet. Celebritati nihil neque ad religionem, neque ad magnificentiam defuit. Affuit ipſe in æde Profeſſorum cum conjuge, ac fere tota urbis nobilitate; utque eo die duo noſtri Sacerdotes ſolemne quatuor votorum ſacramentum ad aram B. Parentis erant nuncupaturi, id fieri ſe præſente & inſpectante juſſit. Lætitiam deinde publicam cumulavit domeſtica: invitatos enim in domum Profeſſorum quotquot erant de Societate Neapoli, etiam tirones, regalibus excepit epulis, & convivium præſentia ſua honeſtavit. Verum haud multo poſt vir piiſſimus, dum augere cultum B. Virginis ſtudet, nonnulla Societatem moleſtia implicuit. Nam cum juraſſet ipſe privatim, multorum Hiſpanorum exemplo, defenſurum ſe uſque ad obitum Divinæ Matris immunitatem à labe originaria; idem nunc jusjurandum, non ſolum edere ipſe publicè, ſed etiam ab omnibus regni Magiſtratibus, regiique gymnaſii Profeſſoribus exigere ſtatuit, concepta verborum certa formula, in quam jurare ſinguli compellerentur: celebritati autem peragendæ baſilicam Societatis delegit apud Profeſſos, & diem aſſignavit VI. Idus Decembres, quo die conceptus B. Virginis erat proximè rediturus. Hinc noſtrorum tranquillitas perturbata. Videbatur namque ea res nonnullis gymnaſii profeſſoribus intolerabilis, quippe ejus ſcholæ viris, quæ in diverſam de conceptione Virginis ſententiam abiit. Ipſe Archiepiſcopus Cardinalis, Nuncius ipſe Pontificius negabant, æquum videri in re tam gravi quidquam novi injuſſu Romani Pontificis inceptare, cum maximè Pontifex tam prope abeſſet Neapoli, ejuſque oraculum exquiri nullo negotio poſſet. Noſtris autem hominibus novitas illa omnis imputabatur. Vocantur itaque paulo ante præſtitutam diem Antonius Marcheſius provinciæ Neapolitanæ præſes, & Gregorius Maſtrillus domus profeſſæ præpoſitus, ille a Nuncio, hic ab Archiepiſcopo, & admonentur acriter, ne rem ejuſmodi fieri

15. Idem in noſtro templo edi juramentum jubet pro Conceptione Virginis immaculata.

16. Suſpiciones motæ contra noſtros, tanquam novi conſilii auctores.

in

Digitized by Google

in ſuo templo ſinant : vulgo ferri, ejus conſilii auctores Proregi fuiſſe Patres Societatis: gravem ſubituros invidiam, niſi rem multis odioſam pro ſuis viribus prohibuerint. Patres ad hæc, ſe quidem nullam in eo negotio partem habuiſſe, ac ne conſcios quidem fuiſse; paratos tamen eſse quæcunque juſſa fuerint, obedienter facere : unum orare, ut quæ fieri velint, ſcripto ſignificare ne graventur. Hoc accepto reſponſo, nihil ultra movit Cardinalis. At Nuncius Marcheſium interpellans: Quid opus eſt ſcripto? repoſuit: id à me referes Proregi, adigere Magiſtratus doctoreſque ad hujuſmodi jusjurandum, inconſulto Pontifice, decere neminem, omnium vero minimè Ducem Oxunenſium, quem ſibi Pontifex tam multis nominibus demeruerit. Quæ totidem verbis Marcheſius cum detuliſset Proregi, addidit, ut ſiquidem mutare ſententiam nollet, transferret ſaltem novam, ac periculoſam cæremoniam in unam aliquam ex tam multis baſilicis, quæ regii juris Neapoli ſunt, & difficili negotio Societatem eximeret. Sed non is erat Oxunenſium Dux, qui aut contradici ſibi, aut ſua a quoquam interverti conſilia æquo animo pateretur. Mirari ſe vehementer, dixit, Patres Societatis Jeſu in amplificando B. Virginis cultu difficiles ſe præbere : id enimvero novum accidere ſibi, & cum magna omnium, ſed præſertim Regis admiratione auditum iri in Hiſpania : fruſtra ſibi novitatem objici in ea re, cujus anno ſuperiore exemplum tot in Hiſpania Academiæ, & Magiſtratus præbuiſſent : quod ibi factum Pontifex non improbaſset, non videre ſe, cur improbaturus eſset Neapoli : cæterum a ſe neminem coactum iri jurare quod nolit; ſed regiis ſtipendiis omnino frui non debere, qui de conceptu Deiparæ aliter ſentiant, ac Rex in ſuis ditionibus ſentiri tradique velit. Sic abrupto ſermone, Marcheſium dimiſit.

17. Excuſant ſe Patres apud Archiepiſcopum, & Pontificis Legatum.

18. Et removere Proregem ab incepto conantur, ſed fruſtra.

Illuxit interim dies B. Virginis conceptioni ſacra. Ea die cum obfirmaſſet Prorex propoſitum exequi, quod dixi juramentum inſigni cæremonia peragitur in æde noſtra, ſacris ſolemniter operante Antonio de Franchis Epiſcopo Andrienſi. Primus omnium codici ſacrificali manum imponit ipſe Prorex, & præfinitam jurisjurandi formulam pronunciat. Sequuntur Canonici regium adminiſtrantes ſacellum: tum regni conſilia omnia, ac magiſtratus: poſtremo profeſsores regii gymnaſii, Theologis tantum exceptis, quos utpote oppoſitam ſententiam, non tam voluntate quam inſtituto ſectantes, viſum non eſt ad juſjurandum compellere. Uſitato gratiarum carmine a ſymphoniacis decantato, recitatur erudita oratio de laudibus magnæ Virginis, & concio dimittitur. Sic ante meridiem. Die in veſperam inclinante, repletur iterum populi innumera multitudine ampliſſimum templum, atque hinc ſub nobili conopeo defertur per celebriora urbis loca ſignum Virginis immaculatæ. Præibat longum ſupplicantium agmen : pone ſequebatur Prorex cum flore nobilitatis. Ut ventum ad Prætorium, pompa omnis conſtitit. Fuerat ibi in foro, quod regiæ deſpectant ædes, erectum altare: e regione ſtabant in ſuis ordinibus milites præſidiarii. Hi cum in genua procubuiſsent, repetitur altiore voce lectio ejuſdem formulæ, lectionemque excipit fiſtularum plauſus militaris, cum fauſta acclamatione Virgini ſine labe conceptæ. Nihil poſt hominum memoriam actum ferebatur Neapoli tanta, non ſolum pietate, ſed etiam voluptate & gaudio. Triumphare illo die viſa civitas univerſa. Nuncius Pontificius, etſi minus probaſset initio rem talem inconſulto Pontifice fieri, tamen factam laudavit majorem in modum, negans fuiſse in ea, quod cuipiam merito diſpliceret. Quod vero attinet ad Societatem, teſtimonium dedit ampliſſimis conceptum verbis, noſtros in eo negotio extra omnem criminationem fuiſse. Inventi nihilominus qui rem liberius reprehenderent, & invidiam, ſi qua erat, ejus facti in homines Societatis omnem rejicerent. Ut de cæteris taceam, concionator profeſſione religioſus, quoties è loco ſuperiore dicendum erat, carpebat apertè noſtros, neque ſolum illius novitatis, ſed pravæ etiam, damnatæque doctrinæ auctores faciebat. Placuit experiri, num mitigaretur patientia, & manſuetudine; eaque propter Præpoſitus domus profeſsorum P. Maſtrillus ſociis in communi edixit, ne

19. Quo ordine peracta ſit juramenti cæremonia.

20. Solemni pompa circumfertur ſimulacrum Virginis immaculatæ.

21. Religioſus concionator maledictis proſcindit Societatem.

Digitized by Google

ne quis maledico concionatori par pari referret. Silentio modeſtiaque noſtrorum cum fieret arrogantior, itum eſt ad ejus moderatores, ut tantam maledicendi licentiam pro poteſtate compeſcerent. Verum hi, tametſi damnarent vehementer dicacitatem ſodalis ſui; quod tamen rogabantur ut eam etiam coercerent, apertè negarunt fieri a ſe poſſe; hominem ſcilicet potentiorum patrocinio tutum, in ſuorum præſidum poteſtate non eſſe. Sic ille elatus amicorum favore, obloqui nobis libere impudenterque pergebat. At dum loquacitati nimis indulget, nonnulla etiam de re publica dicere auſus eſt, quibus Proregis adminiſtrationem carpere haud obſcurè videbatur. Quæ fuerant palam dicta facile reſcivit Prorex, miratuſque inſignem hominis temeritatem, & ira incenſus, Legato Pontificis denunciavit, niſi impotentem blateronem pro eo ut meritus fuerat ipſe plecteret, nequaquam ſe dubitaturum in eum pro jure imperii animadvertere. Qua motus denunciatione Nuncius, primo concionatorem ſacri miniſterii ſui parum intelligentem increpuit graviter, & ad certum tempus abſtinere publico juſſit: deinde vero ne uſpiam in toto regno Neapolitano conciones haberet, gravioribus pœnis propoſitis interdixit. Cæterum tot ejus maledictis, & contumeliis, nihil apud pleroſque eſt imminuta Societatis exiſtimatio, nec propterea judicium de rebus noſtris prudentes mutarunt. Minime omnium mutavit matrona inter Neapolitanas ornatiſſima Joanna de Capua, Principis Aricini ſoror. Quin certior facta, collegium Capuanum olim civitatis beneficentia cœptum, nec vectigal juſtum, nec certum fundatorem habere, ante exitum ejuſdem anni cenſum legavit ſtabilem, quo fundati collegii titulum, & prærogativas eſt conſecuta. Sed ex provincia Neapolitana gradum faciamus in Siculam.

22. Idem à Pontificio Nuncio in ordinem redigitur.

23. Collegium Capuanum cenſu annuo dotatur.

Domui profeſſorum Meſſanenſi adduntur hoc anno ſodalitia duo, alterum ex artificum pueris conflatum, quod Deiparæ Præſentatæ conſecrari placuit, alterum ex ſcribis atque cauſidicis, quod ſub tutela Virginis in cœlum aſſumptæ collocatum eſt. Utrumque à ſuis initiis florere pietate, & ſodalium frequentia cœpit. Panormi nobilium ſodalitas, in quam principes civitatis, & regni proceres fere omnes conſcripti erant, tale præbuit charitatis exemplum, quod omnium animos admiratione defixit. Convenerat inter ſodales, ut certa die epulum darent vinctis, qui plurimi in cuſtodiis publicis ſervabantur. Ea die viſi tot illi viri titulis opibuſque conſpicui, nullo cujuſquam rei reſpectu, deferre per urbem mediam fercula, eademque poſtea ſuis manibus diſcumbenti vinctorum turbæ perquam humaniter miniſtrare. Prodierunt longo ordine è profeſſorum domo, ad modeſtiam pietatemque compoſiti, ſuam ſinguli manu geſtantes ciſtulam obſonii plenam. Claudebat agmen P. Franciſcus Rajatus ſodalitii moderator, caniſtrum ſimiliter manu ferens: quodque ſpectaculi admirationem auxit, unus ſodalium Montalti Dux, cum pedibus laboraret, interfuit nihilominus piæ aciei aperta ſubvectus ſella, ſuamque & ipſe ciſtellam cum omni menſarum inſtrumento detulit. Hos charitatis, & chriſtianæ demiſſionis triumphos nos eo commemoramus libentius, quod infrequentiores hac ætate videmus eſſe, nec ignoramus, multis, qui ſibi ſapientes videntur, deridiculo haberi.

24. Res Provinciæ Siculæ. Duo inſtituuntur ſodalitia Meſſanæ.

25. Sodalitas nobilium Panormi inſigne edit exemplum charitatis.

Neque omiſſum hoc loco volumus pudicitiæ exemplum memorabile, quod eodem ferme tempore editum Panormi, & in omnium ſermone verſatum eſt. Puella erat humili admodum genere, ac tenui fortuna; ſed ea oris elegantia, cui nihil ſimile reperiri in urbe tota putabatur: quodque rarum vulgo creditur, formæ tam excellenti conſentiebat vitæ caſtitas, quam pia virguncula ut cuſtodiret diligentius, aſſidua erat in templo Societatis, ſeque totam noſtro Sacerdoti, quo utebatur conſcientiæ arbitro, regendam permiſerat. Puellæ inſidiabatur juvenis nobilis & opulentus, eamque in flagitium trahere perdiu tentaverat fruſtra. Ubi demum videt, aperta vi expugnari non poſſe, cuniculos parat, novas ſtruit inſidias, donec aniculæ ſceleſtæ miniſterio incautam in caſſes pertraxit. Inducta fuerat, neſcio quo obtentu, in remotum ſecretumque con-

26. Pudicitiæ exemplum inſigne Panormi editum.

Digitized by Google

clave cujuſdam domus. Hic illam juvenis ſolam, & nihil adverſi ſuſpicantem adoritur: blanditias, preces, aurum, & quæcunque habet arma exæſtuans libido expromit. Nihil caſtiſſimam virginem permoveri ſentiens, poſtremo vim parat, vocatque ſubſidio juvenem ſceleris conſcium, quem hærere ad januam cubiculi juſſerat. Eo loci miſera fugam circumſpicere. Cum nec elabi ulla via, nec eluctari juvenum robuſtiſſimorum manus poſſet, conſilium capit ſane audax, & quod merito reprehenderem, niſi præcipuo inſtinctu Numinis fuiſſe injectum exitus docuiſſet. Fingit ſe victam, aut certe deditioni proximam; non nihil tamen ſpatii ad reſpirandum flagitat: quo impetrato, exiliens repente, & Jeſum ac Mariam invocans, agit ſe præcipitem per feneſtram. Huic ſubjectus cum eſſet ex parte domus interiori magnæ altitudinis puteus, in eum decidit. Percuſſæ intus aquæ cum magno ſtrepitu concrepuerunt. Juvenes attoniti, ac metu conſternati, mortuam ſepultamque crediderunt, ac propere diffugerunt. At vetula, quæ lœnocinii pretium opperiebatur in cavædio, admonita quid acciderit, clamores ingentes tollit. Accurritur ex tota vicinia ad puteum, vocatur puella, funes, uncique demittuntur. Educta eſt, mirum dictu! non modo illæſa prorſus & incolumis, verum etiam imperturbata, ac læto vultu renidens. Gratulantibus vero cunctis quod ſalva eſſet, multumque perrogantibus, unde id ita præter naturæ ordinem contigiſſet, narrat, invocatam adfuiſſe ſibi in ipſo lapſu Deiparam humaniſſima ſpecie: ejus manu elatam ſe fuiſſe ex imo, & in ſumma aquarum ſuperficie ſuſtentatam fuiſſe, ne mergeretur. Vera loqui virginem perſuadebat, cum natura ipſa eventus, tum etiam narrantis pietas explorata. Hinc virgini tam probatæ virtutis optimæ matrimonii conditiones offerebantur: ſed illa omnes ex æquo reſpuens, ſervatum miraculo pudorem Deo inter ſacras virgines perpetuo devovere maluit.

27. Præſens Deiparæ auxilium in extremo vitæ periculo.

28. Mors, & elogium Bartholomæi Valditari tironis.

Nobis interim adoleſcentem pietate ſpectabilem, & in Meſſanenſi tirocinio ad ſumma quæque connitentem mors feſtinata præripuit. Fuit is Bartholomæus Valditarus, oriundus ab urbe Genua, ſed Meſſanæ natus honeſtiſſimo genere. Humaniores litteras, altioreſque diſciplinas didicerat in collegio noſtro Mamertino, pari ingenii, & innocentiæ laude. Societatem cum peteret, ob valetudinem parum firmam repellebatur à Provinciali Præpoſito: ſed inſtitit orare tandiu, atque obſecrare, donec receptus eſt. Agebat tunc annum ætatis duodevigeſimum; eoque nondum expleto, morbum ex nimia mentis contentione contrahens, copioſum ejectavit ore ſanguinem, ac demum lenta duorum menſium tabe conſumptus occubuit. Toto hoc ſpatio temporis, dici vix poteſt quæ dederit documenta virtutis, quæque præſertim cœleſtium rerum deſideria præ ſe tulerit. Pertæſus omnium quæ vita finiuntur, cœlum cogitabat unicè, auditus aliquando ſuaviſſimè canere, propterea quod ſupremam abeſſe horam propius exiſtimaret. Idibus Martiis, cum appropinquaret dies Annunciatæ Virgini ſacer, eo die ſe moriturum prædixit. Illuxit optatus dies: Valditarus autem nonnihil a morbo recreatus, adeo non videbatur eo die moriturus, ut potius victurum adhuc multum temporis augurarentur medici. Quare illum inviſens tironum Magiſter, valde gratulari ſe dixit, quod in ſua prænuncianda morte falſus vates fuiſſet: cui ille ſubridens: *Atqui nondum hic dies planè exiit.* Nec vero exiit prius, quam vaticinium eſſet impletum. Eodem quippe die in veſperam inclinante, cum videretur ſubito quodam & dulci ſomno correptus, placide admodum expiravit. Sex tantum menſes apud nos vixit Valditarus; ſed nemo fuit hoc tempore, neque æqualium, neque majorum, qui non illum paucorum dierum tironem admiraretur. Ejus virtutes ipſi ſibi ad exemplum proponebant veterani, atque æmulari ſtudebant. Erat jam divinis rebus mirifice exercitatus: animi vero cupiditates ita ſubegerat in paterna domo, ut vix eſſet quod emendari religioſa inſtitutione poſſet.

29. Res Germaniæ superioris. Obitus & elogium P. Jacobi Rhem.

Multo longiorem habuit vitæ curſum, proindeque illuſtrius multo poſt ſe nomen reliquit P. Jacobus Rhem in ſuperiore Germania. Brigantiæ natus erat inter Helvetios, ad lacum Acronianum. Studiis humanioribus Dilingæ abſolutis, anno

Digitized by Google

anno ætatis ſuæ vigeſimo Romam venit ad S. Franciſcum Borgiam, à quo in Societatem fuit cooptatus. Præcipua viri dos, & induſtria eluxit in excolendis juvenum ſeminariis, quæ per annos quadraginta novem adminiſtravit conſtantiſſima ſollicitudine, patientia, charitate, cæteriſque id genus virtutibus, quas apta juventutis educatio requirit. Quantus ſit in adoleſcentum indole regenda labor, quanta in temperandis eorum cupiditatibus, moribuſque fingendis difficultas, experti duntaxat norunt. Hujus laboris nunquam vacationem P. Rhemus poſtulavit, nunquam difficultatem ac tædia queſtus eſt, quippe gnarus, in eo miniſterio ſua moderatores opera libenter uti. Duas præ cæteris res in puerorum animis altius defigere ſtudebat, odium inexpiabile peccati letalis, & amorem erga Virginem Deiparam, qualis eſſe filiorum erga matrem ſolet. In contubernio juvenum Ingolſtadienſi, quod annos ipſos triginta duos moderatus eſt, ſodalitatem inſtituit, quam Paulus V. Pontifex Maximus plurima delictorum expiatione locupletavit. Sodalibus hanc veluti teſſeram & inſigne eſſe voluit, ut ubicunque daretur locus, de divinis rebus colloquia agitarent. Præibat ipſe exemplo, nullum ſerere ſermonem, niſi de Deo, ac B. Virgine ſolitus. Inceſſit eum cupido aliquando cognoſcendi, quodnam elogium ex omnibus, quis præ cæteris titulus Matri ſanctiſſimæ arrideret? Sabbato ſequenti, cum Lauretanæ Litaniæ pro more à ſymphoniacis canerentur in ſodalitio, Deiparam vidit cœleſti luce radiantem, ad eas voces *Mater admirabilis*, ore ſereno velut annuere: quo ſpectaculo commotus, & præ lætitia geſtiens, prodiit in medium, & magna voce *Mater admirabilis* ter exclamavit. Inde mos fluxit, ut in eodem ſodalitio, quoties Lauretanæ Litaniæ recitantur, ter idem verſiculus decantetur. Tot inter irritamenta patientiæ, quot in magna puerorum multitudine obverſari quotidie ſolent, Rhemus vix iraſci interdum, nunquam gravius perturbari viſus. Ipſo habitu oris & corporis quamdam præferebat ſanctimoniæ ſpeciem, qua obtinebat, ut etiam ferocioribus adoleſcentibus venerationi eſſet. Oculis uti non videbatur, niſi ad pias lacrymas, quas ſtillabat aſſiduè: cæterum domitos, & conſtrictos tenebat tam acri cuſtodia, vix ut quemquam externorum de facie noſſet. Quemadmodum oculos, ita reliquos frænabat ſenſus. Ciliciis, flagellis, invicta rerum moleſtarum tolerantia, corpus in ſervitutem redigebat. Cibi potuſque parciſſimus, eſuriem tolerabat fere perpetuam: in quo genere temperantiæ illuſtre documentum ab ipſo aditu Societatis dedit. Cum triduum jam egiſſet primæ, ut loquimur, probationis, interrogatus a Rectore, ecquid illi ſaperent eſcæ noſtrates? modeſte reſpondit, nondum guſtaſſe: quo reſponſo attonitus Rector, ulterius percunctando cognovit, oblivione miniſtri nihil toto eo triduo adoleſcenti datum fuiſſe; ipſum vero tam longam inediam ſilentio toleraſſe. Plurima cognovit ac prædixit, quæ poſt evenere; nec ſemel morbos, & præſtigias dæmonum propulſavit. Demum annos duos & ſeptuaginta natus, obiit Ingolſtadii IV. Idus Octobris, & primam, ut creditur, innocentiam, cum pervulgata & publica non uſitatæ virtutis opinione, tumulo intulit.

30. Qui titulus ſupra cæteros arrideat B. Virgini.

31. Memorabile exemplum temperantiæ.

Cæterum in Germania ſuperiore vix fuit hoc anno locus, ubi homines Societatis prædas de ſectis hæreticorum non egerint. Neoburgi amplius quadringenti ad Eccleſiam rediere, in quibus nobiles viri plures, ac tota Papenheimiorum familia. Monhemium, parvam urbem, ſed amplæ præfecturæ caput, miſſi fuerant Ingolſtadio Patres duo. Eorum labore & induſtria, intra paucos menſes, hæreticorum ter mille ſexcenti catholicis partibus ſe aggregarunt. Ante Patrum adventum vix cenſebantur in ea urbe Catholici octoginta. Paulo duriores initio ſe præbuerunt Lavingenſes. Principis edicto de mutando cultu cum reſiſterent contumacius, militari præſidio paululum comprimendi fuerunt: ſed mox capti, non tam eloquentia, quam charitate modeſtiaque noſtri concionatoris, eidem ſe dociles præbuerunt. Conſtantienſium Sociorum labor excurrit in pagos quatuordecim, & urbes duodecim. Ubique contra vitia, ſuperſtitiones, errores, varie feliciterque certarunt. Similia de aliis provinciæ collegiis

32. Res feliciter geſtæ in variis provinciæ partibus.

Digitized by Google

invenio, quæ ſingillatim referre longum eſſet. Neque tantum voce pugnatum eſt contra hæreticos, ſed etiam ſcripto, nec ſcio an non, ſaltem ad fructus perennitatem, utilius. Ingolſtadii P. Jacobus Gretſerus *Syntagma* edidit *de ſacroſanctis Reliquiis S. R. Imperii*. P. Joannes Mocquetius *Methodum Gontheriana defenſam*, ſive rationem ex ſolo Dei verbo cum hæreticis diſputandi, vulgavit. Studio & opera P. Georgii Mayr, impreſſus Auguſtæ eſt græcè & latinè *Catechiſmus Ven. Petri Caniſii*, cujus deinde exempla, non modo per Germaniam ſparſa, verum etiam Conſtantinopolim uſque tranſmiſſa, magno uſui fuerunt Patribus Gallis, qui nuper in illa urbe ſcholas græcis adoleſcentibus aperuerant. His catholicæ religionis progreſſibus delectabantur ſummopere omnes boni; ſed nemo fortaſſe magis Wolfango Wilhelmo Comite Palatino Rheni, Duce Neoburgico, cujus Principis pietatem eximiam, & parem in noſtrum ordinem benevolentiam nullis ſatis litteris prædicare poſſumus. Dederat jam Societati collegium ſtabile, ut ſupra demonſtratum eſt, Neoburgi in urbe ſua primaria. Nunc ſacram quoque ædem daturus, templum auguſtæ molis, à Ludovico parente ſuo Lutheranorum uſui inchoatum, magno ſumptu perfecit, adjunxitque collegio: nec multo poſt celebritate quam potuit maxima dedicandum curavit. Peracta eſt dedicatio XII. Cal. Novembris ab Epiſcopo Auguſtano, præſentibus Ratisbonenſi, & Eyſtadienſi, Ducibuſque Bavariæ, & minorum Præſulum magno numero: namque eos omnes, ad augendam cæremoniæ pompam, Neoburgicus invitaverat. De ipſo porro templo tradunt, fuiſſe olim in ejus prima molitione prædictum, fore aliquando ut ad Societatem tranſiret: de qua re ita reperiebam. Ludovicus Dux Neoburgenſium ſecta Lutheranus, cum forte cœptum inſpiceret ædificium, viderat matronam nobilem, & orthodoxam opus, uti fit, curioſius obſervantem. Quæſivit ex ea per jocum, ſatis ne aptam putaret miniſteriis Jeſuitarum baſilicam? Cui mulier, quocunque demum ſpiritu acta: *Spero equidem, prius quam moriar, viſum iri Jeſuitas in hoc templo ſacra facientes*. Quod tunc cum riſu exceptum à Principe, ejus deinde filius in oraculum vertit. Atque hæc ibi.

33. Libri utiles hoc anno editi in hac provincia.

34. Neoburgi templum Societati attribuitur, & dedicatur.

35. In quo impletur piæ feminæ vetus vaticinium.

36. Res Bohemiæ. Indicantur Bohemicæ rebellionis initia.

In Bohemia, cum eſſet hoc tempore res omnis tum ſacra, tum civilis armis hæreticorum fœde turbata, magis referre poſſumus quid noſtri paſſi fuerint, quam quid geſſerint. Ut à ſuis initiis narrationem repetamus, annis ante Lutherum fere centum pervaſerant in Bohemiam Huſſitæ, *Calixtini* vulgo appellati à myſtico calice, quem in ſacrorum perceptione toti promiſcue populo libandum putabant. Sequenti ſæculo, quo nulla fuit ætas hæreſum feracior, Lutherani quoque, & Calviniani, hiſque nequiores Picarditæ, in illud penetraverant regnum; initaque cum Huſſitis, & inter ſe invicem erroris ſocietate, *Utraquiſtæ* dici maluerant, propterea quod utramque myſteriorum ſpeciem laicis impertiendam contenderent. Utraquiſtarum porro factio, & numero, & opibus brevi exceſſit in tantum, præſertim Pragæ, ut longe plus poſſent, quam Orthodoxi. Noviſſime eorum vires & audaciam, non voluntate, ſed neceſſitate auxerat Rudolphus II. Cæſar, Bohemiæ Rex. Cum enim intra Pragenſem regiam à fratre ſuo Mathia obſideretur, egeretque ad tuitionem ſui viribus civitatis, quædam illis indulſerat parum æqua, & religioni catholicæ injurioſa, quæ nunc materiam civilis incendii præbuerunt. Erat inter alia capita Rudolphini diplomatis, licitum fore Utraquiſtis eccleſias ſibi conſtruere ubicunque vellent. Id illi, mali utique verborum interpretes, ſic accipiebant, quaſi factum ſibi fuiſſet jus fana ejuſmodi ædificandi etiam in alieno ſolo. Et reipſa, ſeu crederent id ſibi juris datum, ſeu, quod verius puto, occaſionem rebellandi quærerent, templum ædificare auſi fuerant in ſolo monaſterii Brunovienſis, invitis licet, & reclamantibus Monachis. Juſſi à Mathia, qui poſt Rudolphum regnabat, opus intermittere, & ad deſignatos Judices in jus ire, neutrum fecerant: quin educto ad culmen ædificio, ſuos in eo conventus cum regiæ majeſtatis contemptu celebrare palam cœperant. Cæſar, ne impunitas audaciam aleret, armata manu occupari fanum jubet, auferri claves, duces popula-

Digitized by Google

pularis contumaciæ vinctos in arce Pragenſi cuſtodiri. Id ſatis viſum Utraquiſtis, ut Regi bellum nefarium indicerent, & ſceleri, quod jamdiu coquebant, nomen juſtæ defenſionis obtenderent.

37. Primi rebellium impetus contra tres eximios Catholicos.

Neque hæc atrocius deliberata, quam geſta ſunt. Ad x. Cal. Junii principes conjurationis cum ala equitum armatorum irrumpunt in arcem, regiam opprimunt, in aulam regii conſilii aſcendunt. Conſederant ibi primarii Magiſtratus, ut de re communi, & nominatim de extinguendo belli erumpentis incendio deliberarent, erantque eo in conſeſſu facile principes Gulielmus Slavata Comes Chlumenſis, regii ærarii præſes, & Jaroslaus Borzita Comes Martinitzius, Cæſari a ſanctioribus conſiliis, regnique Mareſcallus: duo Catholici inſignes, & Bohemicæ nobilitatis lumina fere præcipua. Aderat à ſecretis Philippus Platter, cognomento notiore Fabricius appellatus. Ut eo pervaſit perduellium globus, cæteros quidem, quibus parci placuerat, abducunt in vicinum conclave: at tres, quos dixi, præſtantiſſimos viros, velut hoſtes patriæ, & evangelicæ libertatis everſores, comprehendunt, conviciis onerant, & Martinitzium primo, deinde Slavatam, poſtremo Fabricium è feneſtra dejiciunt in præaltam foſſam muro circumjectam. Erat Martinitzius B. Virginis eximius cultor. Hanc ille, dum rueret, pia prece inclamavit, nec irrita: quamvis enim eſſet prægravi & obeſo corpore, quamvis altitudo feneſtræ pateret in præceps ulnas Pragenſes viginti octo; in foſſæ tamen crepidine, ut in arena molli, conſedit incolumis, tanquam ſi quiſpiam manum cadenti ſuppoſuiſſet. Deturbatus è feneſtra Slavata, caput impegit vaſto molari, ab eoque rejectus eſt in imam uſque foſſam. Vidit extremos edentem gemitus Martinitzius, atque è ſummo foſſæ labro devolvit ſe paulatim in infimam ejus partem: ad amicum adrepſit, abſterſit ſudario ſanguinem, cujus copia præfocabatur, efficaci tandem balſamo, quod in pixide paratum habebat, nares ejus ac tempora perungens, deficientem animum revocavit. Inſtabant interim è feneſtris, atque ab oppoſito vallo conjurati: hortabantur ſe vocibus inconditis ad mactandos evangelicæ libertatis hoſtes, corruptoreſque: plumbeam in illos grandinem undique ferreis tubulis excutiebant. Neuter tamen (quod ipſi deinde hæretici miraculo adſcripſerunt), neuter, inquam, tot inter mortes ullo ictu eſt violatus; datumque interea ſpatium famulis utriuſque, & amicis ſubeundi per occultum iter in foſſam, & ambos tutas in latebras exportandi. Fabricius illis junior, & robuſtior, leviore defunctus eſt ruina. Præceps e feneſtra datus, erexit extemplo ſeſe, & ad Moldavam flumen evadens, reperta commodum navicula, diffugit inobſervatus, ac Viennam poſtea ſalvus attigit.

38. Qui ex præalta feneſtra dejecti, mira Dei ope, ſervantur.

Primus hic luctuoſæ tragœdiæ actus fuit. Secuta eſt vexatio Catholicorum, cædes aliquorum, aliorum ejectio, & proſcriptio, ac præſertim Societatis, in quam ſævior procellæ vis incubuit. Tamen prima illa die nihil contra quemquam conſultum gravius. Quin dux ſceleratæ factionis, cum cives ad arma conſternarentur, urbem obequitans, continuit populum, fide data, nihil motum iri contra Catholicos: non religionis cauſa tres nefarios viros ſupplicio fuiſſe affectos, ſed ob violata regni privilegia: omnia Catholicis ut ante manſura. Hæc in vulgus emiſsa, utcunque metum demerent aliis, noſtris nihil fiduciæ dabant. Non enim ignorabant Patres, quanto hæreticis odio eſsent; ſe vero primos ad ictum fuiſse deſignatos dubitare non poterant, cum præſertim aliqui conjuratorum gloriarentur palam, tres Jeſuitas in illis regiis miniſtris fuiſſe dejectos. Non vanam fuiſse noſtrorum formidinem, nullamque nobiſcum pacem hæreticos habere voluiſſe, patuit haud multo poſt. Degebat Societas in quinque intra Bohemiæ fines collegiis, Pragenſi, Crumlovienſi, Commotovienſi, Novodomenſi, & Glacenſi. Poſt decem dies omnibus in perpetuum jubetur excedere, die decima præfinita, intra quam abiret. Exilii cauſæ jactabantur iſtæ: Quod pacem publicam Societas perturbaret: quod omnia regna jugo Romanæ ſedis ſubjicere niteretur, & omnes qui morem illi non gererent, hæreticos proclamaret: quod aleret inter proceres diſſidia: quod ſemina ſeditionum ſereret: quod

39. Simulant conjurati nihil ſibi eſſe contra Catholicos.

40. Sed mox Societatem excedere Bohemia jubent.

Digitized by Google

quod populos in cædem regum armaret, Denique crimina omnia Societati paſſim ab hæreticis objici ſolita, in ferali decreto congeſta erant. Decreti titulus præferebat nomen *Trium unitorum ſtatuum regni Bohemiæ, corpus & ſanguinem Domini ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti ſub utraque ſumentium, & confeſſionem Bohemicam profitentium*. Clauſula hæc toti decreto ſubjiciebatur: *Ut Societas poſt hanc proſcriptionem, nec ad Romani Pontificis, nec ad cujuſvis alterius interceſſionem, nec ullo alio quem vel ars, vel fraus humana excogitare poſſit modo, unquam in futura, æternaque tempora, rurſus in regnum introducatur*. Quæ quaſi nondum ſatis ad exilii noſtri perennitatem eſſent, illud addebatur præterea; *ut ſi technis, ulliſque machinationibus Jeſuitæ futuris temporibus effeciſſent, ut vel in conſilio ordinum, vel extra illud, ageretur de ipſis iterum recipiendis, quiſquis ſententiam pro illis dixiſſet, reus fieret pœnæ inperturbatores reipublicæ conſtitutæ*. Sic illi cum inſigni Regis injuria, cujus poteſtatem ex toto ſibi arrogantes, audebant immutare quæ a pluribus Bohemiæ regibus fuerant circa nos conſtituta, & in generalibus regni comitiis approbata, refragante nemine. Mitto dicere, quam temere ſibi jus & imperium in futura tempora, atque adeo in ipſam æternitatem vindicarent: quam quidem æternitatem oppido brevem fuiſſe, videbimus intra annos duos. Neque vero ſingula edicti capita vacat refellere, id quod à P. Adamo Tannero, aliiſque ſcriptoribus illo ipſo tempore factum eſt: hiſtoriam quippe, non apologiam ſcribimus.

41. Ferales clauſulæ decreti contra Societatem promulgati.

42. Confictas fuiſſe exilii cauſas, colligitur ex ipſo decreto.

Ut tamen luce clarius oſtendam, alias fuiſſe exilii cauſas, quam quæ in decreto afferebantur, illud duntaxat quæro: num credibile ſit, viros tales, in ipſo æſtu ſeditionis, ſolo exilio fuiſſe animadverſuros in nos, ſi vera eſſe credidiſſent quæcunque nobis appingebant flagitia? Qui in clariſſimos ſuæ gentis Principes tam atrociter ſævierunt, eoſne putandum eſt voluiſſe nobiſcum humaniter, & clementer agere? Quas cruces, quæ non ſupplicia noſtris hominibus decreviſſent, ſi vere eos putaſſent auctores fuiſſe, ut ajebant, omnium periculorum, viciſſitudinum, & malorum, quibus conflictatum uſque in illum diem fuerat Bohemiæ regnum? Dum ergo vivos dimittunt, hoc ipſo ſatis ſe ſcire oſtendunt, mera eſſe commenta tot illa crimina, de quibus nos accuſabant. Sed fucum Catholicis facere neceſſe erat, ne putarent ſuæ religionis odio pelli Societatem. Pellendæ non aliam habebant reipſa cauſam, niſi quod viderent, ejus opera ultra quam ipſi vellent augeri numerum Catholicorum. Tamen diſſimulandum id caute fuit, atque ea improbitati imponenda ſpecies, ut ſuis tantum ſceleribus & malefactis pulſa Societas videretur. Hac mente fraudis præclari artifices, non modo nullam moleſtiam cæteris Catholicis Sacerdotibus intulerunt, verum etiam illis humaniores hoc tempore quam antea ſoliti eſſent ſe præbuerunt, & religioſis familiis mendicato victitantibus largiorem ſolito ſtipem ſubminiſtrandam curaverunt. Eodem conſilio dederunt operam ut populo perſuaderent, nunquam noſtros pro legitimis regni incolis fuiſſe habitos, idque in *Magna apologia* poſt annum edita, non minus impudenter, quam falſo affirmare non dubitarunt. Hoc demum animo, cum viderent exploratam pleriſque eſſe innocentiam Patrum, tot congerere ſimul crimina, tot irrogati exilii rationes reddere conati ſunt. Ubi ergo, non jure ullo bono, ſed furore tantum & vi agebatur, nulluſque juſtæ defenſioni locus relinquebatur, cedendum tempori fuit. Abierunt, ut juſſi fuerant, Patres Junio ineunte, nihilque ſecum præter indumenta, & precum divinarum codicem extulerunt. Numerus exulum, quantum colligere potui, fuerunt centum quadraginta, perque Auſtriam partim, partim per Poloniam, & ſuperiorem Germaniam diſperſi ſunt. Nonnullos etiam fraterne, ut par erat, exceperunt provinciæ Italicæ, & rerum omnium egentes ſublevarunt. Pervaſit paulo poſt dirus turbo ex Bohemia in Moraviam, Hungariamque; ſed quid ibi Societas paſſa ſit, narrabitur anno proximo. Interim pervagata circumquaque Bohemici tumultus fama movit Batavos, ut ejectam Societatem Utraquiſtis, tanquam præclarum facinus, gratularentur communibus litteris, in quibus hæc verba legebantur. „ Sapienter, atque ordine à vobis fa-

43. Perduellium artes ne viderentur contra Catholicos incitati.

44. Diſcedunt regno noſtri, & in alias provincias diſpergunter.

45. Batavorum gratulationes ob ejectam Societatem.

„ ctum

Digitized by Google

ctum cenſemus, quod hanc peſtem extra regni veſtri terminos expuliſtis. Nulla enim ſpes eſt, veræ ac reformatæ religioni ullam fore tranquillitatem, ubi Jeſuitis, hoc eſt juratiſſimis omnis pietatis hoſtibus, vel tantillum loci relinquatur. Porro igitur proſpiciendum vobis arbitramur, ne monſtris iſtis portentiſque apud vos unquam reditum, aut gratia, aut minis, aut precibus ullis moti concedatis. „

Dum ſic de nobis Batavi ſentiebant, & ad amicos perſcribebant ſuos, habebant ipſi apud ſe operarios Societatis viginti, qui per omnes Ordinum fœderatorum provincias diſperſi id conabantur unicè, ut mortalium quam plurimos ab errore ad veritatem adducerent. Nunquam ibi melius quam hoc tempore nobis, & catholicæ rei fuerat, ex quo ſuperſtitio Calvini illis terris inſederat. Tranquillitatem aliquam Catholicis pepererat Calvinianorum diſcordia. Quod enim fatale eſt omnibus ſectis, ut ſeſe impediant invicem, & ſæpe in fruſta concidant, id Batavi nunc ut cum maximè experiebantur. Gomariſtæ hinc, inde Arminiani totum Calvinianorum corpus ita diviſerant, ut eſſent ſibi invicem multo infeſtiores, quam Catholicis. Dum autem inter ſe pluſquam hoſtiliter dimicant, nec ſtylo ſolum, ſed etiam ferro depugnant; quies ab utriſque fuit catholico gregi, qui per iſtas breves inducias majore ſtudio pietatem coluit, ſuoſque cœtus celebravit ubique tutius, & crebrius. Simul noſtri, occaſionem rei bene gerendæ nacti, liberius huc illuc ad omnes confirmandos diſcurrerunt. Fuere ex ipſis heterodoxis, quibus tanta ſuorum diſſenſio ſuſpicionem injiceret, cum præſertim viderent, ſumma conſenſione Catholicos in unam eandemque credendi regulam convenire; atque inde moti ſunt aliqui, ut magiſtros & interpolatores mendacii deſererent. Acceſſere divinæ ſeveritatis exempla quædam terrifica adverſus impios rerum ſacrarum contemptores. Leovardiæ duo Iconoclaſtæ, ut ſacris imaginibus contumeliam facerent, ſignum S. Chriſtophori male multandum ſuſceperant certatim, eique alter oculos per ludibrium eruerat, alter crura ſuffregerat. Uterque non multo poſt dignam ſcelere pœnam tulit: hic enim, ut vitam ſervaret, pati debuit crura ſibi a chirurgo præcidi: ille oculorum lumen amiſit. Ibidem pictor catholicus, cum tabulam elaboraſſet inverecundam, & pudori noxiam, offuſa repente oculis caligine, nihil videbat. Senſit miſer pœnam hanc eſſe male collocati laboris. Conſcidit obſcænam tabulam, admiſſi veniam rogavit, Deo ſanctè promittens, nunquam ſe deinceps tale quid incepturum. Vix precem peregerat, & oculorum uſum recepit. Rem, uti à me narratur, teſtatam reliquit noſter Sacerdos, quo ille à confeſſionibus utebatur.

Interim in Belgio Catholico noſtri cum intelligerent, quantum interſit pueros doctrinæ chriſtianæ elementis apte erudiri, rem iſtam adeo ſalutarem novis promovebant artibus, & inſtitutis. Cæteris ducem ſe præbuit Antuerpiæ P. Gulielmus de Pretere. Viderat vir egregius, magnum eſſe in urbe frequentiſſima numerum puerorum, qui, nulla adhibita a parentibus diſciplina, otiabantur paſſim in foris, & compitis, præſertim per feriatos dies, quos vel meris nugis, vel etiam rixis, & lapidationibus tranſigebant. Miſeratus eorum vicem Gulielmus dedit operam, ut iiſdem ad meliorem vivendi formam inſtituendis certæ aperirentur ſcholæ, in quibus per dies feſtos prima litterarum elementa condiſcerent ſub magiſtris publico ære conductis. Haud ſecus ac ille ſuadebat, ſcholæ inſtitutæ fuerunt, ac magno puerorum numero frequentari cœperunt. Aderant ſeparatis locis lectæ virgines, quæ puellas ejuſdem generis piis decurrendis precibus exercebant. Superveniebant ex noſtris aliqui, & catecheſim ad captum omnium explicabant. Hoc inſtituto dici vix poteſt, quantum brevi ſpatio profectum ſit. Primo anno excrevit diſcentium numerus ad tria millia; viditque Antuerpia cum incredibili bonorum omnium gaudio, non modo purgatas puerorum gregibus & petulantiis vias, verum etiam pietati deditos, & morigeros, qui nuper procacibus jocis moleſtiam civitati afferebant. Gaudebat conſiliorum ſuorum læto ſucceſſu P. de Pretere: ſed probe intelligens, nul-

46. Res Flando-belgicæ. In Hollandia ob hæreticorum diſſidia reſpirant Catholici.

47. Exemplum divinæ ſeveritatis contra ſacrarum imaginum contemptores.

48. Pictor ob elaboratam tabulam minus pudicam divinitus plectitur.

49. Inſtituuntur Antuerpiæ ſcholæ pro pueris pauperiorbus.

Digitized by Google

50. Tuendis perpetuo ſcholis erigitur civium ſodalitas.

nullam eſſe rem quantumvis optimè inſtitutam, quæ non ſeneſcat ſenſim, dilabaturque; ad hujus perennitatem ſodalitium erexit, cujus præcipua eſſet cura tueri quas dixi ſcholas, ac ſedulo invigilare, ne quid unquam detrimenti caperent. Sodalitio, quod ſub patrocinio B. Caroli Borromei conſtitui placuit, nomen dederunt viri amplius centum, partim ex nobilium ordine, partim ex honeſtioribus civitatis, quidam etiam Sacerdotio inſignes. Ea in primis rogata lex eſt, ut ſingulis feriatis diebus deni ſodales urbem percurrerent, pueroſque infimi generis, intra ſeptimum & decimum ſeptimum ætatis annum, ad ſcholas compellerent: quod ut legitime facere, atque efficaciter poſſent, ſuam auctoritatem Antiſtes, & civiles Magiſtratus contulerunt. Curam iſtam gerebat una ſodalium decuria per menſes duos, quibus evolutis, ſuccedebat in eandem procurationem altera, ac deinde altera, donec ad omnes in orbem rediiſſet idem labor. Neque vero intra Antuerpiam conſtitit ſalubris inventi fructus; ſed manante paulatim ad alias Belgii urbes exemplo, Aldenardæ quoque, Gandavi, Brugis, Silvæ-ducis, alibique idem inſtitutum, quantum licuit, in mores inductum eſt.

51. Idem inſtitutum ad alias Belgii urbes traducitur.

52. Ipris quædam monialis recuſat clauſuræ legem admittere.

Quæ dum ibi geruntur, Ipris noſter Sacerdos Cœnobio ſacrarum virginum perſuadebat, ut imponerent ſibi ultro communem aliis Parthenonibus, & ſacram legem, nunquam amplius efferendi extra ſepta monaſterii pedem. Conſentientibus cæteris tantum reſiſtebat una, nulliſque adduci precibus, neque ſuaſionibus poterat, ut novæ legis jugum acciperet. Citius deſerere locum conſtituerat, & jam aſſenſum Apoſtolicæ ſedis impetraverat. Cum eſſet propediem abitura, illud ægrè perſuaderi ſibi eſt paſſa, ut prius noſtro Sacerdoti ſe traderet ſacris B. Ignatii commentationibus exercendam; quod tamen declaravit ſe invitiſſimam facere, ne ſorores contriſtaret ſcilicet, deliberatum ac fixum habens, quæcunque ſibi occinerentur à Jeſuita, propoſitum non mutare. Verum in pio receſſu mutavit uſque adeo, ut paucos poſt dies alia prope mulier videretur. Legem antea inviſam, & intolerabilem laudare jam ut neceſſariam, aut certe utilem, neque difficilem. Ei denique ſe per quam libenter ſubjicere. Mutati tam repente conſilii cauſam referebat in P. Joannem Ogilbæum, quem hæretici in Scotia religionis cauſa necaverant anno vertentis ſæculi decimo quinto. Cum enim ejus legiſſet hiſtoriam, eumque colere privatim, & invocare *ut verum* Chriſti martyrem inſtituiſſet, eundem nunc affirmabat ſibi invocanti perſpicuum adſtitiſſe, ac plane præcepiſſe, ne ſororum cariſſimarum, quibus tandiu conſueverat, ſocietatem dimitteret. Narranti fides eſt habita, ut quam vera loqui perſuadebat ipſa facilitas, qua vinculum perpetuæ incluſionis antea formidatum admittebat.

53. Viſo P. Ogilbæo pridem mortuo ſententiam mutat.

54. Res Gallobelgicæ. Frater ad Sacerdotium aſpirans dimittitur è Societate.

Simile, ac prope geminum eſt, quod eodem anno accidiſſe tradunt uni ex Fratribus rei domeſticæ adjutoribus in Gallobelgica. Vir cætera non malus, deceptus vana pietatis ſpecie, aſpirare cœperat ad Sacerdotium, quod vehementer & enixè poſtulans, non alia moveri ſe affirmabat cauſa, quam ut poſſet quotidie ſacræ Hoſtiæ particeps fieri. Adeo ſua miſero illudebat ambitio. Sæpe illum moderatores admonuerant, ut ſua ſorte contentus viveret, curaretque magis iis florere virtutibus, quæ propriæ ſunt infimi quem elegerat ordinis: in ſuo gradu, ſi vellet, poſſe ad excellentem ſanctitatem conniti: multos inveniri laicos Sacerdotibus ſanctiores, Deoque gratiores. Sed fruſtra omnia. Ut difficile eſt ei errorem eximere, qui decipitur ſpecie recti, nihil his homo vanus tangebatur, nec a priore propoſito diſcedebat. Perſiſtentem itaque in inſania Mutius Generalis, quando reliqua nihil proderant, ejici juſſit e Societate. Vocatur Inſulas, ut ibi litteras miſſionis accipiat, ac veſtem Societatis deponat. At ea nocte, quæ diſceſsum ejus proximè præcedebat, ex improviſo jacenti, nec ſcio utrum dormienti, an adhuc vigili, aſtat luce clara viſendus B. P. Ignatius: truci & irato eum vultu contuetur, malum minatur manu; nulloque facto verbo dilabitur. Viſo tremefactus reſpexit ſeſe miſer, & amentiam damnavit ſuam. Mane ſummo Rectorem adit, narrat quæ acciderint, ejuſque pedibus advolutus, multis cum lacrymis orat atque obſecrat, ne ſe ſa-

54. Idem cœleſti viſo reſipiſcit, & retinetur.

Digitized by Google

ſacramento Societatis exauctoratum dimittat: de Sacerdotio nihil amplius acturum pollicetur. Atteſtanti de nocturno oſtento, neſcio equidem an crediderint moderatores. Hominem certe in reliquis probum, atque laudabilem, tot ejus precibus ac promiſſis exorati, retinuerunt.

56. Franciſcus Montmorancyus in Societatem ſe recipit.

Longe aberat ab illius Fratris levitate vir toto Belgio clariſſimus, Franciſcus Montmorancyus, qui ad nos eodem anno tranſgreſſus eſt. Non eſt facile explicatu, qua omnium admiratione audita ſit talis viri ad Societatem nec opinata tranſitio. Agebat jam ætatis annum circiter quadrageſimum: florebat nobilitate, opibus, honoribus, fama: fuerat Casletenſis Præpoſitus: erat Leodienſis Decanus (quæ dignitas Antiſtiti proxima), & ad ſupremos ſacerdotii gradus communibus votis deſtinabatur. Hæc tamen omnia vir cœleſtium deſiderio ſuccenſus in poſtremis habens; venit ex improviſo ad Tornacenſe tirocinium cum Epiſcopo ejuſdem urbis, quicum erat illi arcta propinquitas, & domeſticorum ingenti numero. Ibi coram Rectore, explicata ratione conſilii ſui, primo Leodienſem decanatum ſolemni formula abdicavit: tum famulis ſupremum vale dicens, omnes rei novitate confuſos, & lacrymis oppletos dimiſit: poſtremo tunicam Societatis latus induit. Poſt aliquot menſes incidit in adverſam valetudinem, exigua, vel prope nulla ſpe melius habendi, niſi ad priſtinam vitæ conſuetudinem reverteretur. Adeo reverti noluit, ut imo diſertè affirmaret, malle ſe ægrotare in Societate, quam extra eam valere. Simul moderatores per Chriſti charitatem rogabat, ad omnia inutilem ne ejicerent: ferrent patienter hominem ordini gravem, haberentque, ſi non loco fratris, at ſaltem famuli: adniſurum ſe, ut cariſſimæ Societati quam minimum incommodaret. Sic ille pro ſua ſingulari modeſtia: quæ quidem eo erat ſpectabilior, quod pluribus jam, & inſignibus Societatem ornaverat beneficiis. Nam & collegio Arienſi dotem ex magna parte confecerat, & Duacenſi donaverat quod ſatis fuit, ut ibi ſeminarium Theologorum inſtitueretur.

57. Ejuſdem in novo ſtatu conſtantia admirabilis.

58. P. Gerardus Vernianus utiliter laborat Duaci, lue ſæviente.

Per hæc Duaci magno invaluerat opere illius morbi vis, qui plures deinde Belgii urbes affligens, uberem noſtris materiam charitatis, & patientiæ præbuit. Magiſtratus Duacenſis, ut ſerpere latius luem peſtilentem vidit, à Rectore collegii noſtri Sacerdotem petiit auctoritate ſpectabilem, non tam ad curandos ægros, quam ad continendam in officio plebem. Ut enim in publicis calamitatibus difficilius exercentur leges, periculum erat, ne laxato legum metu reſpublica turbaretur, & quavis nocentior peſte impunitas delictorum corrumperet civitatem. Petenti datus eſt P. Gerardus Vernianus, vir apud ſummos infimoſque plurimum auctoritate, & gratia valens: qui, ut facile continuit populum, ne tam calamitoſo tempore licentius inſoleſceret; ita continere ſe minime potuit, ne quocunque ſuo periculo obiret languentium ædes, eorum lectis aſſideret, opem quam poterat omnibus præberet. Impavidum faciebat, non ſolum charitas, *quæ foras mittit timorem*, verum etiam periculi experientia. Nam cum ſimiliter antea Namurcenſibus peſtilentia afflatis miniſtraſſet, licet dies noctesque inter ægrotos verſatus, malum nullum contagione contraxerat. Sed nullius eſt interitus certior, quam qui pericula aſpernari didicit. Vernianus, dum nimia fiducia, ac ſui prope ſecurus famulatur ægrotis, peſtem hauſit, qua intra paucos dies extinctus eſt. Mortuo Magiſtratus urbanus bis juſta perſolvi juſſit, præſente ſe: ſemel in æde prætorii: iterum in curiali, ubi fuit conditus. Ejus autem morte, quaſi victima cecidiſſet pro communi incolumitate devota, diceres placatas fuiſſe cœleſtes iras: adeo poſt illam diem Duaci vis morbi remiſit.

59. Idem in obſequio tabidorum piè moritur.

60. Res Angliæ. De juramento, quod à Catholicis exigebatur.

Ex provinciis Belgicis convertimur paululum ad ſocios in miſſione Anglica laborantes, quos poſtea Mutius juſtis de cauſis in ſeparatum provinciæ corpus conjunxit. Erat porro per iſtos dies in Anglia rerum conditio difficilis. Sanguini Catholicorum parcebat quidem Rex Jacobus, ſed in cæteris leges adverſus eos latas ſevere admodum exercebat. Delatorum, perquiſitorum, ſatellitum plena erant omnia. Irrogabatur catholicis Sacerdotibus, ſi qui comprehenderentur,

Digitized by Google

tur, exilium : pœna capitis, si ultra diem quadragesimum remanerent, erat constituta. Plurimi e populo vinculis constricti, spoliati bonis, ad nefarios hæreticorum cœtus abripiebantur. Proceres jurare cogebantur in formulam, sive juramentum, ut ajebant, fidelitatis, quod ne facerent Romanus Pontifex diserte vetuerat. Recusantibus, fortunarum, libertatis, & vitæ jactura erat proposita. Nonnulli, ut Pontifici, & Regi Angliæ, ac sibi etiam utcunque satisfacerent, existimabant, Pauli V. decretum contra juramentum hoc editum, non eandem vim, qua pridem pollebat, obtinere, mutatis rebus, ac circumstantiis: quam mutationem ex eo præsertim capite repetebant, quod Rex significasset, tali juramento id unum sibi esse propusitum, ut civilis obedientia populi, & fidelitas erga Regem muniretur. Verum nec de ea, seu mente, seu voce Regis Jacobi satis constabat, nec in ipsa formula commutatio ulla fuerat facta; sed iisdem omnino quibus antea verbis jusjurandum exigebatur. Præter hæc, ipse ille titulus, qui erat formulæ juramenti præfixus, *Ad detegendos, & reprimendos Papistas*, satis indicare videbatur, plus aliquid exigi, quam merum fidelitatis Regi debitæ vinculum; ut deinde Urbanus VIII. declaravit anno sæculi vigesimo sexto, cum Apostolicis litteris approbaret, renovaretque Pauli V. censuram. His de causis Catholici, quibus parere Romano Pontifici fixum, quidlibet pati malebant, quam secundum eam formulam Regi sacramentum dicere, minime cæteroqui abnuentes eidem obedientiam quam optimo modo præstare, & jurare. Quam multi, viri pariter ac mulieres, ob eam rem ad tribunalia raptati, eversi bonis, in carcere conjecti fuerint, longum esset per partes exequi. Confirmabant eos ad constantiam operarii Societatis, & omnium maximè P. Richardus Blondus, quem consulebant passim Catholici Londinenses, & ob doctrinæ ac sanctimoniæ famam velut magistrum audiebant. Neque vero impensus reducendis ad veritatem heterodoxis labor, quamvis adverso tempore, frustra fuit. Anno uno centum & quinquaginta Ecclesiæ restituti fuerunt. Quo in numero unus quidam inventus, qui olim religionem in ordine præcipuæ sanctitatis professus, deinde utriusque sacramenti proditor, sacrilegis se nuptiis irretierat. Respexit sese miser cohortatione nostrorum, adjutusque ab iisdem opera, atque pecunia, transmisit in Belgium, Deo primum, deinde ordini, unde desciverat, satisfacturus.

61. Aliqui Catholici dubitant, an liceat illud jusjurandum edere.

62. Recusant & bonorum jacturam pati malunt.

63. Plures ab hæresi ad Ecclesiam revocantur.

Ex nostris hominibus, qui erant per Angliam dispersi ad octoginta, & tutis se latebris continebant, duo tantum hoc anno capti, & in vincula conjecti fuerunt, P. Thomas Everardus, & P. Gulielmus Stantonius. Prior Londini in carcere novæ portæ, alter Lancastriæ in custodiam est datus. Accesserat proditione cujusdam scelerati apostatæ tertius, nisi vinctum satellites accepta pecunia solvissent: quod ubi perspexit proditor, seu pudore, seu rabie, sive etiam malefacti conscientia, tantam cepisse dicitur ægritudinem, ut exemplo Judæ laqueo se suspenderit. Duo itidem Patres eodem anno exempti vinculis, & carcerem exilio mutare sunt jussi, Thomas Wortingtonus, & Gulielmus Balduinus. Priorem illum, patria Lancastriensem, jam à duobus annis detinebant in Londinensi carcere, non alio delatum crimine, nisi quod Sacerdos esset catholicus, & diu populares suos doctrina catolica imbuisset. Sed quia carcerem vir egregius in scholam pietatis converterat, auditoresque tot habebat ac discipulos, quot in eo claudebantur Catholici; egit primo Pseudoepiscopus Londinensis, ut pius ille grex, distributis in varias custodias Catholicis triginta, dissiparetur: ac paulo post Wortingtonus, cum non appareret causa, vel crimen satis probrosum ut publice necaretur, exulare coactus est. Balduinum Anglicanæ missioni præpositum, in Belgio tamen commorantem, vulgaverant adversarii Societatis, non modo conscium, sed & participem fuisse celeberrimæ illius conjurationis, quam *Pulverariam* dixere. Ea res cum crederetur in aula Londinensi, nullum lapidem non moverunt Jacobi Regis satellites, ut eum haberent in potestate; habueruntque tandem opera Friderici Comitis Palatini, qui per fines Rhenani Palatinatus iter facientem intercepit, & in Anglia

64. Duo Patres in carcerem conjiciuntur.

65. Alii duo exulare jubentur, & primo P. Thomas Wortingtonus.

66. Dein de P. Gulielmus Balduinus.

Digitized by Google

gliam misit supplicio ultimo afficiendum. At in Anglia jussus causam dicere, etsi minus æqui essent Judices, fictum crimen ita depulit, ut omnium sententiis, & ipso Regis judicio innocens fuerit pronunciatus. Restabat ut liber dimitteretur. Id Albertus Archidux Belgii Gubernator, id Principes alii catholici postulabant. Nihilominus octo ipsos annos in arce Londinensi, tanquam causa nondum finita, detentus est: in eaque contabuisset, nisi Didacus de Sarmiento, Hispaniarum Regis apud Jacobum legatus, eum hoc anno eximi vinculis postulasset hominem, qui publica voce, atque ipsa Regis confessione extra culpam foret. Ita demum eductus est carcere Balduinus, & ex Anglia cum honore dimissus. Prius quam abiret, permissum illi fuit, ut apud Hispanicnsem Legatum palam ac libere diversaretur; abeuntem vero ipse Rex viatico, & cæteris ad iter necessariis instruxit: agnoscentibus cunctis, dari hæc perspectæ viri innocentiæ, atque virtuti, quam in tam diuturno ac duro carcere ipsi laudaverant adversarii.

67. Cujus innocentiam agnoscens Rex, eum retinet in carcere per annos octo.

In Gallia primus hic annus fuit, cum dies anniversaria S. Ludovici regis dierum sacratiorum ritu coli cœpit ex præcepto. Id nuper cum impetrasset a Pontifice maximo Ludovicus XIII., illud etiam sibi faciendum duxit, ut dies toti Galliæ felix & fausta quam splendidissimè, ac religione præcipua ageretur Parisiis, præsente se: qua in re parem magnificentiæ pietatem adhibuit. Non est ut referam de festis ignibus, de tormentorum explosionibus, aliisque id genus lætitiæ publicæ signis, per eam occasionem editis Regis jussu, sumptuque. Quod ad rem pertinet, sacris peragendis officiis delegit Rex templum nostræ domus professæ, quippe S. Ludovico sacrum; utque esset quam ornatissimum, misit è regali sacello magnam pretiosæ supellectilis copiam, & ad præstitutam diem suos ibidem adesse jussit cum instrumentis musicis symphoniacos. Affuit deinde ipse, ejusque celebritatem diei præsentia sua, & pietate insigniter illustravit. Mane cum venisset in domum Professorum, substitit paululum in sacello domestico, peractaque apud P. Arnulphum confessione piaculari, transiit in sacram ædem, ut sacrificio, quod augustioribus cæremoniis celebratum est, interesset cum Regina conjuge, quæ eodem advenerat. Interfuit autem pietate ac modestia tanta, ut multi intuentium a lacrymis non temperarent, omnes silentio & admiratione defixi hærerent. Perstitit eodem precantis habitu immotus quamdiu res sacra acta est, totoque eo spatio temporis nec tantulum visus à precibus cogitationem abstrahere. Semel tantum obvertit se paululum, ut fratrem natu minorem, & adhuc teneræ ætatis, videret ad similem pietatem ac reverentiam compositum. Demum sacram dapem de manu Sacerdotis sumpsit. Hæc horis antemeridianis. Post prandium in eandem ædem cum insigni pompa, ac tota regia familia rediit piissimus Princeps, tum ut adesset precibus vespertinis, quæ solemni Ecclesiæ ritu sunt decantatæ, tum etiam ut concionem audiret, quam de Sancti Ludovici laudibus habuit Pater Joannes Arnulphus, orator excellens, & tunc Regi à confessionibus. Ita porro peroravit Arnulphus, ut ejus eloquentiam, cum eximia prudentia modestiaque conjunctam, laudarent vehementer omnes, ac mirarentur. Præter alia commodissimè dicta, scite admodum diserteque disseruit de benevolentia illa singulari, qua olim S. Ludovicus religiosas familias SS. Dominici ac Francisci tutatus est, & occasione inde sumpta, sermonem deflexit molliter ad nostram Societatem, quam Regi commendavit majorem in modum; ea tamen non solum modestia, verum etiam dexteritate verborum, ut grata Principi, nec ulli quantumvis inimico invidiosa acciderit oratio: quod quidem iis temporibus, atque in eo præsertim rerum articulo visum notabile. Namque, ut cætera hujus argumenti absolvam, vix credibile sit, quanto conatu egerint adversarii Societatis, ut quam dixi celebritatem Rex in alio quolibet Lutetiæ templo peragi, quam in nostro mallet. Hunc præcipuè honorem sibi deposcebat Regis Parochus, utque impetraret, nihil intentatum reliquit. Eundem ad se trahere conabantur, ac prope ut rem sibi debitam postulabant Sacerdotes sanctioris illius sacelli, quod exstat Parisiis

68. Res Provinciæ Parisiensis. Rex celebrari jubet festum S. Ludovici in nostro templo.

69. Ipse celebritatem illustrat præsentia sua, & insigni pietate.

70. Quot artes adhibuerint adversarii Societatis, ut Regis propositum interverterent.

Digitized by Google

a S. Ludovico conditum; cum maximè ſacrum Ludovici caput apud ſe haberent, eſſentque illud ſolemni pompa per urbem devecturi. Iſtorum cauſam egerunt contentione ſumma validi apud Regem deprecatores. Ipſe P. Arnulphus, ut Societatem ingenti eximeret invidia, juſtam ſibi videri eorum petitionem affirmavit Regi, ſed fruſtra: adeo obfirmaverat Princeps benevolentiſſimus ſuam erga nos voluntatem egregiam novo illo, & publico documento teſtatam facere. Ulterius ventum eſt. Pridie ejus diei, in quem ſacra celebritas indicta fuerat, aſtrologum ſubornaverunt malevoli, ut diceret, ſi poſtridie Rex prodiret in publicum, imminere ejus vitæ grande infortunium, quod maligna aſtra portenderent; idque Regi ſignificandum curarunt. Die eodem libellum famoſum ediderunt in vulgus, uſitatis confertum criminationibus, in quo conſpirationes adverſus Principes, & Regum cædes, nullo licet vero exemplo, noſtris hominibus ut quotidiana flagitia tribuebantur. Alii in ſpeciem æquiores, ut Regem à propoſito dimoverent, anguſtias loci, populi confertiſſimam multitudinem, maximos anni calores exaggerabant; ſeque enim vero timere ajebant ejus valetudini, ſi ſe tali die in templum adeo anguſtum conjeciſſet. Sed nihil magnopere profuit: neque enim is erat Ludovicus, qui non perſpiceret incluſam tot artibus invidentiam, & fraudem. Contempſit ex æquo inanes aſtrorum minas, & ſimulatam aſſentatorum ſollicitudinem, eoque die cum apud nos verſaretur, non ſolum pietatem ſolita majorem præ ſe tulit, verum etiam, quod obſervatum eſt, multo quam ſoleret hilarior vegetiorque apparuit.

71. Res Campaniæ. Fundatur collegium Catalaunenſe.

Eodem anno tria de novo acceſſere Societati collegia in provincia Campaniæ, Catalaunenſe, Calvomontanum, & Auguſtodunenſe. Catalaunum urbs eſt in Campania nobilis, ſupra Matronam amnem. Civitatis pars major, & melior Societatem expetebat impenſe, & jam de tradendo nobis gymnaſio ſuo publico cum P. Armando Provinciali tranſegerat. At obſtabant magnarum opum adverſarii, quantumvis pauci; totque interſerebant moras, ut negotium prope confectum, nunquam plane conficiendum videretur. Moras omnes quam citiſſime ſuſtulit anno labente Rex. Comperto enim, ex tredecim Curiis, in quas plebs urbana dividitur, duodecim favere collegio Societatis, hiſque conſentire Epiſcopum, ſacerdotalem ordinem, & nobilitatem fere univerſam; noſtris gymnaſium mancipio tradi, & antiquos poſſeſſores alio traduci juſſit. In hunc modum ſtetit Catalaunenſe collegium, in quo ſtatim erudiendæ teneriori ætati quinque claſſes latinitatis apertæ ſunt. Debuimus beneficium, cum civitati univerſæ, tum Epiſcopo in primis Coſmæ Clauſſe ex Dominis Marchaumontii, viro non doctrina minus, quam generis nobilitate clariſſimo, qui pecuniæ ſummam non exiguam in dotem collegii contulit.

72. Ortus collegii Calvomontani.

Facilius natum eſt in ſuperiori Campania collegium Calvomontanum. Guillelmus Roſe, juvenis eximiæ ſpei, Calvomontani Prætoris filius, cum fuiſſet in noſtrum ordinem cooptatus anno ſuperiore, partem paternæ hæreditatis ſepoſuerat ædificando Societatis collegio. Multum ſane adhuc ad juſtum collegii cenſum deerat: tamen cives illo qualicunque initio delectati, fidenteſque non defuturam ſibi, Deo propitio, rei perficiendæ facultatem, jam tum diploma regium poſtulaverunt de collocanda apud ſe ſtabili in domicilio familia Societatis. Vix impetraverant, cum Galaad de Haut, ejus quem dixi Guillelmi ſororis filius, excitatus exemplo avunculi, Societati pariter nomen dedit, & vectigal annuum collegio perficiendo tranſcripſit. Ædes coemptæ ſunt in optimo urbis loco. Et commodum in his olim ſtruendis ædibus ſenator Calvinianus, quamquam futuræ ſortis imprudens, earum foribus ſacroſanctum Jeſu nomen præfixerat, Societatis inſigne.

73. Auguſtodunenſe collegium conſtituitur.

Paulo antiquiora habuit initia collegium Auguſtodunenſe. Caput Æduorum fuiſſe olim perhibent Auguſtodunum. Urbs plane eſt cum primis nobilis, eamque veſtigia adhuc exſtantia antiquæ magnitudinis haud parum illuſtrant. Huc magno civium ſtudio vocati cum fuiſſent ante quinquennium noſtri, itum eſt ad Regem, ut illis jus domicilii tribueret. Sed quam facile tribuit Rex, tam difficilem ſe præbuit Senatus Divionenſis in regio approbando diplomate, quod ut minus

legi-

Digitized by Google

legitimum rejiciebat. Hinc res in longum extracta. Sed quod dilatum fuerat hactenus, nunc demum cives optime erga nos animati impetraverunt, & immissa in possessionem gymnasii publici Societate, collegium constituerunt.

74. Res Provinciæ Lugdunensis. Disputatio Burgi habita cum hæreticis.

Dum sic provincia Campaniæ, tunc Gallicarum magnitudine & tempore postrema, tot simul accessione domiciliorum augebatur, Lugdunensis novam stationem adipiscitur Burgi in Bressia, quod oppidum latini Forum Sebusianorum appellant. Regionem hanc, prius quam ab Allobrogum Duce Carolo Emmanuele cum Salutiarum ditione commutaretur, aliqua ex parte corruperat superstitio Calvini. Burgi, quod est regionis caput, ut aliqui erant errori palam addicti, ita non adeo pauci inveniebantur, præsertim ex nobilioribus, de veritate solliciti, & fluctuantes in utramque partem. Hic æstus animorum ut sedaretur, placuit audire partium Theologos de controversis religionis capitibus disputantes. Indicta disputatione, adest pro Calvinianis Theodatus nescio quis, doctrinæ laude apud Genevenses apprime clarus. Pro Catholicis vocatur ex Lugdunensi collegio P. Jacobus Gualterus, controversiarum ejus generis experientissimus. Conseritur coram arbitris pugna, cujus is fuit exitus, ut statim audientium quamplurimi errorem Calvini damnaverint. Ea res Burgensibus miram cupiditatem injecit habendi apud se stabilem Societatem, quæ sic pro veritate certaret. Nullam pati moram poterant. Cum nondum esset in promptu unde collegium justæ magnitudinis excitarent, illud celeriter perfecerunt, ut statio paucorum capitum Burgi collocaretur, domumque interea de publico ad habitandum dederunt, & annuum pecuniæ subsidium pro alimentis Patrum constituerunt.

75. Collocatur Burgi residentia Societatis.

Per idem tempus stationi Diensi duo de novo additi sunt operarii, hac imposita lege, ut regionem circumpositam, quæ fere tota erat hæreticorum, obirent. Qui primi obierunt, laboris incredibilem fructum ceperunt. Præter alia bene ac feliciter ubique gesta, pagum integrum ab hæresi ad Romanum cultum traxerunt, divinamque ibi fecerunt rem, ubi quinquagesimo jam anno fieri omnino desierat. Sed inter acta Sociorum memorabile in primis quod gestum est Nemausi. Vir in sacro ordine religionem professus transfugerat ad hæreticos, exceptusque magna gregalium gratulatione & gaudio, in eo jam erat ut communionem catholicam publicè ejuraret in conciliabulo ipsorum. Frequentes jam confluxerant ex locis proximis Calviniani Nemausum, visuri spectaculum impium, & triumphum sectæ, ut gloriabantur, de Ecclesia Romana celebraturi. Mœrentibus ob eam causam Catholicis, aliqui nostrorum alloqui nefarium desertorem studuerunt: uno autem congressu tantum apud eum hortando monendoque valuerunt, ut resipuerit miser, & ab horribili barathro, in quod præceps ruebat, gradum retulerit. Ecclesiæ primo, deinde etiam sacro suo ordini reddidit sese, viam demonstrantibus nostris, ac complanantibus: quo dempta impiis quam male captaverant voluptate, gaudium in cœlo fuisse putandum est.

76. Statio Diensis augetur. Augmenti fructus.

77. Conversio cujusdam apostatæ Nemausi.

Decesserunt per idem tempus provinciæ Lugdunensi duo Patres, exsudatis in vinea Domini laboribus singulariter memorandi, Claudius Baratius, & Stephanus Cussinetus. Hujus posterioris obitum magno prosecuti sunt luctu Vesulienses, præsertim rustici, quibus doctrina fidei instituendis, & quacunque posset ope sublevandis se totum ita devoverat, nullam ut haberet rationem, neque tempestatum (quæ qualescunque essent, iturum in sacras expeditiones nunquam demorabantur), neque valetudinis, qua ut plurimum dubia utebatur. Baratius non vulgare virtutis specimen ab ipso tirocinio dedit. Rejectus enim, nescio quo casu, inter domesticos adjutores, quamquam esset ad Sacerdotium abunde instructus litteris, qualemcunque injuriam æquissimo tulit animo, perrexitque per annos quatuor pistoris, & coqui ministeriis perfungi. Certior factus provinciæ præses, esse Baratio ingenium humanioribus excultum litteris, & altiorum disciplinarum capax, illum quidem e culina nihil tale cogitantem transtulit ad gymnasium, & audire philosophiam jussit Burdigalæ: at per ipsum non stetit, quominus in gradu infimo fratris laici consenesceret. Sacerdos initiatus, vir-

78. Obitus & elogium P. Stephani Cussineti.

79. Et P. Claudii Baratii.

Digitized by Google

virtutes hujus ordinis proprias eximie coluit, nihil tamen remittens de priore demissione, & prompta ad omnes majorum nutus obedientia. Otio nihil pejus oderat. Itaque nec podagræ doloribus, quibus dirè vexabatur, nec senio vinci unquam potuit, ut ullam sibi laborum vacationem quæreret. Una illi voluptas, & vero summa, præsertim in senectute extrema, de rebus cœlestibus vel audire, vel loqui: quod indicabant lacrymæ, ad primam earum rerum mentionem, optimo seni ubertim profilientes. Obiit Dolæ, annos natus prope octoginta.

80. Res Aquitaniæ. Obitus & elogium P. Ignatii Balsami.

Haud minorem sui opinionem reliquit Lemovici P. Ignatius Balsamus, sive, ut aliis placet, Balsamonius, qui tametsi per plures Galliæ provincias traductus, Aquitanæ potissimum adscribendus videtur, in qua annos continenter septendecim, eosque vitæ ultimos posuit. Natus erat in Apulia, regni Neapolitani provincia. Ab Alphonso Salmerone receptus in Societatem, paucos post annos migrare est jussus in Galliam, ex qua amplius non discessit. Turnone humaniores litteras prius, deinde philosophiam, ac theologiam tradidit. Avenione tironum institutioni præfuit. Tolosæ conscientias domesticorum rexit, eandemque præfecturam per annos, uti dictum est, septendecim gessit Lemovici, ubi demum actuosæ vitæ metam attigit postridie Cal. Oct., annos natus quinque supra septuaginta. Vir plane insigni sanctimonia, ut qui conjunctissime semper cum Deo viveret, ac præter præfinitas orandi horas, mentem a rebus cœlestibus fere nunquam averteret. Eminebat ex ejus ore plus pæne dixerim, quam humanus pudicitiæ color, quam virtutem custodiebat adeo solerter & cautè, ut cum tibiam haberet purulento ulcere vitiatam, suis illam curaret manibus, ne a quoquam tangeretur. Par castimoniæ patientia, par afflictandi corporis studium. Præter somni cibique parcitatem, laborem nullum refugiebat ex iis, quibus onerari operarius robustissimus potest: morbos autem, quibus molestissimis laborabat, ac fere perpetuis, ut cœlestis Patris beneficia totidem, certissimaque divini amoris pignora accipiebat. Silentium servabat exacte, in eoque partem domesticæ disciplinæ maximam constituebat. Vulgo ferebatur multis supra usum naturæ donis abundare, erantque qui dicerent, eum sibi esse conspectum aliquando à terra sublimem, & mira luce radiantem. Quarum rerum fama permotus Henricus IV., cum forte ad urbem Lemovicensium divertisset, agnoscere Balsamum de facie voluit, eundemque blande complexus, effari jussit libere si quid vellet. Ille aliud rogavit nihil, nisi ut diem festum S. Ludovici regis curaret à Pontifice maximo reponendum inter dies præcepti religione servandos in tota Gallia. Insignem hominis modestiam & pietatem miratus est Rex vehementer, laudavitque; quod tamen rogabatur, successori suo Ludovico XIII. perficiendum reliquit. In tradendis B. P. Ignatii exercitiis pollebat Balsamus arte præcipua, viditque suo ductu & institutione multos nobilium a solutiore vitæ genere ad perfectionis studia transgressos. Nonnulla etiam scripsit pii argumenti volumina, quæ à studiosis christianæ perfectionis utiliter perleguntur.

81. Res Provinciæ Tolosanæ. Celebris disputatio P. Regourdi cum Daniele Chamerio.

In provincia interea Tolosana multorum sermonibus celebratam invenio theologicam concertationem, quam cum insigni Calvinianorum doctore P. Regourdus habuit Lectoraci, quod oppidum haud longe abest Tolosa. Peracta res est cum ingenti celebritate, & concursu. Primi sectæ gregales Regourdum Tolosa evocatum in certamen provocaverunt, cum eoque commiserunt hominem magni inter suos nominis Danielem Chamerium, qui Montalbani principatum doctrinæ obtinebat. Virum talem in disputando superiorem fore pro certo sumebant heterodoxi, Catholici superandum sperabant. Die constituta, aulam congressibus destinatam ingens omnium ordinum multitudo complevit, Catholici simul & Calviniani, quos ex tota circum vicinia disputationis fama contraxerat. Aderat in editiore loco urbis Prætor Dominus de Fontrailles, cum conjuge, ambo Calvini assecla. Assidebat scriba, ex mutuo partium consensu designatus ad excipienda litteris, quæ utrinque dicerentur. Dies quinque tenuit disputatio. Actum de plerisque capitibus, quæ hæresis Calviniana rejecerat:

Digitized by Google

rat: de converſione panis, & vini in verum corpus, & ſanguinem Chriſti: de cultu Sanctorum: de ſacrarum imaginum veneratione: de expiatoriis poſt mortem pœnis, aliiſque id genus. In ſingulis porro congreſſibus ita exagitatus eſt Chamerius, ita Regourdo ſuccubuit, ut maluerit exitum pugnæ quærere prompta fuga, quam longiore dimicatione ſibi clades multiplicare. Cauſatus itaque opus ſibi eſſe libris, quos Montalbani reliquiſſet, popoſcit paucorum dierum inducias; ſed iis impetratis, abiit non reverſurus, utque multum expectaretur, amplius non apparuit. Et tamen, quæ frons hominis erat, Montalbanum ſubiit jumento laureato triumphantis in morem, hærente ad latera gregalium manipulo, & victoriam gratulante. At dum ille mendaciis, ut poterat, acceptam velare ignominiam ſtudet, Regourdus Lectoraci lætum victoriæ fructum colligebat. Veritatem agnoverunt è Calvinianis bene multi, & ad Eccleſiæ Romanæ ſigna traſierunt. Prætoris uxor præ cæteris catholicam profeſſa eſt, ejuravitque ſolemni ritu hæreſim. Idem haud multo poſt fecit Prætor, licet ea natus familia, qua forte nulla fuerat in tota Gallia Calvino addictior: quod talis viri exemplum omnibus admirationi fuit, & plurimos habuit ſectatores.

82. Diſputationis exitus, & fructus.

Ex provinciis Hiſpanienſibus Bætica miſerat ante quinquennium in Canarias inſulas tres Sacerdotes, Alphonſum Garziam, Franciſcum Aloyſium Mancanum, & Simonem à Turreblanca, ut eſſent Lopio Velaſco inſularum Epiſcopo comites navigationis, & ſacerdotalis muneris adjutores: nunc eoſdem è ſua expeditione reduces accepit. Ne manerent ibi diutius, effecerunt nonnulli aliorum ordinum Religioſi, queſti apud Regem, imminutum iri jus ſuum, ſi Societas ſedem figeret in Canariis. Cæterum quamdiu fuerunt in illis inſulis Patres, ita ſe, & operam ſuam colonis pariter & indigenis probaverunt, ut in magna Canaria, quæ eſt inſularum præcipua, multa eſſet deliberatio de condendo Societatis domicilio, & quidam fundos in alimenta duodecim Sociorum offerrent. Sæpe eos redire in Hiſpaniam cogitantes Ferdinandus de Oſorio regius Gubernator retinuerat vel invitos, propoſita navarchis & navicularíis pœna, ſi quis eoſdem deveheret. At nunc abire juſſos dimittere coactus eſt. Quis vero ejus dolorem explicet ſatis? Argumento eſſe poterunt litteræ, quas ad Præpoſitum Generalem dedit in hæc verba: „ Tandem, inquit, hinc abeunt Patres (nihil enim mihi ad eos retinendos fuit reliquum, quam ut vim adhiberem), atque ita abeunt, ut huic magnæ Canariæ, & ſex reliquis meæ provinciæ inſulis maximum ſui deſiderium, & communem luctum relinquant. In ſummo omnium mœrore nihil ſolatio eſt, niſi certa quæ oſtenditur ſpes, illorum reditu in Hiſpaniam facilius confectum iri negotium, ab omnibus ſummè expetitum, de Societate in his inſulis perpetuo collocanda. Quod niſi nobis hæc fuiſſet oblata ſpes, Patres profecto vi etiam adhibita retenti eſſent. „ Sic ille pro egregia ſua erga nos voluntate. Quæ quidem viri amantiſſimi ſpes ut dilata diu, ut impleta demum fuerit, in loco referemus.

83. Res Provinciæ Baticæ. Expeditio in Inſulas Canarias, ejuſque exitus.

84. Prætoris Canarienſis litteræ ad Præpoſitum Generalem.

Per hæc in Luſitania duo deſiderati ſunt digni annalium memoria viri, P. Petrus Paulus Ferreira, & frater Balthaſar Diaz. Ferreira Malacæ in regno Granatenſi natus, poſt exactam innocentiſſimè adoleſcentiam ſub diſciplina Ven. Joannis de Avila, in Societatem ſe recepit; eratque jam tum humanis diviniſque litteris ita inſtructus, ut datus fuerit ſtatim novo Eborenſi collegio ſacrarum litterarum interpres, quo munere ad plures deinde annos cum magna laude perfunctus eſt. Eum vulgo bibliothecam viventem appellabant, propterea quod memoria valeret incredibiliter, & ſemel lecta perpetuo meminiſſet. Multo tamen ſpectabatur magis religioſis virtutibus, charitate præſertim, manſuetudine, & animi candore quodam ingenuo, quo morem ſibi fecerat, ut ſemper crederet de omnibus meliora, nec facile minus æquis de quopiam ſuſpicionibus locum daret. Poſtremos vitæ annos egit Ulyſſipone, unde ad ſuperos, ut ſperare fas eſt, evolavit III. Idus Junii. Frater Balthaſar Diaz Bracharenſis, cum eſſet antea profeſſione pharmacopola, idem in Societate munus geſſit Eboræ, per-

85. Res Lusitaniæ. Obitus & elogium P. Petri Pauli Ferreiræ.

86. Et fratris Balthaſaris Diaz.

Digitized by Google

perfecitque in eo munere, ut ob industriam & probitatem plurimi fieret. Ferebatur eximia erga pauperes charitate, eaque propter solebat illis sine pretio medicamenta largiri; ratam habentibus ejusmodi liberalitatem moderatoribus, quibus ad liquidum ostendebat, rependi sibi à Deo cum fœnore quidquid in pauperes erogaret. In Africam cum Sebastiano Rege profectus, à Mauris captus, & durissimam servire servitutem coactus, magno ac forti animo miseræ conditionis ærumnas tulit; quodque mirandum magis, inter multiplices vitiorum sordes innocentissimè vixit. Lusitaniæ redditus cum fuisset, jussu Philippi Regis petiit Hierosolymam, sacratiora illa reparationis nostræ monumenta religiosissimè perlustravit, novo demum pietatis ardore succensus Eboram rediit, ubi septuagenario major diem clausit extremum postridie Idus Apriles. Vastante Ulyssiponem dira lue, anno superioris sæculi sexagesimo nono, ægrotis sublevandis se totum impenderat. Exstat ejus vita ab Antonio Franco fuse exarata. Sed ad res transmarinas aggrediamur.

87. Res Provinciæ Goanæ. PP. Emmanuel Ferreira, & Emmanuel de Azevedo Macassarem navigant.

Utque à citerioribus Indiarum provinciis exordiamur, è collegio Malacensi, quod id temporis in Goana censebatur, Patres Emmanuel Ferreira, & Emmanuel de Azevedo, par operariorum insigne, ante annos duos navigaverant in Celebem (est ea Molucarum insularum maxima, quam usitatiore vocabulo Macassarem vocant), fuerantque initio in nonnulla spe rerum feliciter gerendarum. Nam cum illuc paulo ante appulissent mercimonii causa Lusitani negotiatores, Regem nacti fuerant sibi supra quam sperarent propitium, & rerum peregrinarum apprime cupidum, quæ Principis indoles haud temere putabatur magnam facultatem ad propagandam Christi religionem Patribus allatura. Sed lætam spem plus nimio fefellit exitus. Advenas Sacerdotes excepit quidem humaniter & amice Rex; quin eosdem aliquandiu perquam familiariter habuit, solitus ad eos subinde accedere, eorum curiosius lustrare reculas, si quid cupiditatem moveret, sibi petere. At homo nihili, qua animi levitate in illos se effuderat ab initio, eadem se ab iisdem abstraxit, quæ prima se dedit occasio. Neque occasio defuit diu. Vigebat ibi Mahometica superstitio, ejusque sectæ numerabantur in urbe regia antistites fere mille. Hi veriti, ne quemadmodum consuetudine, sic etiam doctrina nostrorum Rex paulatim delectaretur, facto agmine irrumpunt in regiam, & minaci succlamatione illum admonent, ne quam moveat suspicionem Christianæ religionis amplectendæ; Mahometanis enim cum Christiano Principe convenire nunquam posse; nec plura effati discedunt. Ea vox barbarum æquè regni avidum, & regnandi imperitum ita conterruit, ut se statim ab omni commercio Patrum abduxerit. Sensere mutatam erga se Principis voluntatem Patres. Captato nihilominus tempore, illum adeunt denuo, nactique muneribus faciles ad ipsum aditus, post usitatas salutationes, sermonem de Christi fide inferunt. Sermonem vix inchoatum abrupit barbarus: ac se quidem, inquit, Lusitanis amicum antea fuisse, ac porro fore: verum ut patrias religiones cum peregrinis permutet, id adeo indignum videri, ut non sit passurus sibi iterum de ea re verba fieri. Dimissi tam tristi responso Patres facile intellexerunt, nihil spei esse sibi reliquum inter Macassarenses. Nihilo tamen minus Azevedus manere in loco statuit, ne Lusitanis mercatoribus Sacerdotis ministerium deesset. Ferreira vela fecit in Soloriam insulam, Bimam inde, si daretur facultas navis, transgressurus, & Christi nomen inter Bimenses propagaturus. Digresso Ferreira, materies agendi nulla, patiendi vero multiplex Azevedo fuit in promptu. Totos quinque menses ægrotavit graviter, jacuitque in illo barbaro externoque solo egenus rerum omnium, omni humana ope destitutus. Cum adhuc esset morbi reliquiis debilitatus, ecce tibi in portum invehitur navis Lusitana, cum splendida ad Regem legatione, cum litteris, & muneribus ab Indiarum Prorege. Res quam inexpectata, tam læta animum reddidit Azevedo, & spem pristinam excitavit. Rogabatur ea legatione Rex Macassarensis fœdus jungere cum Lusitanis, paciscí jus mutui commercii, & liberam potestatem nostris hominibus facere promulgandæ in suo regno legis Christianæ

88. Favet illis initio Rex, sed mox ob tumultum Mahometanorú alienatur.

89. Remanet ibi Azevedus, & multis conflictatur incommodis.

90. Legatio Proregis Indiarum ad Regem Macassarensem.

quod

quod ſi impetraretur, multæ viciſſim illi, nec contemnendæ utilitates offerebantur. Verum ut cognitum in urbe eſt, quid petens veniſſet Proregis Indici orator, commoveri denuo, ac ferociter tumultuari Mahometis antiſtites. Regem deinde adoriuntur oratione ſubdola, ac mendaciſſima: Luſitanos obtentu fœderis deditionem poſcere: amicitiam nunc, & ſocietatem accipienti, quamprimum ſervitutem impoſituros: his artibus pleroſque in India reges oppreſſos ab illis fuiſſe, ſuis regnis exutos, vel certe coactos tributum pendere; quorum ipſe exemplo doctus niſi conſulat rebus ſuis, ſenſurum brevi, ſed nimis ſero, Luſitanos graviores amicos eſſe, quam hoſtes. Hæc mortalium peſſimi tam alte in Regis animum demiſerunt, ut ille natura meticuloſus & ſuſpicax legationem, nulla re confecta, dimiſerit. Tamen, ut honeſtè facere videretur, leges pangendi fœderis dixit, quas pro certo habebat admittendas non eſſe, quippe indecoras nomini Luſitano, imo etiam impias. Erat in iis primo, ne cui Luſitanorum liceret cum Macaſſarenſibus verbum facere de Chriſti cultu. Deinde, ut ſi quis forte indigenarum Chriſtianam ſuſcepiſſet fidem, eum Luſitani regiis magiſtratibus ad ſupplicium traderent. Quæ cum nec admitti ullo modo, nec audiri ſine ſtomacho poſſent, abiit legatus, & ſecum avexit Azevedum, qui ægrotabat iterum, non ſine ſuſpicione veneni per fraudem dati.

91. Nulla re confecta dimittitur, ſimulque excedit P. Azevedus.

Ferreira interim, tranſiturus ad regnum Bimæ, venerat, uti diximus, in Soloriam inſulam. Erat ibi in ſtatione claſſis Luſitana, cujus præfectus Franciſcus Fernandius, admonitus appuliſſe hominem Societatis, nullum in eo excipiendo genus officiorum prætermiſit. Mirabatur homo militaris animi magnitudinem, alacritatemque viri apoſtolici, qua ad remotas, nec adhuc bene cognitas gentes barbarorum, ſolo religionis propagandæ ſtudio, properaret. Eum ad plures dies hoſpitaliter habuit apud ſe; cumque nulla eſſet facultas navis, biremim ad hunc unice uſum inſtruxit, ut Ferreiram deferret. Diſcedenti autem munera neſcio quæ, quibus conciliare ſibi regem Bimenſem poſſet, peramanter condonavit. Secunda uſus navigatione Ferreira Bimam attigit, quo maxime tempore tres eo pariter advenerant è vicinis inſulis Mahometicæ ſuperſtitionis interpretes, ut Bimenſem, qui cultor Idolorum erat, ad ſuam ſectam pellicerent. Nihil accidere poterat importunius virorum talium adventu. Pervidit incommodum ejus temporis Ferreira, ſed tamen animum non deſpondit. Excelſæ mentis viro, nulliſque terreri difficultatibus ſolito, fiduciam addidere advecti per eoſdem ferme dies legati Prætoris Malacenſis, qui hæc habebant à Prætore mandata, ut ſi daretur Regis alloquendi copia, ejus peterent amicitiam nomine Luſitanorum, cum eoque jus mutui commercii paciſcerentur. Hanc occaſionem ſuam ratus Ferreira, ad Regem ingreditur cum legatis, uſitata ſalutationis officia peragit, munera, quæ ſecum offerenda detulerat, ante ipſius oculos, & procerum explicat. Tum longam orationem exorſus, demonſtrare incipit, quanto præſidio Bimenſibus, eorumque Principi futura eſſet ſocietas Luſitanorum, gentis ubique clariſſimæ, & jam toto orientis oceano dominantis. Nam quos accolarum regum auſuros poſthac ei bellum inferre, quem ſcirent Luſitanorum ſocium eſſe, ac fœderatum? Quas non exſtituras ex tam ſplendida amicitia in rem publicam utilitates? Cæterum, non a Luſitanis, ſed a ſummo cœli terræque Domino legatum adeſſe ſe; nec alicujus terreni regis, ſed veri atque immortalis Numinis amicitiam Bimenſibus offerre. Se divinam ejus legem explicaturum, ſe felicitatis æternæ viam tutam atque unicam errantibus commonſtraturum. Hæc copioſius pro rei magnitudine differentem barbarus vix attendit, totus in contemplatione munerum defixus: nec vero reſponſum ullum dedit, ſed daturum promiſit in diem poſterum. Interim dimiſſi cum Ferreira legati, redire jubentur poſtridie. Hoc medio tempore reſponſum concepit barbarus, quale nulli veniſſet in mentem expectare: adeo fuit ſtoliditatis & amentiæ plenum. Sibi nec Mahomete opus eſſe, nec Chriſto, ſiquidem videret utriuſque cultores, peræque ac cæteros, eſſe mortales. Ferreira parabat de animarum immortalitate dicere; ſed loquentem interfatus ferociter Rex: Tibi vero, inquit;

92. P. Ferreira tranſit in regnum Bimæ.

93. Ingreditur ad Regem cum legatis Luſitanis.

94. Stolidum Regis reſponſum ad orationem Ferreiræ.

Digitized by Google

jam nunc regni mei finibus interdictum esto: & vide sis, ne te lux crastina in hac urbe commorantem inveniat. Cessit necessitati vir prudens, remissaque Præfecto classis biremi in Soloriam insulam, onerario navigio Malacam solvit: parum sane lætus exitu expeditionis suæ, sed tamen laudandus æque, ac si negotium feliciter confeciſſet.

95. Mors P. Emmanuelis Acostæ, ejusque vaticinium.

Magnam Indiæ citerioris partem affligebat hoc tempore sæva morbi vis, cujus pauci erant expertes, licet plurimi convalescerent. In collegio Bazainensi morbo tentati sunt Patres ad unum omnes. Solus occubuit collegii rector Pater Emmanuel Acosta. Ejus vero mors memorabilis, cum ob vitam præclare actam, tum maxime quod eo vix mortuo nonnulla contigerunt, quæ vivens & valens prædixerat eventura. Auditus sæpe fuerat Acosta cum diceret, imminere miseræ civitati diras calamitates, pœnas scilicet criminum, quibus lacessere cœlestes iras non cessaret: se tamen eas nequaquam visurum. Id in privatis colloquiis, id publice pro concione dicere consueverat, tunc præsertim, cum ab extremo die propius aberat. Instinctu plusquam humano locutum sensisse modo Bazainenses. Vix elatus fuerat, cum nigrescere cœpit atris nubibus cœlum, crebris ignibus intermicantibus: mox insolita procellæ vis cum ingenti fragore dejici. Sub noctem coorto vento vorticoso, quem typhonem appellant, mare totum inhorruit, egitque in eam altitudinem fluctus, ut cives metu exanimes urbem crederent eluvione absorbendam. Stabant ad littus in anchoris onerariæ plures, plenæ commeatuum. Omnes vis tempestatis confractas contritasque demersit, magno, ac publico multarum urbium damno, quæ spem annonæ in illis navibus habebant repositam. Nec vero mitius terræ, quam mari turbo ferus incubuit. Ædes, cum intra urbem, tum in agro passim, ventorum impetu dejectæ sunt, aut laxatis murorum compagibus factæ ad habitandum inutiles. Franciscanorum, & Augustinianorum cœnobia funditus corruerunt. Tria maxima urbis templa, itemque domus, & ædes Societatis, vastato tecto, rimas egerunt vix reparabiles. Sed nihil nec aspectu fœdius, nec jactura gravius strage palmarum, quibus abundat regio. Earum multa millia radicitus evulsa fuerunt. Quædam violentia ventorum, ut plumæ leves, per aerem circumlatæ, ac procul devectæ. Omnino speciem agnosceres futuri sub finem temporum excidii omnium rerum. Tanaam quoque, urbem non longe positam, calamitas attigit. Patres collegii Tanaensis, ut sævire tempestas cœpit, uno quasi spiritu acti in sacram ædem convolaverant, pacem superum oraturi. Pietas saluti fuit. Dum ibi simul in precibus pernoctant, ruinam duxit disjectum a fundamentis domicilium, oppresso nemine. Ædificiorum vastitatem excepit paucis post mensibus tanta annonæ gravitas, ut propalam liberi a parentibus venundarentur, & Mahometanis institoribus pretio traderentur. Non tulerunt immanitatem nostri; & quamquam magna rei familiaris angustia perinde ac cæteri laborarent, partim de sua tenuitate resecantes quod egentibus largirentur, partim opulentiorum liberalitatem implorantes, probrosam nundinationem prohibuerunt. Secundum hæc Tanaæ simul, & Bazaini magna est animorum conversio consecuta. Tot enim attriti cladibus cives, sua singuli conscientia interprete intellexerunt, voces eas esse irati Numinis, quibus ad pœnitentiam criminum vocabantur. Confluere proinde ad Sacerdotes cœperunt perfusi lacrymis, ut de criminibus confitentes audirentur: quo demum qualemcunque fortunarum jacturam egregie redemit pietas per eam occasionem excitata.

96. Atrox terra marique clades Bazaini.

97. Par infortunium Tanaæ. Nostrorum charitas, & fructuosus labor.

98. Acta in Æthiopia. Imperator nondum audet palam se pro catholico gerere.

In Æthiopia, post lætam illam fortunatamque victoriam, de qua anno præterito dicebamus, Imperator compositis rebus, & pace supplicio perduellium sancita, majorem in dies spem catholicæ fidei constabiliendæ ostendebat. Sed quamquam privatim Romano Pontifici sacramentum obedientiæ dixisset, nondum audebat tamen abrumpere religionis commercium cum Alexandrinis, & mysteria Romano ritu palam suscipere; tunc primum facturus, cum auxiliarem, quam expectabat, manum Lusitani militis accepisset. Has ferre moras noluit ejus frater Cela-Christus. Quos habuerat veræ fidei magistros, eosdem sacrorum mini-

99. Cela-Christus catholicam fi-

Digitized by Google

miniſtros publice habebat, nullo cujuſquam rei reſpectu, nullo metu deterritus ab aperta profeſſione catholicæ religionis. Quin ſacro efferveſcens ardore, curabat præterea ut idem in Gojamenſi regno facerent omnes, maxime vero monachi, & viri nobiles, quorum magnam eſſe in populo auctoritatem videbat. Multos utriuſque ordinis pellexit ipſe, ut dogma Romanum amplecterentur. Multo tamen plures abſterruit difficultas ex inſolubili vinculo Chriſtiani matrimonii orta. In eam videlicet inſcitiam paulatim prolapſa gens erat, ut conjuges matrimonia ſemel inita fere pro arbitrio diſſolverent. Jus ſumpſerat Patriarcha Alexandrinus cognoſcendi cauſas, ob quas male inter conjuges conveniret: ſi autem viderentur idoneæ, poteſtatem illis faciebat ſcindendi priores nuptias, & alias contrahendi. Id hactenus uſurpatum cum fuiſſet, inde multis obex oriebatur ſane gravis, ne ad catholicas partes tranſirent. Nam nec conjugia ſic male ſoluta repeti ſine maxima difficultate poterant, uxoribus alieni tori jam factis; & vivere in cælibatu, id genti difficillimum. Quibus vero neutrum ex his perſuaderi poterat (& erant ſane multi), ii quantumvis enixe communionem ſacrorum peterent, ad meliora tempora differebantur. Cæterum Imperator ſuæ in rem catholicam voluntatis novum hoc anno documentum præbuit. Hactenus noſtri rem divinam fecerant in ædiculis ex palea ſtructis (qui unicus erat in Æthiopia ædificiorum modus), humilibus, anguſtis, denique tuguriis verius, quam templis. Jam vero pius Princeps, auditis quæ ſubinde Patres narrabant de Europæis baſilicis, earumque magnificentia & ſplendore, deſiderio incenſus eſt ſimile opus moliendi. Res erat admodum difficilis in ea terra, ubi nullus inveniebatur, non dicam architectus, ſed neque cæmentarius, neque lapicida. Tamen P. Paezius, cui commiſſa ædificii cura, ut erat ſingulari ſolertia, aliquid ſibi in eo genere conandum ſtatuit. Locum aptum deſignat in ampla planitie, prope Gorgoranam ſtationem. Æthiopes aliquos, quorum erat quidem ſumma imperitia, ſed par docilitas, & laboris patientia, docet ſecare lapides, dolare ligna, calcem & cæmenta diſponere ad lineam & perpendiculum. Poſtremo admoveri operi manus jubet. Primus templi lapis cum inſigni cæremonia jactus eſt, præſente Imperatore, ac tota regia familia. Certante deinde, ac feſtinante operarum magno numero, ad faſtigium educta eſt moles pro loco non inelegans, & quam nec Europæi contemnerent.

dem & profitetur palam, & promovet.

100. Difficultas mutandæ religionis ex nuptiis male ſolutis.

101. Novum extruitur templum, opere cæmentitio.

Gratum id accidit Patribus. Illud tamen multo gratius, quod eodem tempore novus ad excolendum apertus eſt ager, licuitque ſtatim ex eo fruges uberes ac felices legere. Ad fines regni Gojamenſis, qua vergit in occidentem ſolem, circa fontes Nili ampla excurrit regio, patens in longum millia paſſuum fere ſexaginta, lata circiter viginti, quæ licet maxima ſui parte montuoſa, fertilis tamen eſt, & amœna. Planitiem crebri aquarum rivi a ſummis montium jugis decurrentes ſecant, aluntque humoris copia lætas in agris ſegetes, præſertim millii. Dorſa montium ingentes ſilvæ conveſtiunt, denſis & proceris arboribus conſitæ. Non deſunt uberrima paſcua, unde pecorum aluntur immenſi greges, magno proventu, quem augent apiaria plurima, & valde quæſtuoſa: melle enim potum ſibi parant Æthiopes, eoque inopiam vini ſupplent. Totam illam oram tenent natio barbarorum, quos Agaos nominant, lingua, moribus, & cætero vitæ cultu longe ab Æthiopibus abhorrentes. Tempore de quo ſcribimus, non alia re magis diverſi erant, quam religione. Videbantur illi quidem unum cœli terræque conditorem agnoſcere, quem ſua lingua *Doban* vocabant, nec artefacta colebant ulla. Tamen idololatriæ crimine non vacabant. Nam & capita fontium, & certi generis arbores divinis honoribus proſequebantur, ac præter alias miſeræ ſuperſtitionis inſanias, magicas mirabantur maxime, & in pretio habebant artes, quippe humani divinique juris prorſus indocti; non indociles tamen, ſi fuiſſent per quos docerentur. Sed Æthiopum monachi, penes quos tantum erat dignitas munuſque ſacerdotii, unice de arcenda catholica veritate ſolliciti, de ethnicis ad Chriſtum adducendis curam gerebant nullam, reliquerantque hactenus illam ſoli partem

102. Quæ natio ſint Agai, & quibus moribus vivant.

Digitized by Google

prorsus incultam. Erant Agai ex antiquo fœdere tributarii Æthiopiæ, sed jamdiu nihil pendebant, & quasi longa contumacia immunitatem essent adepti, exactores regii vectigalis arcebant procul, ac propulsabant. Ipsum quin etiam Imperatorem tributum bello repetentem sæpe repulerant. At novissime Seltanus, eorum fines cum infesto exercitu ingressus, tantam illis intulerat cladem, ut si victoriæ cursum prosequeretur, debellare sine dubio posset. Hinc apud Agaos, ut in rebus desperatis, summa trepidatio. Etsi enim Imperator quieverat paulum, & in hyberna concesserat; imminebat tamen cum victricibus copiis, deliberatum habens prodire in aciem denuo, vere proximo ineunte. Una miseris relinquebatur salutis spes, placare, si quo modo possent, iratum Principem, prius quam ad extrema descenderet. Quærentibus deprecatorem idoneum significatur, apud Seltanum valere plurimum auctoritate & gratia Patrem Paezium, neque hunc recusaturum eorum causam suscipere, virum quippe insigniter probum, & cunctis mortalibus benefacere solitum. Nec mora. Quosdam de suis primoribus ad Paezium legant, summis apud eum precibus acturos, ut genti Agaorum pacem exoret a victore Principe. Id si fecerit, nec parvam facti gratiam apud se fore, nec se commissuros, ut beneficii immemores videantur. Sensit Paezius, pandi sibi divinitus ostium ad eam gentem Christo subjiciendam. Legatos igitur comiter exceptos sperare omnia de se jubet. Sui quidem moris non esse ab iis, quibus benigne faceret, quidquam præmii accipere; sed ab Agais accepturum perquam libenter: eos vero satis magnam, & optatissimam porro gratiam sibi relaturos pro beneficio, si vel sibi, vel uni è suis sociis potestatem fecerint diversandi apud ipsos: mentem suam esse docere illos sine pretio, quæ nosse eorum maxime interfit. Responsum ut audierunt legati, vix credibile quanta admiratione correpti fuerint. Perculit barbaros benevolentiæ species ibi nova, & ante illud tempus ignota. Re deinde in communi deliberata, & domum, & sacram ædem, & liberam docendi facultatem magistro Christianæ legis pollicentur. Vicissim Paezius, ad Imperatorem ingressus, demonstrat quanta offeratur facultas propagandæ latius divinæ fidei, quamque è re publica futurum sit, gentem bello egregiam novo, & sacro religionis vinculo cum Æthiopia conjungi. Orat proinde, supplices ne repellat, sed magis veterum oblitus injuriarum, paratos jussa facere in gratiam recipiat. Oranti minime se difficilem præbuit Imperator. Vera dici sensit, iracundiam deposuit, nullaque interjecta mora ministros misit, qui cum legatis Agaorum de conditionibus fœderis paciscerentur.

103. Agai ab Imperatore Æthiopiæ insigni clade attriti.

104. Deprecatorem adhibent P. Paezium ad exorandam pacem.

105. Et locum apud se nostris hominibus pollicentur.

Rebus hoc modo compositis, nequaquam ad Agaos iit Paezius, prohibitus ab Imperatore, qui ægre carere tam caro capite sustinebat. Ejus loco profectus est P. Franciscus Antonius de Angelis, qui Colelæ cum resideret, ab eorum finibus proxime aberat. Dum subit Ancaxam, oppidum regionis primarium, credi vix potest ut commoti ejus adventu sint venefici, qui nimio plus ibi frequentes inveniebantur, quotque artes ad eum submovendum adhibuerint. Præter alia nequiter & maligne ficta, ferunt in vulgus, Sacerdotes Christianorum homines esse diabolo mancipatos, veneficiis & cantionibus deditos, mille nocendi artibus instructos. Pecora, si velint, carminibus sistere, ut moveri non possint nisi post eos, quibus abigenda permittant. Quos oderint, eorum aliis lumen oculorum eripere, aliis artuum stuporem immittere, alios ad insaniam adigere. Si vel unus eorum in urbe sit, nihil ab ejus præstigiis tutum nihil salvum fore: non fortunas, non liberos, non uxores, non eam ipsam, qua superum beneficio fruerentur, communis lucis usuram. His vocibus sceleratí plebem credulam tanto affecerunt terrore, ut excludendum oppido censerent plerique Patrem, nulla habita ratione pactorum, quæ legati fecissent. Sed re maturius discussa, vicit quæ etiam apud barbaros sancta est promissorum fides: nisi forte graviorem ipsis quam venefici metum injecit propinquitas Imperatoris, qui suam duceret injuriam Sacerdoti irrogatam, nec inultam dimitteret. Quæcunque fuerit ratio, Ancaxæ P. de Angelis exceptus est cum honore:

106. Ad Agaos proficiscitur P. de Angelis. Veneficorum artes ad eum excludendum.

107. P. de Angelis inter Agaos confidet, & fructuose laborat.

Digitized by Google

nore: domus eidem, & in uſum ſacræ ædis fanum neſcio quod traditum. Nec multo poſt uſu ipſo agnoſcentes indigenæ, falſâ eſſe quæ de Chriſtiano Sacerdote jactata fuerant, ſe ſuoſque liberos illi erudiendos præbuerunt, multi etiam baptiſmo conſignati fuerunt. Sed de his dicemus alibi opportunius.

108. Res Provinciæ Malabaricæ. P. Robertus de Nobilibus novum genus miſſionis inſtituit inter Madurenſes.

Nunc ad provinciam Malabaricam properantibus occurrit miſſio Madurenſis, materia, quam ſcitu digna, tam pleriſque parum cognita, licet ob controverſias, quæ ſecutis temporibus ortæ ſunt, pervulgata. Earum controverſiarum nos prima veluti ſemina, quæ per hoc tempus concreſcebant, explicanda ſuſcipimus, quæ in noſtris litteris reperiebamus cum fide exponentes, nudamque ac ſimplicem factorum narrationem hiſtorico more inſtituentes, ne illuſtribus monumentis fraudemus hiſtoriam. Madura civitas eſt oræ Piſcariæ, cognominis regni caput, in ea parte Aſianæ cis Gangem peninſulæ, quæ orienti ſoli, & regnis Bengalano, ac Peguano objicitur. Ibi chriſtianam religionem nova quadam ratione propagabat P. Robertus de Nobilibus, gente Italus, patria Politianus; ſeque totum ad regionis mores, quantum ſinere pietatem exiſtimabat, accommodans, indigenas ſibi, & Chriſto conciliare ſtudebat, ut in quinta parte hiſtoriæ fuſius narratum eſt. Quia tamen Indorum aliqui ritus, & cæremoniæ ab eo ſuſceptæ & approbatæ, videbantur theologis quibuſdam domeſticis non expertes ſuperſtitionis, illos habebat ſibi vehementer adverſos. Inde gravis orta contentio, quæ tamen initio extra privatos Societatis parietes non erumpebat. Effudit paulatim ſeſe etiam ad externos: ſed cum Patris Nobilii cauſam defenſionemque ſuſcepiſſent, hinc Archiepiſcopus Goanus, inde Cranganorenſis, quorum eruditio, experientia, probitas omnibus perſpecta; nemo urgere vehementius litem audebat, quæ tam integris judicibus, tam peritis patronis nitebatur. Interim, aſpirante conſiliis bona mente ſuſceptis Deo, miros in ſterili prius ſolo fructus chriſtiana fides & pietas efferebat. Pacem religioni neceſſariam converſio rerum inexpectata perturbavit, cum Philippus III. Hiſpaniæ tunc, & Luſitaniæ Rex Alexium Meneſium Goanum Archiepiſcopum in Europam evocavit. Gravis Indiæ toti accidit egregii Præſulis diſceſſus, cujus exemplis & doctrina religio potiſſimum ſtabat: graviſſimus Madurenſi miſſioni, quæ ſe orbatam potenti patrono vidit. Ut enixius deſideraretur fecit ejus ſucceſſor, vir ille quidem probus, ſed a Societate noſtra, & ab Archiepiſcopo Cranganorenſi Franciſco Rozo, neſcio quibus de cauſis, alienior. Id cum probe intelligerent Goæ qui Nobilio adverſati vehementius fuerant, novum Præſulem ſiniſtris in illum ſuſpicionibus incendunt. Religionem ab eo fœde perturbatam criminantur, inductam ſuperſtitionem, ſanctiſſimas eccleſiaſticæ diſciplinæ leges violatas. Quibus inflammatus Præſul, P. Andream Palmerium Societatis in India Viſitatorem arceſſit, & multa de Nobilio conqueſtus, deliberatum ſibi eſſe renunciat controverſiam de moribus quibuſdam Madurenſibus in jus vocare, partis utriuſque rationes & argumenta cognoſcere: datum ſibi a ſummo Pontifice negotium indagandæ veritatis, ut ea demum explorata, ſententiam ferre Apoſtolica ſedes poſſit. Curabis igitur, inquit, quamprimum huc evocandum P. Nobilium, ut in medio theologorum conſeſſu libere ac fidenter verba faciat. Ad hæc Viſitator, nihil moræ futurum reſpondit, quin adeſſet Nobilius: notam ſibi hominis virtutem ad omnes eventus paratam; ac ſi quibuſdam minus probaretur nova ratio prædicandi Evangelii ab eo ſuſcepta, ejus certe obedientiam ac modeſtiam omnibus probatum iri.

Lib. XVIII. n. 46.

109. Favent illi Archiepiſcopi Goanus, & Cranganorenſis.

Erant adhuc non pauci è noſtris Goæ, qui ſibi perſuadebant, è re religionis fore, ut Evangelii prædicandi munus Nobilio penitus abrogaretur. Illi, poſtquam reſcitum eſt quid Archiepiſcopus præcepiſſet, Palmerium aggrediuntur, eique ſuos de Nobilio ſenſus inſpirant. Onerant immerentem impietatis, ac ſuperſtitionis invidia: ut contumacem, & in prava opinione per ſuperbiam obfirmatum deſcribunt. Quibus ſermonibus ita circumventus eſt Viſitator, ut Nobilii mentionem ipſam auribus animoque reſpueret. Illum interim admonendum curat, ut Goam primo quoque tempore ſe conferat, defenſurus nutantem

110. Novus Goæ Archiepiſcopus ſiniſtris imbuitur ſuſpicionibus contra Nobilium.

111. Eumque ad ſe vocat, ut in conſeſſu theologorum cauſam dicat.

112. P. Palmerius provinciæ viſitator contra eumdem incitatur.

Digitized by Google

tem causam, ac fortasse sententiam contra se ferendam auditurus. Nuncio vulneratus graviter Nobilius, non tamen dejectus est. Mentis optimæ conscientia, Deoque fidens, missionem omnem, & curam Neophytorum P. Antonio Vico sodali suo commendat: ipse ad Archiepiscopum Cranganorensem contendit, Goam inde petiturus. Huic præsuli parebat Ecclesia Madurensis, eaque propter caverat diligenter Nobilius, ne quid eo non consulto susciperet; hunc merito arbitratus divinæ voluntatis interpretem certissimum, tum quia pastorem gentis à Deo constitutum, tum etiam quia rerum Indicarum & consuetudinum longo usu peritissimum. Vicissim Archiepiscopus Nobilii consilia omnia probaverat majorem in modum, dolebatque Goanum antistitem de causa tanti momenti, quam nunquam præsens cognovisset, deterius sentire. Illum ut dedoceret, omnia collegit argumenta, quibus ductus Nobilio auctor fuerat istius viæ præter communem consuetudinem ineundæ. Addidit argumentis testimonia, non è vulgo sumpta, sed e præcipuis Indiæ doctoribus. Demum Goam cum ipso Nobilio proficiscitur. Subeuntem Nobilium visitator Palmerius, non comiter, ut cæteros solebat, sed mœsto, ac minaci vultu accepit, vixque salutatum deseruit: ex quo Nobilius intelligens, occupatum sinistris rumoribus Visitatorem esse, nec sibi datum iri longioris sermonis copiam, scripto convenire statuit, quem voce non poterat. Libellum igitur à se confectum illi offert, valde rogans ut eum legere ne gravetur. Pervolutat illum Palmerius contemptim prius, nec sine fastidio: at nonnullis, quæ cursim præterierat, perculsus, opusculum evolvit denuo, atque attentius. Quid plura? Miratur, mutatur; & ad Nobilii cubiculum accurrens: Ignosce, mi Pater, exclamat, quod te aliter ac debebam acceperim. Deceptus fui scilicet, & hactenus in tua causa nihil vidi. At oculos tandem aperio, & ex hoc tuo libello plane intelligo, optimam esse quam tueris causam. Idem, spero, sentient quicunque illum legent, totque habebis domi posthac patronos, ac defensores, quot habuisti hactenus adversarios. Haud secus atque ille prædixerat accidit. Lucubratione per manus tradita, sententiam mutarunt Patres Goani collegii omnes ad unum; quique Nobilium antea ex aliorum duntaxat relationibus cognitum damnaverant, ejusdem exinde partes miro consensu amplexi sunt. Ex duobus fidei Quæsitoribus, lecto Nobilii scripto, unus neutrarum partium se futurum dixit, cum esset illi antea palam adversus. Alter vero (erat is Joannes Franciscus Almeida) reliquit aperte Goanum Archiepiscopum, a quo steterat hactenus, & Nobilii defensoribus se adjunxit. Solus flecti non potuit Archiepiscopus, cujus demum jussu doctores ac theologi, partim ex religiosis ordinibus, partim e corpore Presbyterorum, unum in cœtum collecti sunt. Acta illius consultationis mox exequemur: prius tamen quod esset disceptationis caput præcipuum, breviter est indicandum.

113. P. Nobilius Goam contendit cum Archiepiscopo Cranganorensi.

114. P. Palmerius visitator ex adversario fit Nobilii fautor.

115. Alii similiter adversarii mutantur.

Erat tunc controversia admodum simplex: nondum enim in tot tamque varia, quæ consecutis deinde temporibus pullulaverunt capita, succreverat; nec illi ritus, de quibus post annos ferme octoginta cognovit apostolicus Visitator Carolus Thomas Turnonius, postea Cardinalis, quosque nuper Benedictus XIV. Pontifex maximus apostolica constitutione damnavit, si unum alterumve excipias, fuerant adhuc in disputationem adducti. Tantum ambigebatur, an usurpari salva religione possent insignia quædam moresque Brachmanum, & Saniassiorum, quorum primi præcipuæ nobilitatis homines sunt in regno Madurensi, alteri pietatis studium peculiare profitentur. Namque ea signa Nobilius, non solum neophytis permittebat suis, verum etiam ipse in indumentis, ac cætero vitæ cultu assumpserat, ut auctoritatem Evangelico ministerio conciliaret apud eam gentem, cui hæc duo in pretio longe maximo sunt, nobilitas, & austeritas vitæ. Signa erant præsertim tria, Linea, Codumbus, & Sandalum, de quibus infra. Prodiit ergo in consessum Nobilius, & rationem instituti sui gravi & prolixa oratione reddidit. Finem dicendi fecerat, cum assurgens innuente Archiepiscopo theologus: Quid fuit opus, inquit, novum isthuc vivendi ge-

116. Conventus Theologorum habetur Goæ. Quod esset tunc controversiæ caput.

117. Nobilius rationem reddit sui instituti, & ad objecta respondet.

Digitized by Google

genus, & brachmanicum cultum aſſumere? Annon ſatis erat argumenta ethnicis, quæ veritatem religionis oſtendunt, proponere? docere illos verbo, & exemplo? Fuiſſet eorum culpa, ſi ſuis in tenebris hærere, quam oblatam lucem ſequi maluiſſent. Sane factum iſtud oportuit, reſpondit Nobilius, ſi modo fieri potuiſſet. Verum ita comparati ſunt Indi Madurenſes, ut ſolis nobilibus auctoritatem & jus docendi tribuant; Europæos vero, niſi ad hanc nobilitatis formam componant ſeſe, differentes ferre non poſſint: vile ſcilicet hominum, ut putant, genus, infame, impurum, urbanitatis omnis, imo & religionis expers. Pranguos propterea, quaſi capite cenſos, & hominum deſpicatiſſimos vocant. Vident enim illos, non ſolum carere his nobilitatis inſignibus, verum etiam cum Pariis, fæce populi, verſari familiariter, cibos honeſtiſſimo cuique vetitos adhibere, aſpernari multa, in quibus poſitam honeſtatem, ac decus vitæ civilis arbitrantur. Inde factum, ut noſtros homines perdiu neque congreſſu, neque alloquio dignos putaverint. Quod ſi contingeret, ut eos aliquando loquentes audirent, mox tanquam gravi piaculo contaminati, corpus aqua purgabant. Erat itaque omnis aditus Evangelio occluſus, æternumque claudendus, niſi alia ejus prædicandi ratio inſtitueretur, niſi deleretur infamis illa, quam Europæo nomini affingebant, labes; niſi denique divinæ religionis propagatores, & adminiſtri gentis civiles mores, nobilitatemque, quatenus ſalva pietate licet, induerent. Omnibus omnia factus eſt Paulus, ut omnes faceret ſalvos.

118. Oſtendit ſe nihil temere in hoc negotio ſuſcepiſſe.

Recte, ſubjecit theologus, ſi ſalva pietate uſurpari mores ethnicorum potuiſſent. Sed quis eos ſuperſtitione inquinatos eſſe non videt? Non vidit Alexius Meneſius, cujus qui appellat nomen, probitatis & doctrinæ nomen appellat, inquit Nobilius. Non vidit qui adeſt coram Archiepiſcopus Cranganorenſis, rerum Indicarum longe ſcientiſſimus, quo inconſulto nihil ſuſcepi. Non viderunt ipſi Brachmanes, tum ethnici, tum chriſtiani, quorum teſtimonia & chirographa penes me habeo, quique una voce conteſtantur, in iſtis moribus & inſignibus nihil eſſe quod religionem ſpectet, meras eſſe nobilitatis, & civilis honeſtatis notas. Non viderunt theologi complures, quorum eſt vobis pietas & eruditio perſpecta. Quos autem, obſecro, debui duces ſequi, quos audire doctores, niſi Primatem Indiæ, niſi meum Antiſtitem, niſi doctiores indigenas, & religionum Indicarum interpretes, niſi theologiæ, & fidei chriſtianæ magiſtros? Fieri tamen id potuit mitiori quadam via, repoſuit alius ex ordine religioſo theologus; neque fuerat neceſſe inſanam illam Saniaſſiorum auſteritatem adoptare, quæ præcones Evangelii minus robuſtos deterrebit in poſterum, & oſtium religioni perinde claudet. Quis enim reperietur, qui vitæ genus adeo durum amplecti, præter te, velit, aut poſſit? Ego vero, inquit Nobilius, confido, ex ipſo tuo ordine plures fore, qui divinæ gloriæ & ſalutis animarum ſtudio nihil difficile, nihil durum exiſtiment. Pudeat nos id æterni præmii ſpe non perferre, quod iſti Saniaſſii gloriolæ, aut lucri cupiditate ducti, tam libenter, ac tamdiu perferunt. Cæterum niſi hæc ſuſcipiatur auſteritas, fruſtra erunt Evangelii miniſtri. Ridebunt Indi, quod ex ipſis audivi non ſemel, ac dicent, religionem ſuam multo eſſe noſtra ſanctiorem, quippe quæ doctores habeat voluptatum, opum, & omnis humani commodi ſplendidos contemptores. At enim, inquis, eorum culpa erit, & damnum, ſi propterea doctrinam cœleſtem reſpuant. Culpa certe illorum, ac pernicies erit: at ſimul erit apoſtolici viri dolor, cui cara ſalus animarum, ſi eas perire videat, quas aliquo ſuo incommodo ſervare potuiſſet.

119. Solvit difficultatem ductam ab auſteritate vitæ.

Nobilium ita perorantem, & varios ex epiſtolis Pauli proferentem locos, interpellavit alius ſacri ordinis religioſus; & in Saniaſſiorum Madurenſium veſtem, quam P. Nobilius geſtabat, jocari illiberaliter aggreſſus: Non legimus, inquit, Chriſtum Dominum ea veſte uſum, quam tu induiſti. Neque Chriſtum accepimus, retulit Nobilius, iſtam geſſiſſe veſtem, quam tu geris. Mutare veſtem nihil vetat, ubi agitur ſalus animarum: atque ita viſum fuiſſe ſum-

120. In veſte Saniaſſii nihil eſſe quod reprehendi debeat.

Digitized by Google

ſummis Pontificibus, ipſorum litteræ, & annalium monumenta teſtantur. Quamdiu noſtri homines in regno Madurenſi ſolita Societatis veſte uſi ſunt, nullus eos putavit audiendos, jacuitque contempta, & ſine honore religio. Ex quo Saniaſſiorum indumenta in me conſpexere, ſponte omnium aures animique patuerunt. Paſtorem ultro ſequuntur oves, quem ſuo vellere amictum cernunt. Satisfecit erudito cœtui hæc oratio. Verum alius, quaſdam illius indumenti partes nominatim carpens, peculiarem quæſtionem movit de Linea, & Codumbo. Eſt Linea ornamenti genus, quo utuntur Brachmanes, aliique in nobilem aliquam adſcripti caſtam, ſive claſſem: plures enim in claſſes dividitur nobilitas Madurenſis, quarum dignitate ac ſplendore prima eſt brachmanica. Conſtat e variis funiculis inter ſe conſertis, qui collo appenſi, a ſiniſtro humero per dextrum latus recurrunt, in modum baltei. Codumbum vocant capillos in ſummo capite artificioſe contortos; idque proprium eſt Saniaſſiorum inſigne. Jam ergo audivi, ait ille, Brachmanes idolorum eſſe ſacerdotes, lineam brachmanicam eſſe ſacerdotii inſigne. Negavit ita rem ſe habere Nobilius, & eos a quibus id affirmaretur, graviter hallucinari docuit. Nullam eſſe propriam Sacerdotum veſtem apud Madurenſes. Ornari linea Rajas, Comatas, alioſque nobilis caſtæ viros, licet nihil affine ſacerdotii habeant, quippe milites, mercatores, & profanis id genus muniis addictos. Atqui Lineam & Codumbum, ſubjecit alter, ſcimus in Goana fuiſſe ſynodo condemnata. Cui Nobilius, ſe quidem decreta ſynodi illius, & eos a quibus fuerant condita, venerari plurimum; ſed illos tamen ita de iſtis rebus judicaſſe, uti fuerant ipſis expoſitæ. Conſultos tunc fuiſſe Brachmanes in Salſettis degentes inſulis, mercatores potius quam Brachmanes, qui Madurenſium librorum ac litterarum ignari, omnia e ſuo ingenio, non ex rerum veritate retuliſſent. Hoc liquido perſpici e Brachmanum Madurenſium teſtimoniis, quæ litteris excepta proferebat. Deinde oratione ac vultu converſo ad Sacerdotes, qui cum Alexio Meneſio nuper Goano Archiepiſcopo verſati fuerant, quique commodum aderant in conſeſſu: Nemini veſtrum, inquit, latet, vocatos ſeorſum fuiſſe ab Alexio Brachmanes præcipuos, qui teſtimonium in Goana ſynodo dixerant: eos autem preſſius, & accuratius interrogatos, cum ſibi ſatis non conſtarent, ad extremum pronunciaſſe, ſibi parum cognita iſthæc eſſe, quippe inter Luſitanos educatis, & ab ora Piſcaria longiſſimè disjunctis. Et meminiſtis, credo, auditum ſæpe eſſe Alexium cum diceret, in iſtis cæremoniis, ac præſertim in brachmanica linea, nihil ſuperſtitionis hærere: quod adeo certum putabat, ut viros principes duos linea inſignitos ſalutari lympha abluerit, & illa pariter ornatum Calecutani regis nepotem ſacro chriſmate confirmaverit. Poſtremo actum eſt loco de Sandalo, quo velut pigmento ſibi frontem perungunt nobiles Madurenſes, ac de lavationibus, quas ſane crebras per diem uſurpare ſolent. Innoxia hæc eſſe contendebat Nobilius. Si quid enim præter ſimplicem uſum earum rerum ſuperſtitioſe fieret ab aliquibus circa tempus, modum, aliaque adjuncta; at non neceſſario fieri, neque ab omnibus, minime vero a Chriſtianis. Sandalum ad merum ornatum allini fronti, quo prorſus modo Europæi pulvere odorato conſpergunt comam. Lotiones ad ſolam corporis munditiem ſpectare, & conſulto omitti interdum a Neophytis, ne viderentur in iis adhibendis, quemadmodum de ethnicis tradebatur, reſpectum habere ad religionem.

121. Nihil eſſe ſuperſtitioſum in linea, & codumbo.

122. Hæc fuiſſe in Goanis ſynodis damnata, nihil referre.

123. De ſandalo & lavationibus Madurenſium.

His ita peractis, Archiepiſcopus colligere cœpit ſuffragia, primoſque loqui juſſit Patres Societatis. Omnium una fuit vox, ſe quidem antea, re nondum ſatis cognita, Nobilii ſententiam privatim ac publice reprobaſſe: at nunc, cauſa penitus explicata, aliter opinari, & religioni ſibi ducturos, ſi pergerent ejus inſtitutis obſiſtere. Aliorum ordinum theologi, partim Archiepiſcopo ſubſcripſerunt, partim profeſſi ſe ſtatum cauſæ ignorare, ſententiam ſuſtinuerunt. Ex duobus fidei Quæſitoribus unus, tametſi neutram in partem valde inclinaret, tamen in Archiepiſcopi ſententiam ivit, eo tantum ſe moveri teſtatus, quod verebatur ne offenderentur Salſettani Brachmanes, ſi quæ negata ipſis fuerant, concedi vi-

124. Quæ fuerint Theologorum ſententiæ.

Digitized by Google

viderent Madurenſibus. Alter, præfatus ſibi ſemper antea Nobilii cauſam diſplicuiſſe, nunc auditis ejus rationibus, probari ait in tantum, ut graviſſimo ſibi daturus eſſet ſceleri, niſi ſecundum ipſum pronunciaret. Presbyterorum plerique, Archiepiſcopi tantummodo vultum atque oculos in pronunciando intuentes, contra Nobilium ſententiam dixerunt. Attamen ex illis, qui octo erant omnino, duo ingenue profeſſi ſunt, nullam ſe unquam operam theologiæ ſtudiis dediſſe. Ultimo dicturus loco erat Archiepiſcopus Cranganorenſis. Vir ſenio, atque inedia debilitatus Primatem rogavit, concilium ut ſibi daret in diem craſtinum. Negavit ille judicium differri poſſe, aut debere. Tum abreptus, ut ipſe affirmabat, ſtudio religionis, contentiore voce in Nobilium invehi: Chriſti crucem, non ethnicæ nobilitatis inſignia viro Apoſtolico convenire; nec vero lineis, aut capillis ad brachmanicæ ſuperbiæ normam intortis, ſed prædicatorum ſanguine propagari chriſtianam fidem. Quæ, & ſimilia locutus, diſcedebat. Abeuntem ſecuti ſunt Presbyteri, ac vix tandem ſummis precibus exorare potuerunt, ut ad audiendam ſententiam Archiepiſcopi Cranganorenſis concilium in diem poſterum reſtitueret. Iterum ergo conſedit cœtus poſtridie. In eo cœtu Cranganorenſis, ſermonem altius exorſus, hunc demonſtravit jam inde ab Apoſtolorum temporibus fuiſſe morem Eccleſiæ, ut inter gentes quas ſibi aggregaſſet, nihil moveret in eo genere rerum, quæ ad ſolam formam ordinandæ civitatis pertinentes, in diverſis locis diverſæ reperiebantur: idque tum maxime ſervari conſueviſſe, cum apparebat, rudes populorum mentes ægre a talibus uſurpandis abduci poſſe. Pluribus de hoc argumento ſcite ac luculenter expoſitis, præ manibus ſumpſit Evangeliorum codicem, ac *Pro ea*, inquit, *quam habeo rerum Madurenſium notitia, perſancte juro, ſigna illa, de quibus nunc agitur, nihil in ſe ipſis habere ſuperſtitioſum, nihil quod non tolerari poſſit, imo etiam debeat*. Talem ita loquentem virum, quem conſtaret rerum Indicarum experientiſſimum eſſe, taciti reſpectabant omnes, atque ii præſertim, qui in contrariam opinionem prius deſcenderant. Sed cum pronunciaſſet Goanus Archiepiſcopus, liberum eſſe, ſi cui aliquid occurreret, in medium proferre, coorti ſunt in Nobilium aliqui ex adverſariis, nec vero rationibus, ſed conviciis impetere illum cœperunt. Nam quo tot honoris phaleras? quo ſpectare titulos, & oſtentatam nobilitatem, niſi ut ambitioni ſerviret ſuæ? aut quod pretium operæ, niſi ut ethnicis perſuaderet, indui poſſe novum hominem, veteri non exuto? Ad hæc Nobilius nihil contra, niſi quod converſus ad Archiepiſcopum: Equidem, inquit, his & ſimilibus parum moveor, probe mihi conſcius, haud alio propoſito veniſſe me Roma, quam ut Chriſtum gentibus prædicarem. Errat profecto ſi quis me adeo dementem putat, ut cum adducere alios velim ad veram fidem, ab ea ipſe deſciverim. Nulla me nominis, nulla honoris ambitio movet, quarum rerum ſemel antea ſpe dimiſſa, deſiderium in totum abjeci. Hæc alii ſequantur, ſi quibus cordi ſunt. Mihi ſumma votorum eſt in extremo terrarum angulo, poſt infinitos labores, vitam hanc pro animarum ſalute profundere. Nihil horum æquis accepit auribus Archiepiſcopus: ſed ad extrema verba, ſupra quam credi poſſit commoveri viſus. Etenim quia monachum prima ætate profeſſus, ferebatur (credo equidem falſo), ſed tamen ferebatur, haud prorſus ſine ambitu ad infulas perveniſſe; id ſibi a Nobilio tacite exprobratum putavit. Itaque dolorem non diſſimulans, quiritanſque ſibi ab homine arroganti & inurbano convicium fieri, conventum dimiſit. Falſam fuiſſe Archiepiſcopi ſuſpicionem teſtabatur deinde Nobilius, perſancte affirmans, nihil ſibi auditum aliquando de tali re. Collecta poſt hæc omnium ſuffragia Archiepiſcopus Romam tranſmiſit mari, unaque Sacerdotem properare terra juſſit, qui Pontificem, Cardinales, & Mutium Generalem contra P. Robertum de Nobilibus accenderet, imbueretque animos ſiniſtris ſuſpicionibus, quæ hærent altius, cum primæ ſunt, & a præſente jaciuntur. Sed quid Roma de iſtis rebus decreverit, dabimus poſt annos tres. Utinam non aliæ ſubortæ eſſent poſt hanc contentiones, aut ejuſdem ſaltem indolis & conditionis fuiſſent.

125. Archiepiſcopus Goanus acriter invehitur contra Nobilium.

126. Archiepiſcopus Cranganorenſis pro Nobilio ſententiam dicit.

127. Conviciis impetitur P. Nobilius.

128. Ejus oratio ad Archiepiſcopum Goanum.

129. Qui offenditur ob falſam ſuſpicionem.

130. Et ſuffragia Romam tranſmittit.

Digitized by Google

131. Res Sinicæ. Xinus furere pergit contra Christianos Nankini.

Interim in Sina, post sævam illam tempestatem, de qua anno præterito dictum, respirare nonnihil cœperat christiana religio, & sin minus libertate pristina, tolerabili saltem conditione fruebatur. Fortunæ melioris initium fuit scelerati Xini pœna, quæ non lento illum pede secuta est. Post ejectos, ut narratum est, Patres, gloriabatur improbus, sua tantum opera & industria excisam esse superstitionem ab ultimo occidente nuper in Sinas invectam, ejusque ne ullæ supereſſent Nankini reliquiæ, neophytos atrociter infectari pergebat. Sacram ædem evertit: domum Societatis vendidit: libros, imagines, monumenta reliqua Christianæ pietatis, ante palatii sui fores in cumulum congesta, combussit: divinam denique legem infami edicto proscripsit. His intentum tot, tamque acerbi afflixerunt casus, ut nisi esset omnino obcæcatus, cœlestem animadversionem ad liquidum videre debuerit, ac resipiscere. Conciliare sibi falsa numina studuerat vexanda Christi religione, ut prolem masculam dudum expetitam ab iis impetraret. Quo die pedem Nankino extulerunt Patres, filiam ejus unicam, spem domus, ac delicias parentis morbus invasit, Bonziisque omnibus frustra se discruciantibus, precesque ac sacrificia ingeminantibus, extinxit. Scripserat superbissimas ad Imperatorem litteras, quibus legem Christianam industria ac vigilantia sua depulsam ab imperio, & in suum retrusam occidentem significabat. Præmium ob eam rem, aut certe commendationem cum expectaret, ne responso quidem dignatus est: quo contemptu nullum est supplicium Mandarino gravius. Præterea cum ambiret Colai dignitatem, ingentibusque donis, & pecunia munitus perrexisset in aulam, ut quod probitatis commendatione non poterat, nummis, & venali procerum gratia obtineret; repulsam tulit, oppressus odio publico, & crudelitatis infamia: quæ res adeo probrosa in Sina ducitur, ut quibus contingat, ii se statim abdicare magistratu soleant, satius arbitrantes honorum cursum abrumpere, quam turpiter in ejus medio hærere. Id ille quidem, ut erat perfricti oris, non fecit: sed tamen repulsæ ignominiam non ferens, secessit paulisper in patriam suam Hamceum; ubi tametsi plures sciret versari Patres sub patrocinio Michaelis Mandarini christiani, & celebrari cœtus neophytorum videret, ne hiscere quidem ausus est. Per hæc Christiani Nankinenses hoste crudelissimo, saltem ad tempus, liberati, pietatis pristinæ studia placide ac tuto coluerunt. Qui vero remanserant in aliis imperii provinciis homines Societatis, ad solita se munia retulerunt; pari quidem atque antea alacritate, minore tamen pompa strepituque, ne veluti redivivus, uti postea contigit, Xinus, aut alius Xino similis ad eos divexandos exsurgeret.

132. Pœnam impietatis non unam pendit.

133. Eo demum quiescente religio respirat.

134. Libri editi ad defensionem Christianæ legis, & Patrum.

Ejus porro ad infringendos impetus nonnihil valuit libellus apologeticus, quem P. Didacus Pantoja, priusquam Pekino abiret, conscripserat. Vulgatum est ab Xini adversariis scriptum istud, quo cum impacta Societati crimina apertis rationibus refellerentur, recruduit apud plerosque invidia nefarii nebulonis, qui homines prorsus innoxios tam indigne crudeliterque vexasset. Ejusdem argumenti scripta alia super alia ediderunt Doctores Paulus, & Leo, tum ut diluerent conjectas in Societatem calumnias, tum vero, & maxime, ut sanctitatem divinæ legis assererent. Ausus quin etiam est Paulus libellum conscribere, in quo proponebat hanc Imperatori conditionem. Darentur sibi duæ civitates, una Christianorum legibus, altera Bonziorum vel optimorum institutis gubernanda: nisi hanc illa morum probitate longissime superaret, nullam se pœnam deprecari. Sed ejusmodi sponsione neutiquam opus erat, cum in omnium oculos per se christiana virtus incurreret. Specimen egregium præbuit juvenis præstanti forma, quem Mandarinus liberis suis moderatorem dederat, exceperatque inter domesticos, ac familiares. Ejus pudicitiam expugnare verbis, & blanditiis tentavit diu puella ejusdem familiæ, sed frustra. Demum nescio quid muneris obtulit. Accepit castissimus juvenis; at adhærum recta detulit, rogans ut procacis ancillæ libidinem coerceret, quæ si molesta sibi esse pergeret, ajebat se alio migraturum. *Immo*, inquit Mandarinus, *te domi meæ libentius vi-*

135. Christiani juvenis pudicitia experimento probata.

Digitized by Google

videbo posthac, & habebo in loco filii. Quidquid finxit puella, fecit auctore me. Periculum Christianæ legis facere volui. Jam credo famæ, quæ de vobis percrebuit. Vive istis porro moribus, quorum nihil simile inter nos est. Hoc tam illustri facto, aliisque ejusdem generis, quæ tunc passim celebrabantur, magna erat inter Sinas christiani nominis opinio, magna dignitas. Hinc tametsi Patres abstinerent publico, & occulte, ut tempori congruebat, opus evangelicum facerent, hoc ipso anno adultorum amplius bis centum & septuaginta baptismo initiaverunt.

136. Res Japoniæ. Martyrium trium Christianorum in regno Chicungensi.

Sed virtutis exempla multo clariora vidit eodem anno Japonia. Et opus sane erat non vulgari virtute in tam atroci Christianorum insectatione, quæ vehementius in dies invalescebat. Longum esset omnia persequi: nonnulla tamen ad specimen indicabimus. Cianangavæ, quæ Chicungensis regni primaria civitas est, ante duos annos detinebatur in squalenti carcere Paulus Tarobiojus, vir excellenti virtute, opibus idem, & genere illustris, alumnus Patrum, & in Evangelio tradendo adjutor. Vinculorum non alia causa, nisi quod copia dicendi multum valens, exagitare Bonzios, eorumque deliramenta discutere consuevisset. Accidit ut in eandem conjicerentur custodiam, nescio quod ob crimen, juvenes duo secta Giamambusei. Hac secta nulla deterior, ut cui unum est numen Diabolus. Pauli cohortatione, & sermonibus brevi mutati sunt juvenes usque adeo, ut Christum amplecti, & acceptam in baptismo fidem glorioſa nece sancire non dubitaverint. Fuit autem genus mortis atrox, & crudele. Ruit in carcerem scelerata Giamambuscorum cohors cum cymbalis, sistris, tubis horribilem in modum personantibus. Ipsi energumenorum ritu furunt, ululantque. Scires a diabolo, & furiis tartari concitatos. Juvenem utrumque invadunt: pertrahunt ambos in patentem extra urbem campum, vivos post sexcenta verbera infodiunt humo, pectore tenus: tum vero sævire saxis, donec crudeliter comminutos, canibus devorandos objecerunt. Quarto post mense illustres discipulos consecutus Paulus, famem, sitim, frigora, alioſque cruciatus pertulit, ac demum capite amputato ad coronam immortalitatis evolavit. Simili constantia mortem, & morte prope ipsa acerbiores cruciatus oppetiere Christiani plures, quorum indicem non teximus, ne justo longiores simus. In regno Bungensi, cujus fines non latissime patent, necati pro Christo sunt paucis mensibus neophyti septem & triginta. Cum raperentur alii ad crucem, alii ad rogum, alii ad alias suppliciorum formas; ecce tibi mulier accelerare cum infante bimulo. Quærentibus, quo tam propere tenderet? *Ad necem*, clamat, *ad cœlum*. Capitur, ac professa palam Christum, capite minuitur ipsa, filius parvulus jugulatur. In regnis Nagateno, & Suveno Moridonus imperitabat, veteri in Christianos odio, & recentibus Xoguni litteris ad eorum perniciem incitatus. Brevi spatio vivos combussit quatuor, duobus cervices fregit: ut nihil de aliis dicam, quos aut fortunis evertit, aut in exilium compulit, aut nudos ad ignominiam per frequentiora oppida circumduxit. In aliis Japoniæ regnis, pro indole & voluntate regulorum, durius mitiusque cum Christianis actum. In Voxuano Rex Idates Masamunes, cum esset ipse nullius religionis, nihil pensi habebat quam alii profiterentur. Christianis quidem certe molestus non erat, solum exigens ut sua sacra clam facerent, idque metu Xoguni. Quin homo vafer eorum patronus & fautor existimari cupiebat in Mexico, & in Europa, spe commercii ductus, cujus pridem causa legationem ad Philippum Hispaniarum Regem, Paulumque Pontificem miserat. Degentes itaque, desudantesque in suis finibus Patres Hieronymum de Angelis, & Didacum de Carvallio, nulla molestia afficiebat.

137. In regno Bungensi necantur Christiani triginta septem.

138. Necantur alii sex in regnis Nagateno, & Suveno.

139. In Voxuano nulla molestia afficiuntur, & quare.

At Nangasachii, tametsi adhuc permitteretur oppidanis Christianæ fidei professio, contra ejus magistros, & horum hospites, multo quam alibi atrocius sæviebatur. Demandata nuper fuerat civitatis præfectura Conrocuo, homini omnium pessimo; eique Rex denunciaverat, ut si capiti suo cautum vellet, videret diligenter, ne vel unum religiosorum intra fines suæ ditionis latere sineret. Ea denunciatio stimulos addidit currenti. Conrocuus, vix inito magistratu, duo-

140. Novus Nangasachii Gubernator Christianos tredecim vivos comburit.

Digitized by Google

duodecim Chriſti cultores flammis immitibus addixit : imo tredecim , ſi adnumeretur fœtus gravidæ mulieris , utero jam ſeptem menſibus incluſus. Hanc illis barbarus irrogavit pœnam , quod hoſpitium religioſis hominibus præbuiſſent.

141. Ejus artes ad detegendos latentes in urbe religioſos.

Omnes deinde induſtriæ nervos eo intendit , ut PP. Matthæum de Couros , Carolum Spinulam , Franciſcum Vieram , Chriſtophorum Ferreiram , & Joannem Baptiſtam Baezam comprehenderet : non enim ignorabat latere illos interdiu , noctu vero prodire ſuis e latebris , & urbem concurſare ad confirmandos in fide neophytos. Eo conſilio ad viarum omnium capita diſponit excubias , ſuiſque ſatellitibus negotium dat , ut ad oſtia domorum adrepant noctu , & quis , unde , cur efferat pedem , cognoſcant . Solus in manus exploratorum incidit P. Carolus Spinula , cum ſocio Fratre Ambroſio Fernandio. Deliteſcebat Spinula in anguſta Georgii cujuſdam Luſitani domo . Lictores , ſive caſu , ſive dato indicio , faciunt in illam impetum Idibus Decembris , hora una ante mediam noctem ; effractiſque ex improviſo foribus , in exiguo conclavi Fernandium opprimunt . Excitatus inſano lictorum ſtrepitu Carolus , qui brevem in interiore cubiculo capiebat ſomnum , ſurgit , & in genua procidens , divinæ ſe totum voluntati victimam voluntariam offert . Exibant læti præda ſatellites , neminem præterea latere in iis ædibus rati , & cum Fernandio Georgium quem dixi hoſpitem abducebant : cum unus ex ultimo agmine circumſpectans , ut fit , & obvia quæque pertentans , cubiculum aperit , in quo preces Carolus fundebat. Tollit clamorem . Accurrunt alii , injectaque reſte multiplici , alacrem , ac ſuperis ingentes agentem gratias vinciunt. Vincula tam arcte adduxerunt , ut in ejus manibus pedibuſque lividæ funium notæ diu hæſerint . Inde ad Gubernatorem vinculis onuſtus ducitur. Juſſus nomen , patriam , vitæ inſtitutum renunciare , Sacerdotem Societatis ſe eſſe profitetur , quod ut ipſo amictu teſtaretur , afferendas ſibi veſtes Societatis curaverat. Quærit Conrocuus , quo pacto , cur , ubi remanſerit in Japonia ? Reſpondet Carolus , nihil eſſe negotii latere in tam frequenti populo. Ubi tamen latuerim dicere , meum non eſt , nec fas , inquit , ne cariſſimis hoſpitibus exitio ſim . Cur latuerim , ignorare non potes. Eadem mihi & veniendi in Japoniam , & in ea latendi cauſa fuit , æterna Japonum ſalus , de qua me diſſerentem ipſemet audiviſti non ſemel ante irrogatum nobis exilium . Non ſalutem Japonibus , ſubjecit Gubernator , ſed iis qui vos receptant certiſſimam affertis perniciem. Nos vero , retulit Spinula , enitimur quantum fieri poteſt , ut nemini quidpiam periculi damnive afferamus. Invitati ad eos accedimus , qui opera uti noſtra volunt. Siquid interim exitii corporibus affertur , aut ipſorum , aut noſtris , facilis hæc jactura , & levis eſt. At enim , inſtat Conrocuus , non neſcis Imperatorem omnino prohibere , ne in imperio ſuo conſiſtatis : cur morem gerere detrectas ? Cui Carolus : Quæſo , quid ageres , ſi tibi regulus quiſpiam , quales in Japonia plurimi ſunt , nonnihil mandati daret ; contra vero Xogunus ſummus Imperator aliud præciperet? Utri morem gereres ? Simillima eſt cauſæ noſtræ ratio . Huc miſit nos cœli terræque Dominus , & Evangelii ſui inter Japones promulgandi provinciam nobis dedit. Vetat Japoniæ Rex , ſummo illi Regi nec dignitate , nec potentia comparandus. Utri parere nos æquius eſt? Multa in hanc ſententiam elocutus , ipſum Gubernatorem ad cognoſcendam Dei legem , & amplectendam cohortari non dubitavit. Adeo corporis vincula nihil in eo libertatem ſpiritus imminuerant. Interim adducuntur alii duo ex ordine Prædicatorum religioſi , quos pariter Conrocui ſatellites vinxerant . Cum eadem illi per interpretem reſpondiſſent quæ P. Spinula , edixit judex , ut ſimul omnes Omuram deportarentur , ibique in vinculis attinerentur. Mari devecti ſunt Omuram , deducentibus uſque ad navim ſumma frequentia Chriſtianis Nangaſachienſibus , multumque complorantibus. Eos Spinula , quippe unus japonice ſciens , apta oratione conſolari ſtuduit. Suzuta appellabatur locus religioſorum carceri deſtinatus. Eum locum viri fortes ut conſpexere propius , unum de ſacris carminibus præcinuerunt : utque in eodem ergaſtulo cuſtodiebantur ab uno anno alii duo re-

142. Capitur P. Carolus Spinula , cum Fr. Ambroſio Fernandio.

143. Trahitur ad Gubernatorem, & rationem reddit profeſſionis ſuæ.

144. In carcerem Omuranum mittitur.

Digitized by Google

religioſi, alter e S. Dominici, alter e S. Franciſci familia; ab his cantus excipitur intenta ac læta voce: quibus viciſſim cum reſponderent illi qui ſubibant, carmen totum alternatim ſuaviterque canendo peractum eſt, donec alteri alteris in conſpectum ſunt dati, & facta colloquendi copia. Quis hic gratulationes mutuas, quis erumpentes præ gaudio lacrymas, quis amplexus explicet? Diceres, non barbarorum carcerem iſtum eſſe, ſed veſtibulum patriæ cœleſtis: tot certatum hinc inde eſt benevolentiæ, & charitatis officiis. Quatuor annos in Omurenſi cuſtodia egit P. Spinula, quibus in continua veluti morte tranſactis, ad extremum combuſtus eſt. Citius e corporis, carceriſque vinculis exceſſit Fr. Ambroſius Fernandez. Sed de utroque ſermo redibit ſuis locis.

145. Lætitiæ ſigna in aditu carceris, aliis occurrentibus religioſis.

Conrocuus interim his nequaquam contentus vinctis, nihilque dubitans alios latere in ſua civitate Sacerdotes, inveſtigandi ſollicitudinem intendebat. Præ omnibus inſidiabatur Patri Matthæo de Couros, quem a proditoribus acceperat noſtrorum omnium præpoſitum, & Epiſcopatus Japonici adminiſtratorem eſſe. Namque ita poſt obitum Epiſcopi Ludovici Cerqueiræ conſtitutum fuerat diplomate Pauli V. Pontificis, ut donec illi datus eſſet ſucceſſor, quicunque foret in Japonia Provincialis Societatis, idem Epiſcopi obiret vices. Illum itaque unum totis cubilibus venabatur; ut mirum ſit occultari tandiu potuiſſe hominem Europæum, pleriſque de facie notum, a multis paſſim adiri ſolitum, cum præſertim magna eſſet propoſita merces, ſi quis eum detegeret, magna item pœna, ſi quis occultari uſpiam ſineret. Effugit feliciter Courus tot perquiſitorum manus atque oculos, abditus in intimum cavum, ſeu verius ſepulchrum tugurii Japonici, ex quo per dies quinquaginta pedem nuſquam extulit, adeo ut in mortuorum numero cenſeretur. Hæc illum fama ſervavit. Perquiri enim deſiit ut vere mortuus, ſeceſſitque interea in Arimæ terras, unde noſtrorum gerere curam per litteras, & Chriſtianos itidem epiſtolis moderari non ceſſavit, donec poſt annos quatuordecim optatum laborum finem ac præmium, ut alibi referemus, invenit. Non ille tamen ſolus, Deo protegente, ſervatus ab immaniſſimi Gubernatoris inſidiis. Qua nocte deprehenſi fuere P. Spinula, & Frater Ambroſius Fernandez, latebat in vicina caſa P. Franciſcus Viera viſitator. Ad clamorem ſatellitum, continuo in publicum exilit cum ſocio P. Chriſtophoro Ferreira, minus de ſua vita ſollicitus, quam de capite ſuaviſſimorum hoſpitum, quibus erat pereundum, ſi apud eos captus foret. Elapſus per tenebras, & viarum nota divortia, conjicit ſe prima luce in ſcapham, & maritimam oram legit. Hiems erat aſperrima, horrebat procellis mare. Non auſus tamen in littus exſcendere, vim omnem & acerbitatem duriſſimæ tempeſtatis in aperta cymbula diebus quadraginta pertulit: quibus incommodis fractus cum appuliſſet Macaum, ibi diem obiit extremum. Conrocuus, hunc alioſque ſibi ereptos dolens, furit, & novas artes excogitat. Primo ſingulis familiarum patribus edicto denunciat, ſiquis vel Religioſum ullum, vel Dogicum (ita Catechiſtas nominabant) hoſpitio recepiſſet, illum cum liberis & conjugibus igne periturum. Principes deinde civitatis ſacramento adigit, ne quem eorum occultari uſpiam ſinant: & ne inſcientiam excuſare aliquando, aut oblivionem poſſint, jubet ſingulos in id obligare ſuam fidem chirographo, quod ipſorum ædibus publice affixum ſemper obverſaretur oculis, & a ſubeuntibus legeretur. Neque id ſatis. Ut præmiis alliceret quos terrore vincendos non ſperabat, crumenam appendit in publico urbis foro cum denariis mille & quadringentis, addito ad latus ſcripto, quo indicabatur, tradentibus aliquem ex Chriſtianæ religionis miniſtris id præmium fore. At cum eſſet neceſſario cuſtodiendum, ne clam ſurriperetur, argentum ita propoſitum, ejuſque cuſtodiendi curam Prætor Chriſtianis injunxiſſet; nemo inventus, qui non provinciam illam reiiceret ut indignam: profitentibus diſerte cunctis, mori ſe citius malle, quam id præſtare, unde divinæ legis miniſtris infortunium evenire poſſet. Ob eam rem capti ſunt Chriſtianorum nonnulli, quos cum ſatel-

146. Gubernatoris curæ in inveſtigando P. Matthæo de Couros.

147. Latet per dies quinquaginta, ac demum aufugit.

148. P. Franciſcus Viera ſe recipit Macaum, ibique moritur.

149. Gubernatoris nova edicta, ne occultentur Religioſi.

150. Delatoribus præmium proponit, ſed fruſtra.

Digitized by Google

tellites dirum in modum protererent, nulla est eorum audita vox, nisi bene secum agi, quod talia pro Christo paterentur.

151. Res Philippinarum. Patres Manilani repullulantem superstitionem exstirpant.

Ex ultima Asia prius quam in Americam transmittamus, leviter attingendæ sunt nobis Insulæ Philippinæ, in iisque nonnihil immorandum. Materiam laboris insolitam dedit Patribus Manilanis allatum hoc anno diploma Pauli Pontificis, cum amplissima delictorum venia iis concessa, qui rite sacra percepissent. Egressi per hanc occasionem ad circumpositam late regionem Patres, nefarium hominem detexere, qui fraudulentis artibus Neophytos ad superstitionem pristinam retrahebat. Nam cum frequentes ibi sint apri, & ex proximis delapsi montibus depasci fruges in agro pubescentes soleant, ad eam pestem arcendam impius circulator populares monebat, ut lunam veteri ritu colerent, idque jam multis, quippe rudibus, & a superstitione recentibus persuaserat. At ii nunc, cum viderent suas ut ante segetes ab infestis belluis perire, se insigniter elusos arbitrati, vanum præstigiatorem detulerunt ad Patres, quorum effectum industria, ut malum non ultra glisceret. His laboribus feliciter immortuus est Manilæ P. Franciscus Calderonius, operarius impiger, natione Castellanus, qui post excultum per annos ferme triginta agrum Japonicum actus in exilium, ante annos quatuor venerat in Philippinas. Eum ferunt in pelliciendis ad fidem ethnicis vix parem habuisse; quod tamen non magis voce & industria, quam exemplo vitæ præstabat: cunctis sibi facile persuadentibus sanctam esse religionem, quæ tantæ sanctitatis præconem & ministrum haberet. In Philippinis cum esset sociorum omnium præses, quippe provinciæ Visitator, sæpe ut novitius moderatores ordinis inferioris adibat, ab iisque leviora quædam sibi permitti rogabat, obediendi studio. Nihil illo pauperius: nihil eidem paupertate dulcius. Præter pios aliquot libellos, & paucas Divorum reliquias, nihil habebat apud se; atque has etiam reculas deferebat identidem ad Rectorem, easdemque recipere ex ejus manu, ut sibi commodatas, gaudebat. Plures quotidie horas cœlestium meditationi dabat, nec fere surgebat a precibus, nisi fletu madidus, & sacrum spirans ardorem, quem deinde etiam in alios diffundebat. In morbo extremo palam professus est, nunquam sibi venisse in mentem opinari, tam dulce esse mori. Præ cunctis cœlitibus religione præcipua colere consueverat S. Barbaram. Eandem, quod visum multis notabile, paulo ante obitum sortitus est mensis Patronam, & ejus die anniversaria placide expiravit, pridie Nonas Decembres, cum annum decurreret vitæ septuagesimum primum.

152. Mors & Elogium P. Francisci Calderonii.

153. Procacis feminæ libido subito terrore compescitur.

Cæterum in Insulis Philippinis, etsi optime constabilita religio videretur, non deerant, ut in reliquis terræ plagis, nocentes tribuli, lappæque lætis frugibus intermixtæ. Exstiterunt hoc anno exempla in utramque partem memorabilia. Juvenis fuit circa Manilam pudicitia insigni, qui mulierculæ ad illicita prolectantis blanditias arteisque omnes sæpe repulerat. Is novissime repertus ab ea solus in agro, cum non posset aliter procacem a se removere, diffugiebat in vicinam silvam. Illa libidinis œstro percita fugientem insequi. Prodiit repente ex interiore saltu coluber maculosus, & visu horribilis, cujus aspectu femina in fugam acta est. At Manilæ vir locuples, & infamia vitæ quam opibus notior, triste reliquit documentum, quam luctuosi plerumque sint eorum exitus, qui pœnitentiam criminum ad extremum usque vitæ contumaciter extrahunt. Perdiu scelestus flagitiose vixerat cum muliercula, cujus erat amore irretitus. Admonitus a nostris sæpe, monitores semper contempserat. Nuper cum navigaret in regia classe, naufragio facto, dum natat unica suffultus tabula, voverat facturum peccandi finem, si in littus evaderet. Evasit, & nihilominus post paulo, contempta voti religione, ad priorem vitæ consuetudinem relapsus est. Gravi demum corripitur morbo, atque, ut usuvenit, abusus Dei misericordia dum viveret, eam moriens omnino desperabat. Nam quid spei esse reliquum ajebat sibi, qui Deum læsisset tamdiu, tam atrociter, ac

154. Triste exemplum hominis flagitiosi, & contumacis.

no-

Digitized by Google

noviſſime datam illi fidem tam fœde violaſſet? Vocatur noſter Sacerdos, qui ſe miſere deſperantem erigat ad ſpem ſalutis. Ejus voce erectus recreatuſque eſt uſque adeo, ut piacularem confeſſionem non ſine lacrymis peregerit, videreturque ad mortem obeundam optime comparatus. At purgato tot peſtibus animo, corpore etiam habere melius cœpit. Convaleſcebat ſenſim in dies. Adventabant amici jam, ut recuperatam valetudinem gratularentur. In hoc ſtatu rerum, quod vix credibile videatur, rediit ad ingenium improbus, ac velut omni ſolutus metu, amicam faceſſere pridem juſſam ad ſe reduxit. Mirari omnes impudentiam, & temeritatem hominis: quidam exemplo offendi; non tamen diu. Recrudeſcit ex improviſo morbus nondum plane depulſus: æger ad extrema deducitur. Dum domeſtici trepidant, dum quæritur Sacerdos, ille in conſpectu pellicis horrendum mugiens, fœdam animam, & jamdiu orco oppigneratam efflavit.

155. Res Mexicanæ. Hominis ſceleſti converſio memorabilis.

Longe abſimile exemplum vidit eodem anno Valliſoletum, quæ urbs eſt in provincia Mexicana frequens, & nobilis. Adiit Societatis noſtræ Sacerdotem vir moribus perditiſſimis, ut confeſſionem totius anteactæ vitæ perageret: auditus autem, expiatuſque, eadem die, ſuis rebus omnibus in pauperes erogatis, in religioſum ſeverioris diſciplinæ ordinem ſe recepit. Prius tamen percunctanti Sacerdoti de cauſa tantæ, ac tam ſubitæ converſionis, hæc narrabat. Noctu dum placide dormiret, excuſſo repente ſomno, duos vidiſſe adſtantes horrenda forma carnifices, eoſque audiviſſe hortantes ſeſe ad mactandum, rapiendumque jam pridem debitum ſibi caput: at cum maxime illi aduncas ſibi manus intentarent, fuiſſe repulſos opportune brachio hominis amiciſſimi, ſed occulti; ſimulque auditam vocem jubentis eos faceſſere, qua audita voce, re ipſa dilapſi eſſent. Cujus fuerit illud brachium, ignorare ſe: notatum tamen ſibi eſſe pannum quo tegebatur, eundemque viſum ſibi eſſe, quem ante paucos die largitus pauperi fuiſſet. Inde ſe intellexiſſe, quam experiretur tam ſuo tempore præſentem opem, mercedem eſſe miſericordiæ egeno impenſæ, atque ex eo puncto ſtatuiſſe ſua omnia pauperibus, ſe totum Deo tradere. Hæc ille memorabat: quæ nos uti tradita ſunt ab idoneis auctoribus, ita conſignamus hiſtoriæ, magis ſolliciti ut aliquibus legentium proſint, quam ut credantur ab omnibus. Cæterum intra provinciæ Mexicanæ fines nonnulla nobis adverſa contigerunt. Principio Archiepiſcopus Mexicanus iram ingentem concepit adverſus Societatem, propterea quod noſtro concionatori verba neſcio quæ excidiſſent, quibus ſe tacite perſtrictum putabat. Nihil non eſt motum, ut irato Præſuli ſatisfieret. Officia, preces, deprecatores adhibiti, ſed nullo ſucceſſu. Demum cum Societatis patrocinium ſuſcepiſſet Prorex, factionemque duceret contra Antiſtitem; poſt multa hinc inde vi magis quam jure ſuſcepta, ad tollendum ferale diſſidium quo tota civitas ſcindebatur, amotus eſt Mexico concionator, liſque omnis ex æquo & bono compoſita. Utinam reſtingui tam facile potuiſſet incendium, quo ædes noſtræ conflagraverunt in colonia Veræ Crucis. Nonis Decembribus, circa dimidium noctis, hibernacula militum corripuit, neſcio quo caſu, flamma tam repens ac violenta, ut intra ſpatium unius horæ magnam urbis partem abſumpſerit. Domicilii noſtri, templi, ſupellectilis, atque omnis domeſtici inſtrumenti, nihil ſuperfuit. Lugenda in primis jactura bibliothecæ, quam ibi Patres habere cœperant pro loco copioſam. Tecto carentes interea Socios benigne recepit apud ſe unus colonorum, habuitque domi ſuæ hoſpitaliter, & amice, donec ædificium, ſubveniente civium liberalitate, refectum eſt.

156. Archiepiſcopus Mexicanus iraſcitur, & reconciliatur Societati.

157. In colonia veræ Crucis domicilium Societatis incendio abſumitur.

His cladibus acceſſerunt præſtantium Sociorum funera, lugenda ſane, ac memoranda. Duo præ cæteris deſiderati Patres, Joannes Ferrius, & Petrus Diaz. Prior gente Italus, patriam habuerat Montemfalcum, oppidum Picenorum. In Americam ante annos quadraginta navigaverat, idque patientia, charitate, & rerum uſu diuturno fuerat conſecutus, ut paſſim ab indigenis magnus Pater appellaretur. Excellebat linguarum omnium peritia, quæ in novo illo orbe penes diverſas nationes diverſæ ſunt, & multum inter ſe diſſimiles. Magni fie-

158. Obitus & elogium P. Joannis Ferri.

Digitized by Google

fiebant ad eum concursus : multa ad eundem per dies singulos negotia deferebantur, ut vix partem necessariæ quietis capere interdum posset. Chichimecas, nationem indolis ferocissimæ, primus adiit, ejusque partem maximam solus ad Christum adduxit. Obiit XI. Cal. Septembris, anno ætatis sexagesimo quarto.

159. Et Patris Petri Diaz.

Die anni ultima decessit P. Diaz, Lupianæ natus in regno Toletano. Hunc provincia Mexicana inte primos conditores & parentes suos numerabat : venerat enim in Americam missu S. Francisci Borgiæ, ante annos quadraginta sex. Rector collegii Mexicani primum, tum domus Professorum, postremo totius provinciæ, nunquam destitit navare proximorum saluti operam, nunquam inter tot regiminis curas consueta Societatis ministeria intermisit. Plurimum in dicendo poterat, non tam ex artificio, (quamvis hac etiam facultate præstaret) quam ex abundantia pietatis. Quæ ad concionem afferebat, precibus potius parare putabatur, quam studio. Erat septuagenario major cum vivere desiit, ad ejusque funus tota fere civitas affluxit.

160. Quinam populi sint Hiaquii. Bellum illis inferunt Hispani.

Inter hæc damna solatio fuit, quod suscepta ad Hiaquios expeditio felicem eventum habuit. Oram fluvii cognominis accolunt Hiaquii in Cinaloa, & ab ostio amnis, qui in pelagus Californiæ influit, sursum recurrendo, spatium occupant ad millia passuum ferme quadraginta. Triginta millia capitum tota natio censebatur. Indoles hominum ferox, cæterisque ejus tractus longe pugnacior, propinquis infesta, adversus Hispanos semper contumax. Præter communia regionis vitia, vigebant apud eos magicæ artes in tantum, ut veneficorum plena omnia invenirentur. Hoc senticetum ut subigerent nostri, occasionem arripuerunt quam subjicio. Ante annos circiter tres transfugerant ad Hiaquios neophyti quidam Cinaloenses, & Christianæ professionis sacramentum abjecerant. Perfugas reposcebat Hispanorum Præfectus Didacus de Hurdaire, vir toto Mexico, cum bellica virtute, tum religionis studio illustris. Eos Hiaquii cum negarent reddi posse, & jus asyli obtenderent, Didacus, ne perpetuo pateret desertoribus impiis tale perfugium, bello repetendos statuit. Magna itaque armatorum manu comparata, eorum fines ingreditur. At primo incursu ferociter exceptus, dare terga cogitur. Cæduntur in acie multi regiorum, plerique dissipantur, ac fugæ se mandant. Sensit Urdaire, rem sibi esse cum gente cæteris, cum quibus ad illam diem arma contulerat, multo bellicosiore. Quare majores undique colligit copias, & virtutem exstimulante acceptæ cladis memoria, denuo contra barbaros movet exercitum. Ejus cognito adventu, adeo non sunt conterriti hostes, ut imo processerint obviam confertissimo agmine, & impressionem fortiter sustinuerint. Pugnatum est hinc inde magno animo, atque virtute. At deterior Hispanorum conditio erat, cum ob alias res, tum maxime ob cibariorum penuriam. Hiaquii contra, præter quam quod numero prævalebant, & firmioribus natura locis insederant, commeatu abundabant. His cognitis rebus Urdaire, nocte intempesta converti signa jubet, atque iterum in provinciam suam se recipit, redintegraturus anno proximo bellum majore apparatu, & meliore, ut sperabat, fortuna. Non latuit barbaros de apparatu, qui fieri statim cœpit novis delectibus, & accersitis undique militum veteranorum auxiliis. Subiit metus, ne si extremam vim expectarent, tota igni ac ferro vastaretur regio, ipsi occidione delerentur. Hinc ad pacis consilia proniores fieri, & deditionem suadentibus aures præbere : tantum ne iniquæ imponerentur conditiones, postulare. Æquissimæ fuerunt propositæ, atque inter alias illa, ut Christianæ religionis ministris locum apud se, & liberam docendi facultatem darent. Quibus assensu unanimi comprobatis, in fidem & clientelam Hispani Regis se contulerunt Hiaquii ; ad eosque nostrorum duo profecti sunt. Fuerunt hi P. Andreas Perez, & P. Thomas Basilius, viri ambo impigri, & spectatæ virtutis, qui tametsi periculosum videretur gentem tandiu infestam sine militari præsidio adire, adierunt tamen impavidi, quatuor tantum adductis neophytis, quibus cognita itinera. Venientibus obviam prodiere ad Mayorum usque fines Caziquii duo, qui pangendo fœderi interfuerant.

161. Hispani semel atque iterum repelluntur.

162. Sponte deditionem faciunt Hiaquii, & nostros operarios accipiunt.

163. Ut excepti sint PP. Andreas Perez, & Thomas Basilius.

Si-

Digitized by Google

Simul ad eos excipiendos, deducendoſque in interiora regionis ingens effuſa eſt multitudo omnis ætatis & ſexus. Omen rei bene gerendæ lætiſſimum fuit, quod ſinguli parvam præferrent crucem ex calamo, quo ſigno nec ipſi carebant infantuli, qui in ſinu matrum geſtabantur. Ea ſpecie commoti Patres, ægre a lacrymis temperaverunt, & magnum animum ſumpſerunt. Perez ad multitudinem converſus, & de cauſa adventus ſui verba facere exorſus, miro omnium aſſenſu auditur. Hoc præſtructo Evangelicæ miſſionis initio, paulatim Hiaquíi, qui fuerant hactenus feris beſtiis quam hominibus ſimiliores, in alios mores, & alium pene dixerim naturæ habitum tranſierunt. Edocti civilis vitæ rationem & commoda, in octo oppida ſunt diſtributi: oppidis ſui impoſiti magiſtratus, qui rem communem adminiſtrarent. Secundum hæc inſtituti apte, Chriſti legem ſuſceperunt, & vero Numini templa ex lapidibus ſtruxerunt. Anno uno tantum profecit P. Perez, ut cum ſucceſſorem in miniſterio acciperet P. Chriſtophorum Villaltam, octo millia baptizatorum illi tradiderit. Non tamen putandum nihil egiſſe infernos ſpiritus, ut tantam imperii ſui cladem averterent. Efferati venefici, quod ſuas jacere artes, & perire ſibi quæſtum viderent, ſæpe de mactandis Patribus conſilia agitarunt; ſed molitiones impias Deus mirabili providentia diſcuſſit. Semel P. Baſilius ſagitta, incertum unde miſſa, confoſſus eſt, utique moriturus ob venenum ſpiculo illitum, niſi pius neophytus, exſucto cruore vulneris, ſolitam huic peſti curationem feciſſet. Compertum eſt poſtea, maleficii auctorem fuiſſe neophytum improbum, qui ultro confeſſus eſt, ſe de Baſilii nece deliberaſſe propter amicam, quam Sacerdos importunus ſibi eripuiſſet, & ad frugem traduxiſſet.

164. Patrum apud eam gentem labores, & fructus.

165. Eorundem pericula a veneficis.

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ

LIBER QUARTUS

ANNUS CHR. 1619. SOC. 80.

1. Res Romanæ. Franciscus Xaverius Beatorum catalogo adscribitur.



NNUM sæculi undevigesimum, de quo scribere aggredimur, merito inter auspicatissimos, ob concessum Francisco Xaverio honorem cœlitum, Societas censet. Rem apud nos optatissimam, ordini nostro præclaram, & viro sanctissimo omnium fere gentium suffragio debitam, perfecit Pontifex Paulus V. VIII. Cal. Novembres, quo die Xaverium decoravit appellatione Beati. Ejus tamen cultum ita circumscripsit, ut post illum diem Xaverius officio, & sacræ liturgiæ ritu coli posset ab hominibus Societatis ubique terrarum, a cæteris vero Christifidelibus in India tantum, & in castello Xaverio, unde natales habuit, & generis nomen accepit. Initium novi cultus est Romæ factum eodem anno, non tam pompa & splendore apparatus (quamquam nec in hoc genere quidquam defuit), quam pietate & concursu civium, qui die Xaverii anniversaria ex cunctis ordinibus frequentissimi affuerunt in Farnesiana Professorum basilica, ut novos beati viri honores celebrarent. Sed nihil æque celebritatem illustravit, ac Mutius Generalis. Progressus enim ad concionem, eruditam orationem de Xaverii laudibus recitavit, laudante oratoris eloquentiam populo Romano, & laborem illum in summo præside Societatis admirante. Dum sic Indorum Apostolo honor tribuebatur Romæ, non deerant in provincia indefessi operarii, qui res ejus gestas, laboresque apostolicos æmulari studerent. Plures eodem anno suscepta sunt evangelicæ excursiones, quarum fructus late pervasit, tum ad urbes populosque Pontificiæ ditionis, tum etiam ad Hetruscos, qui intra fines Romanæ provinciæ continentur. Ut de una tantum in specimen cæterarum dicam, P. Marcus Antonius Constantius, aliusque Sacerdos Societatis, cujus nomen litteræ reticent, Senensem Archidiœcesim lustraverunt cum Archiepiscopo Alexandro Petruccio, & quocunque itum est, magnos animorum motus, magnum pœnitentiæ sensum, & vix credibile pietatis studium excitaverunt. Primas tamen in eo labore partes tulit Antistes ipse Petruccius. Nimirum prisci moris Episcopus, non solum omnem illam circuitionem suis obire pedibus voluit, verum etiam ad corrigendos hominum mores multum voce, in-

2. P. Marcus Antonius Constantius Senensem diœcesim percurrit cum Archiepiscopo.

Digitized by Google

induſtria, auctoritate, & exemplo vitæ profuit. Intereſt porro ſcire, illius peregrinationis quæ fuerit ratio. Præſul nulla re gravis erat hoſpitibus. Cubiculum accipiebat a Parochis ſimplex atque inornatum, ſine lecto, ſine alia lautiore ſupellectili, una contentus ſella, abaco, & ſcamno precatorio. In menſa præter unum ferculum, & id quidem facile paratu, nihil apponi ſibi patiebatur. Quocunque venturus eſſet, præibant uno alterove die noſtri, prima divini verbi ſemina jaciebant, omnium animos ad recipiendum rite paſtorem amantiſſimum præparabant. Illud curabant in primis, ut venienti populus obviam ſupplicationis ritu procederet ſub vexillo crucis, nudis pedibus, & compoſito ad modeſtiam agmine, ſic ut ſpecie ipſa appareret, ſanctum eſſe miniſterium quo Præſul fungebatur, nec de terrenis negotiis acturum accedere, ſed de cœleſtibus. Ille ut advenerat, recta tendebat, deducente clero, ac populo, ad curialem ædem; nec utcunque itinere defatigatus, & ſudore madidus, ad hoſpitium ante divertebat, quam concioni, aliiſque piis exercitationibus, quæ ſtatim a Patribus peragebantur, interfuiſſet. Quo præſtructo velut aditu ad ſacram viſitationem, ſuum agnoſcebat deinde ac paſcebat gregem, diſſidia componebat, pravas conſuetudines exſtirpabat; certantibuſque viciſſim per ſacra miniſteria Patribus, ut optimi Præſulis cogitata perficerent, omnium ubique animi ad ſtudia pietatis recaleſcebant. Hæc paulo copioſius commemorata volui, non tam quia nonnullæ fuerunt noſtrorum in tam fructuoſa excurſione partes, quam quia æquum viſum eſt interſerere his annalibus memoriam viri clariſſimi, & noſtri ordinis ſtudioſiſſimi Alexandri Petrucci. Qui quidem anno poſt hæc quarto deliberatum habebat abdicare ſe infulis, ut nomen Societati daret; feciſſetque plane, ſi quam enixe petiit, tam facile facultatem exequendi propoſiti impetrare potuiſſet. Sed nullis vinci precibus potuit ſummus Pontifex, ut ejus votis annueret.

3. Inſignis pietas Alexandri Petrucci Archiepiſcopi.

4. Ejuſdem propoſitum de ineunda Societate, ſed ſine ſucceſſu.

Perfunctus ea peregrinatione P. Conſtantius, ad montem Politianum tranſiit, quo oppido per ſacram miſſionem exculto, quatuor finitimas diœceſes, Cluſinam, Pientinam, Montalcinenſem, & Civitatis Plebanæ cum ſacro miniſterio peragravit, frugem ubique legens uberrimam, de qua tamen plura non dicam, ne prolixior fiam. Poſtremo Lucam ab ejus urbis Epiſcopo Alexandro Guidiccionio ducitur. Jamdiu hic Præſul, ob controverſias neſcio quas inter ſacram civilemque poteſtatem exortas, aberat a ſua ſede, abſuturus, ut plerique rebantur, quamdiu viveret: adeo videbatur arduum inveteratæ diſcordiæ cauſas exſcindere. At rem prope deſperatam cum ſuſcepiſſet tractandam Cardinalis Bellarminus, tanti fuit hujus viri apud Senatum Lucenſem auctoritas, ut ejus gratia decretum plures ante annos factum de Guidiccionio nunquam amplius recipiendo Senatus abrogaverit, totamque illam cauſam arbitrio Bellarmini ipſius, & Odoardi Cardinalis Farneſii diſceptandam permiſerit: quibus demum æquas conditiones ferentibus Lucenſes non inviti acquieverunt, Antiſtitem ultro ad ſe invitaverunt, & reducem poſt annos amplius ſexdecim in ſuam ſedem reſtituerunt. Guidiccionius ergo, prius quam proficiſceretur Lucam, duos Romæ popoſcit a Mutio Patres evangelici operis adjutores, habuitque quem dixi P. Conſtantium, atque alium, cujus nomen intercidit. Dies ipſos quinquaginta ſubſtitere Lucæ Patres, eoque ſpatio labores ſui muneris nunquam intermiſerunt. Conciones habebant quotidie duas in æde urbis primaria. Quod reliquum erat diei, audiendis pœnitentibus fere totum impendebant, ſoliti e ſuggeſtu recta adire pœnitentiæ tribunal, atque hinc rurſus ad ſuggeſtum recurrere. Neque vero poſt occaſum ſolis licebat otioſis eſſe. Aderant ad multam uſque noctem viri nobiles, alii ut conſilium peterent, alii ut onera conſcientiæ deponerent. Omnes per otium audiebantur. In tanta aſſiduitate laborum mira perfundebantur voluptate Patres, quod viderent reſpondere operi fructum, neque ſolum utilem, verum etiam gratum ac jucundum accidere nobiliſſimæ civitati laborem ſuum. Quamquam enim initio male quoſdam habuiſſet, fuiſſe Lucam adductos ab Epiſcopo Patres; iidem tamen

5. Miſſiones variæ P. Marci Antonii Conſtantii.

6. Componitur gravis controverſia inter Lucenſes, & eorum Epiſcopum.

7. Qui Lucam adducit duos de Societate. Eorum labores, & res geſtæ ibi.

8. Lucenſium præclara opinio de Patribus.

Digitized by Google

mirati poſtea vitæ inſtitutum adeo laborioſum atque utile, & fructus magnitudine delectati, bene ſecum ac præclare factum ajebant, quod virorum talium conſuetudine frui poſſent. Quidam etiam optabant, ut Lucæ, ſi qua fieri poſſet, Societas domicilium figeret. Luſtrata ad eum modum urbe, itum eſt cum Epiſcopo ad curias diœceſeos ex magna parte montanas. Multa in iis ignorantia religionis, multæ morum detectæ labes: remedium utrique malo adhibitum.

9. Inſignis contumacia cujuſdam Parochi, ejuſque converſio.

Inventus Parochus, qui inveteratas & notas gerens cum ſuis Presbyteris inimicitias, etiamſi periculoſe ægrotaret, nullis adduci rationibus poterat, ut cum illis in gratiam rediret. Res ſummæ apud omnes offenſionis defertur ad Epiſcopum. Hic Patribus negotium committit. Adeunt decumbentem Patres, hortantur, rogant, ſed nullo effectu. Obfirmaverat miſer, quo mentis habitu vixerat, eodem mori. Patres, ubi vident hominem molliter agendo non flecti, novum ſermonem exorſi, divini ſeveritatem judicii, æternos ignes, & quæ ſunt atrociora proponunt: nec fruſtra. Fregit metus, quem cætera non tetigerant. Tremefactus oratione, faciendamque deditionem ratus, vocari ad ſe Presbyteros curat, quibus antea fuerat infenſus: in gratiam recipit complectiturque ſingulos: ſibi ut ignoſcant, & a Deo veniam exorent, per Chriſti charitatem rogat, obteſtaturque. Homo demum paulo ante contumax, & vix non communi omnium judicio damnatus, cum optima ſpe vitæ melioris decedit.

10. Res Neapolitanæ. Mors Iſabellæ Roboreæ, ejuſque in ſocietatem merita.

Dum hæc in provincia Romana gerebantur, Neapoli diem clauſit extremum Iſabella Feltria Roborea, Biſiniani Principis vidua, ſpectatiſſimæ virtutis, & notæ in noſtrum ordinem beneficentiæ femina, cujus hoc loco meminiſſe, pietatis & officii eſt. Etenim orbata jampridem filio unico, noſtros homines in ejus locum adoptaverat, nec alio deinceps illos quam filiorum appellans nomine, demum teſtamento condito hæredes ex aſſe ſcripſit. Præter hoc ultimum & inſigne beneficium, alia multa debet illi Societas, nec vero levia. Ejus liberalitate tironum domus Romana cenſu dotata eſt opulento, & multo quam eſſet antea amplior facta. Baſilicam, domumque Profeſſorum Neapolitanam, regium plane opus a Roberta Carafa ex Matalaunenſium ducibus inchoatum, perfecit ipſa, imo verius ex toto exædificavit, merito proinde fundatricis titulum, & jus conſecuta. Erecta fuerat Neapoli altera Profeſſorum domus in foro mercatorio. Iſabella magnum illi donavit pecuniæ numerum ea conditione, ut, ſi Præpoſito generali placeret (quod re ipſa placuit) domum in collegium mutari, novo collegio in dotem tranſcriberetur. Mitto alia leviora, quæ ſi velim ſingillatim recenſere, nimius ſim. Quæ tamen commemoravi ſatis ſuperque ſunt, ut vigere apud nos immortaliter debeat memoria matronæ tam excellentis, cujus & benevola ſemper extitit in noſtrum ordinem voluntas, & vita omnis pietate chriſtiana mirum in modum eluxit. Per annos amplius triginta uſa conſcientiæ arbitro P. Vincentio Maggio, non eſt dictu facile quales

11. Ejuſdem virtutes, & vitæ ſanctitas eximia.

ejus ductu & inſtitutione progreſſus in ſanctitate fecerit, ut exercita, ut exculta fuerit. Omni virtutum genere ſpectabatur, ſed patientia in primis. Ejus generis femina, cui pater Guidobaldus Urbini dux, mater Victoria Farneſia Octavii Parmenſium ducis ſoror, multa quotidie domi patiebatur a viro Biſiniani Principe, cui ſe minus acceptam, ne dicam odioſam eſſe ſentiebat. His adeo aſſueverat, ut ad quaſcunque injurias vocem nullam mitteret, non dicam impatientis animi, ſed ne dolentis quidem. Cum filium ſuſcepiſſet unicum, eumque jam ad annum ætatis decimum quintum perduxiſſet (Franciſco Theodoro nomen erat adoleſcenti), repente hoc ſolatio triſtiſſimæ ſolitudinis ſuæ unico, & ſummo ærumnoſa parens orbata eſt. Ea ſane re nihil accidere illi gravius, nihil acerbius poterat. Erat quippe Franciſcus Theodorus matri cariſſimus, non tam quia filius, atque unicus, quam quod egregiis ornatus corporis animique dotibus, præclara forma, ingenuus, innocens, ac longe ſupra ætatem prudens; pius autem in tantum, ut typis edita fuerit ejus vita, in qua ſupra communem uſum plurima, aliqua etiam ſupra naturæ ordinem ab eo geſta referuntur. Quæ cum reſpiceret Iſabella, ut erat nuptarum miſerrima pro-

Digitized by Google

propter virum, ita se matrum fortunatissimam propter filium prædicabat. Eum tamen Deo, à quo acceperat, reposcenti mulier vere fortis reddidit sine questu: & quamvis accepto vulnere graviter saucia, dolorem acerbissimum tulit æquo animo, ac minime perturbato; orbitatem leniens suam unico, maximoque bonarum mentium solatio, patientia. Quin audita est sæpe cum diceret, bene sibi esse, quod tali sublato filio nihil haberet reliqui in hac vita, cujus causa vita ipsa esset sibi magnopere expetenda. Neque tamen deinceps ab angoribus vel animi, vel corporis otium habuit ante hunc annum, quo demum vitæ mortalis ærumnas cum æternæ gaudiis commutavit. Testamento caverat, ne qua efferretur pompa: sed nostri magis quid ei deberent, quam quid ipsa mandasset attendentes, apparatu quam potuit magnificentissimo feminæ tam bene de se meritæ justa solverunt.

12. Obitus, & Elogium Antonii Loffredi.

Paucis ante mensibus decesserat in collegio Neapolitano Antonius Loffredus, ex Principibus Durazzani ortus, magnis & hic meritis erga Societatem illustris, nec minori clarus virtute. Is cum & patre orbatus esset, & fratrem haberet nullum, simul atque annum attigit secundum supra vigesimum, ea prorsus ætate quæ pronior in vitium est, de capessendo religiosæ vitæ statu deliberavit; frustraque obnitente matre Portia Caracciola Societatem ingressus, eidem mox patrimonium, quod habebat satis lautum, addixit. Ea porro mente se Societati devoverat, ut majorum arbitrio relinqueret, utrum daret operam litteris, an magis inter fratres rei domesticæ adjutores mereret infimis ministeriis addictus. Quin exacto tirocinio Romam cum venisset, ut negotia quædam cum Præposito Generali communicaret, id ab eo summis contendit precibus, ut se sineret in humili illo gradu abjectoque vitam agere; quod tamen non impetravit. Ita Philosophiam audire cœperat Neapoli: sed in cursu medio, quem satis feliciter peragebat, subita vi morbi prostratus, ad extrema deducitur. Instantis lethi nuncium adeo non exhorruit, ut imo diserte profiteretur, nullo se tangi desiderio vitæ longioris. Gratias egit Societati quod immerentem recepisset, quod in ea moreretur sibi gratulatus est. Tum perceptis religiosissime supremis morientium sacris, magno omnium mœrore occubuit, annum agens ætatis suæ XXVI. Sed inter mœrorem & luctum non defuerunt Neapoli meliora. Ante septennium nova Societati ædes sacra ædificari cœperat apud forum mercatus, eratque nunc, tum privatis multorum largitionibus, tum præsertim beneficentia illustris sodalitii, cui *Mons misericordiæ* nomen, fere ex omni parte absoluta, sic ut aperienda, & publicanda videretur. Aperta est cum ingenti lætitia & concursu populi Neapolitani, qui in ea parte civitatis frequentissimus habitat. Primam templi initiationem peregit pro Archiepiscopo Cardinali, quem morbus lecto afflixerat, Episcopus ab eo subrogatus: post meridiem vero sacra cœlitum lipsana in novam ædem solemni supplicatione illata fuerunt. Hæc Neapoli. Intra provinciam data est eodem anno sedes Societati Adamantiæ, quæ nunc dicitur Amanthea. Brutiorum id oppidum est in Calabria citeriori. Fulvius Viridianus indidem civis, & eximius sui temporis medicus, post impensam per annos quadraginta operam sedulam, & omnino gratuitam nostris Neapoli, cum multum pecuniæ congessisset, nec hæredem proximæ consanguinitatis haberet, illud faciendum sibi statuebat, ut egregium erga nos animum insigni atque ultimo documento testaretur, simulque sua bona in utilitatem popularium suorum converteret. Hac mente censum annuum Societati transcripsit ea conditione, ut duæ tertiæ partes cederent in dotem collegii Amantheæ fundandi, pars reliqua collegio Aquilano attribueretur. Admisit Fulvii donationem Mutius, eumque confecto diplomate recepit in fundatorem collegii Amantheani, & de Aquilano insigniter meritum pronunciavit.

13. Novum societatis templum aperitur Neapoli.

14. Initia Collegii Amantheani.

Provinciæ Siculæ duo de novo collegia hic annus addidit, Ennæ unum, alterum Nari. Utriusque nos initia paucis exequemur. Ennam prisci dixerunt, quæ nunc vulgo Castrum Joannis nominatur, urbem in valle Netina sitam, ubertate soli, opibus, frequentiaque incolarum spectandam, & olim templo cultu-

15. Res Provinciæ Siculæ. Fundatur Collegium Ennense.

que

Digitized by Google

que Cereris celeberrimam. Cives operam Societatis per intervalla temporum experti, præclare de patria meriturum putabant, ſi quis in eam noſtros induceret, & in domicilio ſtabili collocaret. Id præ cæteris perſuaſum habebat Antonius Rotundus, vir pro loco copioſus. Filios proinde commonebat identidem, ut ſi virili ſobole caruiſſent, Societatis collegium Ennæ conderent. Filii, quos reliquit poſt ſe duos, paulo poſt ejus mortem ſine liberis deceſſere: eorum vero ultimus Franciſcus dum moriebatur, paternorum memor conſiliorum, licet hæredem ex aſſe inſtitueret matrem Conſtantiam, ei tamen hanc legem impoſuit, ut certam pecuniæ ſummam fundando Ennæ collegio deberet impendere. Conſtatia, quæ filium in diligenda Societate ſuperaret, teſtatoris voluntatem non implere ſolum, ſed vincere ſtudens, totam operi hæreditatem applicat, ipſam ubi habitabat domum Societati condonat, fundati demum collegii titulum ſibi cum præmortuo filio communem facit. Hæc primordia Ennenſis collegii fuerunt. Narus, oppidum Siciliæ in valle Mazaræ, Societatem enixe petierat jam inde ab anno ſæculi decimo, P. Gaſparis Paraninfi civis ſui, & operarii apoſtolici concionibus inflammata: ſed quod eo tempore minus licuerat, confectum eſt anno labente. Cum nondum eſſet in promptu vectigal idoneum, Vincentius Bonincontrus e ſacro Prædicatorum ordine Epiſcopus Agrigentinus (ad quam diœceſim Narus pertinet), & Magiſtratus urbis, ille litteris, hic & litteris, & legatis hac una cauſa miſſis, agebant vehementer cum provinciæ præpoſito P. Carolo Maſtrillo, ut certam ſociorum manum Nari collocatam vellet, ſi nondum ut in collegio ſtabili, at ſaltem ut in hoſpitio longioris temporis, donec apti conſtituti proventus eſſent. Domum in qua interim degerent, & alimenta offerebat Sacerdos nobilis Antonius Bandinus. Non licuit votis tam benevolis, tam communibus diu obſiſtere. Dati itaque ſunt Narenſibus Patres quatuor, manſuri apud eos ut in una ex illis domibus, quas nos *Reſidentias* dicimus. At vix annum ibi egerant, cum Antonius Lucheſius, genere & opibus Narenſium facile princeps, datis ad Mutium litteris valde rogabat, vellet juberet reſidentiam illam in collegium verti. Civitatem annua Patrum opera ſic eſſe affectam ajebat, ut quocunque fortunarum diſpendio condendum putaret collegium Societatis. Se quidem certam pecuniæ ſummam in eum uſum ſepoſuiſſe: ex aliorum collationibus aliam eſſe ſummam confectam minime contemnendam: Bandinum, cujus hactenus beneficentia vixiſſent Patres, vectigal annuum centum aureorum aſſignaſſe: ſi quid addi oporteret, ſuppleturam ex ære publico civitatem: ſe demum pro iis, qui multa in rem collegii promitterent, vadem, ac fidejuſſorem fore. His rebus cognitis Mutius, actis prolixe gratiis Lucheſio pro tam eximia erga nos voluntate, negotium dat P. Pompilio Lambertengo, qui Maſtrillo in provinciæ præfectura ſucceſſerat, ut ſiquidem ad rationem collegii nihil deeſſe viderit, morem gerat amantiſſimæ civitati, & de collegio tranſigat ex juris formula. Quo facto Narenſes circa anni finem, præter quatuor quos habuerant initio operarios, ludimagiſtros etiam, & ſcholas latinitatis habuerunt. Ita quæ prius fuerat reſidentia, nomen collegii induit: Fundatoris vero titulus, & honor, aſſentientibus cæteris bene de collegio meritis, Lucheſio delatus eſt. Sub idem tempus etiam Agrigentini, ſcriptis communi nomine ad Præpoſitum Generalem litteris, ſtationem Societatis in ſpem futuri collegii poſtulabant. Obfuit paucitas ſociorum, ne impetrarent. Tamen ad eorum poſtulata reſpondit officioſe Mutius, curæ fore Præpoſitis provincialibus, ut Agrigentum excurrerent crebro ſocii, nullaque unquam re tam illuſtri, ac benevolæ civitati deeſſent.

16. Nari reſidentia prius, deinde Collegium conſtituitur.

17. Agrigentini ſocietatem expoſcunt, ſed ſine effectu.

Creſcente in hunc modum provincia Sicula, deſideratus eſt ille provinciæ quaſi parens, P. Joannes Baptiſta Carminata, qui vir, ſive virtutum ſplendorem, ſive rerum geſtarum magnitudinem ſpectes, merito inter præcipua Societatis lumina eſt adnumerandus. Adoleſcens cum eſſet, & adhuc inter tirones verſaretur, neſcio qua ſeu levitate animi, ſeu vitæ ſolutioris cupiditate, defecerat a Societate. Sed mox ad eam regreſſus, maculam inconſtantiæ eluit pietatis

18. Mors, & Elogium P. Joannis Baptiſtæ Carminatæ.

Digitized by Google

tatis ardore ſummo, a quo deinceps excidit nunquam: pietatis autem pars præcipua fuit vita ad omnes leges inſtituti noſtri prorſus exacta, quam ultra annos octoginta produxit. Ambigas deinde utrum dicendi, an regendi arte præſtantior fuerit. Utraque profecto re Carminata inter præſtantiſſimos ætatis ſuæ floruit. Provincias Siculam, Romanam, Venetam, Polonam cum incredibili laude adminiſtravit, tantam ubique habens opinionem virtutis atque prudentiæ, ut eum certatim expeterent præfecturæ, ſibi vero pulcherrimum quiſque duceret tali ſubeſſe moderatori. Pari approbatione Claudio Aquavivæ Generali pro Italicis provinciis Aſſiſtens fuit Romæ, & ex illa orbis terrarum ſpecula regimen Societatis univerſæ conſilio juvit. Tot inter curas munus concionandi, per annos prope ſexaginta, numquam intermiſit: quo in exercendo munere, ut erat orator acer ac vehemens, tantos ciere ſolebat animorum motus, ut Angelus potius quam homo, aut certe unus aliquis ex Apoſtolis in dicendo videretur. Primus omnium Romæ per quadrageſimam jejuniorum concionum curſum peregit in templo Profeſſorum, quod ante ipſum fecerat nemo. Neapoli, præter alios eloquentiæ ſuæ fructus, Bernardinum Realinum ad Deum primo, deinde etiam ad Societatem traxit. In collegio Romano cum beato juvene Aloyſio Gonzaga familiaritatem intimam habuit, eidem morienti affuit, virtutum, quæ erant in eo ſummæ, teſtis oculatus, cognitor, atque æmulator eximius fuit. Carminatam viri principes ob ſanctitatis, & prudentiæ famam in honore habebant longe maximo: Cardinalis vero Bellarminus tanti faciebat, ut animi ſui receſſus intimos illi aperire, eumdem in rebus dubiis quaſi magiſtrum audire conſueverit. Prophetiæ ſpiritu afflatus, multa & loco, & tempore remotiſſima prænunciaſſe, nonnumquam incluſas mentibus hominum cogitationes inſpexiſſe dicitur. Quam dilectus Deo & hominibus, tam infernis ſpiritibus erat inviſus. Multa ab iis pertulit, ſpectris horrificis exagitatus interdum, verberibus contuſus, ſemel etiam præceps e feneſtra projectus; quod tamen, Deo manum ſupponente, fuit innocuum. Eorum ipſe dolos & maleficia ſæpe eludebat, ſæpe faſcinationes præſtigiaſque diſſolvebat. Jam quam multa ad commune bonum reipublicæ, ad ſalutem animarum, ad utilitatem domeſticam Societatis vir præclarus inceperit, perfeceritque, longum eſſet exequi fuſius. Carminata præſertim auctore, domus Profeſſorum Panormitana, & Meſſanenſis fuerunt conditæ, & collegio Panormitano patrimonium conſtitutum. Ortum illi ſuum, ac ſtabilitatem debent Meſſanenſe tirocinium, & collegium Melitenſe. Ejuſdem induſtria, præter multas ubique ſodalitates, coaluit Panormi ſocietas S. Thomæ ægrorum miniſterio addicta. Ibidem mulierculis e turpi quæſtu revocatis cœnobium eſt reſtitutum, cenſuque firmatum. Cum eſſet Carminata tot meritis in Societatem, atque adeo in omne hominum genus illuſtris, de ſe perquam humiliter exiſtimabat, illam uſurpare Realini vocem ſolitus: *Deus bone, quando bonus ero!* Sed de ejus virtutibus ſi qui plura volent, adeant Aguileram. Occubuit XVI. Cal. Quintiles Panormi, eadem in urbe ſcilicet, ubi erat natus ante annos octoginta duos: maturo ille quidem abreptus funere, ſed tamen ob damni magnitudinem luctuoſo, acerboque. Ejus ſpiritum vix corpore ſolutum, ferunt, inter beatorum Ignatii & Xaverii manus fuiſſe conſpectum, cum ferretur in cœlum.

19. De Præfecturis ab eo geſtis, & miniſterio concionum.

20. Quantam haberet opinionem virtutis, ac prudentiæ.

21. Nonnulla ſupra naturæ ordinem ab eo geſta indicantur.

22. Ejuſdem inſignia merita erga ſocietatem, & rem publicam.

Idem annus provinciæ Mediolanenſi collegium Neocaſtrenſe dedit. Quod Neocaſtrum ad Scriviam vocant, diœceſeos Dertonenſis oppidum eſt in Inſubria, ſitum ad Scriviam amnem, unde illi cognomen, ut ab aliis urbibus oppidiſque plurimis, quibus idem nomen eſt, dignoſcatur. Cenſum collegio fundando communi ſumptu contulerunt Hieronymus Marinus, & Joannes Ferrarius, ille Marchio, hic juris utriuſque doctor; quibus propterea Mutius Generalis commune fecit fundatoris nomen, ex æquo inter illos dividens quæ viris bene de ſe meritis Societas ſolet tribuere. Quod attinet ad labores ſociorum, magnopere celebratam invenio ſacram expeditionem, quam ex collegio Montis Regalis ſuſceperunt Patres Joannes Baptiſta Ferrerius, & Franciſcus Bodius ad montem Sca-

23. Res Provinciæ Mediolanenſis. Fundatur collegium Neocaſtrenſe.

24. Fructuoſa Miſſio PP. Jo. Baptiſtæ Ferrerii, & Franciſci Bodii.

Digitized by Google

Scabiosum. Populum ejus loci privatæ paucorum inimicitiæ ita distraxerant, ut jamdiu factionibus, odiis, cædibus omnia miscerentur. Malo inveterato, & vix, ut apparebat, sanabili cum sæpe remedium quæsiviſſet Episcopus nullo successu, nunc profecturis eo Patribus prænunciabat dolens, frustra fore eorum qualescunque conatus; quidquid vero experirentur, lusuros plane operam, re infecta redituros. Re ipsa verus nimium vates videbatur initio. Ad plures dies nihil profectum est. Obstirmaverant namque oppidani inimicitias, nisi morte inimicorum non finire; nostros autem de pace differentes contumaciter repellebant. Sed quid non expugnat charitas, atque patientia? Labori instantibus nihilo secius Patribus, & æternas pœnas iræ tam pertinaci denunciantibus, conterriti demum emollitique sunt capita factionum. Conveniunt domi nostros, atque ultro profitentur, se in eorum potestate futuros. Patres successu læti, eademque die negotium conficiendum rati, moneri jam tum lætissimo æris campani pulsu populum jubent, ut in sacram ædem se conferat. Accurritur ex toto oppido. Cum adesset frequentissima multitudo, in medium prodeunt duces & antesignani partium, complectuntur sese, nullam fore posthac præteritarum offensionum memoriam invicem pollicentur: arbitris demum & sequestris Patribus, pax sancitur, collacrymante præ lætitia populo, sibique redditam aliquando tranquillitatem atque concordiam gratulante. Quo firmior esset pacificatio, eam referri in tabulas publici officii placuit. Quis jam Antistitis admirationem, quis lætitiam consequi verbis possit? Eventum adeo insperatum non laudavit modo, sed dignum præterea censuit, de quo per litteras Principem admoneret. Itaque de tota illa re ad Sabaudiæ Ducem prolixe perscripsit. Sed dissimulare hoc loco non debeo, Franciscum Bodium, nunc tantæ utilitatis operarium, biennio post fuisse justis de causis a Societate dimissum: id quod nostris hominibus documento erit, ne alienæ magis saluti studeant, quam suæ. Et suæ vero, & alienæ multum studebat, qui eodem anno vivere desiit Genuæ, P. Bernardinus Zannonius, patria Regiensis: vir omnium opinione sanctus, magnusque christianæ perfectionis & cultor, & magister. Annos ipsos quadraginta Genuæ impenderat Zannonius audiendis domesticorum externorumque confessionibus; & notatum sæpe fuerat, qui ipso conscientiæ arbitro uterentur, singulari morum probitate, modestiaque inter alios discerni. Tantam ille solertiam fingendis suis ad pietatem alumnis adhibebat. Zannonio consiliorum suorum omnium conscio, ac moderatore utebatur Maria Victoria Strata, pia illa ac munifica sacrarum virginum parens, quas a colore superioris amiculi *Cæruleas* vulgo nominant. Iisdem ipse leges pietatis prudentiæque plenas composuit, quas primo Hierarcha Genuensis, deinde Pontifex Paulus V., postremo usus probavit. Obiit IV. Cal. Aprilis, annos natus amplius octoginta. Corpus in arca ex lapide conditum est, qui honor apud nos eximiæ tantum sanctitati tribuitur.

25. P. Franciscus Bodius a Societate dimittitur.

26. Mors, & elogium P. Bernardini Zannonii.

Vidimus duobus ante annis, quid rerum inceperint nostri in Corsica, post fundatum Adjacense collegium. Nunc de progressu earumdem rerum aliquid indicandum. Lætiora in dies inde nunciabantur, præsertim vero de sacris excursionibus, quibus Patres Corsicæ tractum occidenti obversum peragrabant. P. Joannes Stephanus Ferrarius, & P. Octavius Sandilianus, e collegio Adjacensi eggressi, æstatis partem maximam in una circuitione posuerunt. Exstat illius prolixa descriptio, in qua, præter communem cunctis fere missionibus fructum, non pauca memorantur scitu digniora. Regio erat ut plurimum alpestris, maximeque distans ab iis locis, ubi forum, & judicia exercentur. Quare incolæ soluti metu legum, & magistratuum, in omne facinus ruebant impune. Putabant plerique, nihil continere criminis furta furtis, & cædibus cædes rependere; quin esse pietatis humanæ, ajebant, ulcisci illatam proximo necem morte interfectoris. In libidinibus frænum habebant nullum. Pudet dicere, quæ flagitia apud eos innoxia censerentur. Quidam affirmabant, potestatem sibi esse factam a Parocho habendi clam pellices, modo veniam ab uxoribus impetrassent. Fas multi existimabant in sterili matrimonio sobolem aliun-

27. Missio perquam frugifera PP. Ferrarii, & Sandiliani in Corsica.

Digitized by Google

aliunde quærere. Mitto alia ejuſdem generis, quæ longum referre per partes, ac moleſtum eſſet. Hoc ſenticetum ingreſſi Patres, quamquam viderent certandum ſibi eſſe, non cum vitiis tantum, quæ ſuperantur facilius, verum etiam cum inſcitia, & erroribus gentis, in quibus convellendis maxima difficultas; tamen animum non deſponderunt, atque ex uno in aliud oppidum diſcurrentes, demum agreſtes illos populos longe alios quam invenerant reliquerunt. Novem adierunt populos, quorum & loci dignitate, & frequentia facile principes Zicavenſes. Inter hos inventi quamplures, ob damna ultro citroque illata, variis, nec facile ſolubilibus conſcientiæ vinculis irretiti. Malo fere communi ut medelam adhiberent Patres, ad multitudinem retulerunt, vellentne ſinguli rerum ſibi furto ſublatarum gratiam debitoribus facere, quo facilius a Deo veniam delictorum impetrarent? Aſſenſere ad unum omnes, eaque velut acceptilatione omnes a communi nexu ſunt liberati. Sed ne furandi impunitas aleretur in poſterum, re omnium conſenſu deliberata, hanc ſibi præterea legem impoſuere, ut qui deinceps aliquid alienum ſurripuiſſet, præter multam luendam fiſco, & rem domino redhibendam, certam æris ſummam eccleſiæ penderet; furti vero auctorem quicunque noſſet, indicaret Judici. Legem ſponte ſuſceptam ratam habuit præfectus regionis, & publicis tabulis conſignari juſſit. Verum ut quacunque fortunarum jactura multo eſt apud Corſos acrior acceptæ contumeliæ dolor, ita longe majoris negotii fuit perſuadere illis, ut odia inimicorum, & voluntatem ſumendæ ultionis abjicerent. Hoc tamen ipſum multis eſt perſuaſum; ut mirari licuerit, quantum ſupra naturam, & vitæ præjudicia valeat gratia cœleſtis. Sed quæ in hoc genere contigerunt, ad alia feſtinanti non vacat ſingillatim referre. Dum hæc gerebant Patres collegii Adjacenſis ultra montes, nihilo minore fructu P. Joannes Auguſtinus Gonſalonerius citeriores inſulæ partes peragrabat. Magni nominis operarius erat Gonſalonerius. Eum cum evocaſſet haud ita pridem Genua Julianus Caſtagnola Epiſcopus Nebienſis, ut ipſius opera ad ſalutem ſui gregis uteretur, ille ſpem Epiſcopi non implebat modo, ſed multis partibus ſuperabat. Principio Clerum, partem gregis utique præcipuam, in iis quæ ſunt ordinis ſacerdotalis propria, egregie inſtituerat. Egreſſus deinde in diœceſim, ac totam oppidatim percurrens, locis omnibus mala vitiorum germina exſcindebat, concordiam in domos, jus in forum, religionis cultum in templa reducebat. Alicubi populum ſic ad omnia audientem habuit, ut quæcunque fuerunt ad tuendam honeſtatem morum ab eo decreta, communi omnium conſenſu recepta fuerint, & relata in publicas tabulas, mulcta conſtituta, ſi a quoquam vel leviter violarentur. Quo rerum ſucceſſu gaudens Gonſalonerius, nequaquam uti voluit poteſtate ſibi facta Genuam remigrandi, ſed totum præterea annum proximum manere in ea inſula ſtatuit, ubi tam felices fruges legebat. Parum tamen abfuit, quin his inſudantem malevoli opprimerent, ut infra referemus.

28. Conſilium prudens ad pacandas conſcientias tollendamque furtorum frequentiam.

29. Labores & res geſtæ P. Gonſalonerii in eadem inſula.

Provincia interea Germaniæ ſuperioris, ad quam modo tranſgredimur, novo collegio augebatur Mindelhemii, quod oppidum eſt non adeo magnum, nobile tamen, atque elegans in ditione Bavarica. Debuimus beneficium Maximiliano Duci Bavariæ, Principi Societatis noſtræ ſtudioſiſſimo: ejus enim auctoritate traditum nobis eſt vetus monaſterium jam pridem ab Auguſtinianis, neſcio quibus de cauſis, abdicatum, quod in morem collegii inſtructum, ſtatim a noſtris habitari cœpit. Eodem anno ad nonnulla religioſorum cœnobia pervaſit noſtrorum miniſteriorum utilitas. Fuit ubi diſcordia inter Monachos & Abbatem exorta, totam fœde turbabat familiam uſque adeo, ut partes in jus irent, & utrinque negotium forenſi ſtrepitu, & contentione urgeretur. Aderat cum poteſtate judicis Proepiſcopus Paſſavienſis, & jam cauſæ cognitionem ſuſceperat. Sed cum alia ex aliis ſubnaſcerentur in dies ſingulos capita diſſidiorum, nec tot componi lites ſine magnis offenſionibus poſſent; Judex, ut controverſiam uno ictu omnem præcideret, dilato tantiſper judicio, monachis potioribus perſuaſit, ut Oettingam ad dies paucos ſecederent, ſeque noſtris ho-

30. Res Germaniæ superioris. Fundatur collegium Mindelhemii.

31. Diſſidentes Monachi ad concordiam revocantur.

Digitized by Google

minibus traderent ſacris B. Ignatii commentationibus exercendos. Sua non fefellit illum opinio. Fecerunt monachi ut monebantur, atque inde in cœnobium mutatis adeo mentibus redierunt, ut alii prope homines viderentur. Coaluerant ſponte omnium animi, extinctæ erant diſſenſiones, veterum diſſidiorum nec veſtigium ſupererat. Quare nullæ deinceps fuerunt judicis partes, niſi ut concordiam gratularetur laudaretque; tam lætum vero, tam ſubitum ſacrorum exercitiorum fructum admiraretur. Alia per idem tempus fuit in diœceſi Friſingenſi religioſorum familia, quæ a veteri ſuo inſtituto, ac diſciplina prorſus exciderat. Hanc Epiſcopus ut ad prioris vitæ normam refingeret, egit cum Cœnobiarcha, ut unum quemdam e noſtris reciperet apud ſe velut hoſpitem, haberetque aliquandiu ut regiminis comitem, & adjutorem. Cœnobiarcha conſilium Epiſcopi magnopere probans, Sacerdotem popoſcit a moderatoribus Societatis quali opus eſſet. Datus eſt in primis idoneus, pius, doctus, affabilis, & mira in agendo dexteritate: qui quamquam initio domeſticis parum gratus accideret, paulatim modeſtia, & morum ſuavitate omnium animos ſibi devinxit. Pauci præterierant dies, & jam in animos cœnobitarum dominabatur unus. Omnes ſuam illi conſcientiam aperiebant, ejus voluntati & arbitrio omnes ſe permittebant. Hinc cætera ſponte profluxerunt, non dicam ad votum, ſed prope ſupra votum, & ſpem. Reſtitutus qui pene exoleverat religioſæ paupertatis cultus, frequentior ſacrorum uſus inductus, ſublatæ conſuetudines minus rectæ; atque ut omnia paucis complectar, intra dies quadraginta vita omnis monachorum ad leges revocata: nec vero facta noſtro Sacerdoti poteſtas abeundi, niſi cum nihil ſupererat corrigendum. Hæc intra privatos parietes, ac veluti in umbraculis geſta.

32. In altera religioſorum familia excitatur vetus legum obſervantia.

Alii interim in aperto ſole majora moliebantur. Ut alia prætermittam, quantum illud eſt, quod Patres Ferdinandus Lilius, & Balthaſar Michael miſſionum, quas caſtrenſes dicimus, ſpecimen primum in hac provincia dederunt, primique omnium formam tam ſalutaris inſtituti in Germaniam invexerunt? Occaſionem præbuit vir prænobilis Otho Henricus Fuggerus, dum parat auxiliarem militem, nomine Catholici Regis conſcriptum, Cæſari in Bohemiam ducere: namque ille, prius quam itineri ſe committeret, duos popoſcit quos nominavi Patres, ut eſſent ſacrorum miniſtri, ſibi primum, deinde etiam militibus. Patres ergo in eam expeditionem profecti, obeundam inter milites ſuſceperunt ſacram miſſionem ad earum exemplum, quas alibi inſtitutas in Belgio dicebamus, primique Germaniæ Patribus commonſtraverunt, quantus chriſtianæ charitati locus inter arma ſit. Fuit exercitus Cæſaris ad plures dies in caſtris circa Bubiemum. Ibi cum conſediſſent etiam copiæ Fuggerianæ, Patres moram illam in quæſtu ponentes, nihil ſibi reliqui ad laborem apoſtolicum, & ad charitatis officia fecerunt. Conciones habebant quotidie, milites tum privatim, tum publice ad deteſtationem criminum hortabantur, ſacra petentibus miniſtrabant, omnium neceſſitatibus præſto erant. Graſſari cœperat in caſtris exitialis lues, quam vocabant Hungaricam, multoſque militum proſternebat. Ea nihil conterriti Patres, obire tabidorum contubernia, aſſidere eorum lectulis, nullam rem prætermittere, qua ægrorum vel animis, vel corporibus ſolatium afferrent: quibus laboribus dum inſiſtunt, ambo peſtem contagione contraxerunt, ſed Deo bene juvante revaluerunt. Mirabantur tam eximiam charitatem duces pariter, militeſque gregarii; duos vero Patres, tanquam parentes ſuos veros atque optimos, diligebant, & obſervabant in tantum, ut eorum reverentia, nulli jam verbum excideret liberius, aut minus pudicum: id quod in militari licentia vix credibile. Sed gradum ad alia faciamus.

33. Initium miſſionum caſtrenſium in Germania.

34. Patrum labores, & res geſtæ in caſtris prope Bubiemum.

Provinciæ Auſtriacæ calamitoſum maxime hunc annum obitus Matthiæ auguſti fecit. Nihil ſane accidere opportunius poterat Bohemis hæreticis, ut in apertam rebellionem prorumperent. Illo enim vivo, etſi jugum re ipſa excuſſerant, tamen externa ſpecie profitebantur adhuc debitam Regi fidem: quin ad ejus majeſtatem vindicandam ſe ſuperis approbantibus arma ſumpſiſſe gloriaban-

35. Res Provinciæ Auſtriacæ. Obitus Matthiæ Cæſaris, ubi de adoptione Ferdinandi.

Digitized by Google

bantur. At nunc larvam abjecerunt penitus, & contra novum regem nefaria arma ſtrinxerunt. Tamen, ut facile, ac porro uſitatum eſt in delictis atrocioribus aliquam recti ſpeciem fingere, rationem excogitarunt, quam perfidiæ obtenderent. Nullos neque Matthias Cæſar, neque duo ejus fratres Maximilianus, & Albertus ſuſceperant liberos. Id reputans Cæſar jam ſenior, ut conſtituto ante mortem hærede conſuleret regnorum tranquillitati, patruelem ſuum adoptaverat Ferdinandum, Stiriæ, Carinthiæ, Carnorumque Archiducem, probantibus adoptionem, raro admodum moderationis exemplo, fratribus Maximiliano, & Alberto, & jus ſucceſſionis patrueli cedentibus. Eo nequaquam contentus Matthias, biennio ante quam moreretur, indicto conventu ordinum Pragæ, ſucceſſorem ſuum comitiis propoſuerat agnoſcendum jam tum, & ſiquidem ita placeret, (quod tamen ſine cujuſquam noxa fieret) eligendum: quo in conventu, quamquam vehementer reclamarent hæreticorum non pauci, omnemque moverent lapidem ne Imperatoris relatio reciperetur, vicerat tamen numero pars, cui placebat regnum ad Ferdinandum deferri. Salutatus itaque fuerat Rex Bohemiæ Ferdinandus, hac tantum impoſita lege, ut nullam partem publicæ adminiſtrationis attingeret, vivente Matthia: Regem autem ita renunciatum iidem ordines ſolemni cærimonia inauguraverant, & in ejus verba juraverant. Bohemorum exemplum imitati fuerant haud multo poſt Hungari in ſuis comitiis, & Ferdinandum eadem atque illi conditione regem creaverant. His nihilominus ita conſtitutis, Utraquiſtæ in Bohemia, ut de morte Matthiæ nunciatum eſt, nihil penſi habentes, neque decreta conventus, cujus pars ipſi fuerant, neque religionem ſacramenti, quod dixerant Ferdinando, totis coorti ſunt viribus, ut optimum Principem ab regno depellerent. In tam aperta perfidia ut viderentur, non tam vi, quam jure graſſari, ad omnes Germaniæ Principes circummittunt communes litteras, calumniantes, non legitima electione, ad extortis fraude ſuffragiis Archiducem Stiriæ ad regnum prorepſiſſe: non itaque illum eſſe verum Bohemiæ regem, neque hoc nomine admittendum cum jure ſuffragii in conventu Septemvirum Francofordienſi ad dandum Cæſari ſucceſſorem: ejus loco affuturos a ſe legatos, vacui regni perſonam ac jura ſuſtinentes. Quæ cum molirentur perduelles, eodem tempore veriti, ne Ferdinandus (quod evenit) ipſorum ingratiis Romanum Imperium conſequeretur, ac deinde auctus potentia armis aſſertum veniret ſuum jus, ſollicitare ad defectionem finitimas regiones, & externis fœderibus ſe munire ſtudebant. Primo hæreticos Luſatiæ, Sileſiæ, & Moraviæ in ſocietatem nefariæ conſpirationis trahunt. Pertentant deinde Hungaros, eorumque multos hæreſi ſimiliter corruptos, ut paulo infra dicemus, ad impium fœdus feriendum impellunt ſub Gabriele Bethlemio Gabore, nullius fidei, & magnæ ambitionis Principe, qui Turcarum ope dominans in Dacia, jamdiu imminebat Hungariæ, & tacita ſpe Bohemiam quoque obtinendi ducebatur. Poſtremo factionis capita, indicto Pragæ conventiculo, quem falſo conventum ordinum appellabant, regnum abrogant Ferdinando, ejuſque loco regem Bohemiæ creant Fridericum Septemvirum Comitem Palatinum Rheni, pro certo ſumentes, magna potentia Principem haud modicas vires ad firmandam ſibi regni poſſeſſionem allaturum. Ejus re ipſa partes defendendas ſuſceperunt multi in Germania Principes proteſtantes, unde bellum Cæſari creatum eſt longum, atque difficile. Sed quæ deinde ſecuta ſint, utque anno interea proximo attriti fuerint Bohemi rebelles, ut Palatinus regnum injuria occupatum, & paternam præterea ditionem amiſerit, in loco referemus.

36. Bohemi hæretici Ferdinandum contumaciter reſpuunt.

37. In partem rebellionis trahunt hæreticos Sileſitas, Moravos, Hungaros.

38. Regem ſibi creant Fridericum Electorem Palatinum.

Nunc ut ad res Societatis tot inter motus reipublicæ afflictas redeamus, ſimul ac Moravi, ac Sileſitæ, inito cum Bohemis fœdere, Ferdinandum abjecere, Societatem quoque noſtram æterno exilio damnarunt. Et Sileſitæ quidem nihil ultra potuerunt, quam ut nobis ſuis finibus interdicerent: nullum enim exſtabat apud eos domicilium, unde Societas poſſet expelli. Solummodo igitur edictum promulgatum eſt, ne quis è noſtris veniret in Sileſiam, ne quis ullum re-

39. Proſcribitur Societas in Sileſia, etiamſi nullam habens ibi ſedem.

Digitized by Google

reciperet hominem Societatis, aut uspiam consistere pateretur. Pœnæ graves contra facientibus constitutæ. At in Moravia jamdiu habebat Societas domum primæ probationis Brunæ, quæ provinciæ primaria civitas est: præterea amplum Olomucii collegium, cum academia; & nuper stationem certam ac stabilem collocaverat Holeskoviæ. Ex his locis socii amplius centum uno fere eodemque tempore ejecti fuerunt. Brunam occupaverant perduelles Majo ineunte.

40. Tota Moravia Societas jubetur excedere.

41. Edictum proscriptionis Brunæ editum contra Societatem.

Pridie Nonas ejusdem mensis indicitur nostris exilium. Nimirum post militem præsidiarium in sua verba sacramento adactum, proxima Societatis pellendæ cura fuit. Decretum proscriptionis erat in hæc verba conscriptum. „ Nos Barones, Equites, & e civitatibus delegati ex statibus & incolis marchionatus Moraviæ, religionis Evangelicæ, corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi sub utraque sumentes, in civitate Brunensi simul congregati, notum facimus hisce litteris omnibus eas lecturis, vel audituris, ibique maxime ubi id fieri oportuerit, significatum nobis fuisse a Dominis Statibus regni Bohemiæ, non solum per editam in vulgus apologiam, sed per litteras complures, & alia argumenta, id quod orbi universo exploratum est, quibus artibus & machinis secta Jesuitarum ad publicam perniciem grassata sit, non solum in memorato Bohemiæ regno, verum etiam in aliis locis & provinciis: & habentes pro certo, illos pessimorum auctores esse consiliorum, perturbatores regnorum, & exitiorum machinatores, uno consensu statuimus eosdem e marchionatu Moraviæ in perpetuum ejicere. Quamobrem vobis rectoribus, magistris, scholarum moderatoribus, & omnibus ad unum Jesuitis, quicunque in hoc marchionatu Moraviæ, in ejus civitatibus, oppidis, & aliis quibuslibet locis versamini, serio præcipitur, ut Dominis Commissariis a nobis ad vos missis, statim, sine mora, sine ulla excusatione, claves collegii & templi sponte tradatis, & inde post edictum hoc promulgatum continuo demigretis; intra triduum vero ex hoc Moraviæ marchionatu penitus excedatis, ita ut in eo nullus vestrum, neque secta, aut instituti vestri deinceps, in perpetuum, quocunque prætextu, aut nomine reperiatur. Quo firmiores vero sint nostræ litteræ, illas nominibus nostris, & chirographis munitas esse voluimus. Datum Brunæ VI. Maji MDCXIX. „

42. Indicitur exilium Sociis Brunensibus.

Decreto in hunc modum condito, duo ex proceribus ab ordinum conventu delecti, magna populi caterva comitante, ad domum Brunensem Societatis se conferunt, una circiter ante meridiem hora, qua prorsus hora nostri omnium quæ gerebantur ignari ad mensam convenerant. Ibi pro templi foribus, quasi jus dicturi, consistentes, adesse Rectorem primo, tum quantum domi esset sociorum sibi confestim sisti jubent. Domi erant octo tantum supra quadraginta: nam duos & triginta novitios rector futuri præscius alios alio mature dimiserat. Cum adessent omnes, præter duos ægrotos, qui prodire non poterant, magna voce recitatur ferale decretum, jubenturque omnes pariter, nulla interposita mora, migrare domo. Rector superos homineſque contestatus, nihil a se suisque admissum ex illis, quæ Societati objiciebantur, spatii nonnihil oravit, quo se ad discessum compararent. Nihil impetratum. Coacti omnes cum pallio duntaxat, petaso, & quotidianæ psalmodiæ codice proficisci. Ne data quidem ægrotis facultas remanendi, sed excussi confestim cubilibus, & in alienas deportati sunt ædes, donec præsto esset currus, quo extra urbem aveherentur. Digressis Patribus, decretum alterum præconis voce publice recitatur in foro, quo decreto docebatur populus quid actum esset, simulque tacite concitabatur in Patres. Auctores enim dicebantur esse, quod religio evangelica (ita suam hæresim isti, si superis placet, Evangelii reformatores appellabant) in dies magis obsoleſceret. Tamen in extrema parte scriptum erat, capitale futurum, si quis e populo abeuntibus molestiæ quidpiam, aut injuriæ intulisset: id quod qua mente additum fuerit, incertum. Sane discedentes Patres insana plebecula conviciis, atque omni ludibrio prosecuta est; nulli tamen pœna vel levissima irrogata. Sed qui innocentiam opprimunt injusta vi, quas non licere sibi sycophantias putent?

Vix

Digitized by Google

Vix Patres ad quartum proceſſerant ab urbe lapidem, cum exoritur improviſum incendium in Brunenſi ſuburbio, cui vicina erant prædia neſcio quæ Societatis, ſpargiturque momento rumor, injectum ab noſtris ignem, ut ne ſaltem inulti diſcederent. Ea res cum traderetur ut certa, & a magiſtratibus crederetur, procurrit emiſſa celeriter cohors militum cum mandatis, ut reducat eos in urbem ultimo mactandos ſupplicio. Diverterant noſtri in pagum (Durzæ nomen eſt loco), quo meliori olim tempore ſoliti fuerant cum ſacro miniſterio excurrere, ſubjerantque in domum Parochi, veteris hoſpitis, & amici. Dum nonnihil reſpirant ab itinere, & duos de ſuo numero poſt ſe relictos opperiuntur, accurrunt trepidi nuncii, venire effuſo curſu turmam equitum armatorum, & de Patribus quærere: duos intercepiſſe jam, & valde vereri ſe, ne etiam necaverint: irruiſſe quidem certe in eos ſtrictis gladiis, minaci ore, directiſque tormentis manualibus: eandem ſine dubio fore cæterorum ſortem, niſi celeri fuga ſe ſubduxerint. Patres triſti nuncio conterriti, cum nulla pateret ſalutis via, confugiunt in ſacram ædem, excepturi fortiter ante aram B. Virginis quidquid de ſe furor hæreticorum conſtituiſſet. Adſunt paulo poſt armati, vocibuſque inconditis, atque ore truculento malum denunciant oppidanis, niſi ſibi confeſtim Jeſuitas, mortalium peſſimos, incendiarios, latrones, mille cruces promeritos in manus tradant. Comperto eos deliteſcere in eccleſia, huc illico furentes convolant, occluſas effringere conantur fores, atrocia quæque vociferantes. Actum illa die de ſe crediderunt Patres. Rati non temere, ſe ſolo odio catholicæ fidei ad cædem quæri (nam quid aliud ſuſpicarentur?) laxatis ultro foribus, ſeſe ad ictum accipiendum componere, nudare colla, cervices offerre. Dux militum ſtricto acinace ſingulos, tanquam illico percuſſurus, invadebat, & maledictis proſcindebat. Ad extremum foras prodire omnes jubet. Cum negarent alibi occidi velle, quam ante aram Deiparæ: Moriemini ſane, ait ille, ſed in foro palam, ſed manu carnificis: vos interim Ordines retrahi Brunam jubent, ad dicendam cauſam incendii, quod excitaſtis. Ad hanc vocem mirari vehementer Patres, unde ſibi tale inferri crimen potuiſſet, de quo tunc primum audirent. Conſcientiæ fiducia erecti, nihilque aventes magis, quam ejuſmodi rei vel apud iniquiſſimos Judices cauſam dicere, paruerunt, & ſe militibus ducendos præbuerunt. Brunæ interim ut cognitum eſt Patres redire, vix credibile ut commoti incitatique fuerint hæretici. Partim in publicum egreſſi, partim e feneſtris proſpicientes, reduces cum ingenti convicio exceperunt, pergentibuſque miſerabili agmine a porta ad prætorium omne probrorum genus ingeſſerunt, latrones, homicidas, incendiarios appellantes, rogum, & rotam, & ſi quæ ſunt atrocioris inſtrumenta ſupplicii minaciter denunciantes. Ægre temperatum eſt, quin impetum in eos facerent. Et feciſſent plane, niſi in tempore auctor incendii patuiſſet. Sed innocentiam protegentibus ſuperis, opportune prodiit in medium mulier ruſtica, atque ultro confeſſa eſt, malum, cujus Patres arguerentur, apud ſe ortum habuiſſe: ſe, dum ignem domi parum caute accendit, incendium imprudenter excitaſſe: evolaſſe favillam in ſtramineum caſæ culmen, atque inde flammam in proxima pervaſiſſe. Ea vox civitatem metu, noſtros ingenti periculo liberavit. Re cognita Magiſtratus, lætitiam ingentem præſeferens, Patrum innocentiam decreto teſtatur, patientiam moderationemque commendat; vix non confeſſus, ideo tantum pelli, quod religionem catholicam, & fidem adverſus regem acrius tuerentur, quam ferre poſſent hæretici, & perduelles. Toto adhuc triduo retenti ſunt in prætorii ædibus, & per quam liberaliter habiti. Placuit deinde, ſumptu publico civitatis eoſdem uſque ad fines Auſtriæ deportari, tot paratis curribus, quot opus eſſe rector indicavit. Poſtremo datæ abeuntibus litteræ liberi commeatus, addito militari ad vim arcendam præſidio.

Quo die lex proſcriptionis Brunenſi domui probationis denunciata fuit, eodem irrogata eſt collegio Olomucenſi. Decreti capita duo erant præcipua. Primum cauſas exilii exponebat, alterum collegii, & templi claves reddi jubebat;

43. Ex itinere revocantur ob incendium fortuito excitatum.

44. Confugiunt in ſacram ædem B. Virginis.

45. Militibus ſe ducendos permittunt.

46. Excipiuntur Brunæ ab hæreticis per quam crudeliter.

47. Innoteſcit auctor incendii, Patrum innocentia declaratur.

48. Poſt triduum cum honore iterum dimittuntur.

49. Migrare jubentur noſtri e collegio Olomucenſi.

Digitized by Google

bebat. Statim atque decretum allatum eſt, P. Petrus Ximenius collegii rector, oculis ac manibus in cœlum ſublatis, Deum O. M. ſuperoſque teſtes fecit, cauſas proſcriptionis falſas, & commentitias eſſe. Tum collegii quidem claves obtulit, ſed quæ præterea poſcebantur templi claves, eas negavit ſe traditurum. Jam illas, inquit, tradidi ſacro magiſtratui, ad quem jure pertinent: nec minas veſtras moror, aut paratam a vobis necem. Diſcedemus, ſed excuſſo prius pedum noſtrorum pulvere, ut Chriſtus præcipit. Mirati orationis fiduciam Commiſſarii reſpondent, veniſſe ſe ſignificandi decreti cauſa, non diſputandi. Neque ego hæc diſputandi cauſa dixi, ſubjecit Rector, ſed innocentiæ tuendæ. Jam alter a ſexageſimo annus eſt, cum Societas Olomucii verſatur. Nemo nobis quidquam hactenus ex iis, quæ vos narratis, objecit; niſi forte loco criminis ponitur juventutem bonis moribus & litteris excolere, populo viam ſalutis oſtendere, bene de omnibus mereri. Hæc ſtudia fuiſſe noſtra, hæc munia, ipſimet idonei teſtes eſtis. Unum video quod objici nobis poſſit: Religioni catholicæ ſupra quam ferre poſſint hæretici, addicti ſumus. Hoc ſi noſtrum eſt ſcelus, minime recuſamus quin fortunam quamlibet pro tam illuſtri cauſa ſubeamus. Audiebant dicentem taciti: quid enim inficiarentur? Perrexere nihilominus claves templi poſtulare. Ximenius negare perrexit, quippe jam traditas Decano Capituli Olomucenſis. Is cognito Patrum periculo, & vim non temere timens, advenit medius, & creditas ſibi claves Commiſſario reddidit. Triduum noſtris datum, ut de rebus collegii mobilibus arbitratu ſuo ſtatuerent. Eodem fere modo, ac tempore, qui Holeskoviæ degebant quatuor, vel quinque ſocii, ſedem deſerere, & in Auſtriam migrare coacti ſunt.

50. P. Petrus Ximenius rector tradere recuſat claves templi.

51. Decanus capituli eas reddit. Patres Olomucio diſcedunt.

Is erat ſtatus rerum in Moravia, cum interea ſectarum gregales in Hungaria, Bohemici motus conditionem ſecuti, a Ferdinando Rege pariter defecerunt, & Gabrieli Bethlemio, ſive, ut more patrio appellabatur, Bethlemio Gabori Daciæ Exarco ſe tradiderunt. De quo homine quia frequens nobis recurret in annalibus mentio, non erit fortaſſe otioſum hoc loco pauca proloqui. Gente Dacus, & nobili quidem natus erat loco Gabor, ſed fortuna admodum tenui. Hanc ut amplificaret, profectus Conſtantinopolim, regem Turcarum multiplici obſequio demereri ſtuduerat diu. Inde redux in Tranſilvaniam, adhæſerat Gabrieli Bathoreo, qui Turcæ beneficiarius ibi regnabat. Bathoreus hominem videns peracri ingenio, fervidum, conſilio manuque promptum, & magnis gerendis rebus idoneum, illum in intimam amicitiam recepit. Unum neglexit quærere, quod tamen erat præcipuum, utrum fidus eſſet futurus. Sed quid adeo fallax, ac fides hominis ambitioſi? Qui ſemel ex imo niti cœpit ad ſumma, nullam aſpernari ſolet viam augendæ fortunæ: bonas, & malas artes perinde habet, ſi proſint tantum. Gabore uſus eſt amiciſſimo Bathoreus in ſecundis rebus: inimiciſſimum expertus eſt in adverſis. Accidit ut contra Bathoreum, ob imperii ſævitiem, rebellarent Tranſilvanorum plerique. His ille ad obſequium redigendis cum indigeret ope Turcarum, Gaborem miſit Temeſiam cum mandatis, ut a præfecto regionis auxiliares copias expoſceret. Mandatis addidit magni pretii munera, quibus venalem præfecti animum demereri poſſet facilius. At homo perfidus, quibus muneribus Turcam ſuo principi conciliatum venerat, illum emit ſibi. Quin Bathoreum criminatus ut dubiæ hominem fidei, qui ſpreto Turcarum imperio reſpiceret ad Auſtriacum, pollicituſque, ſi ſibi ejus ditio traderetur, ſe vero in poteſtate Othomanum ſemper fore; perfecit denique, ut ſibi Rex Turcarum Achmetes militum auxilia decerneret ad occupandam Tranſilvaniam, pellendumque Bathoreum. Neque id difficile factu fuit. Deſertus quippe a ſuis Princeps infelix, defenſores non habuit domi. Matthias vero Cæſar, a quo afferri ſubſidium debuiſſet, non iis tunc erat viribus, quibus contra tantas Turcarum opes obniti poſſet. Sic Tranſilvaniam obtinuit Gabor ut perfidiæ præmium. Quibus vero artibus proditor imperium erat adeptus, iiſdem poſtea augere ſtudebat, ſolitus omnia retinendæ, aut amplificandæ dominationis præſidia honeſta ducere, fidem & jusjurandum, ut res & utilitas po-

52. Acta in Hungaria. Bethlemii Gaboris indoles, & inſignis perfidia.

Digitized by Google

poſceret, ſervare, aut fallere. His jam inſtitutis inſiſtens, ubi primum cognovit hæreticos in Pannonia res novas moliri, eodem tempore Turcis Bohemiſque ſcripſit, fidem atque operam ſuam aliis adverſus alios offerens, unum ſpectans, ut utrinque auxilia compararet, quibus Hungaria potiretur. Non latuerunt hominis fraudulenta conſilia. Interceptæ ſunt ejus litteræ, in quibus exſtabant documenta animi ſubdoli, verſipellis, ſua utilitate metientis omnia. Tamen Hungarorum quamplurimos adeo excæcaverat novarum rerum cupiditas, ut huic veteratori, & Turcarum mancipio ſubeſſe mallent, quam Ferdinando Auſtriaco regum piiſſimo, juſtiſſimoque.

53. Gabor ducem ſe præbet Hungaris contra Ferdinandum.

Percutitur itaque fœdus impium inter Gaborem, Hungaroſque perduelles, atque ita convenit, ut ad condictam diem hi feralę rebellionis ſignum tollant, ille Caſſoviam ſuperioris Hungariæ urbem amplam invadat. Quibus conſtitutis rebus, ecce tibi circa initium Auguſti arma ſumunt magno numero Hungari, maximam partem hæretici: regnum in plura agmina diſtributi percurrunt, omnia cædibus & rapinis miſcent: Eccleſiæ vero miniſtros aut ſpoliant bonis, aut vertere ſolum cogunt. Noſtri, qui ſe præ cæteris peti ſcirent, tempori diffugiunt. Duo erant toto regno collegia Societatis, Homonæ unum, alterum Tyrnaviæ. Utrumque ad primum fragorem ingruentis turbinis deſertum eſt. Homonenſis familia in vicinam Poloniam evaſit, in Auſtriam Tyrnavienſis. Nonnullos Sacerdotes Præpoſitus provincialis apud catholicos proceres diſtributos reliquerat. His etiam brevi migrandum fuit. Nam cum Gabor Poſonium uſque cum ſuis, & perduellium copiis eſſet progreſſus, celebratum ibi eſt publicum regni conſilium, ex eaque hæreticorum colluvie decretum atrox prodiit contra Societatem, quo noſtris hominibus igne, ut ajunt, & aqua tota interdicebatur Hungaria. Id autem ut innotuit, quicunque noſtros apud ſe detinebant, eos quamprimum dimiſerunt. Ædes collegii Homonenſis vaſtatæ ſunt. Tyrnavienſe domicilium miniſtri Calvinianorum ſuis uſibus aptaverunt: templum, aris dirutis, gregalium concionibus ſervaverunt. Malis tamen auſpiciis factum concionibus initium. Dum primus indicitur pulſu æris campani cœtus, nolæ agitator reſte, neſcio quo pacto, implicitus, impetu propulſi æris in altum rapitur, dejiciturque e proxima turris feneſtra in præceps: quo caſu male multatus, intra breve tempus occubuit. Triſte omen gregales adeo conterruit, ut nemo jam vellet tale miniſterium attingere.

54. Hungari hæretici cum Gabore conſpirant, & arma capiunt.

55. Collegia Homonenſe, & Tyrnavienſe a noſtris deſeruntur.

56. Societas in conventu perduellium proſcribitur.

57. Cujuſdam hæretici mors luctuoſa Tyrnaviæ.

Cæterum ſatis viſum non eſt perduellibus Societatem tota depellere Hungaria. Uſque ad ſanguinem ſævitum eſt: & forte magnam omnium noſtrorum occidionem faciebant, niſi plerique crudelitatem inſectantium fuga prævertiſſent. Caſſoviæ duo verſabantur Patres, Stephanus Pongratzius, & Melchior Grodecius, ſumptoque hoſpitio apud Andream Doczium Cæſareæ militiæ in eo tractu præfectum, catholicis Caſſovienſibus ſedulam operam navabant. Cum adeſt ad portas urbis Georgius Rakoczius (nobilis Tranſilvanus erat is, & copiarum Gaborianarum primarius ductor) ferrum ac flammam civitati denuncians, niſi ſtatim deditionem faceret. Conterriti cives Rakoczium portis patentibus excipiunt, Doczio injiciunt vincula, & hominem præcipua in Deum pietate, nec minori in Regem Ferdinandum fide, hoſti crudeliſſimo dedunt, a quo miſſus in Tranſilvaniam, & veneno poſtmodum, aliiſve artibus veteratoriis de medio ſublatus eſt. Patres cum fuiſſent hoſti ſimiliter traditi, in Doczii ædibus, ubi nunc Societatis collegium eſt, tanquam in cuſtodia tenebantur, collocatis ad fores militibus decem, qui caverent ne quis illorum efferret pedem, neu quis ad ipſos litteras, aut aliud quidpiam inferret. Et forte cum Patribus erat Marcus Criſinus Canonicus Strigonienſis, olim collegii Hungarici Romæ alumnus, nunc Societatis fautor egregius, & in opere evangelico ſtrenuus adjutor. Hujus ſacerdotium quoddam cum occupaſſet haud ita pridem Rakoczius, profitebatur nunc reddendum ipſi quidquid ablatum erat, ſi modo tranſire ad Calvini partes vellet, & ab Alvinzio Calviniſtarum primipilo miniſtro facti teſtificationem ſumere. Idem ſi facerent Patres, benigne liberaliter-

58. PP. Stephanus Pongratzius, & Melchior Grodecius capiuntur Caſſoviæ.

59. Cuſtodiuntur una cum Marco Criſino Canonico Strigonienſi.

60. Patres, & Criſinus ad defectionem fruſtra ſollicitantur.

Digitized by Google

literque habendos promittebat. Exhorruit ad conditionem impiam Crisinus, & nuntium improbissimæ optionis acribus verbis castigavit. Pari constantia firmitateque responderunt Patres, palam professi, non modo bona fortunasque omnes, sed vitam ipsam sibi religione catholica posteriorem fore. Efferatus responso Rakoczius, Crisinum & Patres acerbe vexari, ac præsertim crudeli torqueri inedia jubet. Hanc toleraverant aliquandiu: cum occasionem captans tentandæ illorum constantiæ Calvinista, carnes feria sexta obtulit, non sine joco, & præcepti ecclesiastici contemptu. At aversati profanum hominem viri fortes, facessere cum dono suo illum jusserunt. Unum rogaverunt, ut si quo humanitatis sensu tangeretur, aquæ cyathum ne denegaret; nam siti enecabantur. Risit ille, ac negavit. Milites interea, qui prædam potius quam ipsorum sanguinem sitirent, summam ingentem pecuniæ postulant, si salvi esse velint. Patres votivam paupertatem commemorant: se piorum liberalitate sustentari: nihil habere, polliceri nihil posse. Crisinus aliquid promisit, sed cum præsenti pecunia careret, rejectus est.

61. Cruciantur crudeliter, & necantur.

Frustrati sua spe scelerati, vim tormentorum parant, & mactare innocentes statuunt. Ingreditur ad vinctos VII. Idus Septembris Joannes Reinerus, catholicorum capitalis hostis, sicariorum manu stipatus. Nudari Christi famulos, atque iis quæ infra ventrem sunt partibus per summam immanitatem truncari jubet. Tum Crisinum invadens nominatim, ac vehementer increpans, quod gente Hungarus in perniciem patriæ cum mortalium pessimis conspirasset, ejus latera ardentibus perurit facibus adeo crudeliter, ut liquato adipe totus difflueret. Eum denique capite amputato sternit. Properat deinde ad Pongratzium, & titulum sæviendi quærens, quasdam ut proferat litteras rogat, quibus conjurationem contra reformatos initam contineri affirmabat. Neganti vero ejusmodi litteras sibi fuisse unquam visas, primo singulos manuum digitos comminui, tum latera ustulari tandiu jubet, donec nuda exstarent ossa. Quod cum a tortoribus fieret, ipse Pongratzium alloquens, omissa mentione litterarum, illam rem postulabat unam, ut diceret, velle se ad reformatos accedere. Id si diceret, non modo vitam, sed honores præterea, & opes offerebat. Frustra hæc sunt, ait P. Stephanus: Mihi omnino deliberatum ac certum est necem quamcunque prius excipere, quam a religione vera desciscere. Hæc dicentem unus satellitum, incussa pectori ferrata clava, tam valide percussit, ut in vestigio velut exanimatus conciderit. Irruunt in jacentem alii, spiranti insultant, caput circumacto fune constringunt, collum crudelem in modum obtorquent. Mortuum rati, ad P. Grodecium convolant, iisdemque fere tormentis tentatum, & ad omnia immotum, multis impositis vulneribus necant. Corpora in cloacam projiciunt, fimo, & ruderibus tegunt. At Pongratzius spirabat adhuc, & inter acerbissimos dolores cum morte luctabatur. Gementem audiit quidam ex prætereuntibus orthodoxis: accessit ad locum propius, numquid vellet rogavit. Cui ille voce intermortua: *Vale*, inquit, *fili*, *& vide quæso, ne cujus horrore supplicii a vero Dei cultu deficias*. Perstitit vir invictus in illis sordibus horas circiter viginti, donec odoris fœditate, & vulneribus confectus, spiritum Deo reddidit VI. Idus Septembres, ipso die natali B. Virginis, cujus amplificare cultum summa ope semper studuerat. Paucis post diebus cæsorum corpora jussu magistratuum de medio foricæ transferuntur in sterquilinium. Sed in eo cum jacuissent sex mensibus, decentiori tumulo componenda curarunt Sigismundus Forgatzius, ejusque conjux Catharina Palphia, qui id ut liceret veniam exsculpserant a Gabore. Tunc absterså sordibus, & purpureo amiculo involuta, in pagum nescio quem proximum deportata fuerunt, & in templo Catholicorum cum honore condita. Annis vero quindecim interjectis, hinc quoque educta, Tyrnaviam in templum Societatis deferuntur.

62. P. Pongratzii diuturnior cruciatus, & mors serior.

63. Quid factum sit cæsorum corporibus.

64. Singulare documentum virtutis a P. Pongratzio editum.

Hungarus natione erat P. Pongratzius, agebatque cum mortuus est annum ætatis sextum supra trigesimum, ab inita Societate duodevigesimum. Quanta esset virtute ornatus, licebit conjecturam sumere ex una re, quam sub-

Digitized by Google

ſubjicio. Paulo ante quam Hungarorum defectio in apertum prorumperet, Sigiſmundus Peczius vir nobiliſſimus evocaverat illum Caſſovia in vicinam villam, ut eo ſacrorum miniſtro uteretur. Increbuit paulo poſt rumor, appropinquare Rakoczium, & Caſſoviam cum infeſto exercitu petere. Nec mora. Pongratzius veniam revertendi Caſſoviam rogat. Mirari tam inexpectatum, &, ut videbatur, imprudens hominis conſilium Peczius: temeritatem coarguere, vix non fatuum dicere, qui furentibus hæreticis objicere caput vellet Caſſoviæ, & periculi magnitudinem non videret. Video equidem, reſpondit Sacerdos; ſed magis moveor tot Catholicorum ſalute, quæ in diſcrimen adducitur: nec vero fas paſtori lupis imminentibus oves deſerere. Qua reddita digna ſane Evangelico miniſtro voce, ut multum hoſpes dehortaretur, in urbem rediit, certus vim quamlibet tormentorum, ac necem ipſam prius ſubire, quam tali tempore pio gregi deeſſe. Paulo inferior ætate, ſed non virtute erat P. Melchior Grodecius in Sileſia natus. Triginta quinque numerabat vitæ annos, quorum ſexdecim in Societate confecerat. Non eſt hoc loco prætermittendum, quod potiti Caſſovia hæretici mactandos contendebant omnes Catholicos, quicunque intra urbem reperti fuiſſent: qua de re cum audiſſet Senatus, crudelitatem exhorruit, atque id modo illis conceſſit, ut de Sacerdotibus, qui Doczianis in ædibus cuſtodiebantur, quod videretur ſtatuerent. Ita Senatus indulgentia improbi laxas nacti ex una parte habenas, quæ contrahebantur ex altera, quam in omnes Catholicos parabant immanitatem, in tres iſtos effuderunt. Exſtat in Romano Societatis tabulario authenticum inſtrumentum Emerici Loſy electi Epiſcopi Waradinenſis, anno MDCLXI. confectum, in quo recenſentur teſtes idonei rite interrogati, qui omnes confirmant, non aliam ob cauſam Criſinum, Pongratzium, atque Grodecium, quam propter odium catholicæ religionis interfectos fuiſſe. Item alterum inſtrumentum Franciſci Leonardi Szegedy, electi Epiſcopi Tranſilvanienſis, de prodigiis per Chriſti ſervos editis, & per juratos teſtes legitime confirmatis, quod exaratum eodem anno ſæculi ſexageſimo primo fuit. P. Alexander Dobokajus collegii Homonenſis rector, cujus infra obitum referemus, virtuteſque laudabimus, in relatione quam de eorum nece tranſmiſit ad Mutium Generalem, illud præter alia narrat, uni carnificum hæſiſſe in veſtibus guttas aliquot ſanguinis, quem corpora interfectorum emiſerant, & quidem adeo tenaciter, ut nulla deinceps fullonis arte abſtergi potuerint. Mutatas fuiſſe veteres veſtes novis, & in his etiam cruentas maculas apparuiſſe. Sed nos ab his, & ſimilibus abſtinemus.

65. Eorum cædem permittit Senatus, & quare.

66. Documenta quædam, religionis cauſa fuiſſe interemptos.

Dum hæc patiebatur Societas in Hungaria, Lincienſes in Auſtria ſuperiore (cujus etiam magna pars, fœdere cum Bohemis inito, defecerat a Ferdinando) de evertendo collegio noſtro, pellendiſque Patribus deliberabant. Ne facerent in cauſa fuit P. Joannes Oſtorpius rector, cujus auctoritate & gratia ſententiam mutarunt. Bene autem illis ac fortunate ceſſit, quod Societatem retinuerint. Anno proximo victi a Maximiliano Bojorum duce, coactique a victore leges accipere, non alios apud eum deprecatores habuerunt, præter noſtros, eorumque maxime deprecatione obtinuerunt, ne pro merito plecterentur. Cæterum ante quam hic annus exiret, cum eſſet belli alea adhuc incerta, collegium Crumlovienſe in Bohemia recuperavimus. Crumlovia enim, urbs Cæſari ſemper fida, ut adventare ejus militem ſenſit, perduellium imperium aſpernari magno animo cœpit, nec dubitavit Societatem ab iis æterno exilio damnatam ad ſe ſtatim reducere, ipſis inſpectantibus, ac nequidquam frementibus. Redierunt Crumloviam decimoſexto quam exierant menſe Patres, ſumma civium gratulatione recepti. Pauciores tamen fuerunt initio, quam antea ſoliti eſſent, quippe fundis magnam partem direptis, & difficili propter belli calamitates annona. Atque hic demum erat anno præſenti ſtatus Societatis in Auſtria, Hungaria, Bohemia, Moraviaque: procelloſus ſane ac turbidus, verumtamen non ita afflictus, ut non eſſet in ſpe altius reſurgendi novi Cæ-

67. Lincienſibus bene vertit quod Societatem non ejecerint.

68. Recuperatur collegium Crumlovienſe.

Digitized by Google

ſaris felicitate atque virtute. Quod quemadmodum deinde contigerit, ſuis infra locis narrabitur.

69. Mors & elogium P. Joannis Deckerii.

Prius interea quam e provincia Auſtriaca diſcedamus, juſta ſunt perſolvenda P. Joanni Deckerio, quem religioſæ virtutes cum eximia eruditione conjunctæ ſingulari elogio dignum reddiderunt. Ex Belgio, ubi natus, educatus, & philoſophica doctrina ſub Leonardo Leſſio excultus fuerat, Romam venit adhuc adoleſcens, ut in Societatem cooptaretur. Cooptatus eſt ab Aquaviva, & Neapolim miſſus, unde poſt confectum cum laude tirocinium, & datam theologiæ operam, rediit Romam. Hinc Belgium repetiit ſacerdotio initiatus, ac philoſophiam primo, deinde etiam theologiam Duaci, ac Lovanii docuit. Migrare poſt hæc juſſus in Germaniam, & collegio Olomucenſi rector impoſitus, poſtquam ea præfectura defunctus eſt, Græcii conſedit, ibique quod reliquum fuit vitæ poſuit uſque ad v. Idus Januarias anni præſentis, quo die vitam præclariſſime actam felici morte concluſit, annos natus quinquaginta novem. Multa ſcripſit ediditque Deckerius, quibus id eſt conſecutus, ut theologicæ ac chronologicæ facultatis ætate ſua ſcientiſſimus haberetur. Plura, etſi luce digniſſima, nondum ſunt edita, de quibus vide Alegambium in bibliotheca ſcriptorum Societatis. At quantacunque floruerit ſcientia, multo illuſtrior fuit religioſa virtute. Pudor illi ſummus: modeſtia in ore, in inceſſu, in toto corporis habitu plus pene dixerim quam virginea. Præter libros, quibus magnam diurni nocturnique temporis partem impendebat, nulla niſi in precibus, aut piis colloquiis voluptas. Divinarum rerum meditatione ſic afficiebatur, ut oranti lacrymæ ubertim exciderent. Sæpe etiam in gemitus, & ſuſpiria quædam vehementiora prorumpebat. Quod cum notatum fuiſſet Neapoli, coacti ſunt moderatores ſeparatum illi cubiculum attribuere, ut ſacrum quo æſtuabat ardorem exhalare liberius poſſet. Majorum quoſcunque nutus excipiebat ſumma, non ſolum alacritate, verum etiam ſimplicitate; rationem obediendi quærens nullam, præter divinam voluntatem, cujus certiſſimos interpretes ajebat moderatores eſſe. Quo in genere illud memoria peculiari dignum, quod in editione cujuſdam operis, quod multorum annorum ſtudio elaboraverat, cum nonnullas ſuboriri difficultates cerneret, diſerte profeſſus eſt, ſi ita juberent moderatores, minime ſe dubitaturum opus illud flammis abſumere, nec vero ob eam cauſam vel leviter turbatum iri. De ſe perquam humiliter ſentiebat: de ſuis lucubrationibus, etſi publico ſapientum judicio valde laudatis, nunquam ſermonem inferebat, ſolitus ſcriptorum omnium laudes libentiſſime audire, præter quam ſuas. Licet multiplici conflictaretur valetudine, nihil neque in victu, neque in cultu corporis ſingulare, aut exquiſitius admittebat: morborum vero moleſtias tacitus ferebat, ac ſi ſenſus omnino expers eſſet. Mortem immaturam excepit incredibili tranquillitate, eamque fuiſſe illi divinitus prænunciatam, haud vana conjectura multi crediderunt. Illud quidem certe conſtat, die Virgini præſentatæ ſacra, poſt peractum rite ſacrificium, miniſtro gratias egiſſe, eumdemque admonuiſſe, nunquam fore deinceps ut ejus miniſterio indigeret: quod inſtinctu plus quam humano dixiſſe demonſtravit eventus: eadem quippe die coactus lecto ſe committere, amplius non ſurrexit. Sed gradum ad alia faciamus.

70. Res Poloniæ. Ponuntur fundamenta collegii Croſnenſis.

De rebus Poloniæ, & Lithuaniæ, poſt annum ſæculi decimum ſeptimum per plures proxime conſecutos, vel nullæ confectæ ſunt litteræ annales, vel certe perierunt. Quare ea duntaxat referemus, quæ ex privatis multorum litteris licuit excerpere. Croſnæ, quod oppidum eſt Ruſſiæ in diœceſi Premislienſi, tribuitur Societati domicilium & cenſus, liberalitate viri nobiliſſimi Petri Bal. Is olim hæreſi innutritus cum veniſſet in Germaniam, contracta familiaritate cum Patribus Gregorio de Valentia, & Jacobo Gretſero, eorum hortatu hæreſim ejuraverat Ingolſtadii: quo beneficio ſe quammaxime obſtrictum Societati prædicans, grati animi cauſa fundum inædificando Croſnæ collegio, & dotem aptam

Digitized by Google

aptam offerebat. At cum maxime manus operi admovebantur, deceſſit vir munificus; quodque deterius, hæredes adhuc impuberes futuri erant ſub tutela matris hæreticæ, quæ Societatem peſſime oderat: ut vix ulla de collegio ſpes eo ſublato relinqueretur. Tamen, contra quam putabatur, perfectum eſt ab uxore. Mulier nimirum, quam a nobis aliena, tam viro ſuo addicta, cum interfuiſſet ſolemni orationi funebri, quam de ejus laudibus habuit unus ex noſtris, adeo pio illo officio mitigata eſt erga Societatem, ut nihil dubitaverit mariti cœpta perficere. Quod itaque ille ſupremis tabulis in collegii dotem legaverat, cum fide perſolvit. Cæterum domicilio Croſnenſi nonniſi poſt annos quatuordecim nomen collegii datum. Fundos enim ita devaſtarunt uſitatis incurſionibus Tartari, ut ſi quid inde capiebatur proventus, illud omne perdiu neceſſe fuerit iiſdem reparandis impendere. Interim quod Croſnenſi differebatur, ſtationi Ravenſi Præpoſitus Generalis indulſit. Eſt Rava urbs majoris Poloniæ, in finibus Mazoviæ. Noſter Sacerdos indidem civis, cui certa pecuniæ ſumma de paternis bonis debebatur, ita cum ſuis tranſegerat, ut pro pecunia ſibi debita domum aptam traderent Societati: quæ reipſa cum fuiſſet tradita, degentes in ea domo Patres præfectus urbis Stanislaus Volukius de ſuo liberaliter alebat. Tantam Stanislai beneficentiam ſuperavit hoc anno ipſius frater Paulus Volukius Luceorienſis Epiſcopus. Novis enim coemptis ædibus, & juſto cenſu conſtituto, dedit ad Mutium litteras, enixe illum rogans, vellet in Ravenſi domo ſcholas aperiri, quæquæ fuerat hactenus reſidentia collegio Caliſſienſi obnoxia, deinceps collegium eſſe. Quo impetrato, ſimul fundatoris titulum & jura eſt conſecutus. Sub idem tempus Joannes Kutzborskius Epiſcopus Culmenſis, Societatem cum evocaſſet Bidgoſtium, collegii fundamenta jaciebat. Hæc ut ad optatum faſtigium aſſurgerent, perfecerunt deinde ſua beneficentia, primo Adamus Richlowſckius cum Hedvige conjuge, ornatiſſima femina: tum Gaſpar Dzialinskius tunc decanus Uladislavienſis, poſtea Epiſcopus Culmenſis: denique poſt annos ciciter viginti Georgius Oſſolinskius regni Cancellarius, qui reſidentiam large dotatam, & ædificio auctam in collegium non ſpernendæ magnitudinis mutavit. Ad eundem modum, eodemque fere tempore natæ ſunt reſidentiæ Mariæburgenſis, Valcenſis, & Graudentina. Mariæburgi, quæ urbs eſt Pruſſiæ prænobilis, quatuor Societatis operarii reſidere cœperant ſuperiore anno, ſubminiſtrante ſumptus annuos eodem quem diximus Culmenſi Epiſcopo, Joanne Kutzborskio. Excitata brevi complurium aliorum liberalitas, & ſplendorem novæ ſtationi, & perennitatem attulit. Valcium, oppidum regium in Caſſubria, duos e noſtris acceperat anno proxime evoluto, miſſionem temporariam obituros. Perſpecta utilitate, quæ ex eorum labore percipiebatur, Joannes Goſtomskius loci dominus, Palatinus Uladislavienſis, ſtationem nullo ſtabili cenſu firmatam alere cœpit annua penſione; donec Chriſtophorus Tuczynskius Caſtellanus Poſnanienſis, collata pecuniæ ſumma, perpetuam fecit. Graudentii, quod munitum eſt oppidum in Pruſſia regali, domum accepimus beneficio Joannis Dzienlynskii, qui ſimul collegio Torunenſi dedit, unde paucorum capitum familiam in illa domo tueri perpetuo poſſet. Ut deinde ſedes Graudentina ad collegii dignitatem erecta fuerit, ſuo loco narrandum erit.

71. Reſidentia Ravenſis in collegium erigitur.

Nunc deſerere Poloniam non poſſumus, niſi commemoratis antea quibuſdam beneficiis, quibus ordinis noſtri Cœlites Polonis tam bene de Societate meritis vicem quodammodo reddiderunt. Puer parvulus prope Caliſſium fratrem natu minorem ludendo detruſerat in præterfluentem, & imprudens demerſerat. Mater, invento poſt longum laborem exangui corpore, ad aram B. P. Ignatii confugit, orat, obteſtaturque multis cum lacrymis, filium ut ſibi viventem reddat. Vix preces abſolverat, cum rediit ad vitam puer, & riſu matrem agnovit. Leopoli ignis repens, incertum unde excitatus, duo millia ædificiorum abſumpſerat in ſuburbiis; nec ratio ſuppetebat coercendi victrices, & jam imminentes urbi conſternatæ flammas. Dum ſinguli trepidant, viſus in ſummis mœnibus B. P. Ignatius, medius inter Xaverium, & Stanislaum Koſtkam,

72. Initia collegii Bidgoſtienſis.

73. Mariæburgi, Valcii, Graudentii Societas collocatur.

74. Puer ope Sancti Ignatii ad vitam revocatur Caliſſii.

75. Leopoli incendium extinguitur a SS. Ignatio, Xaverio, & Stanislao.

Digitized by Google

kam, quasi simul ad civitatis custodiam excubarent : qui cum instantem flammam manibus, & pallio repellerent, momento incendium resedit. Jaroslaviæ

76. Aliud miraculum Stanislai Jaroslaviæ. domesticus collegii famulus, dum in ornanda æde operam ponit, de summis scalarum gradibus in præceps fallente vestigio datus, crus fregerat. Stanislai ope invocata, persanatus est tam subito, tam perfecte, ut suum exequi ministerium perrexerit, quasi nihil adversi accidisset. Leopolienses uno eodemque

77. Leopolienses beneficum experiuntur B. Aloysium. tempore inopiam frugum ab anni siccitate, & a Scythis Russiæ fines ingressis vastationem agrorum, & usitatas belli clades timebant. In tanto, ac tam publico metu, supplicationem quadraginta horarum instituunt ad aram B. Aloysii Gonzagæ : nec frustra. Simul decidere copiosus imber cœpit, quo arescentes in agris segetes sunt recreatæ, & Stanislaus Koniecpolskius supremus belli dux Scythas ingenti clade fudit, ac profligavit. Uno die utrumque periculum feliciter discussum est.

78. Res Lithuaniæ. In Lithuania magnam hoc anno collegio Pultovienſi lætitiam attulit Henricus Firleus Episcopus Plocensis, illatis in ædem Societatis sacris corporibus Sanctarum Martyrum Pelagiæ & Eugeniæ, quæ hactenus minus honorifice ja-

SS. Pelagiæ, & Eugeniæ corpora transferuntur in ædem collegii Pultovienſis. cuerant alibi. Ea porro peracta translatio est cum insigni celebritate. Nam præter sacerdotalem ordinem ex universa diœcesi evocatum, affuit rogatu Episcopi ipse Rex Sigismundus, & pompam, qua sacra lipsana exportabantur, una cum regia conjuge Constantia Austriaca, omnique aulico comitatu, usque ad collegii ædem deduxit. Vilnæ res accidit, quæ variis tunc jactata sermonibus ita a nobis referetur, ut est in litteris ad Præpositum Generalem missis. Lu-

79. Rixa orta Vilnæ inter nostros discipulos, & juvenes Lutheranos. theranorum aliqui juvenes de religione disputare ausi cum aliquot gymnasii nostri discipulis, cum ab his valide refellerentur, cœperant suo more adversus Ecclesiam Catholicam injurias, & convicia jactare. Nostris par pari referentibus, acrius incaluerunt ex utraque parte animi. Stringuntur ad extremum gladii, atrox conseritur pugna. Sed qui causa vincebant, & superiores etiam in disputando fuerant, in pugna succubuerunt: permittente id, ut opinor, Deo, ut intelligerent Catholici, contentiones istas & rixas, quantumvis bona mente susceptas, nequaquam placere Numini, nec causam religionis a privatis defendendam esse ferro, sed lingua. Tres Catholicorum graviter vul-

80. Tres discipuli graviter saucii præter spem convalescunt. nerati sunt. Tamen ut appareret, bonam istorum mentem valuisse apud Deum ad excusationem erroris, duo præter humanam opem ac spem brevi convaluerunt. Tertii cum desperaretur omnino salus, decumbenti, atque horam ultimam opperienti, bini derepente astiterunt humana specie Angeli, & siquidem recipere valetudinem vellet, poscendam opem B. Virginis, eique supplicandum dixerunt. Fecit adolescens, quique paulo ante in nulla erat prosperæ curationis spe, momento consanuit.

81. Ferale exemplum juvenis scelesti & contumacis. Longe huic absimilis conditio fuit alterius juvenis, qui cum annos aliquot in Societate exegisset, novissime aut mitti petierat, aut commiserat cur dimitteretur. Is, perinde quasi cum religiosa disciplina jugum quoque divinæ legis excussisset, perditissimis vivebat moribus Vendæ in Lotavia. Dum scelera sceleribus cumulat, & in omnem vitæ licentiam præceps ruit, oppressus improviso morbo, intra paucos dies ad extrema deducitur. Accurrit Sacerdos Societatis, ut opem morienti ferret. Repulsus est illiberaliter admodum, & inurbane. Sacerdos nihilominus, videns ingravescere sensim morbum, & infelicem juvenem properare ad interitum dolens, redit haud multo post : ad lectum accedit propius, quæ sunt talis temporis admonet vel invitum. Ille furenti similis, deficientes colligit vires, & intorto in faciem loquentis sacro, qui forte erat ad manus, cereo: *Abi*, inquit, *bipedum nequissime cum tua confessione: nunquam tu hodie de me apud socios stulte gloriaberis*. Hæc ejus suprema vox fuit. Nam paulo post truci vultu, & ardentibus oculis, spumas agens exspiravit. Sed non defuerunt exempla meliorum. Enimvero flexibilem divinæ gratiæ se præbuit Varsaviæ mulier capite damnata. Sed referre prius juvat, quo pacto retectum fuerit ipsius occultum crimen. Uterum gerens in-

82. Mulieris flagitium miro modo innotescit Varsaviæ.

nu-

Digitized by Google

nupta, ut probrum absconderet, secesserat imminente partu in desertum extra urbem agrum, ibique clam omnibus enixa, fœtum reliquerat abditum inter cespites, frigore, atque inedia necandum. Reversa domum, rem prospere confectam putabat, ac sibi tacita gratulabatur. Cum ecce tibi molossus ingens arreptum ore puerulum in urbem ex agro defert, & ad parentis domum recta contendens, illæsum ante ipsius fores deponit: quo indicio prodita mulier, flagitiique convicta, patibulo addicitur. Eam unus nostrorum ad ferendum pie supplicium cohortari aggressus, ita comparatam reperit, ut optimæ mentis habitum admirari valde, & gratulari coactus fuerit. Nullo perfusa horrore vicinæ & ignominiosæ mortis, solam dolebat admissi sceleris atrocitatem, nec qualemcunque pœnam deprecabatur, sed æternam tantum; facilem hujus vitæ jacturam dicens, modo criminum veniam a Deo consequeretur, & salutem sempiternam. Ita supremum expiata, ad supplicium processit nullo metu; eandemque in patibulo constantiam retinens, carnifici cervices dedit, & circumfusam multitudinem admiratione complevit.

83. Eadem capite damnata supplicium perfert pietate singulari.

In provincia Gallobelgica, serpente adhuc lue, cujus anno superiore meminimus, collegium Atrebatense plures charitatis victimas numeravit. Vix prima emerserant mali indicia, cum Senatus urbanus viros ex nostris poposcit strenuos, qui pestilentia contactis præsto esse vellent. Plures se certatim obtulere: sed P. Nicolaus Lentellerus rector duos tantum ex omnibus legit, Patrem Michaelem Fabrum Sacerdotem, & Fr. Nicolaum Noelium domesticum adjutorem. Cæterorum laudavit pium ardorem, sed tunc quidem postulata rejecit, tantum eos admonens, ut prompto ad omnes casus animo essent. Deducti sunt Faber, & Noelius per primores civitatis ad paratas extra collegium ædes: & continuo aggressi privatas & publicas obire languentium domos, cito pestem hauserunt, qua intra paucos dies absumpti sunt. Subrogavit in eorum locum Rector alios duos, P. Nicolaum Mareschallum, & Fr. Petrum Broquillium, viros in suo singulos gradu valde laudatos; quorum tamen nec diuturnior fuit labor, nec dispar laboris exitus. Brevi utrumque virulentus morbus extinxit. Istorum tam celeri obitu adeo non sunt conterriti socii reliqui, ut immo eandem sibi sortem ardentius expeterent. Dati ergo sunt in ejusdem discriminis aleam alii duo, Franciscus Oleartius, & Venantius Atrebatius, ille Sacerdos, hic laicus. Intra nonum diem occubuit Oleartius: quem cum excepisset P. Ægidius Rabachensius, huic deinceps, & Atrebatio lues pepercit. Præter ita mortuos, desideravit provincia virum optimum, nec canitie magis quam virtutibus venerabilem, P. Henricum Sommalium, qui primævum spiritum Societatis ex ipsa B. Parentis institutione haustum intulerat Belgio. Natus erat Sommalius Dionantii, quod celebre oppidum est secus Mosam. Receptus a B. P. Ignatio in Societatem Romæ, post traditas Laureti græcas litteras, auditosque in Germania philosophos ac theologos, sacri concionatoris ministerium obiit in Belgio ad multos annos, magna semper audientium frequentia, & pari fructu. Sæpe etiam rectoris munere perfunctus est. Demum in ultima senectute honesto potitus otio, illud omne divinis commentandis rebus, aut piis libellis conscribendis contulit. Ejus industria, & labore, correcta prodierunt opera Thomæ a Kempis: tum confessiones, soliloquia, & manuale S. Augustini, præter *Paradisum animæ* Alberti magni notis illustratum, aliaque hujus generis opuscula fovendæ pietati utilissima. Erat ei semper in ore, & in corde B. P. Ignatius, cujus dicta omnia, & acta commemorabat assidue, nunquam sine lacrymis. Paupertatem colebat tam exacte, ut moriens nihil reliquerit, præter codicem divinarum precum valde detritum, & sacrarum reliquiarum exiguam thecam. Obiit Valencenis III. Cal. Apriles, cum annum ageret ætatis octogesimum quintum, ab ingressu in Societatem octavum supra sexagesimum.

84. Res Gallobelgicæ. Pretiosæ nostrorum mortes in obsequio tabidorum Atrebati.

85. Obitus & elogium P. Henrici Sommalii.

Parem jacturam sub finem anni fecit Flandrobelgica in P. Francisco Costero. Is patria Mechlinienſis, Romæ Societatem iniit a prima ætate. In tantam

86. Res Flandrobelgicæ.

Digitized by Google

Mors & elogium P. Franciſci Coſteri.

tam deinde perfectionem virtutis excrevit, ut merito inter eos numeretur, qui noſtri ordinis primordia plurimum illuſtraverunt. Romæ cum eſſet adhuc tiro, tria illum admonuit B. P. Ignatius uti neceſſaria cum primis, & præcipuo quoad viveret ſtudio curanda: primum, ut humilitati ſtuderet impenſe: deinde, ut ducem in rebus omnibus ſequeretur obedientiam: poſtremo, ut animi hilaritatem diligenter cuſtodiret. Monita alte impreſſit cordi Coſterus: at de tertio nonnihil ſollicitus, diſquirebat ſecum, quinam poſſet læto eſſe animo, ſi quando moleſto aliquo morbo afflictaretur? Hæc cogitanti, & opem

87. B. Virginis beneficio optima utitur valetudine.

B. Virginis imploranti viſendam ſe obtulit Virgo Sanctiſſima, ac daret ipſe operam, dixit, ut priora duo ſervaret: tertium ſibi curæ fore, nec ſe permiſſuram, ut ulla unquam corporis, aut animi ægritudine laboraret. Id de ſe narrabat ipſe jam ſenior moderatori ſuo. Cujus fidem rei affirmabat hominis mira ac perpetua tranquillitas: tum valetudo ipſa nullo unquam tentata morbo, quam ad annum uſque vitæ octogeſimum octavum produxit, animo ſemper & corpore validus. Servato in hunc modum tertio, quod erat de hilaritate, monito B. Parentis, minime eſt dubitandum, quin alia duo ſimiliter de humilitate, & obedientia ſervaverit. Addidit tamen his alias etiam virtutes, animæ

88. Eximiæ ejus virtutes, & res geſtæ.

præſertim munditiem ſingularem, quam ſolebat quotidie ſacra confeſſione purgare. Corporis vexator aſſiduus, longa & moleſta itinera pedes conficiebat hiſpido cilicio ſuccinctus, quod vix interdum deponebat. Otio nihil pejus oderat. Subciſivas horas meditatione rerum cœleſtium occupabat, eaque neceſſariam a ſtudiis & negotiis aberrationem condiebat. Vitam non brevem tot curis, tam variis, tam utiliter exercuit, ut ſi ejus res geſtæ expendantur, multo plures vixiſſe annos, aut multorum vitam æquaſſe laborando videatur. Primo Coloniam miſſus, latine & germanice conciones habuit: Sacram Scripturam theologis, aſtronomiam philoſophis, tironibus religioſæ vitæ placita explicuit. Inde varias Germaniæ & Belgii luſtrans urbes, Catholicorum pietatem accendit ſacris concionibus, hæreticorum fregit proterviam ſermonibus eruditis, & libris, quorum viginti & amplius in lucem editi errorem innumeris mortalibus, & pertinaciam eripuerunt. Rhenanam provinciam ſemel, bis Belgicam, præter plura collegia adminiſtravit, pari ſemper charitatis & prudentiæ laude; ſolitus ſuorum ſollicite conſulere commodis, nihil ſuis, eorumque incolumitatem & vitam propriæ anteferre. Id maxime patuit in Duacenſi collegio. Cum enim peſtilentia carperet populum, ipſe, ne quem e noſtris in diſcrimen conjiceret, unus caput ſaluti publicæ ſolatioque devovit: periculum tamen, licet præſentiſſimum,

89. Ejuſdem ſingularis pietas erga B. Virginem.

Deo protegente effugit. Eximius Deiparæ cultor fuit. Ejus imagines ubilibet conſpectas ſalutabat, ejuſdem dotes & miracula cupidiſſime audiebat, narrabatque. Sodalitates in ejus honorem multas conflavit: iis leges condidit, & Virginis colendæ modum, edito in lucem opuſculo utiliſſimo, docuit. Erat Antuerpiæ pro curiæ valvis coloſſus ingens, profanæ monumentum antiquitatis. In ejus locum Coſterus attollendam prægrandem Deiparæ ſtatuam curavit. Cœlo demum maturus cum eſſet vir egregius, mortem eadem excepit oris atque animi tranquillitate, qua ſemper vixerat. Cumque animam agenti recitaretur pſalmus nonageſimus, ut ventum eſt ad eas voces: *Et oſtendam illi ſalutare meum*: Hoc porro, ait, reliquum eſt, hoc expecto: quibus in verbis expiravit Bruxellis VIII. Idus Decembris, poſt annos ſexaginta ſeptem in Societate tranſactos. Mortui funus, propter inveteratam ſanctimoniæ famam, magna civium frequentia celebratum eſt.

90. Obitus & elogium P. Anſelmi a Cruce.

Eodem anno ineunte deceſſit Lovanii III. Nonas Januarii P. Anſelmus a Cruce, dignus quam qui maxime annalium memoria vir, ut qui Societatem non minus virtutum exemplis, quam beneficiis ornavit. Cum eſſet adhuc juvenis, matrimonio junctus Catharinæ Danieliæ feminæ religioſiſſimæ, (cujus vita typis impreſſa legitur) jam tum pietate, & ſtudio religionis inter pauciſſimos eminere cœpit. Hæreticis enim omnia ſuſque deque miſcentibus in Belgio, ipſe totos ſeptem annos carere paternis opibus, & exulare a natali ſolo ma-

Digitized by Google

maluit, quam nefariis Eccleſiæ hoſtibus ulla re conſentire; certus vitam ipſam pro tali cauſa profundere, ſi res poſceret. Societatem ut primum novit, amare illam cœpit impenſe, nec ei deinceps benefacere unquam deſtitit. Anſelmi præſertim beneficentia ſervatum eſt in ſumma temporum difficultate Lovanienſe collegium, cum eo redactum eſſet inopiæ, ut ſtare diutius non poſſe videretur. Præterea, ſi quos viderat Lovanii præſtantes ingenio atque indole adoleſcentes, eos ſolebat convivio excipere: tum illato ſenſim ſermone, ſingulos hortabatur, ut ſe noſtrorum diſciplinæ committerent. Nonnullis etiam aperte ſuadebat, ut Societatem ingrederentur: cujus induſtriæ optatum ſæpe fructum capiebat. Multos ſane vidit eximiæ ſpei juvenes ad Societatem ſua cohortatione tranſgreſſos. Idem ne ipſe faceret, ſola impediebatur caritate filii, quem unicum matrimonii fructum tulerat. At ſimul atque illum immatura morte ſublatum compoſuit, quid ſui conſilii eſſet uxori aperuit: qua piis viri votis perquam libenter obſecundante, convenit ex pari conſenſu inter eos, ut ambo cælibatum interpoſita voti religione profiterentur, ac reipſa profeſſi ſunt coram antiſtite Mechlinienſi. Tum vero Catharina in monaſterium ſacrarum virginum, Anſelmus in Societatem ſe recepit, magno utriuſque gaudio, nec minore totius civitatis admiratione. Decurrebat tunc Anſelmus annum ætatis quinquageſimum quartum, vixitque poſtea inter nos annos fere quatuordecim: quo tempore optimum quemque æmulari ſumma contentione ſtudens, ſingularem adeptus eſt opinionem virtutis. Obedientia præſertim adverſus præpoſitos, & charitate erga omnes ſpectabatur. Sed ex Belgio gradum faciamus in Angliam.

91. Ut eſſet affectus erga Societatem ante quam illi ſe traderet.

92. Ex conſenſu uxoris Societatem ingreditur.

Et nunc quidem de Anglia tanquam de ſeparata provincia dicere aggredimur, illud exponentes primum, ut hoc anno ſocii ad Anglicanam miſſionem deſtinati in certum, ac proprium provinciæ corpus coaluerint. Mutium Generalem ut id decerneret multæ impulerunt cauſæ, nec vero leves, quas juvat a ſuis initiis evolvere. Cum primum Societas, auctore Gulielmo Alano poſtea Cardinali, religionem in Anglia periclitantem tueri cœpit, ita fuit inſtitutum, ut ad hoc opus non adhiberentur niſi ejuſdem gentis homines, quorum erat in Societate ingens numerus, & par delectus. Ex his aliqui verſabantur in ipſa Anglia, & a ſuis regebantur præſidibus, quos Vicepræfectos vocabant. Alii, aut nondum per ætatem idonei, aut litteris non ſatis exculti, ſtudiis operabantur in Belgio, Gallia, & Hiſpania; atque interim, tametſi in iis quæ ſpectant ad diſciplinam domeſticam ſubeſſent provincialibus locorum, in reliquis tamen ſubjiciebantur univerſæ miſſionis Præfecto, qui Romæ vulgo ſedebat, eamdemque in illos exercebat poteſtatem, qua provinciarum præpoſiti frui ſolent. Res, etſi egregio propoſito inſtituta, non vacabat incommodo. Primo ægre ferebant Provinciales, eſſe in ſuis collegiis, quos pleno jure moderari non poſſent, idque multo magis collegiorum rectores querebantur. Deinde aliena a Societatis ſpiritu videbatur illa gubernandi ratio, nationum diſcrimen inducens, malum in religioſis familiis ſumme timendum, ut quo ſenſim etiam disjunctio animorum induci ſolet. Præter hæc, cum oporteret ut ſparſi per Angliam Profeſſi convenirent identidem ad deliberandum de re communi; neque iſtos habere cœtus licebat, abſente omnium præſide, neque iis ineſſe neceſſaria poterat auctoritas, quamdiu non alio quam miſſionis nomine, & jure uterentur. His de cauſis Mutius, abrogatis Præfecti, & Vicepræfectorum nominibus, atque officiis, miſſionem Anglicam titulo Viceprovinciæ, ac jure donavit. Qua in re nequaquam acquievit conſilio Congregationis generalis ultimæ, cui placuerat rogandum eſſe Præpoſitum Generalem, ut modum illum Anglicanæ miſſionis adminiſtrandæ penitus aboleret; ſocios autem miſſioni deſtinatos, ubicunque eſſent, ſuis locorum præpoſitis per omnia ſubjiceret. Id ſi fieret, extimuit, nec immerito, Mutius, ne laxata miſſionis compage, ſimul langueſceret ſociorum ardor, & ipſa miſſio concideret. Rationem ergo excogitavit, qua & diſcrimen illud nationum charitati contrarium tolleretur, & ſocii Angli

93. Res Anglicanæ. Miſſio Anglica in viceprovinciam erigitur. Quæ fuerint cauſæ.

94. Mutius recedit in hac re a conſilio Congregationis generalis.

ar-

Digitized by Google

arctius inter ſe colligati poſthac invenirentur. Id eo faciendum putavit magis, quod erant ex Anglicana natione ſocii numero multo plures, quam Viceprovinciæ nomen & ratio poſceret. Cenſebantur enim Sacerdotes fere ducenti, magnam partem Profeſſi, habebantque Leodii tirocinium, & novi collegii initium Lovanii, præter ſeminaria plurima externæ juventutis. Intra ipſam vero Angliam, tametſi propter iniquitatem temporum nulla haberi forma religioſi domicilii poſſet, erant tamen annui conſtituti proventus, unde collegia tria ſuſtentari non incommode poterant. Jam vero conſtituta, ut dictum eſt, Viceprovincia, Mutius primum Viceprovincialem dixit P. Richardum Blondum, ſpectatæ prudentiæ virum, qui jam inde ab anno ſæculi quinto pleraque negotia Societatis in Anglia tractaverat. Sexdecim poſthac continenter annos magiſtratum eundem geſſit Blondus, reſque ordinis tam apte diſpoſuit, ut in illa tanta rerum Anglicarum perturbatione ratio vivendi, ac diſciplina noſtrorum quam minimum abeſſet ab ea forma, quæ inter alias ubique gentes propria eſt Societatis. Continuo inſulam totam in certas diſtribuit regiones, degenteſque in iis ſocios aſſignatis moderatoribus tradidit gubernandos, ut ſi quid naſceretur difficultatis aut dubii, unuſquiſque ſciret, ad quem e propinquo referenda res eſſet. Ac ne commodis collegiorum omnino carerent, in agro Londinenſi, in Wallia, provinciaque Lancaſtrienſi certas deſignavit domos, in quas plures e vicinia convenirent ſtatis temporibus, ut religioſo commercio fruerentur, vota renovarent, haberent denique proximum ſuperiorem, cui in omnibus auſcultarent. Domus iſtæ erant veluti collegia totidem, ut ferebat conditio temporum, optime inſtituta. Singulis enim ſuus erat attributus cenſus, & certa ſociorum addicta manus; licet hi ſparſim plerumque habitarent in ædibus nobilium. Suum denique ſingulis erat nomen inditum: primo quidem a S. Ignatio, alteri a S. Franciſco Xaverio, tertio a S. Aloyſio Gonzaga. Quod ſi apud Anglos, quod optandum maxime, cultus catholicæ religionis refloreſceret aliquando, exſtarent in omnium oculis tria de quibus loquimur Societatis collegia, & ad normam cæterorum redigi nullo negotio poſſent.

95. P. Richardus Blondus primus Viceprovincialis.

96. Tria inſtituit in ipſo regno collegia. Cujuſmodi hæc eſſent.

97. Res Provinciæ Lugdunensis. Acta Sociorum in diverſis locis.

De rebus Gallicis, ſi unam excipias provinciam Lugdunenſem, nulla quæ videre potuerim hujus anni monumenta ſunt. Lugdunenſium vero ſociorum nec parvi fuerunt labores, nec ſteriles. Hæreticorum amplius centum viginti, eorum opera induſtriaque, ad Eccleſiam redierunt. Avenione invaluerant nocturna quædam otioſorum conventicula, officinæ ſcelerum antiquæ, & longo uſu impunitatem adeptæ. Labem hanc Patres, partim concionibus publicis, partim privatis ſermonibus ſuſtulerunt. Ex collegio Biſuntino Sacerdos, ad luſtrandam vallem montis Juræ Helvetios & Sequanos interjacentem egreſſus, magnum obitæ peregrinationis pretium fecit. Libros vel catholicæ fidei, vel moribus noxios, manibus legentium detractos igni tradidit, ſimultates inveteratas compoſuit, ſuperſtitiones exſtirpavit. Denique poſt depulſum ubique vitiorum veternum, miſeram gentem peſtilentiſſima trium nebulonum fraude liberavit, qui ut pecunias corraderent, captata malis artibus ſanctimoniæ fama, ſe divinitus miſſos mentiebantur ad expianda ſuis precibus & ſacrificiis hominum crimina, citra uſum confeſsionis & pœnitentiæ. Maſsiliæ nondum erat Societas in civitatem accepta: jure tamen hoſpitii duo noſtrorum paria Evangelicum ibi opus faciebant. Conciones ab his habitæ ſunt, tum publice in templis, tum privatim in carceribus, in triremibus, in monaſteriis virginum, approbatione omnium tanta, ut Maſsilienſes, qui antea malevolorum ſermonibus occupati Societatem averſabantur, eandem amarent jam, & in pretio haberent. Nemauſi unicus degebat operarius Societatis. Eum doctores Calviniani ad diſputandum de religione provocaverunt, minime dubitantes ſibi in manibus victoriam eſſe. At ſecus accidit. Provocationem cum accepiſſet noſter Sacerdos, certamini interfuere magna frequentia & expectatione cives, præſertim e Calvini gregalibus; hiſque coram ad incitas adacti erroris magiſtri, ſuiſque ipſimet aſſertionibus conſtricti, affirmare non dubitarunt, nec in cœna Calviniana idem

98. Maſſilienſes favere Societati incipiunt.

99. Noſtri Sacerdotis diſputatio cum Calviniano Nemauſi.

Digitized by Google

idem esse mysterium, quod Jesus Christus instituit in sua, nec homines sub finem temporum eodem surrecturos corpore, quo nunc constarent. Quæ duo tam adversis auribus animisque accepta sunt a præsentibus Calvinianis, ut ipsorum aliqui eodem momento temporis transierint ad Catholicos; cæteri vero nequaquam dissimulaverint, suam illam religionem cœpisse sibi non mediocriter displicere.

100. Mira fortitudo adolescentis ab hæresi ad Ecclesiam transgressi.

Inter hæc Ebreduni videre licuit, etiam in tenera ætate quid possit cœlestis gratia. Adolescens ex parentibus Calvinianis nescio quo in oppido natus, Ebredunum fuerat missus, ut latinis litteris, & sectæ erroribus informaretur sub hæretico ludimagistro. At ab eo transgressus ad scholas Societatis, brevi veritatem agnovit, hæresim ejuravit. Ægerrime id tulerunt aliqui adolescentis consanguinei, nuntiandumque per litteras curaverunt ejus Patri: qui cum esset natura ferox, & in iram præceps, eo nuntio immane quantum exarserit. Advolat e vestigio Ebredunum, & ad urbis portam subsistens, filium vocari ad se jubet. Facile intellexit adolescens, cujus rei causa vocaretur. Accurrit nihilominus, ut imperata faceret. Sed ad portam usque progressus, præ metu egredi non audens, Patrem modeste rogabat, ut si quid vellet, inde significaret. Ille hac re offensus, non continuit sese. Irruit in filium immanitate incredibili: pugnis calcibusque miserum atrociter cædit. Simul quiritantem, & hominum superumque fidem implorantem propellere conatur ex urbe. Propellebat omnino, nisi furentis impetum continuissent duo Presbyteri, qui clamoribus, & diro spectaculo commoti, accurrerunt celeriter, & vim immitem prohibuerunt. Servatus in hunc modum adolescens, ita ut erat pæne semianimis, Patribus collegii nostri in custodiam traditur jussu prætoris. Non quiescit tamen ferus genitor. Adjungunt illi se consanguinei, & affines, quos similiter urebat amissæ prædæ dolor. Omnes extrema omnia conari collatis viribus statuunt, ut profugum adolescentem recipiant. Reipsa nihil inausum relictum est. Rectori collegii graves intentatæ minæ, nisi illum quantocyus redderet. Appositi ad portas urbis custodes, ne clam aufugere, atque alio demigrare posset. Ad Regem usque querelæ contra nostros, criminationes, precesque, ut eum redhiberi juberet, transmissæ. Sed omnia vicit adolescentis mira constantia: qui primo in alium locum transgressus, ubi tutus esset a vi, haud multo post moriens persequentium conatus feliciter elusit. Citius, sed non adeo feliciter elusam se doluit Avenione mulier malesana, quæ filium ad Christi militiam vocatum contumaciter morabatur, ne responderet ad nomen. Eo usque progressa erat amentiæ, ut quantum est religiosorum ordinum impie devoveret, diceretque malle se filium videre sepulchrali involutum sindone, quam tunica religiosa præcinctum. Id quadam die cum dixisset, eadem die filius, cæteroqui bene valens, in ejus oculis, ac prope in complexu misere expiravit.

101. Exemplum mulieris filium a religioso statu prohibentis.

102. Mors & elogium P. Benedicti Martellangæi.

Avenione itidem vivere desiit v. Idus Julii P. Benedictus Martellangæus, singularis prudentiæ consiliique vir, easque ob dotes in foro conscientiæ consultissimus. Valetudine utebatur ut plurimum infirma: tamen, quo erat studio divini cultus augendi, unus tantum laborabat, quantum vix duo valentissimi operarii possent. Ille pauperes doctrina fidei erudire: ille vinctos invisere assidue, & consolari: ille scholasticis, aut in communi cunctis, aut seorsum singulis, bene vivendi præcepta tradere: simul quæstiones de moribus publice explicare, privatim consulentibus responsa reddere; ut vix aliquid interdum quietis, atque otii in tam actuosa vita reliquum haberet. Sed qui curando corpori ægre inveniebat tempus a laboribus vacuum, facile inveniebat quod piæ meditationi aut lectioni traderet: solitus binas quotidie horas orando transigere, quæcunque instarent occupationes & curæ, quarum nullam habebat pietate, ac perfectione sua potiorem. Ejus ductu, & institutione multi præclaros in christiana virtute progressus fecisse dicuntur; sed ducem anteisse creditur nemo. Divina inter orandum pati, tutelarisque Angeli aspectu identidem, & alloquio frui ferebatur. Nihil denique omnium, quæ viris maxime sanctis Deus impertiri

Digitized by Google

ſolet, ab eo alienum putabatur: tantam plerique ſpeciem ceperant de ſanctimonia ipſius. B. Virginem colebat incredibili ſtudio, ejuſque cultum quibuſcunque poſſet artibus propagabat. Eidem referebat acceptum, præter alia beneficia, quod viveret: meminerat enim ſe adhuc puerum, cum præceps in puteum corruiſſet, ejus manu incolumem extractum, & in ſummo putei labro collocatum fuiſſe.

103. Res Toletanæ. De ſacris formulis, quæ in collegio Complutenſi ſervantur.

Per hæc in provincia Toletana Patres collegii Complutenſis magno ſuo gaudio peractum viderunt judicium de ſacris illis Euchariſtici panis formulis, quarum celebratiſſimum nunc eſt tota Hiſpania prodigium, & hoc loco breviter indicandum. Anno ſuperioris ſæculi nonageſimo ſeptimo, P. Joannem Suarium egregiæ famæ Sacerdotem adierat Compluti vir ignotus confitendi animo, vel potius obtentu. Dum hæret ad ejus pedes pœnitenti ſimilis, cæteris omiſſis criminibus, unum hoc narrat: ſe haud ita pridem ſocietatem coiſſe cum facinoroſorum manipulo, gente Mauris: multa ab iis impie, multa quotidie nequiter fieri: ſe ipſum interfuiſſe non ſemel, cum in templis argenteas furarentur pyxides, & panis Euchariſtici particulas nullo divinorum reſpectu projicerent. Earum plurimas ego, ſubjecit, religione tactus collegi, habeoque apud me. Quibus dictis, eductum pera papyraceum involucrum Suario in manus dedit, nihilque ultra moratus, ſe proripuit. Erant in involucro formulæ omnino viginti ſex, præter aliarum ſegmenta aliquot; apparebatque ex pluribus templis fuiſſe collectas: diverſæ enim magnitudine, & forma erant. Suarius animi pendens quid crederet, quidve conſilii caperet, rem totam, quantum arcani religio patiebatur, communicat cum doctiſſimo viro Gabriele Vaſquez: cujus conſilio formulæ, theca decenter incluſæ, inter ſacra lipſana reponuntur, ſimul ac earum ſpecies vetuſtate putruiſſent, igne abſumendæ. Id ita fieri placuit, tum quod in ejuſmodi re minime contemnendum videbatur teſtimonium hominis quantumvis improbi, tum etiam quod Maurorum impietas ſuſpicionem movebat, ne veneno formulas infeciſſent ad creandam noſtro Sacerdoti perniciem, ſi forte eas, uti plerumque fit, deglutiſſet. Formulas poſt hæc inſpiciebat ſubinde Suarius, exploraturus, an earum ſpecies vis naturæ mutaſſet. Semper integras reperiebat: quod cum mirari ſatis non poſſet, demum inſpicere deſiit. Annis undecim præterlapſis, detectæ iterum, atque iterum integræ fuerunt repertæ. Transferuntur de conſilio Patrum in ſacellum ſubterraneum, ut periculum fieret, ſi quid ſaltem in eas poſſet aeris gravitas, & humiditas loci. Poſt menſes amplius decem vitium duxerant nullum, erantque uti prius illæſæ prorſus, & incorruptæ. Quod cum prodigio ſimillimum putaretur, tunc quidem in ſacrarium reſtitutæ fuerunt, appoſito brevi ad rei memoriam, & documentum poſteritatis ſcripto. Ibi manſerunt uſque ad hunc annum, poſt quam eas Suarius acceperat, vigeſimum ſecundum. Nunc autem certa cum videretur miraculi veritas, & doctorum conſenſus accederet, viſum de re tota quæſtionem inſtituere. Cognitorem dedit Eccleſia Toletana Chriſtophorum a Camera, virum humani divinique juris peritum, & rerum uſu limatum in paucis. Is vero, poſt accuratam cauſæ inquiſitionem, pronunciavit, tam diuturnam formularum integritatem, non ſolum præter communem rerum ordinem accidere, verum etiam naturæ vires multum excedere, omnino miraculo adſcribendam videri: ſervandas propterea eſſe in poſterum cum honore, & cultu, nihilque obſtare, quominus venerationi Chriſtifidelium proponerentur. Non eſt dictu facile, quantam ex hoc decreto lætitiam ceperint, non dicam noſtri, qui tali ac tanto potiebantur theſauro, ſed univerſa plane civitas Complutenſis. Continuo ornatum eſt in æde collegii noſtri ſacellum: in ſacello repoſitæ cum inſigni cæremonia ſacræ formulæ; inſtitutumque, quod adhuc viget, ut futuris deinde temporibus annua ſupplicatione per urbem humeris Sacerdotum circumferrentur. Porro miraculum, dum hæc ſcribimus, adhuc perſeverat.

104. Inſtituitur de illis quæſtio, & dignæ religioſo cultu judicantur.

105. Novum inchoatur collegium Alcaratii.

Eodem anno novum provincia Toletana collegium habere cœpit Alcaratii, quod oppidum eſt frequens in extremis finibus novæ Caſtellæ, prope Granatæ Mur-

Digitized by Google

Murciæque regna. Debuit beneficium Societas Joanni Ruizio civi honeſtiſſimo, qui moriens bona ſua omnia fortunaſque in hunc uſum teſtamento tranſcripſerat. Collegii tamen non admodum ſecunda fuerunt initia. Nam cum Alcaratium tres adveniſſent Patres, tum hæreditatem ut eernerent, tum ut jus domicilii acquirerent Societati, primo ab oppidanis non ita fuerunt excepti, ut lætus eorum adventus videretur. Deinde Ruizii filius nothus, paternas opes ut ſibi uni debitas judicio petens, difficili lite Societatem implicuit. Poſtremo religioſi neſcio qui obluctabantur graviter, ne ibi Societas collegium poneret. Quæ cum res multiplicem afferrent collegio extruendo moram, manſerunt diu Alcaratii Patres tanquam in mera ſtatione, quæ niſi poſt annos plurimos in collegium non tranſiit. Cæterum brevi civium mutati ſunt erga nos animi, & ex malevolis amantiſſimi, cupidique Societatis effecti. Viderunt enim intra quadrageſimam jejuniorum tam multis, tam variis, tam utilibus diſtentos miniſteriis Patres, ut ea re majorem in modum delectarentur. Reputantes poſtea, eorum opera ſublatum omnino eſſe quidquid hactenus in urbe fuerat ſimultatum, plures ex publico pellicatu ad caſtimoniam traductos, civitatem omnem alearum damno, & meretricularum infamia purgatam, crebriorem denique uſum ſacrorum in templa, & novam pietatis ſpeciem in familias inductam; in loco beneficii longe maximi reponebant, quod tales poſthac habere perpetuo poſſent apud ſe viros, a quibus tanta exſtaret in rem publicam tam brevi tempore utilitas. Magiſtratus quidem urbanus, peracta Paſchatis celebritate, Patribus pro impenſa civitati opera gratias prolixe egit, ſeque viciſſim ſpopondit nulla unquam re Societati defuturum. Hæc ibi. Contra Brozis, quod item oppidum eſt nobile & frequens prope Alcantaram, collegium ſat proſperis initiis anno preterito cœptum anno labente dimittere coacti fuimus: de qua re ita reperiebam. Societatis collegium condi juſſerat Brozis in patria ſua Petrus Gutieres de Flores Archiepiſcopus S. Fidei in novo regno, legaveratque eum in uſum bonorum ſuorum partem non contemnendam. Legati poſſeſſionem cum adiiſſet jam Societas, & reipſa collegium inchoaviſſet, exorta ex improviſo eſt difficultas, quæ dubiam legati vim faciebat. Nam cum religionem profeſſus eſſet Archiepiſcopus in ſacro ordine, cui nomen ab Alcantara, diſerte negabat ordo, fuiſſe illi factionem teſtamenti de bonis, quæ cum adhuc eſſet de ipſius corpore paraviſſet, hujuſque generis ea eſſe contendebat, quæ Societati legaverat. Itum eſt in judicium: lis ſecundum adverſarios deciſa. Itaque cum nihil eſſet reliquum, unde collegium ſuſtentari poſſet, dimiſſum eſt. Fuere poſt paulo qui cenſerent, jure & legibus utendo, recuperari haud difficulter poſſe Brozenſem ſedem: ſed Mutio rectius viſum illam in perpetuum omittere, quam per lites contentioneſque recipere.

106. Ejuſdem primi labores, & fructus.

107. Brozenſe collegium dimittitur, & quare.

Illius interea damnum ex parte reparavit, quæ Societati tributa eſt domus Hiſpali in provincia Bætica. Colligi ibi cœperat ante annos plures juventutis Hibernicæ ſeminarium, ſtudio, & induſtria P. Richardi Convei; non alio tamen proventu, quam piorum largitionibus uſque ad hoc tempus ſteterat. Ejus curam præcipuam gerebat vir pietatis eximiæ, Felix de Guzman Archidiaconus Hiſpalenſis. At idem cum eſſet de operis bene cœpti perpetuitate ſollicitus, illud ſæpe ac vehementer cum noſtris agebat, ut ſeminarii regendi onus ipſi ſuſciperent. Multis moleſtiſque difficultatibus ea procuratio erat implexa, quæ cauſa fuit, ut ante hoc tempus conſtanter rejiceretur. Nunc tamen cum videretur in provinciæ conſilio æque ad animarum ſalutem utilis, & divini cultus amplificandi magnam facultatem allatura, hoc nomine recepta eſt. Menſe igitur Auguſto Hibernorum contubernium Hiſpalenſe adminiſtrare cœpit Societas, eodemque tempore novum ei titulum ab immaculata conceptione Virginis impoſitum læta vidit. Piæ novitatis auctor præcipuus fuit Hieronymus de Medina Ferragutus, civis Hiſpalenſis æque pius ac locuples: qui cum novas alumnis, & amplas ædes ad habitandum tribuiſſet, hanc unam impoſuit legem, ut tali deinceps titulo cenſerentur.

108. Res Baticæ. Hibernorum ſeminarium Hiſpalenſe Societati committitur.

109. Idem ab immaculata Conceptione nominari incipit.

Digitized by Google

110. Res Lusitaniæ. Laurentius Lombardus domum probationis condit Ulyssipone.

Provincia Lusitaniæ, etsi omnium quas Societas numerat antiquissima, hoc primum anno propriam ac separatam habere tirocinii domum cœpit Ulyssipone: habuit autem unde minime expectabat. Laurentius Lombardus Belga, diu versatus in Indiis, cum opes non pœnitendas negotiatione prospera collegisset, Ulyssiponem se ad extremum receperat. Ibi dum officia religionis nostrorum consuetudine & ductu impensius colit, audit carere provinciam florentissimam propria ac certa sede, in qua tirones usitato Societatis more ad pietatem informarentur: educari eos, partim in Eborensi collegio, partim in Conimbricensi, nonnullos Ulyssipone in domo Professorum: sæpe de hac re postulatum fuisse in comitiis provincialibus, sed nullo effectu: exstare quidem tirocinii quoddam rudimentum in prædio Ulyssiponensi, sed ædificium ob tenuitatem proventuum lente progredi, nec nisi longo annorum intervallo perfectum iri. His cognitis rebus vir egregius, cum jam antea deliberatum haberet aliqua re Societati benefacere, ea demum re facere statuit, quam & necessariam maxime esse, & fore gratissimam sentiebat; proindeque sepositam bonorum suorum partem absolvendo tirocinio, quod in prædio Ulyssiponensi inchoatum dicebam, contulit: qua liberalitate fundati tirocinii titulum sibi communem fecit cum Ferdinando Tellezio de Meneses, & Maria de Noronia, piis conjugibus, qui olim

111. Et Societatem amplectitur in gradu domestici adjutoris.

in ejusmodi usum certa vectigalia transcripserant. Accidit paulo post ut moreretur Lombardi uxor, eamque brevi intervallo subsequeretur etiam filia, patris hæres & voluptas unica. Tunc ille omni humana cura absolutus, & vitæ sanctioris desiderio incensus, se ipsum Societati tradidit inter domesticos adjutores. In quo postea gradu cum se recte & laudabiliter gereret, ad professionem trium votorum, raro admodum exemplo, fuit admissus a Præposito Generali: hanc existimante Mutio deberi viro optimo gratiam pro beneficio, hunc pro insigni humilitate honorem. Interim educta ad fastigium quam citissime domo, de qua supra dicebamus, eique addito eleganti templo, exstitit Ulyssipone satis idonea tirocinii sedes, in eamque undique novitii inducti fuerunt. Quod tamen petebatur, ut illud unicum esset in Lusitania tironum domicilium, id effici nequaquam potuit. Progressu enim temporis, docente usu sic provinciæ rationibus expedire, iterum sunt restituti Eboræ, Conimbricæque tirones, & tria diversis in locis tirocinia constituta: quod quidem nimium non est in ea provincia, quæ non sibi duntaxat, sed aliis etiam extra Europam provinciis sobolem, & alumnos parat.

112. Adventus Philippi III. Regis in Lusitaniam.

Sed ut redeam ad tempus de quo scribo, lætum ac memorabilem Societati Lusitanæ fecit hunc annum adventus Philippi III. Regis in Lusitaniam. Dum enim nostri homines optimo Principi, inter publicas totius regni acclamationes, documenta quædam exhibent voluntatis & obsequii sui, vicissim ab eo retulerunt documenta benevolentiæ præclara, sibique maxime honorifica. Eboræ, atque Ulyssipone nullam nostri prætermiserunt earum rerum, quas in adventu magnorum hospitum usurpare palæstræ litterariæ solent, sive ad augendam lætitiam, sive ad explicandam. Omnia Rex perhumaniter excepit. Eboræ collegium ingressus, & ad intimam usque aulam deductus, primo orationem æque prolixam & cultam, quam in honorem ipsius recitavit unus nostrorum, audiit attente admodum, comiterque. Pari deinde comitate interfuit philosophicæ disputationi: quæ prius quam inciperetur, jussit scientiarum professores operto capite considere, nec abnuit odoratas, quæ distributæ fuerunt, chirothecas perinde ac cæteri dono accipere. Tum adstitit usque ad extremum, argumenta hinc, inde responsa silentio excipiens, interdum laudans, indicium molestiæ præseferens nullum, donec finis concertationi factus. Ea absoluta, discessurum deducebant magno agmine Patres. Ipse discedere prius noluit, quam collegium omne, & omnes collegii angulos amantissime perlustrasset. Ulyssipone, cum tota civitas in gratulationes, & varia gaudii publici signa effunderetur, drama Regi datum est in collegio Societatis. Nihil neque ad splendorem apparatus, neque ad actionis elegantiam desideratum. Spectatorum frequentiam ampli-

113. Nostrorum obsequia erga regem Eboræ, ejusque eximia humanitas.

114. Ulyssipone Rex collegium, & domum Professorum invisit.

Digitized by Google

pliſſima aula non capiebat. Sed nihil æque ſpectaculo fuit, ac vultus ipſe Principis, qui affuit ab initio ad finem intento ſemper ore, atque animo, plane ut videretur ea re plurimum delectari. Poſt illuſtratum præſentia ſua collegium, eundem honorem impertiit Rex domui Profeſſorum, totamque cum regiis liberis, ac procerum magno numero obiit comitate tanta, ut ne recuſaverit quidem de paratis in uſum aſſectantium cupediis aliquid libare. Verum inter hæc læta mœrorem ingentem aſperſit Patribus Ulyſſiponenſibus, quæ ſubito facta eſt, jactura P. Franciſci Pereiræ: de quo viro ſtatuere certo non poſſim, utrum majori floreret opinione ſapientiæ, an ſanctitatis. Multum ſane apud Regem gratia, multum apud omnes auctoritate poterat. Ad graviſſimas quaſque ordinis præfecturas adhibitus, nunquam commiſit ut ejus quiſquam imperium gravate ferret. Illud in religioſo dominatu præcipuum, atque unice expetendum putabat, quod poſſet ſuo jure ſibi deteriora ſeligere, & in ferendis religioſæ vitæ oneribus præire cæteris deberet. Erat cibi parciſſimus: curabat tamen diligenter, ne cui ſuorum neceſſaria deeſſent; ſapienter exiſtimans, cuſtodiam legum, & officii labores ab iis exigi commodius, qui viciſſim a majoribus debita conſequuntur. Natura ipſa candidus, & ingenuus, animi ſui ſenſus ita ſolebat ſine ambagibus explicare, ut ab eo fraudem metueret nemo, nemo ejus qualemcunque vocem haberet ſuſpectam. Ter Romam venerat: bis ad comitia ordinis, iterum ad negotia ſuæ provinciæ procuranda. Natus erat Britiandii in diœceſi Lamecenſi. Obiit XVI. Cal. Decembris, annos natus circiter ſexaginta.

115. Obitus & elogium P. Franciſci Pereiræ.

Progredior jam ad res tranſmarinas. Provinciam vero Goanam ingredienti tres occurrunt digni annalium memoria Patres, quos hic annus extinxit, Emmanuel Pineirus, Thomas Stephanus, & Sebaſtianus Gonſalvius. Ut de ſingulis aliquid curſim leviterque attingam, Pineirus gente Luſitanus annos fere duodeviginti comes, & adjutor ſtrenuus fuerat P. Hieronymi Xaverii in miſſione Mogolica, veneratque ante quinquennium Goam juſſu Jehanguiri Regis, ut cum Prorege Indiarum de negotiis ad ſummam reipublicæ pertinentibus tranſigeret. Legatione perfunctus, repetere agrum Mogolicum, & ad labores priſtinos reverti geſtiens, quamvis eſſet ætate provectior, in viam ſe dedit: ſed Goam ex medio itinere revocatus, ibi poſt paulo naturæ conceſſit XIII. Cal. Auguſti, anno ætatis ſuæ ſexto ſupra ſexageſimum. Omnes in eo eminuiſſe virtutes tradunt, ſed miram præcipue laborum patientiam, & animarum ſtudium inexplebile. P. Stephanus natione Anglus, quem cum Thoma Pondo receptum in Societatem docuimus libro hujus hiſtoriæ primo, numerabat vitæ annos ſeptuaginta, hujuſque temporis majorem partem, annos ſcilicet quadraginta, excolendis Salſettarum novalibus perquam utiliter impenderat. Gentis linguam, quam Canarinam vocant, adeo callebat, ut ejus artem conſcripſerit. Cum vero prodeſſe quampluribus vellet, ad Indicam quoque linguam, quæ nobilibus in uſu eſt (Indoſtanam appellant), adjecit animum, ediditque ea lingua libros de Chriſtiana fide, non minus rerum magnitudine, quam ſermonis elegantia laudatos. Obedientiæ cultor eximius, moderatorum imperia omnia pari excipiebat alacritate, nunquam auditus aliquid malle, quam quod jubebatur. Nec vero prius obediendi finem, quam vivendi fecit. In ipſo ſupremo morbo, cum cibum ex toto faſtidiret, contumaciam ſtomachi nauſeantis vincebat, non vivendi cupiditate, ſed ſtudio obtemperandi: utque audierat vocem medici, vel præpoſiti cibum ſumere præcipientis, quidquid fuiſſet appoſitum, invita licet, ac repugnante natura, admittebat. Incidit ejus obitus, neſcio quo caſu, Goæ. At Salſettani ut reſcivere mortuum, eidem tanquam parenti ſuo funus honorificentiſſimum, non tam pompæ apparatu, quam copia lacrymarum celebraverunt. P. Sebaſtianus Gonſalvius natus erat ante annos ſexaginta tres Ponte Limæ, diœceſeos Bracharenſis oppido: quadraginta quinque exegerat in Societate. Tironibus inſtituendis Eboræ cum fuiſſet adhibitus, in Indiam navigare maluit. Quod tamen quærebat unum, ut Chriſtum barbaris annunciaret, nunquam obtinuit, juſſus omne aliud agere in India, quam ſacris miſſionibus exerceri.

116. Res Provinciæ Goanæ. Mors & elogium P. Emmanuelis Pineiri.

117. Et P. Thomæ Stephani.

118. Et P. Sebaſtiani Gonſalvii.

Digitized by Google

ceri. Perdiu provinciæ præpoſitis a ſecretis fuit: deinde præpoſitus Goanæ domus: mox rector, atque iterum inſtitutor tironum; donec petenti datum, ut ſibi uni viveret in domo probationis, ubi demum exitiali correptus morbo deceſſit x. Cal. Aprilis. Quamdiu fuit in magiſtratu, duabus præcipue regendi artibus commendabatur, candore animi, & charitate. Nihil ſic oderat, ut omne ſimulationis genus: ſuorum autem peccata poſtea quam emendaverat, ita penitus delebat ex animo, ut eorum nullum apud ſe veſtigium, ac ne memoriam quidem retineret. Exſtant ejus aliqui libri nondum editi, in quibus eſt hiſtoria de viris religioſis, cum noſtris, tum aliorum ordinum, qui apud Indos pietate & litteris floruerunt: itemque volumina tria de rebus geſtis Societatis in iiſdem terris.

119. Goani præſentem experiuntur opem S. Franciſci Xaverii.

Quo morbo extinctus eſt P. Gonſalvius, eodem comprehenſi fuerunt Goenſium quamplurimi: invaluerat quippe lues quædam peſtilens, quæ contagione ſerpebat. Ad pellendam urbe calamitatem, itum eſt magnis agminibus ad ſacrum Xaverii corpus. Noſtri lineum ejus amiculum ad ægrotos circumtulerunt: nec vero fruſtra. Amiculi contactu perſanati plerique ſunt, atque intra paucos dies vis morbi reſedit. Eodem anno Bazainenſes, cum vix reſpirarent ab horribili clade, quam anno ſuperiore demonſtravimus, in magno erant gravioris infortunii metu, ob ſiccitatem cœli diuturnam & contumacem, quæ ſpem anni eximebat, & certam annonæ difficultatem portendebat. Profuit piaculi genus, quod ad avertendas cœleſtes iras noſtri inſtituerunt. Adeſſe juſſerunt præfinita die populum ad pacem ſuperum exorandam in collegii æde, eodemque ut ex proximis circum villis confluëret longis ordinibus vulgus agricolarum, curaverunt. Cum eſſent omnes ad excipiendum divinum verbum optime comparati, ad confertiſſimam concionem prodiit unus Patrum, & contra licentiam vitiorum, præſentis mali cauſam veram, atque unicam, invectus eſt oratione tam vehementi, ut iis vocibus commota multitudo humi ſe abjecerit, lacrymis gemitibuſque templum oppleverit. Cœlum momento pervaſerunt vota clamoreſque miſerorum, Patrem miſericordiarum flexerunt. Cœpit continuo obduci nubibus optatiſſimis aer: poſtridie vero tam copioſus effudit ſe imber, ut ſpes vicinæ meſſis jam prope exareſcentes refloruerint. Bazaini itidem res accidit ad memoriam inſignis, quæ ad excitandam neophytorum pietatem plurimum valuit. Puer erat moris innocentiſſimi, qui cum ſoleret chriſtianæ doctrinæ enarrationes aſſidue a noſtris audire, velut Angelus ſpectabatur inter æquales, & magnum pietatis ſenſum in rebus omnibus præ ſe ferebat. Is ægrotans graviter, brevi ad extrema deductus eſt. Ut autem parentes vidit lectulo circumfuſos, & ſua cauſa collacrymantes, compoſito ad lætitiam vultu: *Quin vos*, inquit, *meam mihi ſortem gratulamini, cui adſtat Virgo Beatiſſima cum adoleſcentum pulcherrimo ac læto agmine, credo equidem, ut me ſecum in cœlum trahat.* Atque ea vix locutus, mortalem vitam cum æterna commutavit. In Salſettis duo excitata nuper fuerant tenerioris ætatis ſodalitia. Mirificum porro eſt, quo pietatis ſtudio ferverent, etſi adhuc adoleſcentuli, novi ſodales, quantique facerent vel minimas legum, quibus ſodalitatum diſciplina conſtabat. Similia tradunt litteræ de alia puerorum ſodalitate Damani haud ita pridem erecta. Hanc, ajunt, ſacrarum familiarum quoddam veluti ſeminarium videri potuiſſe: tam multi inde adoleſcentes in ſacros ſubinde ordines immigrabant. Id, addunt, profuiſſe plurimum ad fovendam, vel etiam redintegrandam inter nos, & alios religioſos concordiam: eam videlicet rem, quæ cum ubique optabilis, tum vero in India ad Dei cultum amplificandum eſt maxime neceſſaria.

120. Bazainenſes piis lacrymis impendentem calamitatem avertunt.

121. Pretioſa mors cuiuſdam adoleſcentuli.

122. Fructus ſodalitatum in Salſettis, & Damani.

123. ACTA IN ÆTHIOPIA. Imperator e cœno libidinum emergit.

Per hæc in Æthiopia ſtudioſiſſimus religionis Imperator omnia movebat, ut populares ſuos, capita præſertim nobilitatis, & monachos ad catholicam veritatem traduceret. Hac mente, ut forte otium ab armis habebat, convocatis ad ſe regni proceribus, & cœnobitarum magno numero, in eorum corona legi quotidie jubebat explanationes Apocalypſeos, quas a noſtro Blaſio Viega latine ſcriptas, nuperrime P. Antonius Fernandez Æthiopicas fecerat. Aderat ipſe

Digitized by Google

ipſe aſſidue, audiebatque attentione ſumma. At dum alii doctæ lucubrationis auctorem laudibus tollunt, alii oblatam ab eo veritatem amplexantur; Princeps lectione ſalutari perculſus, diſplicere paulatim ſibi, commoveri, angique cœpit, donec divina aſpirante gratia, emerſit e libidinum cœno, in quo miſere volutabatur. Utinam non rediiſſet ad ingenium poſtea, nec ſe in eaſdem ſordes miſerius projeciſſet. Eodem tempore P. Franciſcus Antonius de Angelis uberes legebat fructus apud Agaos, ad quos eum anno præterito tranſgreſſum videbamus. Venerant ejus gentis legati ad Imperatorem Æthiopiæ, attulerantque lauta ei munera, tum honoris & obſequii cauſa, tum ut gratum animum pro condonatis offenſis teſtarentur. Legationem, & munera libenter acceperat Princeps: legatos tamen cum dimitteret, illud etiam atque etiam eos admonuerat, haberent doctoris & parentis loco Patrem de Angelis: ei per omnia obtemperarent, viro nimirum doctiſſimo, ſibique amiciſsimo. Id ſi facerent, rem facturos ſibi gratiſſimam, & ipſorum rationibus maxime conſentaneam. Hac dimiſsi cohortatione legati, magnam inter ſuos excitaverant opinionem Europæi doctoris; ut jam illum unum ſpectarent Agai, unum colerent univerſi, ab eoque erudiri certatim poſcerent. Quod niſi Pater de Angelis evocatus a Cela-Chriſto fuiſſet in regnum Gojamenſe, anno uno putabatur omnem Agaorum nationem ad Chriſti ſigna ducturus. Etiam in regnum Nareæ invehi fides poterat, niſi ſociorum paucitas obſtitiſſet. Eſt Narea provinciarum omnium quæ Æthiopi parent ampliſſima, & occidentem verſus extrema. Gentis aliqui nobiles cum veniſſent in ædem Gorgoranam, eos noſtri hoſpitaliter exceperant, habuerantque apud ſe ad plures dies benigne admodum, & amice. Hoſpites delectati ſacra rituum noſtrorum pompa, & Patrum urbanitate illecti, ſimul atque in patriam regreſſi fuerunt, dederunt operam, ut Gorgoram mitterentur legati ad evocandos in Naream Patres, quibus præter domum, propagandæ catholicæ veritatis facultas prolixe offerebatur. Nihil noſtri optabant avidius. At paucitatem æſtimantes ſuam, non ſunt auſi majorem viribus provinciam complecti. Legatos ergo cum ingenti honore exceperunt, ſua ſpe fruſtratos ægre dimiſerunt: eorum tamen poſtulata tandiu differenda cenſuerunt, donec ſociorum auxilia ab Europa ſubmitterentur.

124. Pater de Angelis fructuoſe laborat apud Agaos.

125. Invitantur noſtri in regnum Nareæ, ſed fruſtra.

Quam diſsimilis Imperatori Æthiopiæ erat Japoniæ Imperator, tam diverſam in hac terræ plaga experiebantur Chriſtiani fortunam. Provinciarum reguli, precarium obtinentes imperium, & præfecti urbium, ſævire cogebantur vel inviti, ne apud Xogunum ſæviſsimum tyrannum offenderent: qui cum deliberatum haberet Chriſtianos ferro & igni perſequi tandiu, donec omnem Chriſti cultum ex imperii ſui finibus ſuſtuliſſet, effundebat in miniſtros iram, ſi deſides in hoc negotio invenirentur, aut paululum conniverent. Hoc perſecutionis immani turbine abrepti ſunt anno uno Chriſtiani octoginta ſex, partim ferro, partim igne interempti. Nos priorem locum tribuimus noſtro Fratri Leonardo Kimuræ, Societatis domeſtico adjutori, ejuſque illuſtre martyrium a ſuis initiis narrandum ſumimus. Leonardus natione Japon, licet promulgata jam eſſent feralia contra religioſos edicta, tamen Nangaſachii verſabatur impune in omnium oculis, quippe indigena, & pari cum populo cultu, vultuque. Accidit ante triennium, ut filium Taicoſamæ, legitimum imperii hæredem, Xogunus bello victum, ac profugum tota Japonia perquireret. Venit in ſuſpicionem occultati Principis Frater Kimura. Captus, interrogatus, objectum crimen nullo negotio diluit. Fit deinde reus homicidii occulte patrati, cujus auctor fruſtra quærebatur. Hanc etiam calumniam facile depulit Kimura, vana eſſe oſtendit indicia, ſuam innocentiam ad liquidum demonſtravit. Ita periculo ſolutus diſcedebat. Cum prætor ex eo quærit, num quem Societatis hominem norit, ac poſsit indicare? Novi unum, inquit, eumque tibi tradam in manus arbitrio tuo plectendum. Lætus inopinato reſponſo prætor Kimuram complectitur, obteſtans ejus ut nomen & latibulum edat. Simul milites, qui comprehenderent hominem, inclamabat. At Leonardus: Deſine,

126. Res Japonicæ. Crudeſcit perſecutio contra Chriſtianos.

127. Ut captus fuerit Frater Leonardus Kimura.

Digitized by Google

sine, ait, plura: non milite hic opus, aut armis; nec vero longus investigandi labor; coram adest quem quæris: ego ipse sum. Stetit prætor admiratione defixus, & volentem retineri jussit in carcere. Tres fere annos hæsit in vinculis Leonardus: quo tempore carcerem certis legibus ita temperavit, ut simillimus cœnobii videretur. Eo duce ac magistro, vincti cœlestem vitæ rationem instituerunt. Quotidie mane horam unam precationi quæ mente fit, alteram ei quæ voce peragitur, tribuebant. Precationem pia lectio excipiebat. Post prandium, quod oryza tantum & frigida parabatur, sermones miscebant de rebus divinis. Tum unusquisque operis nonnihil faciebat privatim, hic legendo, ille scribendo, alius artem aliquam & opificium tractando. Appetente nocte, rursum in meditatione rerum cœlestium hora collocabatur. Feriam cujuslibet hebdomadæ quartam, & sextam ducebant jejuni, & flagellis corpora castigabant. Semel singulis mensibus jugi horarum quadraginta comprecatione sibi constantiam in fidei professione, præconibus vero Evangelii dignos præstanti ministerio spiritus a superis exposcebant. Leonardus omnes, ut mens per varias corporis diffusa partes, animabat. Eos, qui recens ducerentur in vincula, excipiebat benigne, & christianæ vitæ legibus ac mysteriis, si essent ethnici, erudiebat; quo de numero Christianos fecit nonaginta sex: qui vero educerentur carcere ad supplicium, illos ad mortem pie obeundam comparabat. Si quid cibariorum, aut nummorum sibi a Christianis & amicis submitteretur, totum in vinculorum socios dividebat: qua charitate ita sibi omnes devinciebat, ut homines antea vitiis deditos, nec solum expertes veræ pietatis, sed in cœno flagitiorum, in præda & sanguine diu versatos, paulatim ad austerum illud, ac pium vitæ genus adduceret. Præcipuam Leonardus curam collocabat in excolendis Christianis tredecim, quorum crimen unicum religio, & præbitum religiosis hospitium. Hos eodem quo ipse flagrabat igne divini amoris accendebat: cum iisdem de beata martyrum conditione crebros, & suavissimos sermones serebat. Qua porro ipse æstuaret cupiditate martyrii, ex una re conjecturam facere licebit, quæ in actis martyrum Japonensium publica auctoritate confectis legitur. Ludovicus Martinez de Figheredo, solitus Leonardum sæpe visere, testabatur, non raro conspectum a se fuisse, cum prunas candentes e foco sumptas imponeret manibus, ac præ lætitia gestiens exclamaret: *O ubi qui me pro Christo vivum ardere jubeat! Quando felix, & optata tot votis dies illucescet!*

128. Quam sanctam vitæ formam induxerit inter socios carceris.

129. Quæ charitatis officia exerceret erga eosdem.

130. Qua flagraret cupiditate martyrii.

Illuxit vero nunc fortunatus dies. Novembri exeunte, redux ab aula Conrocuus Nangasachii gubernator Imperatoris mandata detulit, ac Leonardum cum aliis quatuor Christianis flammis addixit. Productus e carcere ad judicem, prosequente, & catenas certatim deosculante Christianorum turba, interrogatur, an sit e Societate Jesu? Enim vero sum, inquit; neque id nescire potes, qui me sæpius veste Societatis indutum vidisti, sæpe etiam alloquentem præsidum meorum nomine audivisti. Cur ergo, judex addidit, in Japonia mansisti, exulare toties jussus? Remansi, subjecit Kimura, ut Christi fidem, quæ unica est ad salutem æternam via, inter meos populares promulgarem. Atqui ob hanc ipsam causam, judex ait, vivus cremabere: hanc scilicet tibi pœnam irrogat Imperator, non ob occultati Principis, aut ullius homicidii crimen tibi alias impositum, cujus te insontem declaramus; sed quia proscriptam inter nos sectam Christianorum disseminasti. Gratias egit Leonardus ob necis causam liquido propositam. Tum ad circumfusam multitudinem conversus: Testes ego vos omnes facio, inquit, me non aliud ob crimen igne damnari, quam quod Christianus, & promulgator Evangelii sum. Quatuor reliqui a judice pariter interrogati, cum in fidei retinendæ sententia permanerent, eodem supplicio damnantur. Prius quam ad rogum producerentur, Kimura vestem Societatis quæsitum misit, eamque induit. Mox pariter ad supplicium processere, sequente terra marique Christianorum ethnicorumque innumera multitudine, quam Leonardus, quantum contendere voce poterat, toto itinere admonere non destitit, ut sanctissimam Christi fidem, aut susciperet, aut retineret. Rogum pa-

131. Damnatur igni Frater Kimura cum aliis quatuor Christianis.

132. Cum iisdem producitur ad rogum.

Digitized by Google

paraverant in colle ſummo, cujus a terra æque ac mari patebat proſpectus. Stipites in medio erant defixi quinque, modico intervallo. Circum lignorum ſtruem congeſſerant in eam altitudinem, quæ ſtantium ad palos aſpectum non prohiberet. Spatium omne clauſerant vallorum ſepto, ne quis propius accederet. Huc ubi ventum eſt, ſe invicem ſuaviſſime complexi beati pugiles, ad ſuum quiſque palum alligantur: ignis aridæ materiæ ſubjicitur. Fumus inter undantes flammas ſublatus illos oculis ſpectantium aliquandiu eripuit. At eo ſubinde diſſipato, apparuere viri fortiſſimi erecto corpore, atque ore, non gemitum, non motum edentes ullum, quo doloris ſenſus indicaretur. Eluxit præ cæteris Leonardus, animi alacritatem ipſo vultu præferens; audituſque eſt cum quæreret, eſſetne verus ille ignis, cujus ipſe vim nullam ſentiret? Sive hoc miraculum revera eſſet, ſive flammarum ardorem obtunderet ardor ſpiritus vehementior. Jam ignis, abſumptis ejus veſtibus, ac ſemiuſto corpore, vincula, quibus ad palum tenebatur adſtrictus, ruperat. Tum ille protendens ſolutas manus, captare quodammodo, atque adducere ad ſe affluentes flammarum globos, quaſi leves tractaret auras, & ſolatium ab illis quæreret. Simul audiebatur pſalmum *Laudate Dominum omnes gentes* magna voce concinens: ſed fumo ſpiritum intercludente, progredi ultra dimidium non potuit, defectuſque pariter voce, & vita procubuit. Eo procumbente, erupit undique Chriſtianorum clamor Jeſum & Mariam appellantium. Quidam ſacro ac ſubito æſtu ſuccenſi, mori pariter, & inſilire in ignes medios ardebant. Fuerunt quos ægre militum diligentia prohibuit, ne tranſcenderent vallum, & qua denſiſſima videbatur flamma, præcipites ſe conjicerent. Judices, ut tantum ardorem comprimerent, colligi raptim reliquias Martyrum, & fuſtibus comminutas in profluentem abjici jubent: ſed fruſtra. Earum partem haud exiguam fluctibus eductam Chriſtianorum pietas conſervavit. Hunc habuit vitæ exitum Frater Leonardus Kimura, vir plane excellenti virtute, ut etiamſi demas tam glorioſæ mortis commendationem, merito inter præſtantiſſimos Societatis milites locum obtinere poſſit. Natus erat Nangaſachii parentibus, non ſolum genere, ſed etiam virtute claris, quorum e ſtirpe fuit ille Kimura, quem S. Franciſcus Xaverius in Japoniam appulſus primum omnium baptizavit. Educatus ab ineunte ætate apud noſtros, ut erat ingenio acri, & optima indole, pæne adhuc puer ad ethnicos erudiendos, explicandamque rudioribus doctrinam Chriſti fuit adhibitus, donec annos egreſſum ſeptem & viginti Societas inter ſuos conſcripſit. Per annos deinde ſeptemdecim religioſa fecit ſtipendia, & emeritæ demum militiæ rudem accepit IV. Cal. Decembris, ætatis anno quadrageſimo quarto. Quamvis operam dediſſet litteris quantum erat ſatis, ut ſacerdotium capeſſeret, in infimo Fratrum gradu mereri maluit, ſtudio humilitatis. Eo tamen in gradu Sacerdotum induſtriam & animos ita æmulabatur, tamque aſſiduam atque utilem in adducendis ad Chriſtum ethnicis ponebat operam, ut nihil ei deeſſe præter nomen, & honorem ſacerdotalis ordinis videretur.

133. Vivi comburuntur. Mira omnium conſtantia, ſed præſertim Kimuræ.

Ecce autem nono poſt felicem Kimuræ obitum die, nempe ad Nonas Decembres, eadem in urbe Nangaſachienſi capite damnantur alii duodecim divinæ legis alumni. Feralis ſententiæ non alia cauſa, niſi quod domos haberent vicinas ædibus, ubi capti fuerant religioſi, proindeque, ut ferebat iniquiſſima lex, latebrarum conſcii, & affines noxæ cenſerentur. Conſcii eſſent, nec neparum intereſt. Illud ad eorum gloriam vehementer pertinet, quod oblatas a Gubernatore conditiones ampliſſimas, non vitæ ſolum, ſed etiam libertatis atque opum, conſtantiſſime recuſarunt, uno tantum excepto, quem conſtantia defecit. Cæteri undecim magno ac forti animo repulerunt conditiones impias, rerumque omnium jacturam prius, quam fidei ſalutiſque facere maluerunt. Primum in iis locum dignitatis obtinebant duo, Antonius Kimura Leonardi noſtri, de quo ſupra dictum eſt, propinquus, & Thomas Cotenda Chiumius regis Firandenſis conſanguineus. Qui erant nobilitate præcipui, virtute etiam fuerunt. Prior ſtatim atque ſeptum ſumendo ſupplicio deſtinatum eſt introgreſ-

134. Chriſtiani circumſtantes ſacrum ardorem concipiunt.

135. Elogium, & vitæ ſumma Fr. Leonardi Kimuræ.

136. Alii undecim Chriſtiani capite plectuntur Nangaſachii.

137. Duorum virtus & fortitudo ſingularis.

Digitized by Google

greſſus, quæſivit quonam prorſus in loco Leonardus cecidiſſet? monſtratum autem crebris libavit oſculis, lacrymis rigavit, ac demum datis cervicibus, corpore truncato texit. Alterum ferunt lætitiis omnibus inceſſiſſe audito mortis obeundæ nuncio, idque unum in loco ſupplicii queſtum eſſe, quod non diutius medios inter ignes moreretur. Ad eos noſter Præpoſitus Provincialis clam ſubmiſerat Sacerdotem, qui ipſorum confeſſiones exciperet: quæ res morituris incredibili ſolatio fuit.

138. Quam ſancte viveret Didacus Cangajama Faito in regno Bugenſi.

Non erat illis inferior aut virtute, aut ſplendore generis Didacus Cangajama Faito, pridem ob Chriſti nomen pulſus aula, divitiiſque & honoribus ſpoliatus in regno Bugenſi. Rerum omnium egentem, ſed ſua tamen paupertate lætum ſuſtentabant Patres Societatis, quippe memores veterum beneficiorum, ac probe conſcii, quantum illi Societas, quantum religio deberet. Illum P. Ludovicus Froes decennem ſacro fonte tinxerat, ante annos quatuor & quadraginta. Eundem per omnes virtutis aſperioris vias duxerat P. Gregorius Ceſpedes, atque ita in ſubigendis animi cupiditatibus exercuerat, ut nihil illi ad Chriſtianam perfectionem deeſſe videretur. Virtutes colebat omnes, ſed charitatem præſertim, atque patientiam. Nuper capitali inimico, non modo veniam offenſæ graviſſimæ libens dederat, cum ulciſci facile poſſet; verum etiam ampliſsimis ornare illum ſtuduerat beneficiis: rara in viro nobili virtus, rariſsima in Japonibus, quorum eſt indoles ſuperba, ferox, injuriarum perſequentiſsima. Ærumnas ſuas æquiſsimo tolerabat animo, nullum illis modum, neque finem optans, præter crucem, aut rogum. Hæc agitanti adeſt improviſus a rege centurio, & chartam prægrandem porrigit. Tredecim in ea legebantur exarata crimina, quorum fiebat reus. Prima duodecim conficta: poſtremum duntaxat, quod eſſe Chriſtianus perſeveraret, verum. Hoc ultro confeſſus Didacus, de aliis purgare ſe parabat. Sed nihil eſt opus te vexari, ait Centurio doli gnarus. In poſtremo crimine ſalus tua, vel pernicies vertitur. Chriſtum ſi ejuras, ſalva res eſt: ſin vero pergis illum colere, quantumlibet aliorum expers criminum, mortem non effugies. Didacus, his rebus auditis, humi abjecit ſeſe, & gratias Deo ingentes egit. Mox aſſurgens, ore ad eos qui Centurionem aſſectabantur converſo: *Teſtes*, inquit, *vos habeo, me vitam ſponte projicere, ne datam Deo meo fidem fallam*. Quæ locutus, in interiorem partem ædium ſe recepit, ut funeris ſui pompam adornaret. Europæam illi veſtem olim dederat P. Ceſpedes, eleganti pictam opere, nec arte minus, quam peregrinitate ſpectandam. Hanc promit (nam feſtis tantum diebus eam geſtare conſueverat), Japonicum ſuperimponens pallium, quo nobilitas utitur. Ut procedentem eo veſtitu conſpexere Maria uxor, & Lucia filiarum maxima, lacrymas tenere non potuerunt. Fletum naturæ ſenſus exprimebat invitis; nam utraque colebat Chriſtum, & lacrymas ipſæ ſuas damnabant. Plangentes increpuit graviter Didacus. *Siccine*, ajebat, *invidetis felicitati meæ? An non Chriſtianis pro Chriſto mori dulce, ac decorum eſt?* Senſerunt vera dici: cumque ſe paululum ex injuſto dolore collegiſſent, vicem ſuam potius doluere, quod hæc mariti, illa patris beata ſorte indignæ cenſerentur. Didacus ab iis divulſus, & ad ſupplicium progreſſus, ut procul collem aſpexit, ubi caput vitamque poſiturus erat, nudavit pedes reverentiæ cauſa. Ad eum cum perveniſſet, procubuit in genua, oravit, ac cervicem explicuit, quam lictor uno ictu abſcidit. Acta hæc Idibus Octobris.

139. Fit reus chriſtianæ religionis, pro qua mortem eligit.

140. Procedit ad ſupplicium eleganti veſtitu.

141. Capite damnatur Balthaſar Fazajemonus in regno Bungi.

Dies eadem in regno Bungenſi Didaci conſobrinum abſtulit, Balthaſarem Fazajemonum, eademque de cauſa. Huic facta fuerat poteſtas a Rege optandæ pro arbitrio necis, aut vitæ iiſdem conditionibus, quæ Didaco fuerant propoſitæ. Necem haud cunctatus elegit; ſtatimque de conceſſo ſibi divinitus beneficio certiores fecit Juſtam matrem ſuam, Luciam uxorem, & Teclam filiam. Tali nuncio longe aliter affectæ ſunt iſtæ mulieres, atque aliæ ſolent, cum cariſsimos quoſque debent amittere. Exilire gaudio conſpectæ: mater quod filium, uxor quod virum, Tecla quod patrem habituræ martyrem eſſent. Lætitiam unus ille

Digitized by Google

ille temperabat dolor, quod futuræ non eſſent necis ac triumphi ſociæ. Continuo pelvim calida plenam uxor expedit, pedeſque viri abluit. Mater pulcherrimum e veſtiario amictum depromit. Poſtquam compoſitus ornatuſque, velut ad feſtum diem peragendum, conſtitit, ſubeunt lictores, & quærunt, ubi ponere corporis exuvias malit, domi ne, an foris? Suadebant familiares, ut domi vellet: eſt enim hic in Japonia nobilibus capite damnatis honoratiſſimus moriendi locus. At Balthaſar, referens Chriſtum dominum in loco infami, atque inter facinoroſos crucem ſibi figi voluiſſe, locum elegit publicum, ubi vulgus reorum plecti ſolebat. Ecce autem, dum conſanguineis & amicis ſupremum vale dicit, inexpectata objicitur mora. Balthaſari filius erat quadrimulus, egregia forma, parentum voluptas unica, & familiæ ſpes. Abjecit ſe puer ad patris genua, eaque parvulis manibus arcte conſtringens, orabat ne ſe comitem acciperе gravaretur. Is eminebat in vultu ardor, ea pietas, & conſtantia, ut lictores attoniti, ſeque reſpectantes, a lacrymis non temperarent. Dicta in hunc quoque puerulum fuerat a rege ſententia necis: ſed ferale mandatum differebat centurio, ne patrem triſti nuncio gravius, quam lictor ferro vulneraret. Cum genua parentis puſio non omitteret, ſubridens ille (neque enim durius quidquam ſuſpectabat): *Macte*, ait, *fili. Per me non ſtabit, quin voti compos fias. Mavis nempe, ut video, mecum in cœlo eſſe, quam hic cum matre, & ſorore.* Simul dari puero veſtem ornatiſſimam juſſit, ut eum conſolaretur. Veſtitus, comptus, hilaris dextræ ſe patris implicat, eumque paſſibus non æquis in plateam ſontibus plectendis deſtinatam ſequitur: futurus, non, ut plerique putabant, ſpectator tantum cruentæ tragœdiæ, ſed etiam actor. Balthaſar plenam animi, & pietatis orationem habuit ad populum undique circumſtantem. Non alio veritas ore, non alio ipſa religio loqui potuiſſet. Gemitus, clamor, fletus multitudinis dicentem excepere. Mox filiolum arcte complexus, & ſuaviſſime oſculatus, eum monuit, ut ſiquidem mortis copia modo negaretur, Chriſtianus ſaltem viveret, nec recuſaret, ſiquando ita ſors ferret, pro Chriſto mori. Quæ locutus, cervices acinaci præbuit. Conjecti erant omnium oculi in puerum. Ille neque cruento carnificis ferro, neque deciſo parentis capite, neque inundante circa truncum corpus ſanguine territus, genua placide flectit, cerviculam nudat, ferrum, & necem excipit. Hæc religionis prodigia, hæc cœleſtis gratiæ de natura triumphantis miracula, quæ prioribus illis ſæculis vidit Eccleſia, nunc Japonia feliciter renovabat.

142. Eligit obtruncari in loco publico, exemplo Chriſti.

143. Progredienti ad ſupplicium ſe comitem addit filius parvulus.

144. Balthaſaris eximia fortitudo uſque ad extremum.

145. Pari conſtantia ictum excipit ejus filius.

Sed nullibi intra Japoniam crudelior acta tragœdia, quam in urbe olim imperii principe Meaci. Numerus actorum ingens, quinquaginta duo martyres. Neque viri duntaxat, ſed feminæ etiam, ſed puellæ, & pueri; imo infantes nondum nati, & adhuc alvo materna clauſi. Gubernator Meacenſis Itacura Ingedonus, cum eſſet mitioris ingenii vir, & a ſuppliciis innocentium maxime abhorrens, hujus rei fiducia Chriſtiani cœtus, & ritus peragebant ſuos fortaſſe liberius, quam tempora paterentur. Accuſatus eſt a bonziis Ingedonus, quaſi in abolendis religionibus peregrinis curam adhiberet nullam, incuriæque admonitus nomine Imperatoris. Ille, ne ſua ſibi lenitas exitio eſſet, præter omnium expectationem perquiri Chriſtianos, & in vincula rapi jubet. Erat Meaci vicus (*Dei viam* vulgo appellabant), Chriſtianis frequentibus habitatus. Ibi initio perquirendi facto, capti ſunt uno die ſex ſupra triginta omnino. Nemo fuit ex hoc numero, qui non mallet omnibus exui, quam rem, libertatem, & vitam jactura fidei redimere. Itaque in cuſtodiam traditi fuerunt omnes: compilatæ eorum domus, bona fiſco addicta. Poſt paulo libellos per compita affigit Gubernator, ne quis Chriſtianos occultet, recipiatve. Non obſequentibus pœnam capitalem proponit. Multi edicto perculſi confeſtim in avia nemora, in deſertas inſulas, in rupes, aut ferarum ſpelæa diffugerunt. Verum ex iis quidam opulentiores, cum magnam pecuniæ vim ethnicis credidiſſent, in urbem ſubinde adventabant clanculum, ut jus ſuum exigerent. Debitores, ne ſolverent, artem excogitarunt, qua moleſtos exactores omnino perderent. Fingunt exara-

146. Atrox perſecutio contra Chriſtianos concitatur Meaci.

147. Ingraveſcit ob calumniam Chriſtianis impactam.

Digitized by Google

tam a Christianis chartam, qua minæ generalis incendii jactabantur, eamque in celeberrimo urbis loco affigunt. Facile persuasum est multitudini, auctores nefarii scripti fuisse Christianos, quasi proscriptionem suam vellent injectis facibus, & clade urbis ulcisci. Tota contra eos civitas, ut contra publicæ rei hostes capitales, exarsit. Faces addebant Bonzii triumphantes piorum in strage, totaque urbe instar furiarum volitantes, omnium animos incendebant. Adesse tempus, quo gens numinum contemptrix deleretur; dari jam cuique facultatem, ut suam erga deos immortales pietatem probaret; exterminanda sacra Christianorum, exscindendas domos, nomen ipsum Christi de hominum memoria evellendum. His dictis incitata plebs perrumpit domos, obvios quosque corripit. Paucis diebus Christiani sexaginta tres capti sunt, compactique in carcerem tam angustum, ut animam vix possent ducere. Brevi intra illas angustias ærumnis confecti perierunt octo; infantes primum duo bimuli, deinde alii sex ætate provectiores. Nullus tamen desiderium sui reliquit majus aut justius, quam Andreas quidam cæcus, qui in divinis mysteriis aut percipiendis, aut populo explicandis tantum videbat, ut non alius magis. Sodalitio dux & præfectus a nostris impositus, omnem cœtum non exemplo minus, quam verbis regebat. Idem universam identidem vicinitatem oberrans, lucem evangelicam diffundebat, ethnicorum deliramenta confutabat. Hinc odium capitale Bonziorum, sed perdiu irritum; tutis illum tegentibus latebris, semperque ad ejus custodiam excubante Christianorum charitate. Verum ubi sensit fieri diutius non posse, ut sine gravissimo piorum hospitum damno lateret, curavit se deducendum in frequentissimum urbis pontem, ubi dum stipem a prætereuntibus corrogat, agnitus, ad tribunal primo, deinde in carcerem raptatur. In illo carcere quamdiu versatus est, ludibrium, & jocus fuit fæci facinorosæ, quæ pariter vincta tenebatur. Hic cædere miserum alapis, ille comam, & barbam vellere: alii pauxillum panis, quod arcendæ morti dabatur, tollere. Quæ cum Andreas patientissime ferret, amissis brevi & exhaustis viribus, fame verberibusque contabuit XII. Cal. Octobris.

148. Capiuntur Christiani sexaginta tres. Octo moriuntur in carcere.

149. Excellens virtus, & mors Andreæ cujusdam cæci.

Diebus post hæc sexdecim interlapsis, Xogunus Imperator cum audivisset, multos Meaci fuisse comprehensos, qui spretis regiis edictis Christum colere pergerent, immani elatus iracundia, cunctos, quicunque demum, & quamlibet multi forent, uno comburi rogo jubet. Priusquam hæc mandata Meacum perferrentur, Gubernator nativa quadam bonitate ductus, non paucos e vinculis emiserat. Unum tamen mori pro Christo gestientem, ut multum conaretur, eripere supplicio non potuit. Senex erat is canitie venerabilis, idemque medicus insignis, qui paulo ante filium ipsius Gubernatoris periculoso morbo liberaverat. Gubernator æquum ducens ei vitam asserere, cui vitam filii debebat, militibus innuit quid facto sit opus. Illi, ut erant jussi, separant medicum a reliquo vinctorum agmine, vincula eidem eximunt; remque meditati, quam dicis causa præciperent, dant illi nescio quid mandati in remotiore urbis regione obeundum, occasionem scilicet facilis & honestæ fugæ. Senex, perinde ac si non sentiret quid ageretur, obit mandata, & ad carcerem recurrit. Objurgatur quasi perperam fecerit imperata. Ire jubetur denuo. It, redit, & suum in carcere locum repetit. Irati milites: Ecquid nondum perspicis, inquiunt, Gubernatoris beneficium? Abi, si sapis, & saluti tuæ consule. Quibus ille: *Scio equidem quid velitis, sed fugam, & latebras nescio: neque hoc beneficium Gubernatoris, sed meum exitium est. Optime de me putabo meritum, si mori me cum aliis Christianis sinat.* Cum hæc palam jactaret, in pia vinctorum turba relinquitur. Gubernator igitur, accepto Imperatoris mandato, non stipites, ut mos ferebat, sed plurimas cruces paravit, ad quas cremandæ victimæ vincirentur: illud credo spectans, ut rem gratam Christi cultoribus faceret, quibus crucem cordi & venerationi esse norat. Educuntur ex umbra carceris in solem & campum duo & quinquaginta, partim viri puerique, partim matres & virgines. Movit commiserationem puellula octo tantum annos nata, quæ

150. Imperator omnes Meaci comprehensos comburi jubet.

151. Senex quidam medicus mori cum aliis mavult, quam fuga evadere.

152. Addicuntur incendio Christiani quinquaginta duo.

ocu-

Digitized by Google

oculos pædore & ſitu carceris amiſerat. Hæc ubi adeſſe lictores ſenſit, maternam veſtem ambabus arripuit manibus, ne a matre disjungeretur, & optatam martyrii palmam falſa militum pietate perderet. Plauſtris novem ad locum ſupplicii deportati fuerunt. Anteibat præco, ferale carmen identidem concinens: *Imperator iſtos cremari vivos jubet, quia vetitam Chriſti legem ſequuntur.* Succlamabant martyres contenta voce: *Sic eſt, pro Chriſto morimur*: ſimulque læta acclamatione Jeſu Chriſto plaudebant. Singulorum vultus, voces, ipſe corporis totius habitus lætitiam ſpirabat. Ut proceſſerunt in plateam civitatis ampliſſimam, totius multitudinis, quæ confertiſſima ibi erat, admiratione, ſilentio, lacrymis excepti ſunt. Nemo non ingemuit, cum infantes bimulos trimuloſve, tanquam innocentes agnos inter materna brachia mactandos, aſpiceret. Femina una (Teclæ nomen erat) quinque circa ſe habebat filios in eodem curru, quorum natu maximus duodecim annos nondum confecerat. Sextum gerebat utero: & ſeptimum addidiſſet, ut SS. Simphoroſæ & Felicitatis gloriam æquaret, niſi Gubernator primogenitum invitæ ac nolenti rapuiſſet, ne familia nobilis uno die tota concideret.

153. Ad rogum deportantur impoſiti novem plauſtris.

Ventum erat ad ſupplicii locum, ubi inter aggeſtos lignorum acervos erectæ conſpiciebantur cruces. Statim e plauſtris læti deſilierunt omnes, & ad ſuam quiſque crucem certatim accurrerunt. E tranſverſo cujuſque crucis ligno funes pendebant, quibus alligarentur. Bini ad truncos ſingulos alligati ſunt, obverſo invicem dorſo: primo quidem, poſtremoque loco viri: in medio mulieres, & pueri. Mirabile ſpectaculum præbebant matres quinque, quæ parvulos liberos ulnis complexæ ſuſtinebant. Tecla, de qua modo dictum, e quinque liberis quatuor vicinos habebat a dextro, & ſiniſtro latere: filiolam biennem ulnis amplectebatur: ſextam prolem nondum natam continebat alvo. Rebus ita comparatis, inclinante in occaſum ſole, flamma eſt rogo ſubdita. Ut primum emicuit, Chriſtiani circumfuſi orare, & plangere: tortores ululare, martyres dulciſſima Jeſu & Mariæ nomina inclamare. Illos fumus aliquandiu obtexit. Sed paulatim vaneſcente atra nube, conſpecti ſunt oculis in cœlum erectis, & ſereno vultu ignium undique invadentium vim excipere, nullo ſigno doloris edito, ac ne motis quidem corporibus; licet alligati leviter fuiſſent dedita opera, ut eſſet facilis erumpendi locus. Eadem in ſenibus conſtantia, eadem in pueris. In matribus vero plane admirabilis, quæ in ſummo cruciatu, dum vivæ torrebantur, de ſuis filiolis unice videbantur anxiæ, immemores ſui. Blandiebantur infantulis, ut eorum vagitus compeſcerent: lacrymas abſtergebant, ac ſudorem: ſuggerebant identidem piam & brevem aliquam vocem, ut a ſenſu doloris teneras mentes avocarent. Audita eſt puella, cum matrem e mediis flammis appellaret: *Mater*, inquiebat, *jam oculis plane capta ſum.* Cui mater: *De oculis ſollicita ne ſis. Jeſum cogita, Jeſum appella. Hunc jam jam in cœlo viſuræ ſumus. Macte virtute meum corculum, & perſta.* Iiſdem ferme verbis ſe ſinguli invicem animabant, donec omnes vox, & vita defecit. Quem locum inſtiterant vivi, texerunt mortui. Reperta mater filiolam tam arcte ſinu complexa, vix ut avelli corpuſculum ex ejus brachiis potuerit. Pridie Nonas Octobres hunc triumphum egit beata martyrum cohors, in qua fuere duntaxat quatuor, qui alios habuiſſent ad Chriſtum duces, & conſcientiæ rectores, quam homines Societatis. Reliquias poſt dies ſeptem (nam antea per excubias non licuit) Chriſtiani avexerunt, & qua decebat veneratione condiderunt.

154. Omnium mira conſtantia, ſed præſertim mulierum.

155. Vivi cremantur omnes, nullo edito doloris ſigno.

156. Quæ voces auditæ ſint e rogo, dum martyres torrebantur.

Meacenſem interea Eccleſiam olim florentiſſimam pene ex toto profligavit atrox perſecutio, quæ tot Chriſtianorum ſanguine adeo non eſt extincta, ut potius in dies ſingulos invaleſceret. Attriti Neophyti, partim latebras captaverunt, partim, relictis domibus fortuniſque, diffugerunt. Hæc reputanti Præpoſito Provinciali Matthæo de Couros viſum, non amplius retinendos Meaci Patres Benedictum Fernandium, & Didacum Yuquium, qui ibi fuerant hactenus fructuoſe verſati, ſed alio traducendos, ubi utiliorem navare operam poſſent rei

157. Meacenſis Eccleſia diſpergitur, noſtri alio traducuntur.

Digitized by Google

rei Christianæ. Fernandium igitur ire jubet Yedum, ad ipsam Imperatoris regiam; cum hoc tamen, ut per intervalla temporum Meacum recurreret ad fovendas Christianorum reliquias. Yuquium vero suppetias mittit Patribus Hieronymo de Angelis, & Didaco Carvallio jamdiu in regno Voxuano desudantibus.

158. Patrum labores in regno Voxuano, aliisque locis.

Opportunissimum his accidit tam strenui operarii subsidium. Non enim solum intra ejus regni terminos continebant sese, sed excurrebant etiam ad finitima Devense, & Aquitense, quæ perpetuo montium jugo discreta, nisi per maximas difficultates adiri non possunt. In istis autem excursionibus laborem vix credibilem exantlabant. Prærupta ibi sunt omnia, & confragosa sic, ut sæpe opus sit manibus genibusque obniti, ac reptare potius, quam ingredi, ut paululum proveharis; nisi tamen montium dorsa obtegant duratæ gelu nives, atque hæ in quosdam veluti gradus cavatæ inveniantur instar scalarum: quæ commodissima ratio est Japonicas illas alpes exsuperandi. Ad labores itinerum accedebat ille fortasse gravior occultandi sese: obsidentibus viarum omnes aditus exactoribus vectigalium, qui peregrinantium sarcinas curiosius excutiebant. Quocirca Patres, nunc mercatorum, nunc alterius generis habitu incedebant, ut dispersas huc illuc familias Christianorum inviserent. Pares molestias, pericula non minora pro religione incurrebant alii per Japoniam dispersi Patres.

159. Calumnia in Societatem conficta.

Itaque, etsi difficillima essent tempora, intra hujus anni spatium mille & octingentos ethnicos Christo per baptismum adjunxerunt: ut nihil dicam de Christianis multo pluribus, quos suppliciorum terrore perculsos, nutantesque infide continuerunt. Inventi nihilominus, qui per idem tempus scriberent, ac latè vulgarent, otiari in Japonia homines Societatis metu victos, curam christianæ rei nullam gerere. Quasi verò nihil inter metum, & prudentem moderationem interst, nihil inter otium ignobile, & cautam agendi rationem, qua nostri abstinendum sibi putabant a clamore & strepitu, ne aperto legum contemptu Tyrannum gravius irritarent.

160. Novus extruitur Omuræ carcer. Ejus forma describitur.

Aliter sane alii sentiebant, agebantque, beatæ mortis desiderio incitati. Gubernator itaque Nangasachiensis Conrocuus, cum duos de novo comprehendisset religiosos, Alphonsum Mena, & Franciscum Morales, Ordinis Prædicatorum Sacerdotes egregios, videns augeri in dies religiosorum vinctorum numerum, his custodiendis novum horribilemque extruxit carcerem: de quo quia erit sæpe alibi facienda mentio, non otiosum puto erit formam ipsius breviter hoc loco describere. Positus fuit carcer in colle summo territorii Omurani, qui in mare prominens, ad omnem cœli plagam patebat, cunctis ventorum flatibus peræquè objectus. Latus erat palmos sexdecim, longus quatuor & viginti: contextus autem, in morem caveæ aviariæ, quadratis, & cuspidatis in summo palis, modico eorum intervallo, ut nec vim frigoris hieme, nec radios calidissimi solis excluderent æstate. Carcerem circuibat via octonos lata palmos, quam duplex cingebat vallum, densis & præacutis compactum stipitibus, intextumque a superiori parte spinarum manipulis. Plurimi diu noctuque milites excubias agebant: erat namque illorum statio fixa ante ostium exterioris claustri, cujus aditus multis cancellis pessulisque muniebatur. Huc è carcere Suzutano translati sunt VII. Idus Augusti quotquot in vinculis servabantur religiosi, numero sexdecim omnino, inter quos duo ex nostris, videlicet P. Carolus Spinula, & Frater Ambrosius Fernandez. Novum ac dirum ergastulum ut conspexere propiùs viri fortes, lætis illud vocibus salutaverunt, & Psalmum *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi* jucundo cantu peregerunt. Quam deinde vivendi formulam sibi intra eas angustias in communi descripserint, quantoque usu patientiæ sese ad rogum, quo demum absumpti sunt, comparaverint, alibi narrandum erit.

161. In novum carcerem transferuntur Religiosi sexdecim, inter quos duo ex nostris.

162. Res Sinicæ. Indicantur antiqua dissidia inter Sinas, & Tartaros.

Nunc e Japonia transgredimur in Sinam, ubi status rerum erat hoc tempore, non tam religioni, quam publicæ rei summe calamitosus. Sinam claudunt a septentrione Tartari, bellicosa gens, & nativis frigoribus, ac vastitate sterilis plerumque soli, ad patientiam & labores instituta. Fertiles Sinarum agros in-

Digitized by Google

incurſaverant non ſemel Tartari, ipſumque imperium annis circiter centum obtinuerant. Pulſi poſtea, variiſque attriti cladibus, pacem petere pacto tributo coacti fuerant. Vires Tartarorum experti Sinæ, non ſatis habuerant gentem barbaram, & armis prævalidam diſcludere ingenti muro ad limites utriuſque imperii ducto, quem decies centena militum millia cuſtodiebant; ſed eoſdem fatigare modis omnibus, & inſtar mancipiorum in officio continere ſtuduerant. Verum ineunte ſæculo de quo ſcribimus, orto inter dynaſtas varios qui Tartariam partiebantur bello, unus, profligatis cæteris, eorum tetrarchias obtinuit ſolus; ex iiſque regnum conflans tanto potentius, quanto minus diviſum, excuſſit denique Sinarum metum, collegit exercitum, murum illum ingentem ſuperavit, captiſque urbibus præcipuis provinciæ Leaotuniæ, aliis minoris momenti aut direptis, aut ferro flammaque exciſis, Sinarum Imperatorem vocari ſe juſſit. In hoc erant ſtatu res anno ſuperiore, Sextili menſe: cum Mandarinus, cui credita belli cura, dedit ad Imperatorem de re tota litteras, quas audire nec moleſtum, credo, nec alienum erit. „ Scianſius e tribunali Pimpu Pekinenſi hunc Imperatori libellum porrigit, monetque, Tartaros, perfracto muro limitaneo, in Leaotuniam provinciam irrupiſſe. Idem orat enixe „ Imperatorem, & obteſtatur, ut rem tanti momenti expendat, aperiat aliquando ærarium, militem conſcribat, commeatum paret. Ne vero neſcias Imperator, quo res loco ſit, referam quæ ſcribunt ad me Mandarini cuſtodes muri „ ſeptentrionalis. Narrant, indictum palam eſſe a Tartaris bellum, regem ſuum „ ab iiſdem Pekini regem appellatum. Narrant, commiſſo prælio, noſtros in fugam turpiter conjectos eſſe: duces duodequadraginta cecidiſſe: promiſcuam „ multitudinem partim conciſam, partim captam: tres urbes a victoribus occupatas. His acceptis, convenimus præcipui hujus aulæ Mandarini, de remedio „ conſulturi. Viſum eſt omnibus iratum cœlum, tamque nobis infeſtum, quam „ amicum hoſtibus: quod etiam recentia innuunt infortunia. Provinciam hanc „ Pekinenſem anno proxime ſuperiori nullus rigavit imber, incolis rei novitate „ damnoque attonitis. Vicinam provinciam horribilis invaſit fames, ut humanis „ veſci carnibus multi coacti ſint. Nankinenſem talparum, ac murium inaudita „ multitudo populata eſt. Regiæ pars magna deflagravit, igneo globo urbem „ pervolante, ac ſtragem tectis hominibuſque afferente. Geminus ſol cœlum quodammodo in partes, & ſtudia gemina diſtraxit: omen triſte imperii dividendi. Ingreſſus palatium ſicarius principem regni hæredem ferro appetiit. Tu vero Mandarinum, qui voce altius ſublata parricidam conterruit, vinculis mandaſti, quibus ut ſolveretur fruſtra laboratum a nobis eſt. Ex quo intelligere „ licet, te neque ſupplicum, neque innocentium ullam habere rationem. Eadem „ acerbitate preces Proregum, tributis immodicis provincias opprimi conquerentium, repudiaſti. Orantibus Mandarinis, ut prodires in publicum, ac more „ majorum populo jus diceres, excuſaſti valetudinem, & ſupplices eorum libellos in ignem projeciſti. Domeſticos intra parietes concluſus, epulis, ſomno, „ genioque indulges, publicæ oblitus rei: neque modo in poſterum proſpicis nihil, verum etiam moneri rogarique non ſuſtines, & exitiali tuorum noſtrorumque periculorum ignorantia fueris. Hinc illæ clades, hinc funus imperii, „ quod videtur portendiſſe fluvius, dum parte illa quæ regiam alluit, non limpidus, ut ſolet, ſed infectis cruore aquis fluxit. Quæſo igitur, petoque, Imperator, moras ut omnes præcidas, ſuppleas exercitum, militibus ex ærario „ ſtipendia numeres; neque præſentibus duntaxat occurras malis, ſed ingruentia „ propulſes „. Sic ſcribebat ſummus rei bellicæ præfectus more Sinarum, qui „ antiquiſſimam in monendis ſuis regibus libertatem retinent. Sinicam rem gubernabat hoc tempore Vanlieus, Imperator e Taiminga familia tertius decimus: ineptus plane ad regnandum princeps, ut qui otio luxuque diffluens, umbraculis hortorum, & regiæ tenebris abditus, præterita, inſtantia, futura pari oblivione negligeret. Verum his litteris e ſuo velut ſomno experrectus, reſpexit ſeſe aliquando, inertiam excuſſit, & ſexcenta armatorum millia contra Tar-

163. Tartari Sinam invadunt, & urbes aliquot occupant.

164. Litteræ Mandarini rei bellicæ præfecti ad Imperatorem.

165. Imperator exercitum ingentem educit contra Tartaros.

Digitized by Google

166. Fugatur, & intra ſuam regiam obſidetur.

Tartaros eduxit. Poſt ambigua quædam prælia, juſto demum ac decretorio certamine totis utrinque viribus dimicatum eſt. Eo prælio quinquaginta Sinarum millia deſiderata perhibentur, in iiſque flos ducum ac militum. Reliqui in fugam ſunt dati, adeoque conſternati, ut dictitarent, Sinas ab equis Tartarorum vorari. Victor ſpoliis ac præda potitus, promovet exercitum, urbes aliquot incendit, in Pekini conſpectu caſtra ponit. Tum vero exterritus vehementer eſt Imperator. Homo nihili ſtatim animum demittere, ac fugam indecoram circumſpectare. Vix ab eo conſilio deductus eſt, Mandarinis urbem imperii caput haud dubie expugnandam prædicantibus, ſi diſcederet, ſervandam, ſi maneret. Nam quod fugæ pretium, niſi ut conciderent civium animi, hoſtium contra invaleſcerent? Supereſſe in civitate ingentem exercitum, qui ſi non infringere Tartarorum conatus, morari certe poſſet, donec alia præſidia pararentur. At Principe dilapſo, caſuros omnium animos, & deditionem facturos. His rationibus mutavit ſententiam Imperator, & omnia experiri prius ſtatuit, quam regiam deſerere.

167. Redit in Sinam P. Nicolaus Trigaltius cum lecta manu Sociorum.

Dum hoſtem Sinæ diſtinent, ac bellum utili perditis prope rebus morantur, rediit in Sinenſe regnum P. Nicolaus Trigaltius, qui Romam ante ſexennium venerat ſociorum procurator. Moleſtiſſima uſus navigatione, vix emerſerat e peſtilenti morbo, qui navem in noſocomium mutaverat. E ſociis tamen ſexdecim una vectis, quinque in undis ſepeliverat, actum præclare ſecum putans, quod non plures ex eo numero amiſiſſet: nam ſæpe accidit, eorum qui ex Europa in Indiam ſolverunt pleroſque perire in itinere. Inter illos quinque fuit P. Paulus Cavalina Bononienſis, cujus memoriam nefas ſilentio tegere. Abhorrebat hic vehementer ab Indica miſſione, deterritus operis difficultate, ſimulque illectus amore patriæ, in qua mathematicæ ſcientiæ peritia florebat. Tamen ad Indiam ſe vocari divinitus ſentiens, vicit repugnantem naturam, ut Deum vocantem ſequeretur. Ipſa ejus mors quiddam habuit, unde hominis virtutem admirari liceat. Nam cum cerneret emori peſtifera lue unum e ſodalibus P. Terentium, ſuum pro illo caput obtulit, ſupplicavitque Numini, ut ſe magis tolleret; minime recuſans mori in ejus viri ſuffectus locum, cujus vitam fore ſua utiliorem putabat. Quas preces ex inſigni charitate profectas Deo ratas habente, P. Terentius præter omnium ſpem convaluit, Cavalina ſexto quam ægrotare cœperat die obiit. Jam Trigaltii adventus dici vix poteſt, quam gratus Sinicæ Societati acciderit. Præter ſacra munera bene multa, quæ ab urbe ſancta deferebat, geminam facultatem obtinuerat a ſummo Pontifice Paulo V. religioni in Sina conſtituendæ neceſſariam. Prima erat, ut liceret deinceps divinum ſacrificium operto capite celebrare. Apud Sinas enim ruſticum, & inurbanum cenſetur detegere coram honeſtis hominibus caput quacunque cauſa, offendebanturque vehementer initio indigenæ, cum a noſtris Sacerdotibus peragi rem divinam aperto capite cernerent. Gentis conſuetudini ſapienter indulgendum putaverat Pontifex maximus. Tantum Sacerdotes admonebat, ut vulgari & plebejo divinis in myſteriis pileo ne uterentur; ſed ſi quis eſſet elegantior, & ad ſacrorum majeſtatem commendandam aptior, illum adhiberent. Altera facultas divinos codices ſpectabat, quos in Sinicum ſermonem Pontifex converti permittebat: non in illum tamen familiarem, & omnibus notum, quo plebs utitur, ſed in alium reconditiorem, & peculiarem litteratorum. Hæ duæ res apud Sinas, cum ad augendam ſacrorum rituum venerationem, tum ad conciliandas eorum erga ſummum Pontificem voluntates plurimum valuerunt. Movit quoque illos religio Patrum, qui ne in ejuſmodi quidem rebus, ut ipſi putabant, levioribus auſi eſſent communem Eccleſiæ conſuetudinem injuſſu Romani Pontificis præterire. Tantam autem Chriſtianorum ubique concordiam cum ſuo capite, tantam in cultu ſacrorum æquabilitatem recte cenſebant, documentum eſſe religionis divinitus inſtitutæ. Illud etiam perfectum a Trigaltio fuerat in Europa, ut noſtri homines, qui degerent in imperio Sinenſi, proprium haberent poſthac Præſidem, qui vices Provincialis gereret, & a Provinciali Japoniæ

168. Mors & elogium P. Pauli Cavalinæ.

169. Privilegia quædam Romæ impetrata a P. Trigaltio.

170. Quid de illis ſenſerint Chriſtiani Sinenſes.

171. Ex miſſione Sinica fit Viceprovincia.

Digitized by Google

poniæ amplius non penderet. Quibus ductus fuerit rationibus Præpositus Generalis, ut hanc de novo Vice-provinciam decerneret, supervacaneum est inquirere. Illam puto fuisse potissimam, ut socii Sinenses gubernarentur commodius: tum ut in unum quasi corpus eo vinculo colligati, etiam animo conjunctiores inter se essent.

172. Cardinalis Bellarmini litteræ ad Christianos Sinenses.

Præter hæc Trigaltius attulerat Roma litteras Cardinalis Bellarmini, ad omnes in communi Christianos Sinensis Ecclesiæ scriptas, quibus ad excitandam privatim & publice pietatem nihil afferri opportunius poterat. Gratulabatur iis litteris Cardinalis nationi Sinicæ, quod tot aliis ingenii industriæque ornamentis, quibus toto orbo celebrabatur, maximum omnium superaddere aliquando cœpisset, veram religionem. Rem feciſſe enimvero dignam se, nec modo utilissimam sibi, verum etiam summo Christianorum Pontifici jucundissimam quicunque Evangelicam suscepissent fidem. Viderent tamen, ne susceptam abjicerent ulla causa: darent immo operam, ut eam propagarent latius, & dignos tam sancta professione mores induerent. Postremo audirent in omnibus Patres Societatis Jesu, quorum opera ex errorum tenebris emersissent, & nova luce veritatis collustrati fuissent. Epistolam Patres cum fecissent Sinicam, plura ejus exempla per omnes Christianorum cœtus volitarunt. Lecta ubique est omnium incredibili gaudio, & pari fructu. Fuere qui Bellarmino, de cujus amplissima dignitate non ignorabant, rescribendas publico nomine litteras officiosissimas putarent. Sed prohibiti fuerunt a nostris ea ratione, quod Sinensibus nefas, & capitale est quodlibet commercii genus habere cum exteris. Nullo tamen neque metu, neque periculo cohiberi potuit ne responderet vir ille clarissimus, cujus nomen sæpe in hac historia recurrit, doctor Paulus. Rescripsit autem in hæc verba: „ Veneror Cardinalis amplissime magnitudinem pietatis tuæ, quæ nec vastissimi oceani spatiis finitur, nec angustiores toto orbe terrarum limites habet. „ Epistolam tuam plures legimus, litterati præsertim, & Mandarini, vehementerque gavisi sumus, esse tam procul virum sapientia, & dignitate clarissimum, „ qui nos nec externos reputet, nec ut alienos abjiciat, sed potius charitatis ulnis „ amplectatur, & sinu foveat. Utinam liceret nobis advolare isthuc, easque pro „ tua in nos tam benevola voluntate gratias coram reddere, quas habemus! Pro- „ hibiti cum simus legibus hinc pedem efferre, patere ut saltem scripto profitea- „ mur, quam multum tibi debeamus, & quid optemus. Quod attinet ad san- „ ctissimam Jesu Christi fidem, quæ huc ante paucos annos pervasit, ea quidem „ initio nec sectatores habuit illustres, nec potentes adversarios. At simul ac ma- „ gna etiam ingenia, virique multarum litterarum, & præcipuæ inter nos auc- „ toritatis eam amplexi sunt; exarsit communis hostis invidia, & procellam ingen- „ tem movit, qua jactata sunt omnia, ac pene convulsa. Et jam præcones Evan- „ gelii Patres Societatis Jesu tota exulare Sina jussi fuerant. Sed quæ est Dei be- „ nignitas, evanuit paulo post turbo periculosus, resque est omnis fere composi- „ ta. Patres quidem apud nos permanent sine molestia, nec vana ducimur spe, „ fore ut divina religio radices agat in Sina, & lætiores in posterum fructus ef- „ ferat. Cæterum, Illustrissime Cardinalis, de firmitate constantiaque nostra ne „ sollicitus sis. Quæcunque accidant, aderit nobis præsenti subsidio Deus, & op- „ pressis opem feret. Scimus, primis quoque Ecclesiæ temporibus diras inhorruis- „ se tempestates, concitante diabolo: & illud non semel audivimus Reparatoris no- „ stri dictum, frumenti granum gelu nivibusque esse macerandum, ut frugem „ afferat. Jam ver appetit in hoc regno, & messem uberem promittit. Nos in- „ terim a te etiam atque etiam poscimus, Illustrissime Cardinalis, ut Deum O. M. „ nobis propitiare tuis precibus ne cesses: simul ut summo Pontifici totius Eccle- „ siæ pastori subinde in mentem revoces, tum hanc gregis sui partem remotissi- „ mam, tum hos præsertim Patres Societatis Jesu, magistros ac parentes nostros „ amantissimos, quibus secundum Deum debemus unice, quod, discussa superstitionum caligine, novam ac cœlestem lucem intueri liceat. De te porro illud „ optandum nobis, illud pro tuis immortalibus in Christianam rempublicam me- „

173. Responsum doctoris Pauli ad epistolam Bellarmini.

Digitized by Google

„ ritis sperandum est, ut eo tandem proveharis, unde in omnes mortales san-
„ ctissimæ leges, dogmata, beneficia, velut e cœlesti fonte, derivantur.„ Hæc scribebat nobilissimus Mandarinus, Epistolam nostri, ne damno esset auctori suo, apud se occultam aliquandiu retinuerunt, nec Romam nisi aliquanto serius transmiserunt.

174. Res Mexicanæ. Quorundam Indorum mores ultra Cinaloam.

Vidimus quid rerum hoc anno Societas gesserit in Europa, quid in Africa, quid in Asia. Deinceps quæ ad Americam pertinent, paucis expediemus. In provincia Mexicana, ultra Cinaloam, longe lateque septentrionem versus fusæ inveniebantur nationes barbaræ, Cinipæ, Nebomenses, Guazaparii, Varohii, Aibini, aliique plures populi, inaccessis montibus abditi, necdum ab hominibus Societatis nisi ex parte lustrati. Erant illi porro finitimis propter improbitatem invisi, Hispanis propter ferociam, & crudelitatem prope formidabiles. Evangelium aversabantur ut jugum intolerabile, ac libertatis humanæ hostem, neque quidquam pejus horrebant, quam certo in loco, ut erudirentur, consistere. Nullum Deo adhibebant cultum, nullis religionibus continebantur. In matrimoniis contrahendis nulla lex, imo tam propudiosa licentia,

175. Quædam propriæ illorum affectiones.

ut ejus mentionem aures ipsæ respuant. Unum ex naturæ bonitate reliquum decus habebant, ut senes venerarentur. Ob eam rem nihil prius curabant Evangelici præcones, quam ut seniores sibi devincirent, quibus aversis nihil proficiebatur. Percellebantur etiam, & cohorrescebant ad repentinos tonantis cœli fragores: vibratus autem ex improviso fulguris splendor lucem aliquam, & Numinis notitiam animis caligantibus ingerebat. Quare hanc maxime Patres occasionem arripiebant divinæ majestatis, potentiæ, justitiæque apud eos prædicandæ. Iidem tormenta bellica unice reformidabant: tum propter murmuris terrifici magnitudinem, tum quia eminus, & impune feriebantur. Nam si cominus pugnandum esset, hosti cuilibet non impares se fore confidebant sagittis suis fræti, quas tam præsenti veneno solebant imbuere, ut quamcunque corporis partem vulnerassent, oppetenda mors in vestigio esset. Idem illos metus angebat, cum Europæos milites intuebantur ferreis armatos fistulis, quibus plumbeas glandes, & certam mortem longe propelli sciebant. Hinc institutum, ut operarii Evangelici se præsidio aliquot militum munirent, cum regionis interiora penetrabant; non sane ad inferendam perniciem barbaris, sed ad

176. Ad eos contendunt PP. Martinus de Bruges, & Jacobus Vanderzipen.

eos terrendos, continendosque, ne subeuntibus molesti essent. Verumtamen tali præsidio nequaquam sibi opus esse censuerunt duo strenui operarii, P. Martinus de Bruges, & P. Jacobus Vanderzipen. Deliberatum habentes genti miseræ quocunque suo periculo opem ferre, ad eam soli, alacresque profecti sunt hoc anno ineunte. P. Martinus ad remotissimam omnium, maximeque barbaram nationem penetravit, Nebomem dictam. P. Jacobus in viciniorem agro Cinaloensi, quæ Soyopa nuncupatur, concessit. Primus, ac molestissimus utriusque labor fuit linguam vernaculam cognoscere. Amplius enim triginta sex linguæ in eo tractu numerantur, omnes inter se dissimiles, & magnam partem confusæ, permixtæque. Alter æque molestus, & periculi plenus labor, aditum aliquem ad mentes Evangelii odio imbutas rimari. Testatur P. Martinus in suis ad Præpositum Generalem litteris anno proximo exaratis, sæpius in suum caput conjuratum fuisse, ac portenti simile putat, tandiu sibi tot inter monstra vitam incolumem stetisse. Nunc ædem sacram incendebant, nunc ejus tugurium evertebant, modo cibaria, & siquid provisum ad mortem arcendam, ac foris importatum esset, corrumpebant. Probra, & convicia nullo ducebantur in tot malis loco.

177. Aibini legatum Hispanorum mactant, de Patrum cæde deliberant.

Placuit Hispanis viam aliquam fœderis, & concordiæ cum hominibus tam inhumanis, at hominibus tamen, tentare. Igitur legatum de pace ad eos mittunt. Pacis mentio, & nomen ipsum efferavit Aibinos, gaudere bello, & sanguine saginari solitos. Corripiunt legatum, & contumeliis obrutum morte mulctant; de Patribus pari supplicio afficiendis deliberant. Certior de nece legati, & nostrorum periculo factus Didacus de Urdaire cohortium Hispanarum

Digitized by Google

rum in Cinaloa præfectus, abjecta omni cunctatione, agmen expeditum in perduelles rapit. Conſederat quintis caſtris in valle ampliſſima, & amœniſſima, ubi pabulum equitatui, & omnes ad uſum caſtrorum opportunitates affluebant. Huc ab hoſtibus in tempore dilapſi ſe receperunt Patres, eumdemque jam tum elegerunt locum, ubi, reddita rebus pace, domicilium religionis, & Societatis conſtituerent. Crux eſt in proximo colle poſita, velut acceptæ poſſeſſionis monumentum. Poſt brevem moram, & quietem copiis conceſſam, repetitur iter denuo, donec ſuperatis ſumma celeritate graviſſimis viarum incommodis, ad hoſtium fines perventum eſt. Continuo miſſi ſpeculatores, qui eorum conſilia, munitiones, arma explorarent. In edito colle caſtra poſuerant, non vallo tantum & ſepibus, ut barbaris mos, ſed muro cæmentitio munita. Agebant excubias, arma diu noctuque fabricabant, certi omnes aut vincere, aut fortiter mori. Interim ingens Hiſpanis præſidium acceſſit, nec leve momentum ad victoriam. Gens in iis partibus frequens, & in plures diviſa colonias, poſtquam exercitum Hiſpanorum Soyopam attigiſſe cognovit, ad eos cum duce ſuo, & lecta militum fortiſſimorum manu contendit, ſeque ſociam periculi, laboris, & victoriæ ſponte obtulit: an metu Hiſpanorum, quorum erat in oculis multitudo & robur, an odio Aibinorum, & Nebomenſium, a quibus vexari graviter conſueverat, incertum. Dux gentis, quem magnum Siſibotarium vocabant, proceſſit ad Hiſpanorum præfectum procero, & nudo corpore, coma ad talos uſque promiſſa; nam hanc tondere, aut imminuere apud illos nefas. Arcum geſtabat dextra, lævo ex humero pharetra dependebat. Exporrecta frons, vultus ad humanitatem non ſine majeſtate compoſitus. Stabat militum Hiſpanorum, & Indorum circumfuſa multitudo. Ipſe, arcu, & pharetra humi depoſitis, adventus ſui cauſam hora fere dimidia expoſuit, tanta gravitate, facundia, & dignitate, ut omnes hærerent admiratione defixi. Cum peroraſſet, ſuamque ac ſuorum vitam Hiſpanis obtuliſſet, ampliſſimæ viciſſim gratiæ illi actæ ſunt a præfecto: ipſe cum ſuis in commilitium acceptus.

173. Hiſpanorum dux movet contra eos exercitum.

Hoc medio tempore reverſi erant, quos miſſos in regionem ſupra dicebamus, exploratores. Hiſpanus dux, auditis quæ illi de hoſtibus perſpexerant, quæque nunciabant, ordinem pugnæ, modum, ac tempus præſcripſit. Sub horam noctis tertiam præmittuntur tria militum millia ad occupandas anguſtas montium fauces, adituſque ac vias omnes, per quas hoſtibus aut effugium, aut in Hiſpanos erumpendi opportunitas pateret. Alii propugnacula hoſtium obſidere jubentur ante quam illuceſceret; pugna tamen abſtinere, donec equitatus cum reliquis copiis adeſſet. Summa fide, induſtria, & ſilentio hæc peracta ſunt. Hoſtis, ut illuxit, ſe prope captum prius, quam obſeſſum vidit. Non tamen deſpondit animum. Irruentes Hiſpanos, & ferro ignique ſævientes ſuſtinuit octo ipſis horis; majoremque victoriæ moram attuliſſet, niſi bellicorum tormentorum horribili fragore conturbatus fuiſſet. Neque vero deditionem ullis conditionibus fecit: ſed amens, conſternatus, perditus, quaſi cœlum rueret, aut terra ſub pedibus dehiſceret, fugere, projicere arma, in flammas, quæ caſtris injectæ fuerant, catervatim inſilire. Oblata miſeris nequidquam vita, & venia. Pauci duntaxat pueri, cum aliquot mulieribus, incendio erepti. Ex Hiſpanis non ita multi deſiderati ſunt. Tantum ordo pugnæ, ac ducis ſolertia valuit! Cadentibus, aut vulneratis P. Martinus in acie prima conſpicuus adfuit: nam ejus ſocius P. Jacobus Vanderzipen in priſtina ſtatione reſtiterat Soyopæ. Fructus victoriæ latiſſime patuit. Hoſtium reliqua natio pacem ab Hiſpanis ſuppliciter petiit. Decem aliæ nationes, miſſis legatis, fœdus, & amicitiam rogaverunt, dederuntque obſides adoleſcentes procerum filios, quos Societas chriſtiana fide inſtituendos accepit. Poſtremo P. Martinus de Bruges prælatam crucem in eo loco, ubi hoſtium acies media ſteterat, erexit ſumma totius exercitus gratulatione. Sic ibi parta religioni, & Societati tranquillitas, ſaltem ad tempus. Acceſſit ad victoriæ cumulum ingens utilitas commercii cum illis gentibus inſtituti. Deprehenſum enim eſt, totam

174. Natio quædam frequens tranſit ad Hiſpanos cum ſuo Principe.

180. Hiſpani hoſtem circumveniunt ſilentio noctis.

181. Barbarorum conſternatio, fuga, & voluntarius interitus.

182. Fructus victoriæ multiplex.

Digitized by Google

Nebomenſem oram auri, argenti, margaritarum, & corallii eſſe feraciſſimam, quas opes Indi a natura ſibi liberaliter oblatas negligebant. Narrat P. Martinus, e multis gemmis inde collectis unam tribus aureorum millibus æſtimatam fuiſſe Mexici, multas ad Regem miſſas Matritum.

183. Res Peruanæ. De duobus collegii Limenſis ſodalitiis.

Minore interea periculo, non minore fructu laborabant Patres provinciæ Peruanæ. Limæ, quod provinciæ caput eſt, in collegio Societatis ſodalitium vigebat e Sacerdotibus centum probatiſſimis, præfecto omnium Archiepiſcopo. Impoſuerant ſibi ultro hanc legem ſodales, ut quotidie per horam integram divina meditarentur; diebuſque item ſingulis certus ſodalium numerus adiret publicum noſocomium, & ægrotis opem ac ſolatium afferret. Modeſtiam eorum, & in colendis religionis officiis aſſiduitatem mirari nemo ſatis poterat. Noſtri ſodalitatem eo moderabantur diligentius, quod probe norant pertinere ad rem publicam ſacerdotalis ordinis pietatem: cum propter auctoritatem exempli, quæ in populo multum valet; tum quod ex hoc ordine Parochi, Concionatores, & ſacrorum adminiſtri petendi ſunt. Aderat in eodem collegio laicorum alterum ſodalitium ex natu grandioribus conflatum, vigebatque tam ſecunda apud omnes fama, ut vulgo pietatis quoddam quaſi gymnaſium atque officina putaretur. Sodalium numerus ad capita fere nongenta, in quibus Archiepiſcopus, Prætor, atque honeſtiſſimus quiſque civitatis. Jam ergo ex duobus, quæ dixi, ſodalitiis oblata occaſio eſt rem alteram inſtituendi haud parum, ut uſu compertum eſt, utilem. Viderant noſtri diebus feſtis, cum ſodales ad ſuos ſolemnes cœtus convenerant, famulorum ingentem numerum ante collegii fores otiari. Aſſectati ſcilicet ſuos ad collegium heros, eoſdem opperiebantur. His interea detinendis, & ad pietatem excitandis, viſum Patribus mitti aliquos ex junioribus ſcholaſticis, qui ſermones pios cum illis ſererent, agerentque familiariter de rebus ad ſalutem animæ pertinentibus. Res ubi in mores induci cœpta, nemo non agnovit inventi utilitatem. Fatebantur paſſim nobiles, aliis jam uti ſe famulis, quam antea ſoliti eſſent, modeſtioribus, fidelioribus: rara inter illos jurgia eſſe, correctam ex magna parte licentiam vitæ, atque linguæ. Quanta demum approbatione acceptum fuerit novum iſtud conſilium, indicio ſit, quod eodem anno Naſcæ (oppidum eſt trecenta circiter millia paſſuum ab urbe Lima) vir locuples, ſine liberis moriens, hæredem ex aſſe inſtituit Societatem: rogatus autem, cui potiſſimum ex pluribus Societatis domiciliis addictam hæreditatem vellet? Limenſi, inquit; illi videlicet, ubi Patres turbam famulorum piis colloquiis morantur, & ad bene vivendum hortantur. Eodem tempore etiam ancillis proviſum eſt, & inventa ratio, qua chriſtianæ vitæ præcepta condiſcerent. Nam cum antea domeſticis miniſteriis ita occuparentur, ut vix ſpatium haberent aſſiſtendi per dies feſtos rei ſacræ, certi conſtituti ſunt dies, quibus deinceps in ædem curialem ſingulæ convenirent, denunciatumque dominis ab Antiſtite, ut eas mitterent, pœna cenſurarum, niſi obſequerentur, propoſita. Aderant in unaquaque æde aliqui ex noſtris, tum ut ſumma doctrinæ chriſtianæ capita explicarent, tum ut pietatem, & dignos chriſtiana profeſſione mores audientibus inſtillarent. Antea dixi, Limæ, ad exſcindendum radicitus idolorum cultum, condi cœpiſſe ſeminarium pro Caziquiorum filiis. Ædificio ad culmen perducto ſuus tandem hoc anno uſus fuit. Collecti ſunt in novum contubernium nobiles adoleſcentes ad triginta, ejuſque ſeminarii adminiſtrationem Societas recepit. Sed non item adduci potuerunt noſtri, ut regendam ſuſciperent domum ad maleficorum cuſtodiam deſtinatam, quæ Limæ pariter fuerat condita. Procurationem difficilem, ac periculoſam, quantumvis a Prorege ſæpius oblatam, conſtantiſſime recuſaverunt. Id modo unum admitti placuit, ut incluſis in ea domo viris feminiſque amplius centum nunquam deeſſent de Societate cultores, quorum erudiendi voce, & ad pietatem informandi eſſent.

184. Novum inſtitutum ad excitandam inter famulos pietatem.

185. Etiam ancillarum inſtitutioni conſulitur.

186. Seminarium adoleſcentum Societas regendum ſuſcipit.

187. Reſpuit adminiſtrationem alterius domus.

188. Converſio occulti cujuſdam præſtigiatoris.

Ejuſmodi maleficorum nondum exciſa penitus natio erat in Peruvia. Deliteſcebant tamen toti in ſe conditi, & inquiſitorum diligentiam fallebant. Unus

Digitized by Google

Unus erat Coillii ab ipsis incunabulis diabolo consecratus, præstigiatorum in tota provincia facile princeps. Loci Parochus, e familia Dominicana Sacerdos, latere quidem exitialem in suo grege pestem sentiebat, sed nullis artibus detegere illam hactenus, nedum evellere potuerat. Par nostrorum Coillium ab urbe Lima venit, ad spargendum divini verbi semen. Nec mora. Motus eorum concionibus sponte se prodidit homo perditus, & palam nefarias artes est execratus, læto ob revulsam labem Paroco, & nostris tanquam pro insigni beneficio gratias agente. Sed in hoc genere multo insignius quod P. Francisco Patinio accidit. Venerat e collegio Guamangensi in oppidum, cujus nomen justis de causis litteræ tacent. Dum feminæ confitenti aures præbet, nescio quibus indiciis sensit, pudore vinci miseram, ne atrociora quædam aperiret. Instare itaque ne quid per fraudem celaret, animum tergiversanti facere: *Quid adeo vereris?* inquiebat: *quid metuis? Dic sodes libere quidquid est: nihil mihi magnopere mirandum accidet, vel si cum diabolo concubuisses.* Diceres instinctu plusquam humano locutum: hoc ipsum erat scilicet, quod mulier indicare cunctabatur. Jam ergo, velut in manifesto deprehensa, narrat, se puellam annorum haud amplius decem a malo dæmone fuisse vitiatam: exinde vero usque ad annum ætatis quadragesimum sceleslam cum eo consuetudinem habuisse, nunquam tanto temporis intervallo pœnitentiæ remediis usam. Atrocia porro, & immania esse, quæ hactenus a tam duro marito pertulisset. Sæpe potiones sorbere amarissimas, sæpe carbones deglutire coactam fuisse. Postremo accepisse ab eo feralem laqueum, & crebris sollicitationibus ad suspendium adigi. Unam esse rem, quam nequissimo insidiatori semper pernegasset, nempe ut Rosarium B. Virginis projiceret, aut ejus quotidianum usum semel intermitteret. Patinius, audita ejusmodi confessione, horrorem sinu premens, mulierem bono esse animo jubet. Multa subjicit ad excitandam pietatem idonea. Demum rite expiatam dimittit. Ecce autem postridie mane trepidus, & anhelans ad Patinium nuncius. Iret confestim, si qua pietas: feminæ extrema patienti opem ferret. Advolavit Sacerdos. Defectam viribus, & metu pene exanimem reperit. Insilierat in eam minaci atque horribili specie diabolus, confessionem pridie factam exprobrans, & apprehensam faucibus præfocasset omnino, nisi ad clamorem accurrissent domestici, quorum adventu carnifex dilapsus est. His cognitis rebus Patinius, ratus haud dubie dæmonem ad divexandam feminam rediturum, particulam illi tribuit ex reliquiis B. P. Ignatii, quarum adversus infernos spiritus efficacissima virtus est. Eandem, ut Ignatii patrocinio tuta quiescat, ut adversi nihil reformidet, admonet. Haud vanam fuisse fiduciam, docuit eventus. Nocte proxime consecuta, iterum se mulieri perspicuum, ac truculentum obtulit malus dæmon. Verum illa reliquias, quas dixi, intentans, & Jesum invocans, ringentem frustra, ac diras omnes imprecantem exegit, nec ejusmodi in posterum molestiis conflictata est. Beneficio tam insigni, tam splendido, priusquam Peruvia excedamus, attexendum est aliud, quod eodem anno B. P. Ignatius præstitit Potosinis. Civitatem, regionemque circumpositam dira lues vexabat, multis perniciem, periculum omnibus, & metum creans. Cogitantibus in communi civibus, quonam genere piaculorum calamitatem deprecarentur, venit in mentem Ignatii, cujus instabat dies anniversaria. Illa ergo die statuunt supplicationem publicam instituere, & sacrum ejus signum celebritate quam posset maxima circumferre. Vix fecerant, & vis morbi remisit in tantum, ut brevi civitas ab omni metu respiraverit. Obstricti beneficio tam subito conspicuoque Potosini, non commiserunt ut ingrati, aut parum memores viderentur. Prætor ad publicum consilium retulit, placeretne eligi inter urbis patronos Ignatium? Quæ relatio summo omnium assensu accepta cum fuisset, decretum ea de re factum est, atque in ipso Senatus consulto prolixe declaratum, civitatem ut id decerneret motam esse, tum veteri suo ac peculiari erga Beatum Patrem studio, tum quod intelligeret, ejus filiis plurimum se debere. Illud etiam lege sancitum, diem Ignatii natalitium fore posthac Potosii, si ita Antistiti videretur, sacrum, & so-

189. Mulier diabolo mancipata sacram confessionem peragit.

190. Vexatur a dæmone, & S. Ignatii ope liberatur.

191. Aliud S. Ignatii beneficium erga Potosinos.

192. Qui ipsum eligunt in patronum suæ civitatis.

Digitized by Google

ſolemni omnium ordinum ſupplicatione celebrandum. Quæ tunc a Senatoribus juramento firmata, deinde Antiſtite approbante in mores tranſierunt.

193. Res Brasiliæ. Inducitur in morem ſupplicatio quadraginta horarum.

Dum hæc in Peruvia gerebantur, in tribus provinciæ Braſilienſis collegiis (non enim plura tunc habebat Societas) ſolemnis quadraginta horarum comprecatio primum eſt inſtituta. Novam ſpeciem religionis ſecundiſſima approbatione exceperunt coloni pariter & indigenæ, totoque triduo bachanalium ultimo, quamdiu expoſita publice fuit divina hoſtia, ad eam adorandam magna frequentia confluxerunt. Nec interim conſueta Societatis miniſteria remiſſius tractata. Quot fuerint hoc anno ex ethnicis baptizati, incertum. Toto triennio numerati infantium tria millia, & trecenti ſexaginta ſex: adultorum amplius mille ducenti. Fuit in his par conjugum plane fortunatum ac felix, de quo ita reperiebam. Venerant ambo ex interiori regione in pagum Neophytorum circa Soteropolim (Bahiam vulgo nominant), unaque venerant contribules eorum plurimi, ut ex idolorum cultoribus Chriſtiani fierent. At comperto, graſſari tunc in eo pago luem peſtiferam puſtularum, periculoſum rati locum, abire continuo omnes ſtatuerunt. Abierunt reipſa cæteri, & in ſuos montes quam longiſſime profugerunt. Soli manſerunt quos dixi conjuges: mulier, quia ſtatim peſtilenti morbo correpta eſt: vir, quia uxorem tali loco ac tempore deſerere non ſuſtinuit. His ad Chriſtum adducendis cum accurriſſet celeriter noſter Sacerdos, mirari coactus eſt docilitatem in barbaris inuſitatam ac novam. Adeo illis nullo negotio ut Chriſtum colerent perſuaſit. Poſtea quam viſi Chriſtianis inſtitutionibus ſatis imbuti, parabat utrumque baptiſmo initiare. Dum ſecum de nomine ſingulis imponendo deliberat: *Me quidem*, ait mulier, *Agnetem appellabis; nam hodie beatæ hujus Martyris dies anniverſaria eſt.* Unde rudi feminæ ſcientia hujus rei fuiſſet indita, compertum eſt nunquam. Sed admirationem iſtam alia multo major excepit, cum eadem paulo poſt rite abluta, virum compellans: *Eja*, inquit, *mi ſponſe, migrandum eſt. Nos Chriſtus dominus ad ſe vocat.* Qua vix emiſſa voce, quaſi ſe ad quietem componeret, expiravit. Valebat tunc ut qui optime vir: tamen ipſe etiam triduo poſt, eadem peſte afflatus, deceſſit. Similia divinæ prædeſtinationis miracula haud raro occurrunt in miſſionibus Indicis, ubi quos Deus in vitam æternam præordinavit, eos neceſſe eſt præter communes providentiæ leges ad ſalutem pertrahi. Præter indigenas baptiſmo donatos, pretium haud leve factum eſt inter Æthiopes, quorum venales greges quotannis, ut in reliquas Americæ oras, in Braſiliam ex Africa deportantur. Uti vulgo ſolent hoc genere ſervitiorum, Luſitani, tum ad urbana, tum ad ruſtica miniſteria, eorumque familias ingentes alunt in officinis ſacchari, quæ ſunt circa Soteropolim frequentes. Prædia ſingula, & officinas circumierunt noſtri, ut de moribus Æthiopum cognoſcerent, & ſi quæ irrepſiſſent inter eos vitia, corrigerent. Irrepſerant ſane plurima. Erant qui, violato nuptiali fœdere, pellicatum publicum exercebant. His perſuaſum, ut cum ſuis uxoribus in gratiam redirent, & iterum ſe Chriſtiani matrimonii legibus ſubjicerent. Alii multo plures nullum uſum ſacrorum habebant, & mira rerum divinarum inſcitia laborabant, ſolo nomine & baptiſmo Chriſtiani. Supra novem millia numerati, qui annis tribus nunquam homologeſim fecerant. Iſti omnes ſummam Chriſtianæ inſtitutionis, quanto opus erat, edocti ſunt, & pro confeſſione auditi.

194. Divinæ prædeſtinationis exemplum admirabile.

195. Fructuoſa miſſio ad Æthiopes ſervitio addictos.

196. Expeditio Patrum Antonii de Aravio, & Joannis Mendozæ ad montem Arabonem.

Longum eſſet exequi quæcunque in hoc genere geſta ſunt intra Braſiliam. Nonnullas tamen præterire non poſſum expeditiones eodem anno ſuſceptas, tum quod magni laboris, & paris emolumenti fuerunt, tum quod aliqua præter communem morem acciderunt, aut voluptatem, aut utilitatem legentibus allatura. Prima expeditione perfuncti ſunt PP. Antonius de Aravio, & Joannes Mendoza, e collegio Baienſi ad montem Arabonem profecti. Quem Arabonem vocant, mons eſt inacceſſus, & maxime mediterraneus. Longiſſime diſtat Soteropoli. Patet in longum millia paſſuum circiter ſex, paulo plus dimidio latus. Huc profugiſſe e maritimis locis dicebantur Chriſtiani ethnicique, liberi & ſer-

Digitized by Google

& ſervi promiſcua multitudine, ut quemque vel loci ſatias, vel cupiditas libertatis cepiſſet. Miſeram & inſanam turbam ut perquirerent, ac ſecum reducerent Patres, aſſumptis viæ comitibus admodum paucis, & inermibus, longum & periculoſum iter ingreſſi ſunt, proceſſeruntque ad plures dies per ſaltus horridos, per invias ſolitudines, ubi nullum humani cultus veſtigium exſtabat. Sæpe aperire ferro ſemitam inter dumos, ſæpe rupes interpoſitas manibus pedibuſque tranſcendere, poſtremo diram eſuriem pati coacti ſunt. Conſumpta enim quam domo extulerant annona, nihil erat quo veſcerentur, præter mel ſilveſtre, cujus aliquam ſubinde copiam in exeſis arborum truncis inveniebant. Totos quatuor menſes in itinere tam laborioſo poſuerunt. Cum denique ad Arabonem ventum eſt, ægrotabat graviter P. Aravius. Itaque ſolus proceſſit cum reliquo comitatu Mendoza. Hunc ut longe proſpexerunt incolæ, ſuſpicati agmen eſſe Luſitanorum, & vim illaturos accedere, continuo ad arma conclamaverunt, amandatiſque celeriter in vicinas ſilvas pueris ac feminis, tanquam adverſus hoſtes armati prodierunt. Clamare ex adverſo Mendoza, nihil eſſe quod metuerent: pacem ſe, non bellum populo optatiſſimo afferre. Cum nihil pacati reſponderetur, progreditur nihilominus audaci conſilio ſolus, & ſe ultro barbaris in manus tradit. Perculit illos viri fiducia, comitas mitigavit. Quidam ut audierunt Societatis Sacerdotem eſſe, ad ejus ſtatim pedes provoluti ſunt, venerandi cauſa. Alii tamen noſtri moris conſcii, nequaquam ajebant hunc eſſe poſſe de Societate Jeſu, qui tam longum iter ſine ſocio ejuſdem ordinis confeciſſet. Dum ambigitur, ſcrupulum & ſuſpicionem exemit ſuperveniens Aravius, illatus, ut ibi mos, reti, in quo æger decumbebat. Sic demum ambo perquam hoſpitaliter ſuſcepti fuerunt. Collecta in illo monte erat multitudo hominum circiter quingentorum, ac tribus diſtributa pagis modico intervallo disjunctis. Moribus Chriſtiani pariter ethnicique vivebant iiſdem, nempe corruptiſſimis. Connubia nec iis continebant legibus, quas natura præfinivit. Quo quemque cupiditas egiſſet, paſſim ruebant ferarum ritu. Tamen meliorum exempla non deerant. Multum certe aberat ab ejuſmodi intemperantia unius pagi princeps. Nondum Evangelii luce colluſtratus a malefactis cunctis abhorrebat, vitam integram divina ope agitabat. Pudicitiam colebat impenſe. Injurias neque cum facile poſſet ulciſcebatur. Olim a Luſitano per fraudem captus, indigniſſime habitus, coactuſque tanquam emptum mancipium in confectione ſacchari operam ponere, cum inde fuga evaſiſſet, deterruit tribules ſuos ne vindictam injuriæ, uti conſtituerant, ſumerent. Præter hæc, ingenita quadam miſericordia egenos ſublevabat, cavebatque ne quid contra quemquam injuſte, aut inclementer admitteret. Conſuetudinem impiam veſcendi humanis carnibus e ſuo pago ſuſtulerat. Quod ſi quos bello captos ſciret a ſuis contribulibus in hunc uſum ſervari, eos pretio redimebat. Addunt, præmonſtratum illi fuiſſe per ſpeciem adventum Patrum, hoſque ut audiret fuiſſe præmonitum. Sed quidquid ſit de hac re, vir ipſo habitu naturæ bonus facile ſe docilem præbuit Patribus, hortantibuſque ut Chriſtianam fidem ſuſciperet, divina impellente gratia, morem geſſit. Plus negotii fuit ſubigere reliquos pagorum incolas. Sed his etiam denique perſuaſum eſt, non modo ut cultum Chriſti amplecterentur, verum etiam ut deſererent locum invium, & ad maritima demigrarent, imbuendi commodius inter Chriſtianos religionibus Chriſtianorum. Et jam profectionis diem indixerant. Sed ut mobilia ſunt barbarorum ingenia, eo die pars major deſiderati ſunt, nec quamvis ſollicite perquiſiti, uſquam apparuerunt. Ducenti tantum ſecuti Patres, ſedem in pago ſancti Spiritus accepere prope Soteropolim.

197. Ut excepti ſint ab incolis ejus loci.

198. Suſpicio contra P. Mendozam, quia ſine ſocio.

199. Mirabilis innocentia & probitas cujuſdam ethnici.

200. Patribus ducendos ſe præbent ex illis ducenti.

Expeditio altera æque difficilis ſuſcepta eſt e collegio Januarienſi ad Cariſios, nationem barbarorum in extrema plaga Braſiliæ, qua adjacet Paraquariæ. Magno animo, & pari rei bene gerendæ ſpe iter iſtud arripuerunt PP. Joannes Fernandez, & Joannes de Almeida. Sed neque ſpei, neque labori Patrum reſpondit exitus; quodque graviſſimum, impedimento fuerunt ii, quos auxilio

201. Altera expeditio Patrum Jo. Fernandii, & Jo. de Almeida ad Cariſios.

Digitized by Google

lio esse oportuit. Præfectus Januariensis Salvator Correa litteras & mandata præmiserat ad magistratus coloniarum, per quas erat transeundum, ut trasituros Patres navi, & viatico juvarent sumptu Regis. Adeo nihil juverunt, ut imo omni ope restiterint, ne porro pergerent. Soliti nimirum ex Carisiis, contra jus fasque in servitutem abductis, quæstum indignum, at ingentem facere, ægre ferebant pervadere illuc homines Societatis, quorum notissima erant per totam Americam studia in tuenda contra Europæorum injurias libertate Indorum. Perrexere nihilominus Patres liberalitate Antonii Vasconcellii, cujus accepti sunt oneraria, & in terram Carisiorum expositi. Hue ubi ventum est, audiunt occupatos secretis Lusitanorum nuntiis barbaros. Caverent sibi diligenter a duobus propediem adventuris Sacerdotibus: eorum congressum, & aspectum ipsum fugerent: homines esse indolis acerbissimæ, quorum si semel audissent vocem, imperium deinde, & impotentissimum dominatum essent subituri. Quæ per rude vulgus sparsa nonnullam initio moram piis Patrum conatibus fecerunt. At eorum multis experimentis perspecta charitas, & benignitas facile moram illam disjecit. Patres igitur in interiora regionis progressi, & a Carisiis ubique comiter accepti, multis hominum millibus persuaserunt, ut vellent nativos saltus relinquere, & secum in præfecturam Januariensem transmittere. Cum nihil deesset, præter navigandi facultatem, P. Fernandius ad Corream scripsit, sibi ut curaret majoris alvei navigia: neque enim tantam multitudinem, in qua feminæ essent plures, & pueri, tuto lintribus, sive, ut ipsi loquuntur, Canois committi posse: præterea copiam cibariorum necessariam iisdem navibus mitteret. Ad hæc postulata nihil responsi datum. Sive ille revera rescripserit nihil, sive, quod verius puto, fuerint litteræ interceptæ. Ita destituti omni humana ope Patres, discedere coacti sunt re infecta. Tamen non omnino inutilis expeditio fuit. Quamdiu inter Carisios versati sunt, multos omnis sexus ætatisque mortales Christianam legem docuerunt, multos in extremo vitæ discrimine constitutos baptismo consignaverunt. Totam autem gentem ita sibi devinxerunt, ut cum discedendum fuit, divelli ab ea sine acerbissimo sensu doloris non potuerint. Complorabant circum Carisii frequentes, manus tendebant, rogabant enixe Patres, ne se in tam tristi ac periculosa orbitate relinquerent. Siquidem remanendum sibi esset, saltem remanerent ipsi etiam, futuri apud se magistrorum, defensorum, parentum loco. Responsum est a Patribus, id in sua potestate non esse: rogandum provinciæ Præpositum, a cujus nutu penderent. Carisii ad Provincialem legationem miserunt: sed eorum votis obstitit operariorum paucitas, qua tunc Brasilia laborabat.

202. Difficultates oppositæ a Lusitanis, & quare.

203. Multis persuadent Patres, ut alio migrent, sed nullo effectu.

204. Utilitas ejus expeditionis. Carisiorum benevolentia erga Patres.

Binam denique expeditionem peregerunt e collegio Pernambucensi PP. Franciscus Lobatus, & Dominicus Monteirus: ille ad Tamujas, & Guaitacasios, circa promontorium frigidum: hic ad Aimures in præfectura sancti Spiritus. Sed paris laboris longe dispar fuit eventus. Aimures proceritate corporum, ferocia, robore, & assidua armorum tractatione Lusitanis formidabiles, nec tam bello, quam latrociniis grassari solitos P. Monteirus ita demulsit, ut non modo pacem ex æquo & bono fecerint cum Lusitanis, verum etiam de abdicando nativo solo consenserint, ut in pagos Neophytorum transirent. Jam transierant magno numero, jam de rebus fidei instituebantur. Cum subito causati difficultatem annonæ, qua in novis sedibus premebantur, ex magna parte dilapsi sunt, & pacem nuper initam fœde violarunt. Contra P. Lobatus Guaitacasios ita pacavit, ut nunquam deinceps Lusitanis infesti fuerint. Quod tamen optabat præterea, ut in pagos Neophytorum demigrarent, id nunc obtinere nullo modo potuit. Hac itaque intermissa tantisper cura, transiit ad Tamujas proximos. Pauci numero erant Tamujæ, reliquiæ belli cum Lusitanis infeliciter gesti; sed animo præferoces, & adhuc indomiti. Inter abdita montium se continebant, ut paris prope esset laboris illos invenire, ac vincere. Prodibant tamen interdum e suis latibulis armati, & maritimam concursantes oram, prædas hominum, & jumentorum agebant. Hoc infami latrocinio tres nuper interceperant ju-

205. Aimures in certos pagos abducti a P. Dominico Monteiro.

206. P. Franciscus & Lobatus Guaitacasios conciliat Lusitanis.

207. Transit ad Tamujas, & tres juvenes a nece liberat.

Digitized by Google

juvenes gente Guaitacaſios, eoſque ſaginabant laute, quippe infandis epulis deſtinatos. Rei certior factus Lobatus, præire jubet ad capita nationis nuncios adventus ſui, atque hæc referre: Eſſe ſibi quæ cum illis communicata velit: rebus autem ſuis optime conſulturos Tamujas, ſi in colloquium venerint, & captivos juvenes ſecum adduxerint. Menſem illi integrum deliberarunt quid facto eſſet opus. Eo evoluto, ecce tibi ad locum, ubi Sacerdos conſederat, agmen barbarorum. Aderant tres infelices victimæ: de quibus Lobatus dicere incipiens, docuit quantum accerſituri in ſe malum eſſent Tamujæ, niſi juvenes redhiberent Guaitacaſiis. Hos jam Luſitanorum amicos & fœderatos eſſe, nec dubitandum quin eoſdem in ſociale bellum trahant, & conjunctis viribus prædam injuſtam repetant. Movit oratio barbaros uſque adeo, ut non modo reſtituendam prædam Guaitacaſiis, verum etiam pacem rogandos cenſuerint Luſitanos. Dimiſſi ergo ſunt juvenes. Pax cum Luſitanis, Lobato ipſo ſequeſtro, ſancita. Neque id ſatis. Illecti Tamujæ benignitate Lobati, & ſuaſionibus victi, ejus arbitrio ſe totos permiſerunt. Nec multo poſt, eodem auctore ac duce, in pagum S. Petri, quem ante duos annos noſtri condiderant ſex millia paſſuum ab arce promontorii frigidi, cum ſuis liberis & conjugibus tranſmigraverunt, ubi erudiri cœpti, paulatim ad Chriſti fidem traducti ſunt. Ejuſmodi tranſitionum magna erat utilitas, non in Braſilia ſolum, ſed in tota late America. Nam præter quam quod difficile inſtitui poterant barbari, quamdiu per ferarum ſpelæa diſperſi habitabant; homines ob licentiam vitæ feris quam ſimillimi prius docendi erant vitæ humanæ inſtituta, deinde religione imbuendi: prius, ut ita dicam, homines formandi, deinde Chriſtiani. Quare nihil prius curabant homines Societatis, quam ut eos in certa ac tuta loca contraherent, atque is primus putabatur barbarorum gradus ad fidem.

208. Pacem ſancit inter Tamujas & Luſitanos, illoſque pertrahit in pagum S. Petri.

209. Cur noſtri barbaros e ſuis latebris in certos pagos traducerent.

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ

LIBER QUINTUS

ANNUS CHR. 1620. SOC. 81.

1. Res Provinciæ Romanæ. Mors & elogium P. Bernardini Stephonii.

ANno ſæculi vigeſimo, cujus hoc libro acta complectimur, deſideravit provincia Romana virum de humanioribus litteris egregie meritum, eundemque virtutum magnitudine inclytum, P. Bernardinum Stephonium, de quo pauca noſtro more ſubjicimus. Plura ſi qui volent, habent ubi quærant, tum Alegambium de ſcriptoribus Societatis, tum etiam Pinacothecam Jani Nicii Erytræi, qui de Stephonio ſuò olim magiſtro copioſe diſſeruit. Luci illum dedit pagus in Sabina ignobilis, cujus nomen eſt in obſcuro. A pueritia cum multa præ ſe ferret præſtantis indolis, ingeniique documenta, eum Alexander Farneſius Cardinalis tranſtulit in ſeminarium Romanum, ut inter ejus contubernii alumnos ad clericalem militiam adoleſceret: qua in palæſtra exercitatus probe, tum in oratoria, tum in poetica facultate, brevi ſodales & condiſcipulos omnes longe poſt ſe reliquit. Annum ingreſſus vigeſimum, ut erat non minus pietatis, quam litterarum cultor eximius, deliberabat de ineundo religioſæ vitæ ſtatu, ferebaturque propenſione animi ſumma in Societatem: ſed eam ne peteret apertius, pudore quodam modeſtiaque prohibebatur, ob humilitatem natalium. Reſciverunt noſtri moderatores. Talem vero, ac tantæ expectationis alumnum adeo non repulerunt, ut imo ponendum in lucro non mediocri exiſtimaverint. Teſtatur quem dixi Nicius Erytræus, Stephonii in Societatem ingreſſu ſocios omnes incredibili voluptate lætitiaque fuiſſe perfuſos: *Tanquam ſi* (inquit), *non infimæ pene ſortis homo, ſed regia ſtirpe procreatus, ſummiſque opibus præditus, in eum ordinem ac numerum veniſſet*. Poſt primos religioſæ vitæ annos, partim in addiſcendis altioribus diſciplinis, partis in inferioribus tradendis Societatis more traductos, Rhetoricæ, in qua plurimum eminebat, admotus eſt, & collegii Romani cathedram magnus præceptor implevit. In hoc laudum ſuarum theatro conſenuerat jam, attigeratque annum vitæ ſexageſimum, eam videlicet ætatem, qua honeſto otio frui non immerito poſſet: cum expetitus eſt a Sereniſſimo Mutinenſium duce, ut ſuis liberis prima latinitatis elementa explicaret. Provinciam homini ejus ætatis moleſtam non detrectavit, qua erat obedientia,

Ste-

Digitized by Google

Stephonius. Reliquit urbem Romam, & consuetudine veterum amicorum abrupta, Mutinam se recepit. At dum injunctum munus sedulo naviterque exequitur, sive ob mutationem cœli, sive ob vitæ & occupationum diversitatem, extabuit paulatim, necdum exacto biennio naturæ debitum solvit, VI. Idus Decembres. Vir plane laudandus in paucis, ut qui non solum rem litterariam egregiis ingenii monumentis illustravit, verum etiam, quod caput est, virtutum religiosarum exemplo nostris præluxit, ac miram præsertim animi demissionem cum insigni litteratura, felici ac raro nexu, conjunxit. Stephonium magni faciebant quicunque erant Romæ eruditi, qui semper multi sunt in ea civitate, ad quam flos ingeniorum ex omni Italia, atque adeo ex omni orbis plaga concurrit. Solus ipse de se perquam humiliter existimabat, suaque omnia in postremis habebat. Nulla quidem certe vel levissima ambitionis aura afflari unquam est visus, licet ad audiendas ejus orationes tragœdiasque, quæ deinde in lucem sunt editæ, mirifici fierent omnium ordinum concursus, eumque omnes ut oratorem ac poetam ævi sui facile principem prædicarent. B. Virginem Dei matrem colebat religiosissime: affirmare solitus, quæ maxima accepisset a Deo beneficia, ea se diebus magnæ Virgini sacris accepisse. Nam quo die Conceptio ejus immaculata recolitur, natus fuerat: quo Purificatio, ingressus fuerat Societatem: eodem professionem solemnem quatuor votorum emiserat. Unum adhuc sperare se ajebat, ut uno aliquo ex iisdem diebus mori contingeret; idque etiam feliciter est consecutus ipso conceptæ Virginis die, quo ante annos sexaginta duos primam lucem aspexerat. In morbo extremo rogandum curavit suis verbis Præpositum Generalem, ut quæcunque exstarent sua scripta, vellet juberet flammis aboleri, ne qua relinqueretur posteritati memoria hominis, ut ajebat, ineptissimi. Sed aliud impetravit nihil, nisi ut inter reliqua ejus monumenta haberet posteritas hoc etiam religiosæ humilitatis exemplum.

2. Obitus & elogium P. Julii Ursini.

Altero post Stephonium die elatus est Florentiæ P. Julius Ursinus, vir hic etiam nota peculiari dignus, & apud nos immortaliter memorandus. Romæ ortus erat ex Ursinorum familia, quam qui nominat satis laudat, parentibus tunc Petiliani comitatum in Hetruria obtinentibus. Annos natus viginti duos, cum ad amplissimam in aula Romana fortunam conniti non immerito posset, abrupto repente honorum cursu, ac domus paternæ commodis abdicatis, secessit in nostram Societatem, ut innocentiam, quam ad illud usque tempus intaminatam servaverat, procul periculis custodire facilius posset. Ita deinde vixit usque annum, quo mortuus est, ætatis suæ secundum supra quadragesimum, ut pudore, modestiaque magis unus aliquis e supernis spiritibus, quam homo ex hac terrestri massa concretus videretur. Beatissimam Dei matrem colebat, amabatque in parentis loco. Vicissim hæc illi visendam se præbuit aliquando, atque ita locuta est: *Scito Juli, pudicitiam mihi tuam curæ esse*. Id ipse de se narrabat arbitro conscientiæ suæ: ex quo licet existimare, quam purus ab omni labe esset is, cujus castimoniam Virgo beatissima in suam curam receperat. Ejusdem rei documentum illustre de cœlo datum est in ipsius morte. Nam cum pro ejus valetudine vir notæ pietatis supplicaret Florentiæ, rogaretque enixe Deum, ne tam utili capite privari civitatem pateretur, oranti divinitus monstratum est candidissimæ formæ lilium, quod ignota excisum manu transferebatur in cœlum. Similibus ostentis declaratam ferunt ipsius jam mortui, & in cœlum recepti gloriam. Partem vitæ ultimam Ursinus exegit Florentiæ, partim privatus, partim rector, pari semper opinione non vulgaris virtutis. Erat tunc collegium Florentinum a re familiari non satis instructum. Ursinus cum fuisset illi rector impositus, ab ipso aditu magistratus curam, & administrationem collegii omnem commisit Virgini beatissimæ: ad eamque summa deinde fiducia, veluti ad collegii patronam, ac curatricem in rebus dubiis confugiens, præfecturam gessit per quam feliciter, nec ad vitæ usum necessaria unquam desideravit. Otium ut pestem omnium pessimam execrabatur. Quamvis autem vix aliquid vacui temporis suæ illi occupationes, precesque ad

Digitized by Google

multas quotidie horas productæ relinquerent ; tamen quidquid habebat ſucciſivi utiliter collocans , ſcripſit ediditque vitam Alexandri Berti , juvenis Florentini e nobilium ordine , cujus eo tempore pietas tota celebrabatur Hetruria; ac præterea vitam S. Franciſcæ Romanæ: duo aurea volumina, & ad fovendam inter juvenes ac matronas pietatem aptiſſima . Ab Urſino nefas ſejungere P. Stephanum Benaſſajum , nobili ortum loco inter Lucenſes, cujus pariter viri obitus in hunc de quo ſcribimus annum incidit . Priuſquam Societati daret nomen Benaſſajus , forum terebat Romæ tanta inter Cauſidicos fama, non ſolum ſcientiæ, verum etiam integritatis , ut ei Pontifex Paulus V. tiaram neſcio quam Archiepiſcopalem obtulerit. Ille honorem, ut putabat, indebitum, ſarcinamque ſuis majorem viribus reſpuens, latebras contra, & operoſam quietem captans , abdere ſeſe inter noſtros tirones maluit . Quamquam vero provecta eſſet ætate, ad omnem tirocinii diſciplinam inſtitutionemque ſe mire componens, tantum concepit ardorem , ut nihil jam niſi ſacras miſſiones animo volutaret. Præcipuo inſtinctu pelli ſe ſentiebat ad propagandam in imperio Turcico religionem. Eo conſilio, annos jam natus quinquaginta ad condiſcendam linguam Illyricam, difficilem oppido ac ſalebroſam , adjecit animum , ac brevi tantam ejus peritiam adeptus eſt , ut non incommode loqueretur . Sed dum opportunitatem optatæ miſſionis opperitur , audit Pontificias triremes, quæ Centumcellano in portu conſtiterant, peſte conflictari. Advolat ſtatim , & quas anhelabat regiones barbaras in Italia ſibi oblatas gaudens , nulli diurno nocturnoque parcit labori. Ægros vectare humeris, morientium confeſſiones excipere, mortuos componere , Turcas præſertim, qui inter mancipia plurimi inveniebantur, erudire. Dum ſomnum , cibum , valetudinem nihil penſi habet, ac mortem ipſam denique lucro apponit , hanc peſtifero languentium afflatus halitu libens admiſit XVII. Cal. Februarii. Nondum innotuerat Romæ de Benaſſaii obitu, cum uni ex noſtris in Quirinali probationis domo monſtratam fuiſſe tradunt ipſius animam, candido amictu ſpectandam , & cœleſti lumine circumfuſam.

3. Mors & elogium P. Stephani Benaſſaii.

Eodem anno tribus provincia Romana domiciliis augebatur , Interamnenſi , Urbevetano , & Camertino , quorum duo nunc tantum ſuperſunt. Interamna civitas eſt in Umbria vetus , & olim ſplendidum Romanorum municipium. Cives noſtri nominis amantiſſimi ab ipſo B. Parente Ignatio collegium popoſcerant , nec quamquam ob ſociorum paucitatem uſque ad hoc tempus dilati, ſpem ejus conſequendi unquam amiſerant. Recaluit vetus deſiderium hoc anno, dum miſſi Interamnam Patres Joannes Petrus Perottus, & Franciſcus Conturla, ſacris miniſteriis civitatem excolebant. Nondum hi diſceſſerant, cum Magiſtratus, inſtante Epiſcopo Clemente Pera , ad conſilium publicum retulit de collegio inſtituendo: quæ relatio communi omnium ſuffragio probata cum fuiſſet, delecti ſunt ex primario ordine Duumviri, penes quos poteſtas eſſet ea de re tranſigendi. Dum illi rationem ineunt parandi habitationem & cenſum, multumque in his expediendis rebus immorantur ; nunciatur ex improviſo , in quodam agri Romani oppido diem objiſſe Perſium Galeanum civem Interamnenſem, & bonorum ſuorum hæredem ſcripſiſſe Societatem ea lege, ut collegium conderet Interamnæ . Fundatum ergo eſt ex Galeani bonis collegium : quod autem explendæ doti deerat, civitas aliunde ſupplevit . Pari tenebatur Societatis deſiderio Urbſvetus , civitas nobilis in ea parte Hetruriæ , quæ Pontifici paret. Ante annos ſex Sebaſtianus Phœbejus indidem civis genere patricius, ut collegium Societatis in patria ſua conſtitueret , ſex aureorum millia , quæ habebat Romæ in quæſtu collocata, nobis tranſcripſerat . Civitas parabat jam tum addere in eundem uſum proventus de ſuo quoſdam, nec vero tenues. Sed cum incerti illi & inſtabiles eſſent , iis Claudius haudquaquam cenſuit ſpes collegii committendas. Ita tunc quidem hæſit res. Nunc vero Urbevetani, reſumpta quam intermiſerant deliberatione, domum noſtris ut opus erat inſtructam, & certum pecuniæ ſubſidium de publico offerebant, ut ſi nondum collegium,

4. Fundatur collegium Interamnenſe.

5. Initia collegii Urbevetani.

Digitized by Google

gium, qualecunque saltem domicilium Societatis haberent. Cui tam benevolæ voluntati Mutius obsecundandum putans, domum Urbevetere constitui jussit ad earum similitudinem, quas vulgo Residentias dicimus. Constituta est: eamque quarto post anno cives proventu auxerunt, Mutius in formulam collegiorum redegit. Non eadem sorte usum est collegium, quod eodem anno inchoatum fuit apud Camertes ex hæreditate Venantii Mutii. Cum enim præter ædes fundatoris, & prædia quædam perexigui proventus, nihil ad sustentandos Patres suppeteret, resque post annos amplius duodecim nihilo meliore essent loco, Mutius, negotio cum Assistentibus deliberato, Camertinum collegium nondum omnino admissum dissolvit, sociis inde migrare jussis.

6. Inchoatur collegium Camertinum, sed mox dimittitur.

Simile incrementum hic annus attulit provinciæ Neapolitanæ, duobus illi de novo collegiis additis, Tarentino, & Vibonensi. Vibo, Valentia olim dicta, nunc vulgo Mons Leonis, civitas est episcopalis in ulteriori Calabria. Jamdiu loci dominus Hector Pignatellus, vir eque avita generis claritate, ac pietate sua illustris, nihil optabat cupidius, quam ut nostros homines illam in urbem induceret. Cum non haberet ad manus unde collegium moliretur, stationem duorum vel trium capitum impetraverat a Præposito Generali, vertendam suo tempore in collegium. Sed profectus postea in Hispaniam, inde ad Regem Galliæ orator missus, tot in legatione sumptus facere coactus fuerat, ut etiamsi voluntas maneret eadem, tamen negotii conficiendi facultatem non haberet. Quod Pignatellus exoptabat frustra, perfecit præter omnium spem Vespasianus Jazzolinus civis Vibonensis. Erat is quidem egregius vir, sed nostrorum consuetudine nunquam utens, Societati putabatur parum amicus. Tamen sub initium anni moriens, testamento condito, hæredem ex asse fecit Societatem, hac tantum imposita conditione, ut stationem Vibonensem in collegium mutaret. Jazzolino tres erant fratris filii, quibus ex lege Neapolitanorum pars de bonis patrui debebatur. Quocirca bona hæreditatis sequestro fuerunt deposita, donec cum illis Societas transegisset. Brevi ex æquo & bono transactum est: qua conventione licet fere triens detractum fuerit ex asse hæreditatis, quod tamen superfuit ad censum collegii sufficere est visum. Tarentum, clari urbem nominis in provincia Hydruntina, duos jampridem Societatis operarios induxerat Bonifacius Cardinalis Cajetanus, ejusdem urbis Archiepiscopus. Patrum istorum opera adeo grata acciderat civitati, ut, quod raro admodum usuvenit, Tarenti Societas adversarium haberet nullum, omnibus contra in amore & pretio esset. Collegium cum expeterent unanimi ferme consensu Tarentini, dolebant, propter exactiones, & tributa solito graviora deesse sibi fundandi facultatem. Sed hac eos cura liberavit Vicecomes de Vicecomitibus nobilis Mediolanensis, qui cum esset in provincia Hydruntina regius portuum administrator, jamdiu Tarenti domicilium habebat. Is enim, etsi a longo tempore Societati, ut fama erat, palam adversus, nunc ad extremum vitæ deductus, nobis haud contemnendam pecuniæ summam testamento legavit. Suas quin etiam reliquit in usum collegii ædes, aliud nihil rogans Præpositum Generalem, nisi ut accepto legato collegium Tarento daret; sibi autem quæ solet Societas collegiorum fundatoribus indulgeret. Illud porro visum notabile in hac re, testamentum fuisse scriptum postridie Cal. Julii, die scilicet anniversaria Ven. P. Bernardini Realini, quem plures adhuc meminerant affirmare solitum, futurum Tarenti collegium unde minime speraretur. Oraculi veritatem affirmavit eventus. Nam præter legatum de quo diximus, Fabricius Vicecomes fundatoris fratris filius, biennio post moriens, collegium a patruo suo inchoatum verius quam conditum, novis attributis vectigalibus, perfecit. Sed ut ad annum qui præ manibus est redeam, Neapoli in æde Professorum supplicatio habita est, non equidem pompa, sed conditione supplicantium insignis, & annalibus digna. Octavius Aragonius triremium regiarum præfectus redierat ex Ægæo mari cum præda unius turcicæ, quam ajebant esse prætoriam Leucadiorum, alteriusque piratici myoparonis. Iis in navibus capti cum fuissent Tur-

7. Res Provinciæ Neapolitanæ. Fundatur collegium Vibonense.

8. Ortus collegii Tarentini. Vaticinium P. Realini circa illud.

9. Memorabilis supplicatio Neapoli habita.

Digitized by Google

Turcæ sexaginta, receptique Christianorum fere ducenti; placuit Proregi ad ædem nostram supplicatum venire Christianos liberatos, & ad altare Francisci Xaverii catenas suas deferre, ut iis quasi anathematis, & obsequii publico documento auctorem suæ liberationis agnoscerent. Facta enim collatione temporum, constabat, navalem illam victoriam in diem Xaverii anniversariam incidisse, ejusque potissimum præsidio fuisse barbaros superatos Prorex non vanis conjecturis putabat. Peracta igitur est novi moris supplicatio, pompam assectantibus, qui pugnæ interfuerant, classiariis. Totus ad pium spectaculum affusus est populus Neapolitanus. Affuit ipse Prorex, magnis enimvero grati animi significationibus salutatus ab omni liberatorum multitudine, quam antea vestimentis & pecunia donaverat. Sed hujus lætitiam rei mirifice cumulavit, quod ex mancipiorum turba duodeviginti rite instituti Mahometicam superstitionem ejuraverunt, & in æde Professorum sacro humore abluti fuerunt.

10. Res Provinciæ Siculæ. Initia collegii Thermitani.

Dum hæc geruntur Neapoli, in Sicilia sedem stabilem habere cœpit Societas apud Thermitanos. Thermæ, oppidum toto regno nobile, jacent ad ostia Himeræ amnis, millia passuum viginti circiter ab urbe regia Panormo. Michael Angelus de Marinis toparcha Vallislongæ, duobus ante annis moriens, certum pecuniæ numerum æquis pensionibus persolvendum legaverat Societati, cum hoc ut collegium Thermis excitaretur. Sane multo amplius ad rem perficiendam opus erat: sed quod deerat, sperabant nostri aliorum largitionibus expletum iri. Hæc fiducia permovit Mutium, ut legatum acciperet, juberetque qualecunque domicilium Thermis inchoari. Ejus itaque jussu circa dimidium anni labentis missi sunt Thermas duo Patres, cum totidem rei domesticæ adjutoribus, ut novi collegii fundamenta ponerent. Dum illi parando sibi domicilio primas curas impendunt, accidit ut eodem adveniret Jannettinus Cardinalis de Auria antistes Panormitanus. Præsulis purpurati adventus movit Patres, ut domus ædificationem maturarent, cujus primum ille lapidem ponere per istam occasionem posset. Provinciam Auria non recusavit. Summa civium lætitia positus fuit lapis, delecto ad sacram cæremoniam die ob conceptum Deiparæ intaminatum faustissimæ celebritatis. Exinde cœptum ædificium surrexit feliciter: collegium vero, ut futurum nostri præsenserant, ex ærario publico civitatis accepit, unde familiam aleret capitum fere quindecim. Dissimilis fuit conditio alterius domicilii, quo per idem tempus provincia Sicula aucta est. A Melita exiguo freto disjungitur Gaulos, brevis insula, cœlo tamen saluberrimo, & felici admodum solo. Oppidum ibi est permunitum, nec infrequens. Incolarum quatuor vel quinque millia numerantur. His, ut res tunc habebant, nullus præter parochum aderat, neque præceptor, neque sacrorum minister: res eo miserabilior, quod compertum erat, esse hominibus indolem, si excoleretur, cujuslibet disciplinæ patientissimam. Id reputans Melitensium nescio quis, duobus ante hunc annis bona sua collegio Melitensi transcripserat, ea imposita conditione, ut aliqui sociorum in insula Gaulitana sedem ponerent. Dubitatum apud nos est, utrum expediret hæreditatem accipere! Rejiciebat illam aperte Mutius, ut qui exiguæ familiæ domicilia, ob pericula disciplinæ vix inter paucos servandæ, haud facile admitteret. Sed vicit auctoritas Episcopi Melitensis, nequaquam negligendam existimantis occasionem, quæ sponte offerebatur, juvandi miseros insulanos omni fere salutis præsidio destitutos. Ita vix demum consensit Mutius, ut duo e nostris possessionem Gaulitanæ sedis caperent. Verum biennio post certior factus, profestis diebus nihil esse quod nostri ibi agerent, quippe incolis per eos dies in cultu agrorum ex maxima parte occupatis; stationem illam simul, & hæreditatem dimsit.

11. In insula Gaulo sedes figitur, & mox deseritur.

12. Controversia inter nostros, & Chiensem Episcopum exorta.

Provinciæ Siculæ pars est Chios, notissima Ægæi maris insula. Chii stationem antiquam habet Societas, & cum alias ob causas, tum maxime ob commoditatem quam præbet excursionum ad alias circumpositas insulas, in pretio habendam. Plures versabantur in ea statione Patres, suisque ministeriis secundissima omnium approbatione fungebantur. Solum demereri sibi non poterant Epi-

Digitized by Google

Epiſcopum, quo utebantur palam infenſo. Quiddam accidit, unde exacerbatus eſt hoc anno vehementius. Jamdiu Epiſcopus verſabat animo, ſi quo modo poſſet ſuam facere ædem S. Antonii, quam ibi habebat Societas ſatis amplam, ornatamque, olim nobis a Clemente VIII. Pontifice traditam. Nam cum ſuam vetuſtate collapſam amiſiſſet, coactus fuerat functiones pontificales transferre in ædiculam peranguſtam, quæ vix centum homines capiebat. Jus noſtra utendi nuper poſtulaverat Romæ. Judices Cardinales ita liciturum reſponderant, ſi modo Patres Societatis conſentirent. Reſponſum hoc minime ſuffragabatur ejus propoſito, qui non uti tantum, ſed potiri templo conſtituerat. Ergo aſperiorem inire viam ſtatuit, ſi forte impatientes moleſtiarum & litium noſtri ſponte cederent inſula, aut ſaltem ædem permitterent arbitrio ipſius. Solebant noſtri per totum majoris jejunii tempus, ſingulis ſextis feriis, incruentam hoſtiam ad venerandum proponere in S. Antonii, quæ religio ſumma civium frequentia, ac pietate celebrabatur. Hoc anno Præſul diſerte vetat, ne uſpiam per eos dies divina proponantur: velle enim ſe deinceps illud religionis genus in ædem ſuam epiſcopalem inducere. Perculit Patres rei novitas: tum vero maxime, cum paucos poſt dies affuit in templo noſtro miſſus ab Epiſcopo ſcriba, & ejuſdem ſententiæ edictum publice recitavit, denuncians populo, jamtum ſacris interdici illi nominatim templo, ſi ſecus fieret. Legentem interpellavit P. Joſephus Balamus ſociorum præſes, & porro progredi vetuit. Ea tamen denunciatio multorum mentes perturbavit, & civitatem in ſtudia varia ſententiaſque diſtraxit. Affirmantibus aliis teneri edicto Epiſcopi eccleſiam Societatis, aliis pernegantibus, itum eſt in jus Romam. Non tamen intermiſſa vetus ac pia conſuetudo exponendi ſexta quaque feria quadrageſimæ divinam hoſtiam: nec quamquam affirmaret Epiſcopus, reos eſſe anathematis quicunque in noſtra æde facerent, aut frequentarent ſacra, in ea concurſus populi deminutus. Dum Romæ negotium diſceptatur, multa noſtri pertulere ab Epiſcopo, ejuſque fautoribus, quæ nihil attinet commemorare. Nec vero negaverim, nonnullis etiam noſtrorum in illo æſtu doloris voces excidiſſe minus conſideratas, quæ ad Antiſtitem delatæ, ejus iracundiam vehementius irritaverunt. Eos Mutius, quippe rigidus exactor obſequii Principibus Eccleſiæ debiti, increpuit acriter, multavitque. Quod vero ad rem attinet, allatæ demum ſunt Roma litteræ, quibus declarabatur, non fuiſſe cauſam Epiſcopo interdicendi ſacris eccleſiam Societatis. His litteris alias de ſuo addidit Mutius, duo præcipiens noſtris. Primum, ut controverſam celebritatem transferrent deinceps in alium quemlibet diem hebdomadæ, relictis Epiſcopo ſextis feriis. Alterum, ut nullum prætermitterent officii & obſervantiæ genus adverſus ipſum. Quæ cum noſtri obedienter facerent, delinitus obſequio Præſul edictum illud ſuum induxit, & finem controverſiæ fecit.

13. Romam defertur, & Societati adjudicatur.

Multo æquiorem interea gerebat erga nos animum Andreas Maſtrillus Archiepiſcopus Mamertinus. Is paulo poſt ſumptas inſulas, cum ſuam illam valde amplam obire diœceſim ſtatuiſſet, ſecum duos noſtrorum aſſumpſit, non tam viæ comites, quam laborum ſocios, curarum participes, & rerum gerendarum miniſtros. Sex ipſos menſes tenuit peregrinatio: quibus exactis, graves de juriſdictione controverſiæ Antiſtitem exceperunt. Cum non appareret, quo prorupturum eſſet certamen duas inter poteſtates, civilem, & ſacram inſtitutum, quæ quidem numquam niſi malo publico diſſident, placuit rei judicium permittere theologorum arbitrio. Optimus Præſul, qui in ea cauſa nihil ſpectaret aliud, quam ut ne jura Eccleſiæ læderentur, facillime admiſit petitionem civilium magiſtratuum, ut religionem qua ducebatur, aut deponeret, aut retineret, ut viſum eſſet Patribus collegii Mamertini, quorum ſententiæ ſe quoque ſtaturos facto veluti compromiſſo profitebantur. Dato deinde noſtris negotio, ut quid ipſi ſentirent aperte pronunciarent, eorum ſententiis controverſia eſt omnis incredibili partium approbatione compoſita. Dum hæc Meſſanæ gerebantur, Catanæ P. Carolus Romanus rei maxime ſalutaris initium fa-

14. Sociorum res geſtæ in diœceſi Meſſanenſi.

Digitized by Google

15. Missio perpetua a P. Carolo Romano instituta.

faciebat, quæ ad totum deinde ordinem cum magno mortalium bono est propagata. Jampridem ille expeditiones Indicas depoposcerat: sed aptus inter paucos tironum institutioni, eoque munere occupatus, repulsam tulerat. Pro Indiis, quas frustra semper optaverat, id nunc obtinuit a Præposito Generali, ut se nullius certi domicilii familiæ adscriptum sineret obire perpetuo villas, & minora Siciliæ oppida, evangelico ministerio nunquam intermisso. Hujus vero perpetuæ missionis tam lætos colligere statim fructus cœpit Romanus, ut videretur labores Indicos in Sicilia inveniisse. Non potuerunt non perspicere novi instituti utilitatem provinciæ præsides: eaque propter curandum sibi in posterum censuerunt, ut semper essent in provincia ex probatissimis operariis aliquot paria a curis cæteris expedita, & his tantum excursionibus destinata: qui postea mos in alias quoque provincias cum ingenti animarum proventu pervasit.

16. Mors & elogium P. Octavii Cajetani.

At his rebus gaudentem Societatem Siculam valde contristaverunt duo domestica funera. Primo decessit loco P. Octavius Cajetanus, vir doctrina & sanctitate conspicuus: cujus quidem eo visa est jactura luctuosior, quod in ipso ætatis robore constitutus, otiumque nunc primum nactus ab administrationibus & præfecturis, in eo maxime erat ut Societatem scriptis luculentissimis illustraret. Natus perillustri genere Syracusis, litterisque ab ipsa pueritia optime excultus, cum in maximam familiæ spem adolesceret, Deo ad Societatem vocanti parere maluerat. Post tirocinium Messanæ positum cum ad altiora studia conficienda veniisset Romam, in isto sapientum theatro magnam habuit opinionem ingenii, atque virtutis, cum apud cæteros, tum præsertim apud illum hominum æstimatorem egregium Claudium Aquavivam, cujus nutu ad gubernandum fuit traductus. Rexit præcipuas provinciæ domos, dubites utrum majori laude solertiæ, an charitatis. Sane, quod vix videatur credibile, rem ubique auxit familiarem, sine cujusquam incommodo aut querela. Nec vero excelsæ mentis hominem domestica negotia sic sibi totum vindicabant, ut non aliquid quotidie vacui temporis inveniret collocandum in libris, privatisque vigiliis. In ipso Panormitanæ domus magistratu acta Sanctorum Siculorum scribendo exequi cœpit: opus infiniti laboris, ex antiquitatis ruderibus coagmentatum, duobusque ingentibus voluminibus comprehensum. At dum totus est in eo limando perpoliendoque, curam hanc immatura mors intercepit. Obiit Panormi postridie Nonas Martias, annos natus quatuor supra quinquaginta, laudatusque est oratione publica super mensam, qui honor apud nos non nisi summæ virtuti conceditur. Superis, quorum res gestas illustravit, acceptum fuisse tradunt in tantum, ut sæpe illum ex maximis vitæ periculis eripuerint, aliquando sese videndos ei præbuerint, adfuerint scribenti, & gratias egerint, quod de ipsorum gloria tan opere laboraret. Cum ejus vitæ prius, deinde pudicitiæ scelesta mulier insidiaretur, a B. P. Ignatio semel atque iterum repressa est, ut fuse tradit Aguilera in annalibus provinciæ Siculæ.

17. Obitus & elogium P. Jacobi Carybdis.

Cajetanum exiguo intervallo subsecutus est P. Jacobus Carybdes, Messanæ extinctus, ubi claris natalibus ortus fuerat ante annos septuaginta. Vir ingenii & doctrinæ præstantia vix ulli ætatis suæ secundus, morum vero facilitate, innocentia vitæ, rerumque gestarum magnitudine, cum maximis comparandus. Philosophiam tradidit Romæ, ac notatum est, ex ejus disciplina prodiisse nostrorum neminem, qui non deinde in aliquo Societatis ministerio excelluerit. Ex Lyceo ad gubernandum assumptus, hinc iterum ad studia regressus, in utroque statu laudem obtinuit religiosæ virtutis, dubium relinquens utrum laudabilius præesset, an subesset. Summus studiorum moderator cum esset in collegio Mamertino, tantam sibi apud omnes famam conciliaverat fidei, atque prudentiæ, ut Carybde inconsulto vix auderent cives aliquid majoris momenti aggredi. Inventis corporibus Sanctorum martyrum Placidi & sociorum, quæ per plura sæcula sine honore jacuerant, unus aliquis legandus erat Romam ad asserendam Pontifici maximo eorum veritatem. Nemo omnium visus ad hanc provinciam aptior Carybde. Romam ergo mittitur publico civitatis nomine. Ille strenue negotium aggressus, post duos irritæ pro-

Digitized by Google

procurationis menſes, videns ſubnaſci alias ex aliis difficultates, nec ſacro Cardinalium conſilio ullis ſatis documentis perſuaderi poſſe, eas vere eſse Martyrum, ut ipſe affirmabat, exuvias; ad eoſdem Martyres ſe convertit. Rogat, ut ſuam ipſi cauſam agant, ipſi ſe tueantur: nec fruſtra. Deſignatus fuerat Vincentius Cardinalis Gonzaga, ut de cauſa Martyrum ad cœtum Purpuratorum referret. Pridie ejus diei, quo relationem facere conſtituerat, corripitur vehementi dolore laterum Cardinalis, ac male torquetur, ſic ut cruciatus acerbitatem nec ferre, nec levare ullo fomento poſset. Multum laboranti, omneſque ſe in partes fruſtra verſanti optimam mentem injecit dolor. Placidi, & ſociorum opem implorat. Profitetur, vera ſe habiturum quæ a Carybde de ipſorum corporibus affirmabantur, ſi eorum invocato nomine convaleſceret. Vix precem conceperat, eodemque momento temporis omni doloris ſenſu caruit. Convictus tam manifeſto divini numinis teſtimonio Cardinalis, non ſolum manus veritati dedit ipſe, verum etiam poſtridie ad collegas ita de re tota peroravit, ut omnium animos flexerit. Ita ſolemnis cultus SS. Martyribus decretus eſt, & negotium Carybdi datum, ut in anniverſariam eorum diem officium, & lectiones concinnaret. Nec vero dubitandum quin reſpexerint beati Cœlites pium viri laborem pro ſua gloria ſuſceptum. Certe ſine divino conſilio factum non videtur, ut migraret ex hac vita P. Carybdes IV. Nonas Sextiles, pridie ſcilicet ejus diei, qui dies Meſanæ, a repertis ſanctorum quos dixi Martyrum corporibus, habetur religione præcipua conſecratus.

18. Res Provinciæ Venetæ. Obitus & elogium Fratris Joſephi Bracchi.

Magnum quoque ſui deſiderium reliquit Novellariæ in provincia Veneta Frater Joſephus Bracchus, patria Regienſis. Conditiones omnes & dotes, quas in adjutore domeſticæ rei requirit Societas, in Bracco eminebant: pietas, obedientia, humilitas, paupertas cum munditie conjuncta, laborum omnium & incommodorum, quæ huic ordini adjuncta ſunt, tolerantia. His de cauſis ſocius tironum magiſtro ſemel datus Novellariæ, in eo munere, quod non levis momenti eſt, reliquam vitam exegit. Cum tironibus ita verſabatur, ut unus ex ipſis videretur, iiſdem atque illi occupationibus exercens ſeſe, modeſtiam eorum ſimplicitatemque ſuperans. Quadrato pileo, Fratribus per illud tempus permiſso, uſus eſt nunquam. Perbrevi plerumque veſte ex craſſiore tela, eaque multum detrita ac decolorata tegebatur. Uſitatam Societatis tunicam ſolis diebus feſtis induebat. Niſi novitios extra urbem deambulantes aſsectaretur, animi relaxationem nullam admittebat, neque alia tunc colloquia, niſi plena pietatis miſcebat. Si quem tironum videret in agendo remiſſiorem, his illum ferme vocibus increpabat: *Hæccine actio Deo offerenda? Putas gratum id fore Chriſto Domino, & B. Virgini? Ita ne ageret B. Aloyſius?* Quoties a rectore arceſſebatur, licet longe diſſitus inveniretur, ſtatim nudabat caput reverentiæ cauſa: quidquid vero haberet præ manibus abrumpens, ad eum propere advolabat. Pari ut alacritate novitii majorum excipere imperia conſueſcerent, hæc illis identidem inculcabat: ad religioſos loqui Deum per ipſorum præſides, veluti per fiſtulas totidem: diverſas eſse fiſtulas, aureas alias, alias argenteas, ligneaſve; ſed unam per eas vocem emitti, divinam ſcilicet. Amabat Societatem impenſe, dolebatque quod non ab ipſis incunabulis in eam fuiſſet cooptatus. Diem anniverſariam ſui in Societatem ingreſſus pio præveniebat octiduo, quod largiore precationum, & afflictationum menſura tranſigebat. Regienſem etiam ſtationem, quæ tunc ob inopiam ægre ſuſtentabatur, de ſuo patrimonio plurimum juvit. Quamdiu inter nos vixit, non alio uſus eſt conſcientiæ arbitro, quam tironum magiſtro: quæ autem ad piacularem confeſſionem afferebat crimina erant ejuſmodi, ut vix Sacerdos materiam aptam abſolutionis inveniret. In morbo extremo, qui decem & octo dies tenuit, de ſuo obitu ut de re quapiam jucunda, ac porro optatiſſima loquebatur, nec unquam eſſe ſui compos deſiit. Una antequam expiraret hora, cum rector acciri ſe juſſiſſet, ſi periculum mortis immineret, ipſe adſtantem Sacerdotem admonuit, ut vocandum recto rem-

Digitized by Google

curaret. Decessit III. Nonas Februarias, annum agens ætatis quinquagesimum septimum, ab inita Societate vigesimum.

19. Res Provinciæ Mediolanensis. Labores & pericula P. Gonsalonerii in Corsica.

Per hæc in Corsica, quam pertinere ad provinciam Mediolanensem alibi dicebamus, P. Joannes Augustinus Gonsalonerius, post fructuosas anni præteriti circuitiones, Bastiam quasi in hiberna concesserat. Ibi dum tempus resumendi laboris opperitur, atque interim publica civitatis vitia liberius carpit, gravem in se procellam concitavit. Fuerunt e religiosa nescio qua familia concionatores, qui maledictis, & contumeliis in eum de loco superiore inveherentur. Alii violatæ religionis reum faciebant, & deferendum ad quæsitores fidei palam prædicabant. Increbuerat, non neminem ipsius capiti insidiari. Quare multi ei amice suadebant, ut quantocyus cedens ex insula periculoso turbini se subduceret. At vir fortis divina ope, suaque frætus innocentia, non solum manere quocunque suo periculo statuit, verum ubi primum per tempus licuit, erupit denuo in apertum, & ad intermissum opus festinavit. Quod oppidum S. Florentii vocant, caput est dioeceseos Nebiensis: Nebii enim nihil supereſt, præter ruinas, & nomen episcopatus. Arx impolita est oppido, quæ tunc cohorte præsidiariorum centum & triginta tenebatur. Militum porro adeo perditi erant mores, ut plerique ne metu quidem anathematis possent ad percipienda semel saltem intra annum sacra compelli. Jam quæ inter eos inolevissent portenta scelerum, majus est quam ut dici a me possit, fœdius quam ut debeat. Hanc vitiorum omnium sentinam purgandam suscepit Gonsalonerius, ac re ipsa purgavit adeo feliciter, ut veterum sordium vix esset vestigium invenire. Qui jamdiu simultates internecinas aluerant, ii positis ex animo offensionibus ad concordiam rediere. Scorta, & cætera flagitiorum irritamenta, frequens in militari licentia malum, prorsus eliminata. De iis quæ quisquam vel furto, vel rapina, vel iniquis pactionibus, vel alia quavis fraude abstulisset, dominis satisfactum. Sublata penitus ebrietas, metuque Numinis excisa libertas improba, aut colloquendi turpiter, aut contumelioſa in superos verba jaciendi. Aliæ demum vivendi leges, aliæ consuetudines in arcem inductæ: ut tantam morum conversionem nec Antistes commendare satis, nec cæteri satis mirari possent. Deus ipse visus novam illam militum pietatem præsenti beneficio remunerari voluisse. Sinus Nebiensis antea piscosus, a longo tempore pisces dare desierat: cujus causam incommodi vulgo referebant in execrationes, & diras olim contra ipsum jactas a Sacerdote, quem piscatores læsissent. Placuit experiri, an mari bene precando maleficium averteretur. Ut religio ejus rei cum quanto poterat cæremoniarum apparatu perageretur, pegma instar pontis erectum est ab extremo littore in æquor procurrens, jussique ad hunc locum oppidani ritu supplicantium procedere. Inter eundum alii se flagris diverberabant, alii alio genere piaculorum iram Numinis deprecabantur. Cum tota multitudo convenisset, affuit cum antistite Gonsalonerius. Peroravit hic ut res & tempus poscebat. Ille conscenso pegmate precationis carmen peregit: ab eaque die, mirum dictu! locus ut olim piscibus abundare cœpit. Sic gesta res in oppido S. Florentii. Non minori deinde successu perrexit Gonsalonerius ejusdem provinciæ populos obire, donec, post assiduos quatuor mensium labores, Genuam reverti statuit. Secunda navigatione Genuam ferebatur: cum subito ventus in contrarium mutatus navim impulit ad Caprariam, brevem insulam, in medio freti Liguriam & Corsicam interluentis sitam. Ibi ad plures dies sibi esse consistendum videns vir apostolici spiritus, ne moram perderet, totum se contulit ad excolendos Genuensium milites fere trecentos in præsidio positos. Quantum paucis diebus profecerit apud homines incultos, & summa rerum divinarum inopia laborantes, haud facile consequi verbis possim. Triginta dissidentium paria in mutuam gratiam reduxit: fere omnes homologesi purgatos sacra mensa refecit. Salutabatur proinde passim ut homo de cœlo missus, eratque omnium una vox, se beneficio ipsius ad salutis æternæ spem quodammodo revixisse.

20. Sinus Nebiensis solemni comprecatione fit piscosus.

21. Res a Gonsalonerio gestæ in insula Capraria.

La-

Digitized by Google

22. Obitus & elogium Hannibalis Cacciæ tironis.

Laborante in hunc modum pro divina gloria milite veterano, metam laborum & patientiæ attigit præclarus tiro, qui quamvis paucos duntaxat menſes in Societate verſatus, tamen raræ documenta virtutis illi dedit vivens, & gratam ſui memoriam moriens reliquit. Hannibali Cacciæ nomen erat adoleſcenti: genus e præcipua Mediolani nobilitate. Dum ſcholas frequentat collegii noſtri Braidenſis, incenſus eſt Societatis ineundæ deſiderio adeo vehementi, ut moras omnes moleſtiſſime ferret. Nihil obſtabat ex parte noſtrorum ne reciperetur, quippe adoleſcens optimæ indolis, nec ſolum innocentia ac pietate, verum etiam ingenio, ſtudioque litterarum inter æquales excellens. Cunctabantur illi tamen metu patris, qui filium unice diligens, minime videbatur in pium ejus votum conſenſurus. Suboluit huic interim, neſcio quibus indiciis, de conſilio Hannibalis; ac ſtatim videre licuit, quam non temere de adverſa ejus voluntate noſtri ſuſpicarentur. Exarſit continuo, atque omnia conari ſtatuit, ut filium ab ea mente dimoveret. Primum omnium a ſcholis Societatis illum abſtrahit, omnique noſtrorum commercio interdicit ſic, ut occurrentibus per urbem forte, nec dare ſalutem liceret, nec vero reddere. Eundem mox a ſtudiis litterarum transfert ad ſaltationes, ad inſtrumenta muſica, ad equorum palæſtram, ad ludicras ſub laniſta pugnas, aliaſque ejuſmodi equeſtres, ut vocant, artes: ſi forte per has exercitationes avocaretur a priore propoſito, & ad hilariora conſilia traduceretur. Poſtremo idoneam matrimonii conditionem nactus, de ea ſermonem infert cum Hannibale. Hic enimvero ſe ad incitas adactum vidit optimus adoleſcens. Sermonem moleſtum abrupit, immaturum ſe nuptiis reſpondens. At paulo poſt, captata occaſione, clam profugit Genuam, impetravitque non tam precibus, quam lacrymis, ut noſtris tironibus aggregaretur. Vix portum ſubierat, cum ventis idem ac fluctibus aliis in altum retrahitur. Pater furore amens, atque impos ſui, omnia expertus fruſtra ut noſtros ad redhibendum ſibi optatiſſimum filium compelleret, fidem implorat Odoardi Farneſii Cardinalis, cujus audierat maximam eſſe Romæ apud Generalem Præpoſitum auctoritatem. Negotium ſuſcipit Cardinalis, ſic tamen ut Romam evocaretur novitius, cujus voluntatem ajebat velle ſe coram explorare. Hannibal Romam mittitur. Eum Cardinalis interrogavit ſæpe per ſeſe, ſepe uni cuidam ex externis, viro gravi doctoque, interrogandum tradidit. Quæſtioni ita ſatisfecit prudens novitius, tot argumentis vocationem probavit ſuam, ut demum Cardinalis religioni ſibi duxerit ejus conſtantiam ultra tentare, dederitque hujus ſententiæ litteras ad ipſius patrem. Non quievit ille propterea. Inſtitit, ut ſaltem ab urbe Roma Mediolanum remitteretur. Viam pervolavit adoleſcens alieno tempore: atque ita laboribus fractus ac moleſtiis Mediolanum pervenit, ut inciderit in morbum ſtatim. Quod illi tamen moleſtum magis, quamvis febricula tentaretur, ex ædibus noſtris jubetur immigrare in cœnobium alterius ordinis, etiam atque etiam interrogandus ſcilicet, & ſiquidem emolliri poſſet, ad paternam domum retrahendus. Nihil hoc tempore omiſſum neque a patre, neque a conſanguineis, neque ab iis inter quos verſabatur religioſis, quo labefactari poſſet ejus conſtantia. Dies noctesque inſtabant importuni ſollicitatores, artes omnes ac machinas expromebant. At ſurdo canebatur. Theologus fuit, qui religionem illi incutere auſus eſt, objiciens tenuitatem virium, & incommodam valetudinem, qua prohiberetur ſtudiorum ſpatia percurrere in Societate, ordinis autem laborioſiſſima miniſteria obire nullo pacto poſſet. Se vero, reſpondit, ſi minus aptus cenſeretur ad ordinem clericalem, minime dubitaturum domeſtici adjutoris gradum amplecti, dummodo viveret in Societate. Ex quibus Pater intelligens, ſe in eo expugnando oleum, ut ajunt, & operam perdere, demum ab incepto deſtitit, & filium nobis reddi permiſit. Nunquam hoc præterito tempore convaluerat Hannibal ab ea febri, qua in itinere Mediolanenſi correptum dicebamus. Eandem ſecum intulit in collegium Braidenſe: quæ cum invaleſceret ſenſim, juvenem egregium, tunc undevigeſimum annum ætatis decurrentem, intra duos menſes ex-

Digitized by Google

tinxit. Quæ tam brevi spatio præbuit virtutis exempla, ornandis annis pluribus fuissent satis. Nunquam illi in permoleſto morbo, aut fractus animus, aut vultus tristior. Deum ac Deiparam spirare videbatur unice: nihil nisi cœlestia animo volutabat. Mortem adeo nihil reformidabat, ut imo haberet in votis, recludendum sibi per eam dictitans ad immortales beatorum sedes aditum, quas unice concupisceret. Sacrum sumpturus viaticum, religiosa vota nuncupavit ex formula scholasticorum, ac paulo post, quasi votorum suorum summam consecutus, inter lacrymas adstantium domesticorum mira mentis tranquillitate animam exhalavit, v. Idus Octobris. Atque hæc de rebus Italicis.

23. Res Germaniæ superioris. Palatinatus Noricus ad Ecclesiam reducitur.

Germaniæ superiori lætissimum hunc annum fecit susceptus labor in Norico, quod ex Lutherana superstitione ad catholicum cultum fere ex toto traductum invenio. Est illa pars potissima Neoburgicæ tetrarchiæ. Constat quatuor urbibus, oppidisque majoribus octo, quorum singulis multi adjuncti sunt pagi usque ad quadringentos omnino, & si quid amplius. Incolæ, cum essent a pluribus annis Lutherana hæresi imbuti, adeo abhorrebant a Romana fide, ut ejus nec mentionem ferre possent. Frustra Princeps edicta de restituendo religionis antiquæ cultu promulgaverat. Obfirmati a Luthero nunquam deficere, imperium superbe detrectabant, minas contumaciter aspernabantur. Addebat ingentes perfidiæ animos vulgata Bohemorum rebellio, & rumor haud temere glisens, plerosque Principum protestantium in Germania consilia cum Bohemis adversus domum Austriacam conjunxisse, &. mox etiam arma consociaturos. Sed quamquam hæc ita essent, minime dimotus est a proposito piissimus Neoburgensium dux Wolfangus Wilhelmus. Duumviros probatæ fidei circumire jubet singula regionis oppida cum mandatis, ut quoscunque invenerint in retinenda hæresi pervicaces, exilio damnent. Ne tamen videretur hæreticos ad rectam fidem vi potius, quam suasionibus & ratione compellere, Duumviris socium addit ex nostris P. Michaelem Syboldum, acris ingenii virum, & religionis studio flagrantissimum, qui prius vocatos ad concionem populos officii commoneat, errorem dedoceat, & ad veritatem alliciat. Suas quisque partes strenue peregerunt viri illi tres: totumque Norici Palatinatus tractum obeuntes, intra spatium unius anni rem ita ad votum confecerunt, ut catholicum ubique cultum feliciter restituerint, solutis ab hæresi hominum amplius viginti tribus millibus, & trecentis. Scio a quibusdam Syboldum fuisse reprehensum, quasi in eo negotio male abusus fuerit potestate quam habuit a Principe, & ultra quam deceret hominem religiosum progressus fuerit. Sed defensus egregie est a Duumviris apud P. Christophorum Grenzingum provincialem, qui cum rerum ab eo gestarum quæstionem pararet instituere, alienum esse a moribus Societatis profitebatur, ad tuendam causam religionis quidquam aliud, quam doctrinam & hortationes afferre. Negarunt Duumviri, quæcunque de Syboldo circumferrentur vera esse. Quod si tamen in aliqua re videri posset modum sui ordinis prætergressus, dandum id fuisse tempori, dandum præsenti rerum necessitati. Denique constare sibi, nisi ille vim aliquando exeruisset, negotium non fuisse progressurum, omnemque susceptæ expeditionis fructum facile amissum iri. Qua defensione Grenzingus aut victus, aut victo similis, nihil gravius statuit contra Syboldum: quin rogante Palatino, ut hominem adeo de religione meritum in eodem ministerio relinqueret, relinquere coactus est. Addidit tamen e nostris socium, cujus præsentia deinceps intra præscriptum contineretur.

24. P. Michael Syboldus ab aliquibus accusatur, defenditur ab aliis.

25. Labores & fructus Castrensis missionis in exercitu Bavarico.

Eodem anno Maximilianus Bojorum dux exercitum scripserat eo animo, ut recuperaret Cæsari Bohemiam, quam hæretici perduelles, ut alibi dictum est, Friderico Rheni Palatino tradiderant. Prius tamen quam castra moveret, ut erat singulari religione Princeps, impetravit a provinciæ Præposito delectos socios duodeviginti, qui exercitum in expeditione Bohemica sequerentur. Spectabatur in eo numero P. Jeremias Drexellius, jamdiu librorum pietate & elegantia tota Germania clarus, & tunc in aula Bavarica divini verbi minister. Præses omnium constitutus P. Joannes Buslidius, qui erat Duci a confessionibus.

Jam

Digitized by Google

Jam vero quæ ad utilitatem copiarum ſinguli geſſerint ſi per partes exequi velim, infinitus ſim. Multos a ſcelere ad frugem traxerunt: multos item ex diverſis hæreticorum ſectis ad Eccleſiam reduxerunt. Nonnullos cum inveniſſent ſacrorum ordinum deſertores, qui Chriſti ſtipendia mutaverant cum profanis, eos permoverunt, ut ad priora caſtra reverterentur. Ægris pariter ac valentibus ſemper præſto fuerunt, ſacra omnibus miniſtraverunt. Tunc demum cum Palatiniani ad Pragam prælio ſuperati locum cæſorum ſauciorumque corporibus ſtratum reliquerunt, Patres obequitantes, & ad ſingulos morientium accurrentes, ut plerique decederent expiati perfecerunt. Eorum vero incommoditates quis explicet ſatis? Non alio plerumque utebantur lecto, quam nuda humo; tunc ſecum præclare agi putantes, cum aliquid paleæ ſubſternebatur. Totum ſæpe diem progrediebantur cum exercitu. Sub veſperam itinere fatigatis hoſpitium erat, quale locorum anguſtiæ patiebantur, nunc ſtabulum, nunc horreum. Victus mucida panis fruſta, & aqua interdum limoſa. Ut minime mirum ſit, eorum aliquos, viros cætera robuſtos, tot ærumnis oppreſſos concidiſſe. Sex ipſi mortem oppetiere. Præceſſit reliquis P. Joannes Pfiffer, gente Helvetius, patria Lucernenſis, ex ea prænobili Pfifferorum familia prognatus, cui Lucernenſe collegium Societas debet. Vir impiger, dum nulla re militibus Hungarica, quam dicebant, lue laborantibus deeſt, peſtilenti morbo ex contagione contracto decubuit: deportatus autem e caſtrenſi noſocomio Dilingam, ibi vitam præclare actam pie admodum clauſit. Secuti Patres Chriſtophorus Holzlentner, Martinus Lebart, Michael Kager, Joannes Deit, & Joannes Rasler, operarii omnes laborioſi ſtrenuique, & ipſa mortis cauſa, charitate ſcilicet, *qua majorem nemo habet*, ſatis commendati.

26. Sex Patrum præclara mors in obſequio militum.

Præter hos, quorum invidia magis quam luctu proſequenda mors, alios plures intra provinciam ſocios ſui quemque caſus abſumpſerunt. Præ cæteris deſiderati Patres Andreas Mayr, & Joannes Sutor. Prior jam ſeptimum annum collegio Ratisbonenſi præerat, non minori diſciplinæ commodo, quam habitationis. Hanc enim novo & amplo auxerat ædificio. Illam ſancte adeo cuſtodiebat, ut auditus ſæpe fuerit cum diceret, malle totum dirui quod extruxerat ædificium, quam vel minimam legum domeſticarum infringi. Mortem etſi immaturam excepit, non ſolum intrepide, ſed etiam cupide, illam identidem uſurpans Apoſtoli vocem: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Atque ubi abeſſe propius ſenſit migrandi horam, ultro Sacerdotem admonuit, ſibi ut effigiem Chriſti, & cereum Eccleſiæ ritu ſacratum in manus daret: quibus vix acceptis noviſſimum agonem ingreſſus, inter ſolemnes ejus temporis preces animam exhalavit, IX. Cal. Sextiles. Tria tantum vota profeſsus fuerat. Numerabat vitæ annos paulo amplius quinquaginta. P. Joannes Sutor nondum expleverat duodetrigeſimum, & jam omni genere virtutis ſpectabatur, ſed ſui præſertim contemptu, parendi alacritate, & animarum exexplebili ſtudio. Philoſophiæ profeſsor Ingolſtadii, quos dies habebat a functionibus ſui muneris feriatos, eos, excurrens in pagos proximos, ſolebat ruſticis excolendis impendere. Hoc autem anno, cum exercitus catholici fœderis in caſtris eſset prope Dilingam, multique militum peſtilentibus febribus conflictarentur, ad eos juvandos perrexit in publicum noſocomium, ubi dum miſeris opitulari ſtudet, atque hunc humi jacentem in ulnas tollit, illum cibo & alloquio recreat, ſingulorum confeſſiones excipit; peſtem eamdem hauſit, qua poſt paucos dies conſumptus eſt Dilingæ pridie Cal. Auguſti. Ferunt, morti proximum moriendi facultatem a rectore petiiſse, nec ante expiraſſe, quam impetraret. Adeo imitari illum ſtuduit, qui *factus eſt obediens uſque ad mortem*.

27. Mors & elogium P. Andreæ Mayr.

28. Et P. Joannis Sutoris.

Vertebat idem annus, cum Eiſtadii ſolemni ritu peracta eſt dedicatio novi templi, quod haud ita pridem ædificandum ſumpſerat fundator collegii Chriſtophorus a Weſterſtetten Epiſcopus Eiſtadienſis. Molem inter paucas ſplendidam, & ſumptuoſam dedicavit munificus idem Antiſtes: quæ ut res pro dignitate fieret, tres ad ſacram celebritatem invitaverat Epiſcopos S. R. I. Principes, videlicet Her-

29. Dedicatio novi templi Eiſtadienſis.

Digitized by Google

Herbipolensem, Augustanum, & Bambergensem, itemque Palatinum Ducem Neoburgicum, cum Præsule Eluacensi. Consecrata est nova ædes sub invocatione Angelorum III. Cal. Septembris: finemque sacræ cæremoniæ imposuit drama de Angelis tutelaribus in collegio nostro scenæ commissum, cui cum cæteri spectatores, tum qui convenerant Principes valde plauserunt. Duobus post hæc evolutis mensibus, recipitur Friburgi in Brisgovia Societas, & in academiam illius urbis admittitur. Rem istam ante triennium moliri cœperat Maximilianus Austriacus, frater Matthiæ Cæsaris, Brisgoviæ Princeps: sed dum negotium missis ultro citroque litteris disceptatur, decesserat Maximilianus re infecta. Tyrolensi postmodum principatu cum ditione Brisgoviæ ad Leopoldum Archiducem devoluto, revixit cura eadem in animo Leopoldi. Is vero Princeps, cum esset exemplo majorum suorum ordini nostro addictissimus, ut rem quantocyus perficeret, profectus ipse Friburgum, magistratum urbanum primo, deinde academicum auctoritate adegit, ut Societatem in urbem suam, & in academiam reciperent, nostrisque hominibus scholarum, quas inferiores vocant, & philosophicarum omnium administrationem permitterent. Theologicæ facultatis duæ tunc solum nobis tribuebantur cathedræ: ita tamen ut liceret Archiduci tertiam addere, ubi aliæ vacarent. Antiquis professoribus locum Societati cessuris dabatur fides, curæ fore Leopoldo, ne quid illis ad vivendum deesset. His ita constitutis, condicitur dies ad XV. Cal. Novembris, qua die nostri in academiæ gymnasio initium docendi faciant. Quia tamen deliberatum erat humanissimo Principi cæremoniam illam interventu suo honestare, nec adesse ante dimidium Novembris poterat, extracta fuit res usque ad XVII. Cal. Decembris. Eo die Patres celebritate quam potuit maxima in academiam introducti fuerunt. Aderat Leopoldus, ejusque frater Carolus, cum magno procerum comitatu. Cum Principes consedissent, processit in medium qui Leopoldi nomine verba faciens, prolixa oratione narravit, ut olim magnis sumptibus Austriaci Principes Friburgensem academiam instituissent, ut eandem secutis temporibus fovere, ac beneficiis ornare perrexissent. Causas deinde expositit, ob quas placeret nunc professores Societatis in eam cooptari, id fieri inquiens totius Austriacæ domus consensu & voluntate. Sermone tandem ad Academicos, & ad Senatores conversus, illos rogavit, ut nostros deinceps homines tanquam sui corporis membra susciperent: hos, ut eosdem veluti cives suos defenderent ac tuerentur. Ad hæc primo Rector academiæ, deinde Syndicus civitatis pauca pro re & loco responderunt: utriusque autem eadem fuit sententia, se jussa Principis prolixe & cumulate facturos. Actum clausit oratione latina, apta, & eleganti unus ex nostris, cui data provincia agendi nomine Societatis gratias Archiduci Leopoldo, academicis, & civitati. Quibus cum magno omnium assensu, & secundissima approbatione peractis, qui fuerant ad celebritatem vocati, eos Leopoldus intra ædes novi collegii convivio excepit. Sic inita est possessio collegii Friburgensis, quod bello Svecico pene subversum, deinde e suis ruinis felicius renatum videbimus suis locis. Sed de provincia Germaniæ, quam dicimus superiorem, satis multa.

30. Inducitur Societas Friburgum in Brisgovia.

31. Nostri possessionem capiunt gymnasii Friburgensis.

32. Res Rhenanæ. Quam adversa esset conditio temporis huic provinciæ.

Eodem interea anno in Rhenana duo de novo collegia Societas adepta est: id quod fieri in ea temporum iniquitate potuisse, nemo non mirabitur. Bello enim Bohemico tunc ut cum maxime Germaniam urente, ejus incendii flamma misere conflagrabat, non solum ditio Palatini septemviri, verum etiam omnis finitima regio, arma hinc Hispanis pro Cæsare, inde Batavis, aliisque protestantium pro Palatino circumferentibus. Sed Catholicis adeo infederat, ad religionem, rerum utique summam, vel conservandam, vel restituendam nihil æque valere, atque operam Societatis, ut quocunque fortunarum dispendio eam sibi quærendam existimarent. Hac mentis inductione Joannes Svicardus Archiepiscopus Moguntinus missionem, ut loquimur, duorum triumve sociorum per aliquot annos aluerat Aschaffemburgi. Nunc vero, licet ob motus bellicos, qui præ cæteris Germaniæ populis Rheni accolas affligebant, in magna esset rei pecunia-

33. Initia collegii Aschaffemburgici.

Digitized by Google

cuniariæ difficultate, collegii ibidem fundandi initium fecit; extructaque domo, & sacra æde satis magnifica, censum assignavit, unde duodecim fere capita sustentari non incommode possent: plura etiam pollicitus, si meliora tempora rediissent. Sedem Aschaffenburgicam accepit cum magna gratiarum actione Societas: utque Principi in nostrum ordinem beneficentissimo satisfaceret, dedit jam tum civitati tres latinitatis magistros, & operariorum certum numerum, qui munia omnia, quæ in collegiis geri solent, exercerent. Circa idem tempus Comes Palatinus Rheni Dux Neoburgicus, cum statuisset Dusseldorpium, urbem Montensis ditionis caput, aulam transferre, duos a provinciæ præposito Sacerdotes poposcit, quos haberet apud se sacrorum ministros. Dati sunt Patres Joannes Lippius, & Bernardus Bucholtzius. Eorum autem consuetudine Princeps adeo est delectatus, ut tametsi tunc ab ærario inops, collegium Societatis fundare decreverit Dusseldorpii. Peramplis igitur ad hunc usum paratis ædibus, & censu idoneo constituto, obtinuit a Mutio, ut hoc ipso anno Societas quatuor ejus urbis litterarios ludos administrandos sumeret: quo collegium Dusseldorpiense simul inchoatum absolutumque est. Herbipoli seminarium erat optime constitutum, & alumnorum frequentia nobile, olim ab Episcopo ejusdem urbis Julio Echtero conditum. Echteri successor Joannes Godefridus ab Aschausen, vix adita Episcopatus possessione, rogavit Præpositum Generalem, ut seminarii administrandi curam permitteret Societati. Obstitit aliquandiu Mutius, variisque rationibus id oneris amoliri studuit. At demum coactus Episcopo morem gerere, admisit seminarii procurationem, quæ hactenus retinetur.

34. Fundatur collegium Dusseldorpii.

35. Seminarium Herbipolense nostrorum curæ committitur.

Rebus tam belle fluentibus mediam se injecit cruenta mors P. Godefridi Thelen, initium omenque molestiarum ingentium, quæ annis proxime consecutis Rhenanam Societatem affecerunt. Moguntia discedens, & Novesium, uti jussus fuerat, petens Thelenus, locum sibi duobusque aliis de Societate conduxerat in oneraria, quæ Moguntia secundo Rheno Coloniam tendebat. Iter futurum erat præter Baccaracum, & Caubem, duo oppida præsidio Batavorum occupata pro Principe Palatino. Iis in locis cum nescio quid portorii soleret a nautis prætereuntibus pensitari, nostris auctores erant cæteri vectores, ut donec suspecta loca præteriissent, vestem Societatis mutarent. Si quo casu agnoscerentur a Calvinianis, imminere periculum demonstrabant. Consilio acquieverunt alii duo. At Thelenus, indignum dictitans in Dei & Ecclesiæ causa formidare, nullis adduci suasionibus potuit, ut nec ad punctum temporis tunicam Societatis exueret, quam esse sibi vita ipsa cariorem profitebatur. Ut navis Baccaracum attigit, dum portorium exigitur, conspicati sunt hominem Societatis quidam præsidiariorum. Clamorem tollunt, adesse in navi Jesuitam, haud dubie hostium exploratorem: mactandum hominem sceleratum: reliquos sibi in prædam deberi. Nec mora. Arma certatim expedientes, vim parabant. Sed nauclerus mira celeritate subducens navim, eamque longius agens a ripa, elusit nefarios conatus, & ad alterum Caubensium oppidum, quod paulo inferius situm erat, iter direxit. Verum hic nihilo meliora. Præsidiarii, sive fraudem aliquo metus indicio suspicati, sive aliunde fugæ Baccaracensis admoniti, vectores vix in littus expositos hostiliter adoriuntur. Pars capti sunt, pars fuga dilapsi. Thelenum tunica Societatis notabiliorem faciebat, quam ut ex oculis hæreticorum elabi posset. Dum fugam captat cum paucis, & evadere nititur in vicinum collem, eminus insecuti milites, dato signo, ferreas fistulas in ictum expediunt. Sex ex illo numero plumbeis transverberati glandibus ceciderunt, in quibus P. Thelenus fuit. Hunc seminecem adhuc, & orantem sicarii vulneribus repetitis confecerunt: vel odio catholicæ religionis, vel certe Societatis, cujus rationes videbant cum religionis rationibus esse conjunctas. Ad vestes detrahendas conversi, nihil apud ipsum invenerunt, præter hirtum setis cingulum, flagellum e funiculis, ceream agni cœlestis effigiem, & paucas sanctorum reliquias. Namque hæ religiosi viri opes erant. Cadaver in paludem proximam cum ignominia projecerunt. Verum illud Caubenses oppidani po-

36. P. Godefridus Thelen ab hæreticis interficitur.

Digitized by Google

37. Aliqua de ejus virtutibus indicantur.

postridie loculo inclusum, & in urbem suam avectum pie condiderunt. Nec ita multo post, Hispanis Caubensi arce potitis, dederunt operam Patres collegii Moguntini, ut inde aveheretur denuo, & in æde Marienthalensi cum honore componeretur. Hunc habuit vitæ exitum P. Thelenus, vir in annalibus suæ provinciæ ob virtutum exempla magnopere commendatus. Orandi studio, demissione animi, & assidua corporis afflictatione, omnibus quamdiu vixit admirationi, post mortem desiderio fuit. Sacer pietatis, quo flagrabat, ardor eminebat in ejus vultu, & quoties verba de Deo faceret, animos audientium inflammabat. Natus erat Wickradii in ducatu Juliacensi. Cæsus est VII. Cal. Octobres, anno ætatis trigesimo secundo, initæ Societatis octavo. Gubernator Caubensis in eo loco, ubi cæsus fuerat, sacellum excitavit S. Crucis titulo insignitum, & rei gestæ historiam pictis tabulis adumbrandam curavit.

38. Res Poloniæ. Socii peste laborantibus famulantur.

Dum hæc gerebantur in Germania, Patribus provinciæ Polonæ pestilentia late dominans patientiæ materiam amplam, & laudis præbebat. Prima mali damna senserunt in Prussia Gedanum, & Mariæburgum, urbes hæresi fere ex toto corruptæ. Utrobique sæviente lue res a nostris gesta est ex spiritu Societatis, cujus in hujusmodi calamitatibus operam semper, atque solertiam æqui pariter iniquique laudare coacti sunt, & nunc etiam hæretici laudaverunt: nemine non intelligente, ad juvandos hujus generis ægrotos non aliunde suppetere posse stimulos, nisi a charitate christiana. Gedani præter homines Societatis nemo erat, qui Catholicis morbo contactis auderet sacra ministrare. Itaque simul ac quispiam in se pestis indicia deprehenderat, nostros pœnitentiæ causa adibat, qui sui copiam nulli denegabant. At P. Christophorus Faber,

39. P. Christophorus Faber eo in ministerio pie moritur.

natione Germanus, patria Herligenstadiensis, satis non habens venientes ad se ægrotos excipere, eorum ipse ultro obibat domos, opem omnibus circumferebat, nullo neque labore, neque periculi metu deterritus. Hinc contagione ejusdem mali prostratus, pro fratribus animam posuit pridie Nonas Decembres, anno ætatis suæ trigesimo sexto. Mortui funus frequentissima civitas celebravit, ipsis passim hæreticis tam eximiam viri charitatem laudantibus. Simili modo Mariæburgi Patres, quamdiu vis morbi sævire perrexit, numquam intermisere vel in templo, vel in privatis civium ædibus, confitentibus aures dare. Quod exemplum admirantes heterodoxi, ministris suis palam ac libere exprobrabant, quod nequaquam iis, quorum se pastores dicerent, similem curam impenderent. Lues interea ex Prussia per reliquas Polonicæ ditionis provincias vagata, præcipuas urbes invasit, omnes conterruit. Nusquam sibi, institutisque suis Societas defuit. Jaroslaviæ, reliquis Presbyteris vel absumptis, vel ad extrema deductis, vel etiam metu delitescentibus, Patres Paulus Zaborowskius, & Andreas Staskowskius multorum instar fuerunt. Neque solum ægrotis solatia mortis, sed etiam pauperibus vitæ adjumenta præbuerunt. Accolis quippe nihil

40. Charitas nostrorum erga ægrotos, & pauperes Jaroslaviæ.

omnium quæ humanus usus requirit in urbem importantibus, pesti fames accesserat, malum æque exitiale, quo plures peribant. In ea rerum angustia duo quos dixi Patres frequentissimos greges inopum ad collegii januam quotidie convenientes benigne sustentaverunt, erogata in hunc usum annona, quam sibi ad plures annos paraverant. Lublini, ut constitit luem esse intra mœnia, nostri ad eam avertendam quoddam piaculi genus instituerunt, quod Catholici

41. Excitatur Lublini & Posnaniæ pietas metu pestilentiæ.

frequentantes, fructum pietatis optatissimum ceperunt, malo intacti omnes, quo plurimi hæreticorum absumpti fuerunt. Patres Posnanienses, metu pestis proxima devastantis ad salutem civium usi, multa de novo supplicia, religionesque varias in urbem induxerunt. Mos ibi inoleverat, ut per dies bacchanalium plebs male feriata, magno fragore ac strepitu, œnophorum amplum cervisia plenum per compita circumduceret. Incedebant circum ludibundi e populo plures, & corpora indecoris motibus agitantes, obvios quosque oblatis cyathis ad bibendum invitabant. Profana celebritas in piam supplicationem mutata est. Ejus loco institutum, ut collecti ex urbe tota quotquot mendicando victitabant pauperes, longo agmine ad collegii nostri ædem deducerentur, & post commu-

Digitized by Google

munionem ſacrorum lautis epulis exciperentur : demum veſtibus ex ditiorum liberalitate corrogatis donati dimitterentur. Præter hæc, toto peſtilentiæ tempore civitas concionum aſſiduitate, & uſu ſacrorum ita per noſtros homines fuit exercitata, ut per hæc piacula placatum cœleſte numen crediderint multi. Sane Poſnanienſes, quod vix ſperandum videbatur, imminentem cladem feliciter evaſerunt. Secus accidit Sandomiriæ, ubi peſtis ante fuit detecta, quam mali indicium præceſſiſſet: quodque dolorem noſtris auxit, e collegio Societatis manavit in publicum. Hauſerat illam P. Nicolaus Koſakius contagione cujuſdam advenæ, quem peccata confitentem audierat. Hinc domeſtici prius, deinde cives infecti fuerunt. Erat ibi ſeminarium noſtrorum juvenum humaniora poſt tirocinium ſtudia repetentium. His ut proſpiceret rector, in prædium diei fere iter diſtans celeriter educendos curavit. Sed ne hic quidem licuit tutis & ſalvis eſſe. Reverſi peregre duo ſodalium, in hunc quoque locum luem neſcientes intulerunt. Juvenes conſternati prædio demigraverunt, receperuntque ſe in ſilvam proximam, ubi tuguriis tumultuario opere excitatis ultra menſem perincommode habitaverunt, nullo neque inter ſe, neque cum aliis commercio: donec Sandomiriam reverſi, urbem deſolatam, ac de quinque quos reliquerant domi Patribus, duos peſte extinctos invenerunt. Sævientem interea toto regno luem aliæ atque aliæ calamitates cumulaverunt. In Valachia exercitus regius a turcico obſeſſus, etſi numero longe impar, ſæpe hoſtem cum magna clade repulerat. At tandem inopia rei cibariæ coactus egredi vallo, & per montes reditum in Poloniam quærere, obrutus numero hoſtium, profligatuſque eſt. Pluribus cum ipſo duce Stanislao Zolkevikio interfectis, captis non paucis, reliquos fuga diſſipavit. Inter captos inventi noſtrorum duo, qui exercitum in Valachiam ad miniſteria ſacrorum ſecuti fuerant. Sub idem tempus Tartari, eruptione facta, uſque Leopolim prædabundi excurrerunt, agros quaquaverſum ferro aut igni vaſtaverunt, pecorum atque hominum ingentem numerum abegerunt. Neque id ſine vulnere Societatis fuit. Præter duos rei domeſticæ adjutores crudeliter interfectos, capti ſunt prope Camenecum duo inſignes operarii, P. Joannes Tarnowskius, & P. Bartholomæus Volherius. Abducti autem in ſervitutem, habiti ſunt a barbaris tam inhumaniter, ut ambo intra quatuor menſes moleſtiis captivitatis confecti interierint.

42. Socii Sandomirienſes peſtilentia miſere conflictantur.

43. Aliæ Polonorum calamitates, & noſtrorum damna.

Tot jacturis acceſſit mœror de aliis ſociis ſane præſtantibus, qui naturalibus extincti cauſis naturæ debitum ſolverunt. Memorandi in primis Patres Gaſpar Sawickius, Ertmannus Tolgſdorffus, & Stanislaus Gawronskius, de quibus ſingulis aliquid noſtro more libabimus. Sawickius Vilnæ in Lithuania natus, Romæ Societati ſe addixerat, cum eſſet annorum viginti quatuor, jamque philoſophica ſtudia confeciſſet. Poſt datam theologiæ operam in collegio Romano, in Poloniam eſt miſſus, ubi vitam reliquam egit peræque clarus doctrina, quam editis diverſi argumenti opuſculis oſtendit, ac religioſa prudentia, cujus illuſtria documenta dedit Cracoviæ per annos novem, cum tironum inſtitutioni præeſſet, atque iterum per annos quinque, cum domum Profeſſorum adminiſtraret. Erat apud regni proceres, cum ob virtutis opinionem, tum ob ſuavitatem ingenii mire gratioſus. Palatinus Sandomirienſis Georgius Mniſzekus, cum filiam Demetrio Moſcorum magno Duci deſponſam deduceret in Moſcoviam, eum itineris comitem habere voluit: quod tamen inauſpicato evenit, accenſa inter nuptiales faces horribili ſeditione, trucidato Demetrio, toto ad arma conſternato Moſcorum imperio. Per eam occaſionem Sawickius cum regiis legatis in carcerem fuit conjectus, ubi annis continenter tribus incluſus, non minorem agendi, quam patiendi materiam habuit. Redditus Poloniæ aliud ſuſcipere iter cogitur Romam, comes additus Paulo Volukio tunc Luceorienſi, poſtea Uladislavienſi & Pomeraniæ Epiſcopo, qui a Rege Sigiſmundo ad Paulum V. Pontificem mittebatur. Inde redux eligitur provinciæ ſuæ procurator, & redire Romam jubetur denuo. Sawickius honorem & incommoda illius itineris enixe deprecari: morbos varios, & provectam ætatem excuſare.

44. Mors & elogium P. Gaſparis Sawickii.

Digitized by Google

Suas rejici preces videns, dedit se in viam denuo ex obedientia: quodque futurum prædixerat, itineris & vitæ finem eundem habuit. Rebus enim prospere confectis Romæ, dum revertitur in Poloniam, & jam ab ejus finibus quindecim tantum millibus passuum abest, haud procul Francofurto ad Oderam calculi doloribus confectus decessit in ipsa qua vehebatur rheda, peracta prius confessione piaculari apud assidentem sibi P. Simonem Niklevicium Lithuanæ provinciæ procuratorem. Sawickii obitum magno luctu sunt prosecuti socii in Polonia omnes, sed illi in primis, qui ad Romanum iter invitum ac renuentem compulerant, sibi jacturam tam cari capitis imputantes quodammodo. Corpus Posnaniam delatum, & in æde collegii nostri conditum est IX. Cal. Februarias, die post ejus obitum sexto. Numerabat vitæ annos sexaginta octo, quorum quadraginta quatuor in Societate confecerat.

45. Obitus & elogium P. Ertmanni Tolgsdorffi.

P. Ertmannus Tolgsdorffus natione Borussus, ante quam cooptaretur in Societatem cum esset Canonicus Gustadiensis, plures continenter annos versatus fuerat in Livonia, eoque tempore obliteratam tristi annorum quinquaginta veterno religionem, ac propemodum sepultam excitaverat apostolicis concionibus, & conscriptis vernaculo sermone libris utilissimis. Laudabant ejus eruditionem ipsimet hæretici: modestiam & facilitatem amabant. Itaque cum adduci non possent a Sigismundo Rege Poloniæ, qui Livoniam de Moschis receperat, ut Societatem Rigam revocarent; non ægre tamen passi sunt, ut bona collegii Rigensis cum templo Societatis Tolgsdorffo servanda committerentur. Ille sic ea administravit, ut si sociorum unus fuisset. Templum adornavit, conciones, & ritus ecclesiasticos restituit: cumque non essent in promptu libri, unde peti possent hymni, antiphonæ, & alia id genus, quæ in choro cani solent dum res divina fit; ipse omnia diuturno usu, & fideli memoria olim complexus, digessit in libros, & pueros a quibus canerentur instituit: qui quidem libri nunc etiam in æde S. Jacobi, & in tota Livonia retinentur. Recepta tandem est, & admissa Rigæ Societas anno MDLXXXI. Tunc Tolgsdorffus commissam sibi domum reddidit Patribus, seque illis socium, tria vota religionis nostræ professus, addidit. Tirocinium Cracoviæ posuit virtute jam veteranus. Inde Rigam remissus, novo ardore in salutem hominum se totum impendit. Vendensem diœcesim lustravit cum Episcopo, quam cum vidisset vitiis & erroribus silvescentem, idoneos animarum cultores undique arcessendos curavit. Ærumnas & pericula viri apostolici auxit Svecus cum infesto milite in Livoniam effusus. Annos amplius quatuordecim provinciam omni clade vexarunt victrices copiæ. Oppida desolata, combusti agri, ubique hostes, aut prædones. Eos inter animose permeans Tolgsdorffus, colligebat oves dispersas: religionis bellique vulnera quocunque fas erat modo sanabat. Laboribus demum, senio, & morbis confectus, postremos ætatis affectæ annos egit Vendæ, ubi aures confitentibus, vocem audientibus, operam ægris, egenis, & calamitosis dare nunquam intermisit, donec præclaris operibus immortuus est IV. Nonas Octobres, annos emensus septuaginta.

46. Mors & elogium P. Stanislai Gawronski.

P. Stanislaus Gawronskius, olim in collegio Romano S. Aloysii Gonzagæ condiscipulus & contubernalis, ejusdem imitator tam egregius fuit, ut ad exemplar quam proxime accederet. Regendis collegiis adhibitus, semel etiam universæ provinciæ præses impositus, vim imperii in neminem exercebat acrius, quam in se ipsum: hoc maxime potestatis jure uti solitus, ut in rebus ad cultum corporis, & ad vitæ commoda pertinentibus sibi semper deteriora seponeret. Obiit III. Idus Aprilis Posnaniæ, elatusque est magno domi forisque luctu. Reserato post biennium sepulchro, inventum est ejus cadaver, non modo integrum illæsumque, sed molle etiam, atque flexibile. Quin incisa leviter extrema auricula, sanguinem recentem fudit: quod medici communi consensu confirmarunt, non potuisse citra miraculum contingere, cum maxime indumenta, quibus erat intectum, loci humiditate putruissent.

47. Seminarium Calissiense Societati adimitur.

Polonæ provinciæ damnis addenda ad extremum jactura seminarii Calissiensis, quod ante annos ferme triginta Stanislaus Karnkowskius Gnesnensis Archie-

Digitized by Google

chiepiſcopus noſtris hominibus in perpetuum commiſerat. Cenſebantur in eo nobiles adoleſcentes ad quadraginta, nec fuerat a noſtris hactenus commiſſum, cur illorum educatio videretur Societati adimenda. Nihilominus Laurentius Gembiſckius novus Archiepiſcopus Gneſnenſis, ſpecioſas obtendens cauſas, amovendos Caliſſio alumnos, & Gneſnam exportandos cenſuit. Suberat illa ſuſpicio, ne proventus etiam collegio Caliſſienſi olim attributi, translato ſeminario, repeterentur. Idem quippe fuerat collegii ac ſeminarii fundator, & dotem utrique domicilio conſtituerat in bonis Eccleſiæ Gneſnenſis, auctoritate Romani Pontificis interpoſita. Sed periculum diſcuſſit provinciæ præpoſitus P. Joannes Argentus. Re enim ad Romanam curiam delata, decretum abſtulit a Cardinali Coſmo Turriano, qui erat totius negotii arbiter conſtitutus, ut Archiepiſcopus & Canonici ſeminarium quidem, ſi vellent, Gneſnæ retinerent: iidem tamen ſuo, & ſucceſſorum nomine pollicerentur, nullo umquam tempore controverſiam moturos de bonis collegii Caliſſienſis, mulcta propoſita, ſi quis contra hanc legem aliquid inceptaret.

48. Res Lithuaniæ. Periculum Sigiſmundi Regis ab impio parricida.

In provincia Lithuaniæ inſignem hunc annum ad memoriam temporum fecit periculum atrox Sigiſmundi Regis, de quo ita in litteris reperiebam. Varſaviæ cum eſſet Rex, adibat identidem curiale templum, ut rei ſacræ intereſſet. Die quadam, dum templum ſubit comitibus ob anguſtiam aditus aliquo gradu poſt ſe relictis, erumpit continuo ex inſidiis ſacrilegus parricida, & bipennem in ejus caput ſummis viribus dejicit. Omnino illi caput diffiderat, niſi Rex modica corporis inclinatione ferri aciem in ſiniſtrum humerum deflexiſſet. Non diffugit propterea, non quievit ſicarius. Certus parricidium conficere, gladium extrahit, ictum dirigit denuo contra Principem: quem dum multi objectu corporum tegunt, Uladislaus Regis filius natu major ſceleſtum gladio percuſſit, & regiis apparitoribus cuſtodiendum tradidit. Rege ſervato, cum eſſet graviter ſaucius proditor, & videretur proxime moriturus, vocatur propere ex domo Profeſſorum noſter Sacerdos, qui morienti aſſiſtat. Hunc ut adſtantem vidit perfidus, nihil de ſe ac ſalute ſua ſollicitus, unum quærit: quomodo ſe habeat Rex ex accepto vulnere? Bene, reſpondet Sacerdos. Quæ Dei benignitas eſt, cenſetur extra periculum. Infremere ad hæc homo perditus, ſeu verius furioſus: ſe ac ſuam dexteram execrari vehementer, quod mandatam a Deo cædem non ut par fuerat accurate confeciſſet. Nihil factum eſt ægrius, quam ut tandem poſt tres dies intelligeret, tam nefarii parricidii auctorem non Deum fuiſſe, ſed malum dæmonem. Id ut evicit Sacerdos, deinde ad omnia obſequentem habuit. Reſpexit ſe miſer, admiſſi atrocitate cohorruit. Itaque mox productus ad ſupplicium, mortem, & cruciatus acerbiſſimos æquo tulit animo: nec dum laniaretur alia audita ejus vox, niſi mitius ſecum agi, quam eſſet promeritus. Et illi quidem optimus Princeps pœnam remitti cupiebat: ſed tanti flagitii reum proceres eximi legibus non permiſerunt.

49. Proditor vix tandem agnoſcit malefactum, & pie moritur.

50. Noſtrorum duo Regiomontem vocantur ab electore Brandeburgico.

Eodem anno, quod nemini veniſſet in mentem opinari, Regiomontem vocantur duo ex noſtris ab acatholico principe Septemviro Brandeburgico, ab eoque non benigne ſolum, ſed etiam perhonorifice habentur. Occaſionem rei tam inſperatæ inauſpicatus eventus præbuit. Venationem ſplendidam legato Polonorum dabat Brandeburgicus: in qua cum ipſe alcem felici ictu transverberaſſet, accidit ut glans plumbea per adverſum feri latus emiſſa, legatum ex altera parte ſpectantem læderet. Caſum cæteroqui fortuitum Princeps iniquiſſime ferens, accurrit ſtatim, ac veniam erroris millies deprecatus, legatum apud ſe curandum ſuſcepit. Illum poſt hæc inviſens identidem, & lecto aſſidens, effari jubebat libere ſi quid vellet. Unam ille rem ſibi fore gratiſſimam ſignificavit: ſi nempe adeſſet unus aliquis de Societate, quicum animi arcana communicaret. Nihil moræ futurum, reſpondit Septemvir, quin adeſſet: eodemque die, miſſa rheda Brunsbergam, Patres popoſcit duos a collegii noſtri rectore: quo ipſius votis uti decuit obſecundante, par noſtrorum luce palam devecti ſunt Regiomontem, & palatium Principis recta petierunt. Plures ibi dies conſtiterunt:

51. Benigne habentur a Principe. Quid ibi egerint.

Digitized by Google

quo tempore, non solum inviolati, sed etiam honoribus officiisque culti fuerunt, quippe Principis hospites honoratissimi, ab eoque liberaliter, & amice habiti. Non tamen otiosi manserunt, aut solummodo in consolando legato Poloniæ operam posuerunt, Præter exempla modestiæ & temperantiæ, quibus totius aulæ oculos in se converterunt, sæpe jussu Principis disputationes cum doctoribus Lutheranis instituerunt, quarum is semper fuit exitus, qualis in conflictu erroris cum veritate esse solet, ac porro debet. Sed quamquam Lutherani manifesto revicti manus dare cogerentur; nemo tamen, quod ego sciam, quas tueri non poterat partes deseruit. Adeo natio hominum pervicacissima sunt hæretici, & deteriora, non tam ignorantia veri, quam animi pravitate sectantur.

12. Obitus & elogium P. Andreæ Leomanni.

Priusquam Lithuaniam deseramus, nefas duxerim non aliquam mentionem inferre de Patre Andrea Leomanno, viro non tam rebus gestis, quam molestiis fortiter toleratis tota illa provincia clarissimo, cujus vitæ finem hic annus attulit Polociæ v. Idus Septembres. Olim ex collegio nescio quo Lithuaniæ cum exisset in agrum, oppressus repente fuit ex insidiis a Svecorum manipulo, qui præda supra quam dici possit læti ovantesque, vinctum, & ferro onustum usque in Sveciam celeriter abduxerunt, Jesuitam munus gratissimum hæreticis magistratibus oblaturi. Eo deductus, contruditur in ergastulum tenebricosum ac fœdum, compedibus oneratur; quodque nonnisi scelestissimis fieri solet, additur collo catena e ferro gravis, ut egre commovere se posset. Septem annos hæsit in ejusmodi carcere: nec ullum est genus indignitatis, quo non eo tempore homo innocentissimus ad inhumanis tortoribus fuerit appetitus, ut ad hæreticorum partes transiret. Equuleo tortus est semel, inedia ac siti perpetuo maceratus, nunquam tamen a constantia dimotus. Puduit demum improbos nefariæ crudelitatis, & irritæ: nullamque noxam commeritum, nullum tamen supplicium pro fide catholica deprecantem, ultro dimiserunt. Rediit in patriam laureatus pugil, secum ferens compedum lividas notas, & impressa carni catenarum vestigia, quæ nulla delere unquam potuit dies. Hæc ille quoties contuebatur, incendebatur cupiditate patiendi tanta, ut suppleret quodammodo inimicorum, qui nulli jam erant, injurias voluntario cruciatu, nec multo mitius haberet ipse se, ac antea a Svecis fuisset habitus. Memor se tandiu in nuda humo cubasse, nunquam amplius induxit animum ut lecto se committeret, assuetudinem obtendens, ut studium afflictandi sui tegeret. Flagra sibi duriter incutiebat. Præter herbas & frigidam, nihil omnino cibi potusque capiebat. Accidit ut collegium Polociense corriperet pestilens quædam lues, qua domestici omnes, viginti numero, periculose decubuerunt. Leomannus, qui valeret unus, curam omnium suscepit. At dum charitati plus nimio indulget, & salutem suam, ut alienæ opituletur, negligit; morbum ex labore contraxit, quo intra paucos dies, cæteris jam persanatis, occubuit anno ætatis quinquagesimo quinto. Hoc plane felix, quod ereptam sibi olim e manibus martyrii palmam quo potuit modo redemit, animam pro fratribus suis ponens.

13. Res Bohemicæ. Insignis Cæsarianorum victoria ad Pragam.

Venio nunc ad Bohemiam, ubi prostratæ nuper, & vix non penitus oppressæ res Catholicæ religionis, & Societatis, felicius citiusque quam quisquam speraſſet, refloruerunt. Novam ac lætam scenam aperuit in theatro Bohemico Cæsaris insignis victoria ad Pragam, de qua quæ sunt exploratiora subjicio. Coronam ejus regni ab hæreticis perduellibus oblatam acceperat, uti dicebamus, anno superiore Fridericus Comes Palatinus Rheni, stimulante conjuge, Angliæ regis filia, quæ affuturas sibi opes Anglorum ad tuendam solii possessionem sperabat. Illum Ferdinandus Imperator regno extrudere aggressus, conscripsit illico militem: acceptisque ab Hispano auxiliaribus copiis, ingentem equitum peditumque exercitum sub signis habuit, cui Maximilianum Bavariæ ducem fortissimum, reique militaris scientissimum cum summa potestate præfecit. Pragam regni caput recta petiit Maximilianus. Hostis ubi sensit, non legatis & litteris mittendis (quæ apud rebelles nihil proficiunt aliud, nisi ut fa-

Digitized by Google

factio moram utilem nacta crescat), sed vi, & recta ratione rem geri; Pragam & ipse magnis itineribus contendit : montem urbi imminentem, quem Album vocant, occupat: locum castris opportunum capit, in quo si muniendi sui spatium haberet, defendere urbem, trahere bellum, & vincere etiam posset. Vidit hoc Bavarus, eaque propter hostes ante trahendos in pugnam statuit, quam castra communirent. Hoc consilio, quamvis contra sentirent aliqui copiarum duces, nihil cunctatus, aciem instrui, & in hostem duci jubet : hortante potissimum Dominico a Jesu Maria Carmelita excalceato, qui insigni sanctimonia vir certam victoriam auctore Deo spondebat. Certatum utrinque incredibili fortitudine, & qua pugnari decuit ubi de regno agebatur. Hora una, uno prælio bellum confectum est. De triginta millibus, quot in Friderici castris stabant, plerique cæsi, aut capti sunt : plures hausti Moldava fluvio Pragam alluente: pauciſſimi fuga lapsi. Fuit in his ille ipse unius anni rex Fridericus, qui regno male parto desperans, ignobili fuga se proripuit, & post errores varios, ad Batavos tandem devenit : ubi delituit diu principatu suo, & regno non suo spoliatus, Europæ fabula, ludibrium fortunæ, principibus vero memorabile documentum, ut suo contenti aliena non invadant. Paucis post pugnam mensibus quidquid auspiam Palatinus Bohemici regni possederat, Cæsari recuperatum est: quod sive victoriæ magnitudine, sive præpropera perduellium desperatione contigerit (utrumque enim a diversis traditur), certe sine singulari divinæ providentiæ consilio factum non videtur. Notarunt multi diem, & locum, quo tantam cladem Palatinus accepit, & ex utroque confecerunt, pœnam fuisse divinitus illatam pro impietate ipsius, atque perfidia. Dies fuit octava celebritatis omnium Sanctorum, quorum Palatinus cultum impie execrabatur. Et forte inciderat in eandem diem Dominica post Pentecostem vigesima secunda, cujus in Evangelio legitur illa Christi Domini divina vox : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Locus idem fuit, in quo ante annum rex fuerat salutatus. Pragenses ergo a Friderico deserti, ne suam simul culpam, & victoris iram pertinacia augerent, postridie se Bavaro permiserunt. Deditos clementer accepit Maximilianus : eorum tamen postulata de religione, & integritate veterum privilegiorum, rejecit ad Cæsarem. Rebus deinde ita compositis, ut nihil moveri contra quietem publicam posset : tradito urbis imperio Principi Leichtestenio: copiis Joanni Tillio concreditis, aute finem Novembris in Bavariam rediit auctus Palatini principatu, qui superior dicitur. Porro recepta Praga, cujus præcipue viribus stabant res Bohemici fœderis, cæteræ regni civitates ad officium redierunt, nec Moravi ac Silesitæ diutius in contumacia perstiterunt.

54. Clades & fuga Friderici comitis palatini.

Jam ut ad res instituti nostri veniamus, Cæsar acceptis victoriæ nunciis, post redditas auspici Deo publicas gratias, & vota persoluta, præcipuam suscepit curam de religione apud Bohemos in decus pristinum restituenda. Illud statim decrevit, ut sua Societati domicilia, & omnia quæ ante possederat redderentur. Itaque x. Cal. Decembres, die videlicet post victoriam decimoquarto, P. Valentinus Coronius, & alius Sacerdos Pragam venere: nec facile dixerim, quanta excepti sint Catholicorum gratulatione & lætitia, quam hæreticorum silentium & mœror cumulabat. Mulier de vulgo civium, memor ante trigesimum mensem indictum Societati fuisse æternum a Bohemia exilium, ut reduces conspexit in urbe Patres : *O brevem*, inquit, *æternitatem*! Quod ejus scite dictum urbe tota cum magno bonorum plausu volitavit. Litteras nostri habebant a Cæsare ad Leichtestenium proregem, ut eos in possessionem ædium suarum, & ædis sacræ postliminio immitteret. Immissi sunt ipsa die Clementi Martyri sacra, cujus titulo ac patrocinio collegium Pragense gaudet. Sed nimium quantum mutatam invenerunt domicilii formam, & templi. Paucorum mensium inquilini, præter parietes & tectum, vix quidpiam integrum & intactum reliquerant. Cura omnium prima fuit repurgare templum Picarditarum sordibus inquinatum, restituere pœnitentiæ tribunalia, aras, & imagines sacras, quæ om-

55. Cæsari Bohemia tota subjicitur. Quædam notabilia in hoc eventu.

56. Societas in Bohemiam revocatur.

57. Quale invenerint nostri collegium Pragense.

Digitized by Google

omnia hæretici amoverant, aut fœdaverant, reſtaurare. Dominica prima Adventus ſacrum in eo ſolemne celebratum eſt, & gratiæ ſuperis hymno conſueto perſolutæ. Scholarum initia tantiſper differri oportuit, tum ob anguſtias rei domeſticæ, tum quod aulas hæretici ſcamnis, exedriſque, atque omni reliquo inſtrumento nudaverant. Coronium interea recentis adhuc naufragii reliquias colligentem benigne juvit amicorum liberalitas. Domus collegio vicina, quæ Comitis Slixii rebellis fuerat, tot damnis compenſandis Societati donatur.

58. Ut ſervata fuerit templi ſupellex, & bibliotheca.

Nec parvo, ut in malis, ſolatio fuit argentea templi ſupellex, quam Patres ante diſceſſum partim domi occultaverant in latibulis, partim apud amicos clam depoſuerant. Hanc, fruſtrata hæreticorum rapacitate, integram recuperarunt. De bibliotheca exſtabat decretum perduellium, ut in Corolinam Huſſitarum academiam transferretur: ſed dum translatio in longum extrahitur, eam Pragenſis victoria in ſuo loco ſervavit. Reliqua Bohemiæ Moraviæque domicilia, præter Glacienſe & Holoskovienſe, pari modo recepta fuerunt, & ſub initium anni proximi iterum habitari cœperunt. Paulo ſerius reditum eſt in Hungariam, ut ſuo loco narrabimus.

59. Excurſio P. Marini de Bonis in provinciam Caraſcevam.

Nunc quoniam Hungariæ incidit mentio, indicanda breviter perquam frugifera expeditio P. Marini de Bonis in provinciam Caraſcevam. Regionem hanc, quæ in Tranſilvaniæ finibus poſita eſt, egreſſus Alba regali petiit P. Marinus ſub finem anni præteriti, ac tandem poſt incredibiles itineris difficillimi ærumnas attigit. Vix ullum inter Caraſcevanos veſtigium catholici cultus exſtabat. Gens barbara, & vitiis omnibus inquinata. Quo primum in oppido rem divinam fecit, ingens hominum concurſus eſt factus. Stabant attonitis ſimiles, admiratione ſimul & lætitia perfuſi, cum viderent poſt annos centum ſacrificare Sacerdotem Romanum, popularem, ut ajebant, ſuum. Quippe gloriantur ſe oriundos a veteribus Romanis, quorum hanc fuiſſe coloniam narrant: quin eandem, ſi ſuperis placet, cum recentibus Romanis religionem profiteri ſe jactant. Mirus deinde ipſos invaſit ardor auſcultandi, & ſciſcitandi, quidnam Romanus Sacerdos doceret. Marinus exponere cum cœpiſſet, quæ eſſet illa, quam ſibi falſo arrogabant, fides & religio Romana; ingens coortus eſt omnium fletus, dolentium quod neminem tanto intervallo nacti eſſent, a quo tam præclara, tam neceſſaria audirent. Sane miſerabilis erat gentis inſcitia. Plerique Deum vix norant. Animam extingui una cum corpore arbitrabantur. Nullus pœnitentiæ, aut aliorum ſacramentorum uſus: plena omnia errorum, criminum, & ſuperſtitionum. Senes, qui erant illic bene multi, nec pauci centum annos egreſſi, memorabant viſos ſibi olim pueris aliquos cœnobitas, quos fuiſſe Franciſcanos P. Marinus conjectabat: poſt illud vero tempus nullum

60. Progreditur in vicinam urbem Tranſilvaniæ.

adventaſſe divini verbi præconem dolebant. Dum totus eſt in colendo arvo tot ſpinis ac tribulis obſito, inſtantem operi adeunt nuntii ab urbe Tranſilvaniæ vicina miſſi. Obſecrant, ut Catholicis in ea degentibus opem ferat. Sacerdotem apud illos nullum ab annis amplius quindecim reperiri docent. Promiſit ſe iturum P. Marinus, ſi tamen per Caraſcevanos liceret: qui diu multumque reluctati, ea demum lege annuerunt, ut quamprimum rediret. Dat ſe in viam Sacerdos per infames latronibus & ſicariis ſilvas, in quibus quatuor hominum recens occiſorum cadavera conſpexit. Eo delatus, exceptuſque ab oppidanis tanquam Angelus cœlo delapſus, animas diuturna confectas fame, & cunctis æternæ vitæ præſidiis deſtitutas, verbi divini, & ſacramentorum pabulo large refecit. Ad Caraſcevanos, uti promiſerat, reverſus, obire pagos & villas longo inter ſe ſpatio disjunctas inſtituit. Hic catholicos tres duntaxat, illic quinque, alibi ſex, decemve, familiam aliquando integram reperiebat. Cæteri ſchiſmatici, hæretici, aut nullius certæ factionis, & ſectæ: quos inter potuiſſe tamdiu ſtare catholicos, licet quotidianis appetitos injuriis, contemptos, vexatoſque, miraculo proximum videbatur. Hærebant ſtrati ad Sacerdotis pedes catholici, & pronis auribus animiſque ſalutarem doctrinam, ab annis ſexaginta vel octoginta non auditam, bibebant. Cum vero illum per tot inacceſſa

61. Redit ad Caraſcevanos, & fructum non contemnendum colligit.

ne-

Digitized by Google

nemora, tot vallium & fluminum anfractus, tot ſervitutis ac necis pericula adveniſſe cernerent, neque alia cauſa adveniſſe, quam ut ipſorum ſalutem quæreret; obſtupeſcebant majorem in modum, & expleri gratiis agendis non poterant. Reliqui nati, & educati in errore paratos ſimiliter oſtendebant ſeſe ad amplectendam veritatem, ſi vellet ipſe inter Caraſcevanos perpetuo degere, ac docere. Sed hanc ille facultatem non habebat. Itaque lætus fructu quem excerpſerat ex Catholicis, dolens quod parem ex hæreticis non poſſet excerpere, in Auſtriam ſe recepit.

62. Res Flandrobelgicæ. P. Blemmartius ob quaſdam ſuſpiciones amovetur Neomago.

Interim in provincia Flandrobelgica, ad quam modo progredimur, per proſpera & adverſa res Societatis fluebant. Qui Hollandiam, & cæteras fœderatorum provincias occulti excolebant Patres, labores illi quidem vix credibiles exudabant, nec ſine fructu: ſed repente omnium lætitiam unius noxa turbavit. P. Auguſtinus Blemmartius, operarius veteranus, & famæ ſemper integræ, ſacra adminiſtrabat Neomagi: cum ſerpere per urbem rumor adverſus cœpit, nimis eum familiariter agere cum vidua neſcio qua juvene, nec invenuſta. Id ubi ſuboluit moderatoribus, confeſtim Blemmartius, etſi nullius flagitii compertus, ad extinguendos malevolorum ſermones amovetur Neomago, & Harlemium cum eodem miniſterio transfertur. Nec ille locum mutavit invitus. Verum ubi reſcivit, ob illas quas dixi de vidua ſuſpiciones ſe motum fuiſſe, homo ſupra quam deceret ſui nominis ſtudioſus, angi vehementer, ægritudinem ingentem præ ſe ferre, rogare demum Præpoſitum Provincialem (erat is P. Antonius Sucquetius), ſibi ut poteſtatem faceret excurrendi Neomagum, ubi deliberatum haberet impactam calumniam teſtimonio omnium Catholicorum obterere. Negabat Provincialis id e re eſſe, aut a ſe poſſe permitti, cum alias ob cauſas, tum ob eam maxime, ne rumor jam pene civium oblivione ſepultus iterum excitaretur. Efferatus repulſa Blemmartius Neomagum nihilominus injuſſu moderatorum petit, atque hinc per litteras veniam Societatis deſerendæ a Præpoſito Generali poſtulat. Cauſas proponit, ut putabat, graviſſimas, quippe ductas ab honore & fama, quæ homini cuique cariſſima eſſe debeat. Veniam neque negavit, neque aperte conceſſit Mutius. Tantum reſcripſit, ſiquidem tranſire vellet ad alium ordinem, in quo vetus diſciplina vigeret, nihil moræ futurum quin poteſtas illi fieret tranſeundi. Cæterum videret diligenter, ne dum famæ conſulere ſupra modum ſtudet, & famæ, & quod magis eſt, æternæ ſalutis jacturam faceret. His ille litteris viſus quieſcere paululum, & meliorem mentem induere. Cum mutatæ voluntatis non una indicia præ ſe ferret, facultatem haud difficulter obtinuit habitandi, ut optabat, Trajecti ad Moſam. At paucos poſt menſes, nemine domeſticorum conſilii ſui præmonito, elapſus clam e collegio ad PP. Dominicanos transfugit, fruſtraque transfugam repetente rectore collegii noſtri, poſt dies ſex veſtem ejus ordinis induit. Factum excuſabat Cœnobiarcha, cum diceret oblatas ſibi fuiſſe a Blemmartio litteras, quibus haud ita pridem Mutius miſſionem petenti reſcripſiſſet ſe daturum, ſi modo ad ordinem exactæ diſciplinæ migrare vellet. Sed excuſationem non admiſit Nuncius Pontificis, ad quem delata cauſæ cognitio. Promiſſæ facultati non ineſſe vim facultatis pronunciavit, & ſuum reddi Societati hominem juſſit. Quod ubi inaudiit Blemmartius, captata fuga, Calcariam ſe recepit, urbem in ditione hæreticorum poſitam. Ibi fiducia impunitatis audaciam adeptus, libellos ſparſit mendaciſſimos contra Societatem, totamque noſtri regiminis formam; fabulas antiquas recoquens, ut nobis conflaret invidiam. Multis reipſa perſuaſit, ut a noſtris in poſterum abſtinerent. At demum intelligens, quantam apud omnes bonos infamiam incurreret, ſtimulatus etiam, ut credibile eſt, conſcientia ſcelerum, ad ſaniora conſilia deſcendit. Reſumpta quam male exuerat veſte Societatis, Romam venit, ſe totum arbitrio Præpoſiti Generalis permittit. Supplicem clementer excepit Mutius, ac per dies viginti ſacris Beati Parentis Ignatii commentationibus vacare juſſit ab aliorum convictu ſegregatum. Tum accepto ejus chirographo, quo ultro fatebatur de injuria Societati fa-

63. Neomagum revertitur, & veniam Societatis deſerendæ poſtulat.

64. Quid ad eum reſcripſerit Præpoſitus Generalis.

65. Tranſit ad Patres Dominicanos ſine idonea facultate.

66. Profugit ad hæreticos.

67. Demum ſatisfacit Societati, & legitime dimittitur.

Digitized by Google

facta, & culpam deprecans missionem petebat, exauctoratum sacramento Societatis dimisit.

68. Specimen rerum in Hollandia gestarum.

Cæterum in Hollandia, aliisque fœderatorum provinciis operarii Societatis, occulte quidem, sed tamen strenue opus evangelicum faciebant, nec mediocres laborum fructus capiebant. Lugduni Batavorum Patres Van-Tympel, & Petrus Hollander una die, quæ fuit Paschalium tertia, eucharisticæ mensæ primo participes effecerunt puoros quinquaginta duos. Aderant sui singulis parentes, & præ mentis dulcedine in lacrymas solvebantur: nunquam rati fore ut hæc spectacula conspicerentur in iis terris, ubi rerum potiebantur Calviniani. Amstelodami conjectus in vincula operarius Societatis, cujus nomen est in obscuro, ex ipso carcere spolia de suis hostibus retulit. Erat in eodem carcere hæreticus, capitalis noxæ damnatus, & ad supplicium propediem producendus. Is paucis diebus nostri hominis alloquio victus, agnovit catholici dogmatis veritatem, suscepitque. At dum parat confessionem piacularem facere, alio transfertur, quo catholico Sacerdoti aditus patebat nullus. Dolebat miser, se proxime moriturum sacerdotali expiatione frui non posse. Id ipsum dolebat noster Sacerdos, cui cara illius animæ salus. Idem tamen malo remedium præsens excogitavit. Edocti ab eo Catholici quidam pii quid facto esset opus, illum quem dixi hominem capite damnatum adeunt, admonentque clanculum, ut simul atque constiterit ante patibulum, primo de admissis criminibus vere & ex animo doleat: tum ut se Catholicum publice profiteatur: postremo salutationem Angelicam clara voce percurrat: affuturum enim latenter in turba spectatorum Sacerdotem orthodoxum, qui, ubi ad extrema verba devenerit, illum conceptis rite verbis absolvat. Ajunt, ita prorsus uti convenerat factum esse, magno eorum gaudio, qui rei erant conscii. Addunt, sumpto supplicio, mortui faciem apparuisse, non ut in aliis solet, cadaverosam & luridam, sed miro potius nitore fulgentem; idque Catholicis indicio fuisse animi jam beati.

69. Collegium Casletense constituitur.

Eodem anno Casleti, quod oppidum est in Flandriæ tetrarchia frequens & nobile, collegium Societati datum est. Jamdiu habebant Casletani perpetuam, ut loquimur, nostrorum missionem, quam ipsi assignata pensione annua sustentabant. Ante paucos annos impetraverant præterea tres latinitatis scholas: ut jam ad collegii rationem parum deesset, ac prope nihil. At nunc censu stabili constituto, novis coemptis & instructis ædibus, comparato etiam ad templum inædificandum solo, Generalem Præpositum rogaverunt, ut domicilium Casletense in collegium reciperet. Annuit petitioni Mutius, missoque diplomate cives ita de Societate meritos collegii fundatores pronunciavit. Antuerpiæ ad fastigium eductum vidit hic annus templum augustæ molis, quod jampridem in honorem Deiparæ, ac B. P. Ignatii ex publicis privatisque piorum largitionibus ædificandum susceperat domus Professorum: opus elegantia formæ, & marmorum pulchritudine mirandum in paucis, atque adeo sumptuosum, ut nihil usquam haberet in eo genere Societas, quod illi anteponeret. Ædem istam dedicavit anno proximo Antistes ejusdem urbis Joannes Malderus celebritate æque splendida, ac religiosa, quam ad octo dies produci placuit. Cæterum, ut hoc obiter notem, tanta illa moles his nostris temporibus de cœlo tacta conflagravit. Paucis ante mensibus etiam Bruxellis solemni ritu dedicatum fuerat templum Societatis. Sacram vero cæremoniam fecerat insigniorem præsentia Archiducis Alberti, qui affecta licet valetudine, & jam attactus morbo, ex quo paulo post obiit, tamen omnium primus divinis interesse voluit in ea æde, cujus in fundamentis ante annos quindecim primum ipse lapidem collocaverat.

70. Perficitur Societatis templum Antuerpiæ.

71. Dedicatio templi Bruxellensis.

72. Hispanorum expeditio improspera contra Batavos.

Mortuo post hæc sine liberis Alberto Archiduce Belgii Principe, cum ad Regem Catholicum Belgii ditio rediisset, continuo inter Hispanos, & Batavos atrox bellum exarsit. Prima Hispanorum expeditione in Cassandam insulam nihil fere aliud profectum, quam ut operariis Societatis abunde suppeteret, ubi

Digitized by Google

ubi propria ſui ordinis exercerent. Batavi enim, perfoſſis magnis illis ſuis aggeribus, aperuere in humiliora regionis aditum imminenti oceano, quo late inundante, regii excedere coacti ſunt. Jam ergo Hiſpanis per paludoſa, plenaque ſtagnantium aquarum incedentibus, affecta vi noxii vaporis corpora multifariam movebantur. Cum vero caſtra poſuiſſent ad Brugas, tanta vis ingruit morbi, ut languentium multitudinem quatuor urbis noſocomia non caperent. Militum ingens numerus paſſim in agro ſparſi jacebant: multi omni ſubſidio deſtituti expirabant. Hoc loco, ſi uſpiam alias, profecit noſtrorum labor. Erant in collegio Brugenſi ſociorum paulo plures triginta, major pars Sacerdotes: cæteri, præter paucos minoris ordinis Clericos, rei domeſticæ adjutores. Hi ergo corpora, illi animos ægrotantium curandos ſuſcepere. Obibant diu noctuque lectulos: ex uno ad alium diſcurrebant: quidquid uſus tabidorum poſceret alacriter capeſſebant, ne quem in tanta multitudine deſtitutum ſolatiis vitæ præſentis, aut præſidiis futuræ relinquerent. Nec fuit ſine præmio charitas. Septem ex illo numero lues invaſit, quatuor extinxit. Par propè labor incubuit Patribus collegii Mechlinienſis, ſed minore periculo. Conſederant in ejus urbis vicinia diviſi per contubernia calones lixæque exercitus regii, natio hominum plerumque rudis, & rerum divinarum negligens. Egreſſi Mechlinia Patres ad eos procurrerunt: & quamquam initio aut repulſi, aut cum contemptu excepti, tamen inſtando perfecerunt, ne inutilis omnino ipſorum adventus eſſet. Vix dies abiit, qua non aliquos ſacra confeſſione expiarent, & Euchariſtica menſa exciperent.

73. Labores noſtrorum in obſequio militum ad Brugas.

74. Fructuoſus labor Patrum Mechlinienſium.

Illis ita laborantibus, quietem æternam adiit Lovanii P. Nicolaus Smith, vir enimvero præclarus, & nobis cum laude nominandus. Natus erat Antuerpiæ parentibus honeſtis, & opulentis. Ab adoleſcentia ad omnem pietatem educatus, conſilia vitæ perfectioris agitabat. Patri tamen obtemperans, uxorem duxit: qua intra undecimum menſem orbatus, filiolum brevis matrimonii fructum propinquis notæ fidei commendavit, ipſe majoribus ſacris initiatus ad Societatem venit. Collegio Lovanienſi miniſter impoſitus, rem ejus domeſticam beneficiis auxit, diſciplinam exemplo non minus, quam vigilantia firmavit. Vitam denique præclare actam morte qualem optaverat clauſit. Nam cum inſtinctu neſcio quo præſentiret, ſe repentina vi morbi moriturum, unum petebat a Deo, ne id ante contingeret, quam rem ſacram feciſſet. Pii voti compos eſt factus xv. Cal. Aprilis, quo die, poſt quam rite ſacris operatus fuerat, ſubita ictus apoplexia corruit. Jacebat mortuo ſimilis: & nihilominus ut illatum eſt ſacrum myſticæ inunctionis oleum, receptis ſenſibus copiam habuit conſcientiæ iterum expiandæ. Numerabat vitæ annos ſexaginta octo. Non erat illi inferior virtute, licet ætate longe impar, Joannes Laverman ſcholaſticus, de quo Provincialis ad Mutium ſcribens, alterum Joannem Berchmans ſibi deceſſiſſe dixit. Adhuc puer pietatem meram ſpirabat; quodque in illa ætatula admirandum, nullam potiorem voluptatem habebat, quam ruſticorum liberos Chriſtianæ doctrinæ præceptionibus inſtituere. Ab his initiis profectus, mirificos in Societate progreſſus fecit. Tiro veteranis exemplo erat. Nihil illo adoleſcente modeſtius. Ut animi corporiſque compoſitionem ubique conſtanter retineret, mente fingebat ſe Nazarethi habitare apud Deiparam, omnemque agendi modum ſic temperabat, ac ſi ab illa ſemper conſpiceretur. Abjectiſſima quæque miniſteria eo obibat diligentius, quod in iis famulari cœlorum Dominæ arbitrabatur. Deceſſit XIII. Cal. Februarias Ruremundæ in patria ſua, quo reparandæ valetudinis cauſa fuerat miſſus. Decurrebat annum ætatis undevigeſimum.

75. Mors & elogium P. Nicolai Smith.

76. Obitus & elogium Joannis Laverman.

Jam ut in Gallobelgicam gradum faciamus, quod jam pridem optabant Patres Duacenſes, ut eorum collegium in academiam illius urbis cooptaretur, hoc demum anno ſunt conſecuti. Quo etiam tempore Abbas Martianenſis Joannes de Jancquoy Benedictinus non contemnendum collegio cenſum addidit, & rem ſcholaſticam multum juvit. Tribus omnino collegiis conſtat in Duacenſi academia facultas artium liberalium: Regio, ut vocant, Aquicinctino, & Mar-

77. Res Gallobelgicæ. Collegium Duacenſe in urbis academiam cooptatur.

Digitized by Google

tianenſi. Hoc poſtremum Abbas Societati permiſit; quo factum eſt, ut omnis fere diſcentium multitudo ad nos confluëret, Nam collegii Aquicinctini magiſterium jam antea penes nos ex fundatoris præſcripto erat: Regium vero, utpote ſitu incommodum, perpauci adibant. Ad idem tempus pertinent collegii Nivellenſis initia. Nivellis, quæ urbs eſt conſpicua Brabantiæ Gallicanæ, primum de condendo Societatis domicilio ſermonem intulerant præclaræ quædam virgines de inſigni collegio, ut appellant, Canoniſſarum S. Gertrudis, quarum ſumma eſt in illa civitate rerum omnium auctoritas. In hunc uſum Antiſtita, Domina de Honsbrouck, penſionem annuam teſtamento legaverat; exiguam tamen, & qua vix duo ſociorum paria ali poſſent. Quare initio data tantum eſt Nivellenſibus paucorum capitum reſidentia, quam Mutius rectori Namurcenſi ſubjecit. Reſidentiam ita conſtitutam auxit paulo poſt, firmavitque Epiſcopus Namurcenſis Jannes Davinus, vir multis nominibus commendabilis: qui cum haberet Nivellis ſeminarium adoleſcentium cum annuo cenſu ad conducendos Ludimagiſtros conſtituto, id muneris cum omni ſuo honorario tradidit Societati; eidemque templum vetuſtum S. Georgio ſacrum in perpetuum adſcripſit. At demum poſt ſeptennium Iſabella de Zuilen nova Canoniſſarum Antiſtita, & domina Nivellarum, juſtis & neceſſariis alendæ familiæ vectigalibus attributis, fundati penitus perfectique collegii laudem tulit: quam proinde præclariſſimam feminam Mutius, per uſitatas grati animi ſignificationes, collegii parentem habendam cenſuit. Eodem anno Montenſis ſeminarii procuratio Societati committitur. Fundaverat ſeminarium iſtud Montibus Antonia Gaudina, vidua nobilis æque ac locuples: cumque antea collegium nobis inſtituiſſet, multum ac vehementer optabat, ſeminarii quoque ſui juventutem per noſtros homines regi. Sæpe a Claudio repulſam paſſa, idem nihilominus a Mutio vix ad regimen Societatis evecto poſtulaverat. Id modo conceſſum illi fuit initio, ut collegii Montenſis rector Sacerdotem e populo unum eligeret, qui munere iſto fungeretur. Ægre enim adducebatur Societas, ut iſtjuſmodi adminiſtrationes admitteret. Sed cum diſciplina ſeminarii ſenſim, & fama ſeneſceret ſub externo moderatore, vicit demum auctoritas viri de Societate inſigniter meriti Franciſci Wandenburchii Hierarchæ Cameracenſis, qui Mutium graviſſimis litteris monuit, rem Deo gratiſſimam, totique Belgio maxime ſalutarem fore, ſi quidquid illud erat oneris Societas ſuſcepiſſet. Hoc ergo anno ineunte ſeminarium a noſtris pleno jure adminiſtrari cœptum eſt, excluſis quibuslibet externis magiſtris. Numerus alumnorum ob eo tempore ita multiplicari cœpit, ut cum antea vigeſimum excedere non ſolerent, anno nondum finito expleverint octogeſimum, proxime autem conſecuto centeſimum exceſſerint: multo plures futuri, ſi omnes, qui nomina dabant, habitatio caperet. Quare Gaudina, his ſeminarii ſui incrementis mirifice oblectata, anus licet octoginta annorum, novum aggreſſa eſt ædificium, quo alumnorum habitationem dimidio ampliorem faciebat. Sed in ipſa operis molitione, anno poſt hunc tertio, vivere deſiit.

78. Fundatur collegium Nivellenſe.

79. Seminarii Montenſis adminiſtratio Societati committitur.

80. Ejuſdem ſeminarii incrementa ſub noſtris.

De laboribus ſociorum hæc præcipue ſcitu digna mihi in annalibus litteris occurrebant. Malbodii ebrietatem ita hoc anno repreſſam concionibus induſtriaque noſtrorum reperiebam, ut caupones, quique œnopoliis rem augere ſolebant, quererentur paſſim, Jeſuitarum opera ſibi quæſtum perire. Duaci in ſumma annonæ caritate noſtri, non ſolum fame laborantibus ipſi benigne ſubvenerunt, verum etiam exemplo & cohortationibus beneficentiam ditiorum excitaverunt, ut idem pro ſuis quiſque facultatibus facerent. Patrum certe charitati acceptum retulerunt inopes, quod ab interitu pene revixerint. Nam cum cœpiſſent una cum noſtris hominibus adoleſcentes plenas cibariis corbes per urbem circumferre, & egentibus oſtiatim dividere; id geſtum in oculis civitatis movit Senatum, ut inſtituto cenſu pauperum, iiſdem alimenta, ligna, aliaque quotidianis vitæ uſibus neceſſaria ex ærario decerneret. Multi interim intra provinciam ſocii deceſſerunt. Sed nullius tanto luctu excepta mors,

81. Sociorum res geſtæ Malbodii, & Duaci.

Digitized by Google

mors, ac Fratris Ignatii de Reſinghem domeſtici adjutoris. In hoc enim uno exemplum abſolutiſſimum, cum aliarum virtutum, tum præſertim inſignis obedientiæ, ac religioſæ demiſſionis amiſſum eſt. Clarus natalibus, & germanus frater Epiſcopi Tornacenſis, cum tantum didiciſſet litterarum, quanto opus erat ut Sacerdos initiaretur, in infimo apud nos gradu mereri maluit: plus inquiens commodare ſe poſſe Societati humilitate, quam litteris. Annos undeviginti inter nos vixit, eoſque virtuti totos impendit. Sæpe eum frater, ſæpe alii viri nobiles, ipſius olim ſodales, inviſum ibant. Ille his coram vili indutus tunica, ſuccinctuſque nihil dubitabat pavimentum everrere, & alia mediaſtinorum miniſteria obire, miram ore alacritatem præferens. Antequam quidquam agendum ſuſciperet, ſolebat rectorem in genua provolutus rogare, ſibi ut bene precaretur. Piam viri conſuetudinem comprobare viſus in extremo ejus actu Deus. Cum enim morti proximus a rectore ſimiliter flagitaſſet, ut ſolito bene precantis ſigno poteſtatem ſibi faceret moriendi, eo vix accepto animam exhalavit Tornaci, VI. Idus Decembres, annos natus octo ſupra quinquaginta.

82. Mors & elogium Fr. Ignatii de Reſinghem.

De rebus Gallicis, ſi uſitata excipias Societatis miniſteria, pauca admodum litteræ hujus anni commemorant. Provinciæ Lugdunenſi jus domicilii datum eſt in monte Audomari (Montelimarium nunc vulgo nominant) cum æde ſacra, & proventu apto, unde familia paucorum capitum aleretur. Reclamaverunt fruſtra Calviniani, qui erant ibi frequentes. Ipſis licet reluctantibus, nihilque intentatum relinquentibus ut rem ſibi moleſtam interverterent, oblatam noſtri ſtationem bonis quibuſque approbantibus obtinuerunt. Avenione interim diem clauſit extremum novitius innocentia vitæ, ac pietate memorabilis, Edmundus Malpaſſius nomine. Is natalibus opibuſque inclytus apud Sequanos, cum conſtituiſſet nomen Societati dare, videretque ſuis votis obſtare deformitatem corporis fœde gibboſi, Romam venit, ubi accidens ad genua Præpoſiti Generalis, tot peroravit precibus lacrymiſque, ut demum admitti impetraverit. Exceptus Romano tirocinio optimus adoleſcens, dum religioſæ vitæ curſum ingreditur ardore animi ſummo, ſenſit brevi incommodam valetudini gravitatem cœli Romani. Avenionem ergo tranſmittitur, ſi forte illius cœli beneficio melius haberet. Sed cœlo beatorum maturus cum eſſet, intra breve tempus, quod unum optaverat ut dicto triplicis voti ſacramento moreretur in Societate, feliciter eſt conſecutus die anni ultima. Suam erga Societatem benevolentiam tot antea argumentis probatam confirmavit moriens, legatis domui probationis Avenionenſi aureis ter mille & quingentis. Tironibus vero illuſtre exemplum reliquit, unde pluris æſtimare condiſcerent ejus conditionem vitæ, quam ipſe tam peregre quæſitum iverat. Tirocinii Avenionenſis mœrorem cumulavit obitus Aloyſiæ Dancizanæ. Hæc namque magnarum virtutum matrona domum illam a fundamentis extruxerat, dotaveratque liberaliter, tirones vero Avenionenſes pro liberis ſemper habuerat. Quam benevola erga Societatem, tam excellens pietate erat Aloyſia. Virgo, nupta, vidua, per omnes vitæ gradus chriſtianæ perfectioni ſtuduerat unice, & quidem ſic, ut reliquis feminis exemplo virtutum omnium præluceret, maxime vero liberalitatis in pauperes. Hos ſibi filios, quando eorum quos genuerat neminem habebat ſuperſtitem, adoptaverat: hos materne diligebat, ac rebus omnibus ſublevabat: eorumque fortaſſe precibus debuit, quod ad annum uſque centeſimum ſenectam produxerit. Pari erga nos benevolentia, pari pietatis ſtudio ſpectabatur Avenione Petrus Bellus, vir utriuſque juris conſultiſſimus, opibus idem, & auctoritate multum præſtans. Is cum a prima juventute vitam ad leges religioſæ perfectionis inſtituiſſet, ſeptem ante obitum annis, conceſſu Præpoſiti Generalis, immigravit in collegium Avenionenſe, ubi quod reliquum vitæ fuit pie admodum, ac religioſe traduxit. Hoc autem anno moriens, ſimplicia, quæ nos ſolemus poſt tirocinium, vota nuncupavit, & collegio Avenionenſi, præter inſignem bibliothecam, cenſum annuum trecentorum aureorum reliquit.

83. Res Provinciæ Lugdunensis. Collocatur ſtatio in monte Audomari.

84. Mors & elogium Edmundi Malpaſſii novitii.

85. Mors Aloyſiæ Dancizanæ. Ejus merita in Societatem, & eximia ſanctitas.

86. Singularis pietas Petri Belli, ejuſque obitus in Societate.

Digitized by Google

87. Res Provinciæ Parisiensis. Mors & elogium P. Jacobi Gordoni Huntlæi.

Eodem anno Lutetiæ Pariſiorum diem obiit ſuum XVII. Cal. Majas Pater Jacobus Gordon Huntlæus, natione Scotus, atque ea ortus familia, quæ Scotiæ Reges propinquitate ſanguinis attingebat: vir æque doctus ac pius, totque animi ornamentis inſtructus, ut nobilitas generis inter poſtremas ejus laudes haberetur. A primi juventute Societati ſe addixit Romæ, quam in urbem tumultus inteſtinos patriæ ſuæ fugiens ſe receperat: utque jam tum deliberatum habebat contra hæreticos, qui tunc late graſſabantur, pro virili ſua parte certare, opportuna ſibi præſidia comparavit a pietate primum, quam rebus omnibus anteponebat, deinde a ſacris litteris, quarum tantam eſt peritiam adeptus, quantam videre eſt in egregio volumine, quod deinde edidit, ac *Epitomen controverſiarum fidei Chriſtianæ* inſcripſit. Roma devectus in Galliam, Muſſiponti, Lutetiæ, Burdigalæ philoſophiam, ac theologiam ad plures annos docuit: eodemque tempore quæſtionum, quæ de moribus ſunt, juris item eccleſiaſtici, ac linguæ hebraicæ conſultiſſimus fuit. Tranſiit inde in Hiberniam cum poteſtate Nuncii Pontificii. Mox Angliam Scotiamque, ſalutarem ubique ſerens doctrinam, peragravit. At dum agit fidentius quam cruenta illa tempora paterentur, comprehenſus, in carcerem detruſus, & ad tribunalia raptatus fuit. Quamquam vero in ipſis vinculis præclarum fidei ſuæ teſtimonium redderet, idque capitale eſſet regnante Eliſabetha; tamen regiæ cognationis reſpectu ejus eſt capiti parcitum a judicibus, qui virum glorioſæ necis cupientiſſimum exilio multare maluerunt. Miſſionem Scoticam perdiu adminiſtravit. Multa ex ejus uſu ſalubriter providit, ac geſſit, non labori, non induſtriæ parcens, ut catholicam veritatem inter populares ſuos aut conſervaret, aut reſtitueret. Ejuſdem rei cauſa itinera ſuſcepit difficillima in Germaniam, & Daniam, ſeque per totam fere Europam inter ſexcenta viarum incommoda circumegit. Aquitaniæ Vice-Provincialis impoſitus, ſedulitatem, prudentiam, & nativam comitatem ſuam ita probavit ſociis, ut jucunda omnibus ejus adminiſtratio accideret. Supremo decumbens morbo unum dolebat, quod non manu carnificis in Scotia Angliave pro religione catholica moreretur: male ſecum actum affirmans, quod olim e carcere incolumis fuiſſet dimiſſus. Cum autem inſtaret hebdomada recolendis Chriſti cruciatibus conſecrata, id ſaltem Deum rogavit, ut quo die Chriſtus in cruce expiraſſet, eo incruentum vitæ ſuæ ſacrificium exciperet; cujus pii voti compos eſt factus. Ipſa namque ſanctioris hebdomadæ feria quinta, poſt ſuſcepta rite morientium ſacra, pacate admodum ac pie deceſſit, annos natus ſeptuaginta novem, quorum ſeptem ſupra quinquaginta confecerat in Societate. Ad ejus cadaver ii facti fuerunt ex omni civitate concurſus, ut inter ſtrepitum ac tumultum affuſæ multitudinis ægre funus celebrari potuerit.

88. Res Tolosanæ. In hanc provinciam tranſcribitur collegium Turnonenſe.

Per hæc collegium Turnonenſe juſſu Præpoſiti Generalis ex provincia Lugdunenſi tranſcribitur in Toloſanam. Mutium ut id decerneret movit paucitas domiciliorum, quibus provincia Toloſana conſtabat. Nullum hæc habebat niſi Toloſæ collegium ſtudiorum: quodque habebat unicum, ea laborabat anguſtia vectigalium, ut ægre poſſet alere alumnorum numerum, quem uſus provinciæ requirebat. Contra provincia Lugdunenſis Turnonii, Lugduni, Avenione, & Dolæ ſeminaria noſtræ juventutis numerabat. Non ignorabat Mutius ægre laturos Patres Lugdunenſes, tam illuſtre domicilium a corpore ſuæ provinciæ divelli: ſed divelli tamen juſſit. Eoque gaviſus eſt magis, cum cognovit negotium ex ſententia fuiſſe confectum, acceptis tam obedienter mandatis, ut nemo contra vocem miſerit. Simili conſilio, ut ſuppleret inopiam provinciæ Aquitanæ, ad hanc transferendum decreverat a Pariſienſi collegium Rhedonenſe. Sed ejus decreto interceſſit civitas Rhedonenſis, negans velle ſe aliunde quam ex provincia Franciæ miniſtros ſacrorum, & liberorum magiſtros accipere. Cauſæ afferebantur in ſpeciem graves, & juſtæ, ſed quæ Mutio ſatis non faciebant. Dolebat ſane, ea interceſſione jus ſibi regendæ Societatis imminui. Certis deinde

89. Simile decretum de Rhedonenſi, ſed ſine ſucceſſu.

Digitized by Google

inde indiciis ſubodoratus, Rhedonenſes ad illam cauſam ſuſcipiendam a non nemine ſociorum fuiſſe compulſos, ne in facto peſſimi apud nos exempli connivere videretur, P. Ignatio Armando Franciæ viſitatori negotium dedit, ut ſi quos reperiſſet hujus culpæ affines, eos pro merito plecteret. De ipſo autem collegio, niſi poſſet ſalvo Præpoſiti Generalis jure retineri, ſatius cenſebat dimitti prorſus, ac deſeri. Et jam, negotio cum Aſſiſtentibus deliberato, ſocios inde revocari juſſerat. Sed his conſiliis interceſſit Rex datis ad Mutium litteris, quibus pergratum ſibi fore ſignificabat, ſi res collegii Rhedonenſis in ſtatu priſtino relinquerentur.

90. Res Provinciæ Aquitanæ. Fundatur collegium Tutelenſe.

Et nihilominus novum provinciæ Aquitanæ collegium enatum eſt. Tutela, urbs Lemovicenſium primaria, Societatem expetierat ante annos amplius quadraginta, ſed fruſtra. Voti ne potens fieret, obſtiterant primo diuturnæ civilis belli calamitates, deinde aliæ cauſæ, quas nihil attinet recenſere. Verum hoc anno Magiſtratus ex auctoritate conſilii publici rem tamdiu intermiſſam ita agendam ſuſcepit, ut omnino perfecerit. Cum ergo ad civium voluntatem accederet conſenſus Regis; tum Epiſcopi, & omnium ſacrorum ordinum approbatio, ſine mora Tutelæ collegium apertum eſt. Nondum annus abierat, cum Raymundus de la Marthone Epiſcopus Lemovicenſis, ratus ex collegio Tutelenſi non leves in ſuam diœceſim utilitates provenire poſſe, ad augendam ejus dotem quoddam ſuæ ditionis ſacerdotium contulit. Eodem alii conſilio pecunias, & fundos collegio naſcenti donaverunt. Sed eminuit ex omnibus Dominus Sanmarſalius, qui poſt collata in uſum ædificii tria francorum millia, & cenſum annuum in præmia diſcipulis largienda conſtitutum, poſtremo moriens collegium bonorum ſuorum hæredem teſtamento fecit. Inter hos rerum ſucceſſus damnum eſt factum haud leve in duobus Patribus, ob virtutum rerumque geſtarum magnitudinem memorandis, Guillelmo Baillio, & Joanne Bordelio, quos idem annus e numero viventium expunxit. Magnum erat tota Aquitania, & Occitania nomen Baillii. Laboribus apoſtolicis tantam ſibi conciliaverat famam, ut quicunque ſalutem proximorum curarent paulo ſtudioſius, ii paſſim appellarentur Bailliani. Contra errores Calvini primus aperto marte certavit in Bearnia, poſtquam Henricus IV. in ea provincia liberum eſſe uſum catholicæ religionis juſſit: nec quemquam hæreticorum privatim oppugnaſſe dicitur, quem non etiam expugnaverit. Ex Santonibus, quos eadem hæreſis ex magna parte corruperat, tam multos ad veritatem adduxit, ut nemo ibi laboraſſe fructuoſius diceretur poſt S. Eutropium ejuſdem gentis Apoſtolum. Anno MDCI., cum promulgandum ſuſcepiſſet Jubilæum ad Apoſtolica Sede conceſſum, ex omnibus circumlocis incredibiles ad eum concurſus ſunt facti. Ajunt, per feſta paſchalia uſque ad centumviginti millia fuiſſe numeratos, qui ritu ſupplicantium advenerunt, ut beneficium indulgentiæ perciperent, eoque in numero ex ipſa etiam Rupella, Calvinianæ factionis arce præcipua, non ita paucos fuiſſe. Inoleverat in aliquibus ejus regionis oppidis prava conſuetudo, ut ad altaris myſterium non admitteretur qui non annum ætatis vigeſimum attigiſſet. Sacramentum Confirmationis plerique ut inutile negligebant, erantque bene multi ætatis provectæ viri nondum eo donati. Has ubique Baillius labes, partim privatis ſermonibus, partim concionibus publicis omnino ſuſtulit. In detegendis, diſſolvendiſque præſtigiis dæmonum mira pollebat dexteritate, ac ſolertia. Multos e poteſtate diaboli, cui ſe pactionibus impiis mancipaverant, feliciter vindicavit. Baillium inexpiabili odio inſectabantur miniſtri hæreſeos, quos Prædicantes vocant, quippe aſſiduis ab eo cladibus attriti. Ejus autem congreſſum adeo reformidabant, ut in ſuo quodam celebri conventiculo legem tulerint, ne cui ex gregalibus liceret in poſterum cum Jeſuitis, & cum Baillio nominatim ſermonem ſerere de religione. Quod decretum ſervare cœperunt adeo exacte, ut coram uno aliquo ex noſtris nec mutire auderent: ſilentium contumax, & ex metu profectum inter arcana ſuæ ſectæ reponentes. Nunquam vir apoſtolicus ad concionem prodibat, niſi cilicio præcinctus: nec tam ſtudio ſe ad dicendum com-

91. Mors & elogium P. Guillelmi Bailii.

comparabat, quam precibus, & cruenta verberatione, quam cum incuteret sibi, hæc audiebatur inter plagarum crepitus ejus vox : *Da mihi domine Jesu animas, pro quibus sanguinem tuum pretiosum fudisti*. Vocem eandem iterabat quoties sanctissimam Eucharistiam manibus contrectaret. Natus erat loco nobili Monostrolii apud Velannos in diœcesi Aniciensi. Obiit Burdigalæ VI. Cal. Novembres, anno ætatis sexagesimo tertio.

92. Obitus & elogium P. Joannis Bordes.

Quæ porro urbs sepulchrum Baillio dedit, eadem ante annos sexaginta & unum natalis P. Joanni Bordesio fuerat. Hunc narrant ingenio fuisse plane admirabili, sic ut artes liberales calleret fere omnes. Rhetoricam Mediolani, philosophiam, ac theologiam in variis Galliæ academiis magna cum laude professus est. Multo tamen magis excelluit virtutibus religiosis, quarum nulla est, quæ non fuerit in eo summa. Cum censeretur ad gubernandum idoneus, & jam collegia duo administrasset, Auscense, & Aginnense, sacris missionibus exerceri maluit in posterum: progressusque in solem & pulverem, vitiis erroribusque late serpentibus bellum indixit, ea non solum fortitudine, verum etiam felicitate, ut alicubi debellaverit. Oppidum erat inter Santones (Angeriaco nomen) fœda Calvinianorum colluvie inquinatissimum. Eo cum venisset Bordesius, labore industriaque perfecit, ut alia paulatim induceretur oppido facies, donec ex receptaculo errorum in pietatis veluti seminarium mutatum est. Excurrebat identidem in Bearniam, ignotus tamen, & alieno amictu, ne Jesuitæ congressum hæretici suo more fugerent. Quantum ibi molestiarum exanthlaverit, quam lætas fruges in Ecclesiæ Romanæ horrea convexerit, vix ullis explicari verbis possit. Cum rusticis diversabatur ut plurimum, quippe simplicioribus, & docilioribus, iisque facile persuadebat, ut sibi de religione consentirent. Ut detectus olim, & cum insigni ignominia extra regionem deportatus fuerit, alibi a nobis narratum est. B. Virginis cultum propagare studebat omni ope; eoque consilio librum scripsit de ipsius æde Saranziensi, quæ olim ingenti religione & concursu celebrari solita, tunc ob bellorum tumultus in squalore, ac pene in oblivione erat. De sodalitate quadam B. Virginis cum obloquerentur liberius Burdigalenses aliqui Senatores, eos Bordesius oratione acri ac vehementi ad silentium compulit: ausus dicere, se ipsos accusaturum apud Deum, si ita loqui pergerent de ea re, quæ ad Deiparæ cultum spectaret. Decessit vir apostolicus in oppido S. Mariæ, prope Oleronem in Bearnia. Cum autem ad ducendum ejus funus, venerandumque, ut ajebant, sanctum magno numero oppidani confluxissent, lis est exorta inter cives, & Canonicos de cadavere efferendo: namque hoc utrique officium sibi deposcebant. Contentio aliter componi non potuit, quam diviso inter utrosque pio labore. Bordesio tribuuntur Canadicæ missionis initia, nec immerito. Ejus enim instituendæ auctor, & hortator primus fuit Patri Cotono; utque feliciter inchoaretur, pecuniæ subsidium ab Episcopo Vasatensi impetravit.

Lib. 1. num. 120.

93. Pictavii Societas graviter perturbatur. Quæ fuerit causa.

Ad mœrorem istiusmodi funerum accessit improvisa tempestas, quæ Pictavii exorta provinciam universam haud parum turbavit. Conciones ibi habebat majoris jejunii tempore vir ordine religiosus, multusque erat in hortando populo, ne rei divinæ alibi interessent, quam in templis suæ quisque paroeciæ. Dum id urget studiosius, semel pro concione affirmare ausus est, reos anathematis fore quicunque non saltem tertia quaque hebdomada in ædem curialem conveniissent ad rem divinam. Perculit populum pronunciati novitas. Statim, ut ferme usuvenit, res omnium sermonibus agitari cœpta. Concionatoris sententiam laudare vehementer Parochi: Religiosi explodere. Laicorum quidam, ut sua quemque mentis affectio moverat, ad hos, aut ad illos applicari. Alii in neutram partem inclinati rei veritatem inquirere. Erat hæc ex æquo communis omnium religiosorum causa; eoque optimum fuerat, nostros nihil plus sibi negotii sumere, quam cæteros. Verum illos, nescio qua seu ratione, seu temeritate, præcipuas controversiæ partes sumpserunt, ac præter reddita privatim responsa consulentibus, contra novam concionatoris sententiam scripta spar-

94. Nostri minus prudenter se gerunt in ea causa.

Digitized by Google

ſparſerunt. Pupugit ea res Antiſtitem Henricum Chaſtaigneirum, cujus impulſu pleriſque perſuaſum erat concionatorem talia docuiſſe. Ad augendam Præſulis acerbitatem acceſſit, quod cum eadem ſæpe diſputatio in familiares ſermones inferretur, noſtrorum aliquibus, junioribus præſertim, & laicis, nonnulla exciderunt minus conſiderate dicta, quæ ille in ſui contemptum interpretabatur. Progreſſus itaque ad concionem Pontifex doctus & eloquens, ita peroravit, ut ingentem contra homines Societatis concitaret invidiam. Tum ut offenſionem ſuam teſtatiorem faceret, ſacris virginibus ſub pœna anathematis interdixit, ne quem exinde noſtrorum ad animæ regimen adhiberent. Sodalitium erat in collegio Pictavienſi jampridem pietate, & frequentia ſodalium florens. Præſul, cauſatus injuſſu ſuo fuiſſe inſtitutum, ſolvi juſſit. Paſtore ſic animato, ferocius exarſit contra Societatem populi pars multo maxima. Auditæ in urbe voces perditorum ſe invicem adhortantium ad ſeditionem: Irent in collegium cum facibus gladiiſque: ſuccenderent ædes civitati exitiales, Jeſuitas omnes mactarent. In hoc rerum tumultu opportune Pictavium venit Senator curiæ Pariſienſis, hanc unam ob cauſam miſſus a Rege, ut eſſet inter nos & Epiſcopum pacis, atque concordiæ ſequeſter. Talis autem auctoritate viri citius quam dici poſſit omnia ſunt compoſita. Præſul, certis propoſitis conditionibus, quas noſtri ſine cunctatione admiſerunt, eos in gratiam recepit denuo, atque ita quidem ex animo, ut paulo poſt ex ipſis conditionibus ultro unam remiſerit. Cum enim cautum fuiſſet, ne quis deinceps in illud quod dixi ſodalitium cooptaretur ſine conſenſu ipſius, ſentiens id Societati juſtas ob cauſas diſplicuiſſe, rem omnem Patrum arbitrio permiſit.

95. Offenſio Epiſcopi, & populi tumultus contra noſtros.

96. Omnia feliciter componuntur.

Societatem Luſitanam turbabat eodem tempore filius ejus degener P. Emmanuel Viega, vir magni ille quidem ingenii, & litteris abunde inſtructus, ſed æque inquies ac turbulentus. Ut a ſuis initiis narratio repetatur, commiſerat Viega cur illi profeſſio votorum quatuor prorogaretur, quæ non levis pœna apud nos eſt. Poſt aliquot hujus coercitionis annos, cum nihilo melior fieret, eum Mutius dimoveri prius a theologiæ cathedra, quam in collegio Conimbricenſi occupabat, mox etiam a Societate dimitti juſſerat. Juſſa ex parte tantum fecerat provincialis P. Antonius Maſcarenia. Vir quippe natura factus ad lenitatem, meliora de illo ſperans, exauctoraverat eum quidem docendi munere, ſed tamen in Societate retinuerat. Viega poſt hæc Ulyſſiponem translatus obrepſit paulatim in amicitiam Octavii Accoramboni, Pontificii, ut vocabant, Collectoris: queſtuſque apud eum familiariter, ſe injuria privatum fuiſſe cathedra Conimbricenſi, validiorem quam vellet opem reperit. Collector, vel nimis credulus, vel certe nimium amicitiæ tribuens, hortatur hominem ut ad ſe appellet ex juris formula. Mox decreto facto, duo præcipit Provinciali. Primum, ne de Viega deinceps quidquam conſtituat. Alterum, ut intra præfinitam diem rationem reddat eorum, in quibus Viega factam ſibi injuriam querebatur. Ad hæc Maſcarenia: ſe quidem in eo negotio tantum obtemperaſſe Præpoſito Generali: quas vero ille rationes in præcipiendo ſpectaſſet, ſibi nec eſſe cognitum, nec magnopere inquirendum. Reſponſo Collector exacerbatus, Provinciali denunciat per litteras, ut intra ſpatium horarum viginti quatuor tradat judicibus a ſe delectis ſcripta, & acta omnia ad cauſam Viegæ pertinentia. Niſi fecerit, ſciat ſibi jam tum ab omni cum fidelibus communione eſſe interdictum. Sibi Maſcarenia non defuit. Complexus brevi ſcripto rationes, ob quas negotium præſens nihil haberet controverſiæ forenſis, proindeque in unius Præpoſiti Generalis arbitrio poſitum eſſet, illud tranſmittit ad Collectorem. Simul rogat, ut inanem hominis appellationem rejiciat, nec Pontificius miniſter infringat apoſtolica privilegia, quibus Romani Pontifices diſciplinam Societatis contra hujuſmodi hominum contumaciam muniiſſent. Id ſperare ſe ex ejus æquitate. Cæterum ſi pergeret decretum illud ſuum exequi, ſe ad Romanum Pontificem provocare: donec vero veniſſent ab Apoſtolica ſede reſponſa, deliberatum ſibi ac fixum eſſe de jure Societatis nihil remittere.

97. Res Lusitaniæ. P. Emmanuel Viega turbas in Societate movet.

98. Ejus patrocinium ſuſcipit Collector Pontificius.

Se-

Digitized by Google

99. Cauſa defertur Romam, & Præpoſito Generali permittitur.

Secundum hæc, relationem totius negotii Romam tranſmittit ad Mutium. Pontificem hic ſtatim certiorem facit. Pontifex dolere ſe profeſſus, quod miniſter Apoſtolicæ ſedis hominem inquietum contra legitimam poteſtatem tuendum ſuſcepiſſet, Scipionem Burgheſium Cardinalem ſororis ſuæ filium ſcribere Collectori jubet, ut Viegæ cauſam omnino rejiciat ad Præpoſitum Generalem Societatis, nec vero ullam ejus partem poſthac attingat. Burgheſii litteras ad Maſcareniam miſit ipſe Mutius, ut eas Collectori traderet, addiditque de ſuo mandata, ut Viegam continuo e Societate dimitteret. At cum hæc in Luſitaniam pervenere, valde rerum facies mutaverat. Viega, ſeu vere pœnitens, ſeu pœnitentiam ſimulans, relicta quam intentaverat appellatione, profitebatur ſe in Societatis poteſtate eſſe, ac porro fore. Quare Maſcarenia, ut erat ipſe candoris eximii, nullam in eo fraudem ſuſpicans, dignum cenſebat, qui non ſolum retineretur, verum etiam ad profeſſionem quatuor votorum aliquando tandem admitteretur. At Mutius, cui hominis ingenium varium ac ſubdolum, cum ex multorum relationibus, tum ex ante factorum ſerie probe perſpectum eſſet, prioris propoſiti tenax, nequaquam acquievit Provincialis conſilio, nec ſibi verba dari paſſus eſt. Inſtitit apud eum ſerio, ut decretum jam bis de Viegæ dimiſſione tranſmiſſum quamprimum exequeretur. Quo imperata faciente, abſciſſus demum eſt a corpore Societatis vir noxius: magno ſane uſui futurus, ſi quantos fecerat progreſſus in litteris, etiam in doctrina Chriſti feciſſet. At nulla peſtis publicæ ſacrorum ordinum rei pernicioſior magnis ingeniis, ſi ſcientiam natura audacem prudentia non continet, non coercet modeſtia.

100. Viega moderatoribus ſe ſubjicit: tamen dimittitur e Societate.

101. Fundatur collegium Scalabitanum.

Ut minus dolendum accideret unius capitis damnum, effecit quod eodem tempore acquiſitum eſt collegium Scalabitanum. Scalabis (Santaremum vulgo Luſitani dicunt) oppidum eſt ſatis nobile, & frequens prope Tagum in Extremadura. Plures ante annos ad collegium ibi conſtituendum P. Eduardus Coſta de paternis bonis prædium dotale contulerat: ſed ſive proventuum tenuitate, ſive alia quacunque cauſa, ut multum cives Societatem vehementerque diſcuperent, collegium nunquam hactenus potuerat, non dicam perfici, ſed ne inchoari quidem. Nunc tamen eo miſſi cum fuiſſent aliqui Patres, ſumma omnium gratulatione excepti fuerunt, & domum ad habitandum facillime obtinuerunt. Anguſta erat ſane domus, ſed propter propinquitatem templi opportuna. Quare in ea ſtatim noſtri latinitatis duo gymnaſia aperuerunt. Hæc fuerunt collegii initia, quæ deinde Joannes IV. Luſitaniæ Rex ad perfectum ſtatum deduxit. Intelligens enim parum commode habitare Patres in illa domo, palatium ſuum Scalabitanum Societati permiſit. De rebus eodem anno geſtis in Luſitania nihil amplius dicam, præter id quod de Joanne Manuele Epiſcopo Viſenſi litteræ tradunt. Præſul, non quidem malus, ſed in luxum paulo ſolutior, & in faciendo ſumptu, omnique domeſtico apparatu, magis loci quo erat natus, quam ordinis in quem tranſierat memor, cum ad excolendam urbem ſibi creditam acciviſſet P. Didacum Monteirum, ejus alloquio, & conſuetudine vix credibile quantum mutaverit. Exinde deſpicere humana omnia, & auſterioris vitæ exemplo præire populo cœpit: in cultu corporis modeſtus, cibi ſomnique parcus, profuſus erga pauperes, pietati ac meris religionibus deditus. Idem poſt paulo deliberatum habebat, ſi a Pontifice maximo poteſtas fieret, in Societatis ſepta tranſire: de qua re exſtat etiam nunc ejus ad Mutium epiſtola ſacrum ardorem ſpirans. Sed vetuit Pontifex, e re divina futurum ratus, virum talem in Eccleſiæ luce verſari. Cæterum quam vivendi formam ſibi a primo ſanctioris vitæ die propoſuit, eandem magno reipublicæ bono ſervavit uſque ad extremum. Factus Archiepiſcopus Ulyſſiponenſis, mox etiam regni totius adminiſtrator, nihil unquam remiſit de exacta illa vitæ perfectione, quam Monteiro auctore inſtituerat. Societatem vero, cui ſuam, ut ipſe ajebat, converſionem ſecundum Deum referebat acceptam, quamdiu vixit, amare, ac fovere perrexit. Sed ex Europa in Aſiam tranſmittamus.

102. Epiſcopus Viſenſis ad genus ſanctioris vitæ traducitur.

Goæ

Digitized by Google

Goæ cum ſæva graſſaretur peſtilentia, noſtrorum ingens numerus ægrorum miniſterio ſe devoverunt: quatuor contagione ejuſdem mali conſumpti ſunt. Fuerunt hi Franciſcus de Acunia, Hieronymus Cotta, Ludovicus Remigius, & Emmanuel Paez: Sacerdotes omnes inter paucos eximii, & ipſo mortis genere digni quorum memoriam poſteritas alat, & virtutem ſuſpiciat. Ibidem producendus erat ad ſupplicium Regulus Jafanapatani, qui cum eſſet Luſitanorum in India beneficiarius, bello captus, perfidiæque convictus fuerat: quodque omnes mœrebant vehementer, ruebat miſer in æternum interitum, quippe avitæ ſuperſtitionis tenax. Fruſtra illum multi admonebant, ut eo ſaltem loci reſpiceret ſeſe, & baptiſmum ſuſciperet. Monita æque ac monitores ferociter repellebat. Tamen ingreſſus ad eum unus noſtrorum, monendo hortandoque tantum Deo bene adjuvante valuit, ut ille demum præter omnium ſpem a contumacia diſceſſerit. Chriſti cultum libens amplexus, ſacro ablutus eſt fonte; atque hinc integro baptiſmi candore ad patibulum raptus, ad ſuperos cita morte evolavit. Mercedem eandem effuſo pro Chriſto ſanguine conſecutus creditur in Africa P. Franciſcus Ribera. Illum certe Mahometani necarunt, nec alia quæ afferri poſſit cauſa, quam Chriſtiani nominis odio. Ex collegio Mozambiceno venerat in eam Cafrariæ partem, cui nomen eſt a Fluentis, prope promontorium Bonæ ſpei. Ibi regulum nactus, ut inter barbaros, ſatis humanum, & chriſtianæ religioni non adverſum, poteſtatem amplam docendi palam, promulgandique Evangelii impetraverat. Erectus itaque in ſpem meſſis egregiæ, ſementem impigre faciebat. Cum Maurici negotiatores, quorum eſt ingens in ea terra numerus, ad rem diſturbandam aggrediuntur, tentatiſque fruſtra aliis artibus, ad extremum in caput innocentis conjurant. Captant tempus, quo eum ſacris operari in ſuo tugurio norant: impetum faciunt: Sacerdotem ante ipſam aram lanceis transfigunt. Quo potiſſimum menſe ac die Ribera necatus fuerit, incertum. Præter ejus cædem, nihil magnopere memorandum hoc anno contigit apud Cafros. Nec fere melius geſta res apud Mogoles. Uterque ſane ager, ut laborum & ærumnarum valde fertilis, ita optatæ frugis erat admodum infœcundus; licet non iiſdem de cauſis. Cafris mira ingenii tarditas obſtabat, ne veritatem agnoſcerent. Mogoles contra, ſuarum diſciplinarum fiducia elati, doctrinam fidei ſuperbe faſtidiebant. Utroſque commune malum licentia, & fœditas morum a divinæ legis ſanctitate avertebat. Sæpe deliberaverant Patres de deſerendis tam indomitæ contumaciæ novalibus, collocaturi ſcilicet operam apud alias gentes utilius. Sed obſtitit ſemper Mutius. Quippe Chriſtianos, quantumvis paucos, in illa barbarie commorantes, nefas putabat præſidiis æternæ vitæ deſtituere: nec deſperandum arbitrabatur fructum laboris, ſi laborare pergerent operarii.

103. Res Provinciæ Goanæ. Noſtrorum aliqui in officio charitatis moriuntur Goæ.

104. Converſio cujuſdam ethnici paulo ante ſupplicium.

105. P. Franciſcus Ribera a Mauris interficitur in Cafraria.

106. Labores Sociorum apud Cafros, & Mogoles parum fructuoſi, & quare.

Et vero in regno Mogolico ſpem rerum meliorum oſtendebat nobilis Armenus, Mizre Zulcharnen nomine, profeſſione catholicus. Is a rege in intimum gratiæ locum receptus, ac Sambalenſi provinciæ adminiſtrator impoſitus, opes fere omnes, quas habebat ampliſſimas, ad augendum Dei cultum liberaliter erogabat. Secum duxerat in provinciam, habebatque apud ſe P. Joſephum Caſtrium conſcientiæ arbitrum, ac moderatorem conſiliorum ſuorum. Ejus vero ductu per omnia pietatis officia, per totidem veluti gradus, eo provehebatur virtutis, unde nulla deinde mole ærumnarum dejici potuit. Id maxime patuit anno poſt hunc decimo, cum fortunis omnibus odio chriſtianæ religionis exutus, ex ſummis opibus ad inopiam ultimam deductus eſt. Tantam rerum vicem pertulit, non dicam tranquilla, ſed plane hilari mente, erectaque; gaudens quod talia pro Chriſto pateretur. Hoc interea anno Mizre, deliberatum habens rei ſuæ non parcere, dum Chriſti cultum amplificaret, conſilium iniit fundandi collegium Societatis Agræ in urbe regia magni Mogoris. Res erat propter conditionem regionis admodum ardua: ſed hominem ingentis animi non deterruit. In parandis collegio vectigalibus difficultas præcipua vertebat. Namque ita fert uſus Mogolum, ut exceptis ædificiis, nihil bonorum quæ ſolo

107. Inſignis pietas cujuſdam Armeni in regno Mogolico.

108. Ejus ſumptu fundatur Agræ collegium Societatis.

Digitized by Google

continentur cujuſpiam privati proprium ſit. Quidquid ſinguli poſſident, utendum acceperunt beneficio Principis, ad quem poſtquam obierint redit. Huic incommodo ut occurreret Mizre, Caſtrium miſit cum grandi pecunia Goam, & pro Agrenſis collegii cenſu fundos emere in territorio Luſitanorum juſſit. Quod ſi contingeret aliquando pelli ex imperio Mogolico Societatem, nullaque ſpes eodem amplius revertendi eſſet, tunc Præpoſiti Generalis arbitrio permiſit, ut de iiſdem redditibus ſtatueret uti magis ex Dei obſequio judicaret. Rata hæc habuit Mutii nomine P. Andreas Palmerius viſitator Indiarum; emptiſque duobus in inſula Bandoræ latifundiis, Agræ collegium conſtituit.

109. ACTA IN ÆTHIOPIA. Monachi contra religionem catholicam tumultuantur.

In Æthiopia lætiorem habebat Romana fides ſucceſſum, quam ut taciti ferrent Monachi, quorum ibi factio præpotens, & ſemper adverſa. Videbant majorem in dies fieri circa ſe ſolitudinem: imminui auctoritatem ſuam, perire quæſtum dolebant. His de rebus magis, quam de Dioſcori doctrina ſolliciti, concurrunt turmatim in regia caſtra, quæ ob recentem de Galis victoriam lætitia publica perſtrepebant. Pertentant milites: Imperatorem ſeditioſis vocibus criminantur, quod paternas religiones dilabi ſineret. Ut viſa commoveri multitudo, ipſum adeunt Imperatorem, jubentque verius quam rogant, ne connivere in ſummo reipublicæ malo pergat, ſed externos Sacerdotes errorem diſſeminantes pro poteſtate cohibeat: niſi fecerit, viſuros ſe quid facto opus ſit. Eadem minaciter denuntiabant aliqui procerum, qui monachis ſe adjunxerant; apparebatque omnino parari ab iſtis vim, niſi audirentur. Tamen intrepidus Princeps iniqua petentibus reſiſtebat. Ecce autem, gliſcente ferocia militum, & tumultu, circumſiſtunt illum aulici metu conſternati, & quo res ſint loco docent. Comprimendam ſeditionem inquiunt, ante quam in apertum prorumpat: dandum aliquid inſaniæ multitudinis, ne omnia per vim trahat. Triduum reſtitit Imperator magno ac forti animo. At demum tempori ſerviens, paſſus eſt edici ſuo nomine, ne Patres Societatis in poſterum ſacra popularibus miniſtrarent. Inſtabant ſchiſmatici, ut duo adderet edicto capita: alterum, ne liceret Patribus doctrinam ſuam Æthiopibus tradere: alterum, ut conſtituerentur delecti judices, apud quos cauſam dicerent quicunque hactenus fidem Alexandrinam Romana commutaſſent. Cum non impetrarent, illud ſaltem vociferando flagitabant, ut ſiquidem ipſe miniſterium ſacrorum Patribus abrogaſſet, juberetur Cela-Chriſtus idem edictum proponere in regno Gojamenſi. Tergiverſante ad hæc Principe, & reſponſum ampliante, ecce tibi a Cela-Chriſto tabellarius cum litteris ad Imperatorem. Hunc leniter objurgabat frater, quod in cauſa religionis de firmitate ſua priſtina remiſiſſet: ſe certe nunquam paſſurum denunciari ſuis provincialibus edictum illud impium, & religioni veræ injurioſum: citius ſe, & ſuos ad unum omnes in caſtra venturos, inſtar ovium mactandos. Litteras cum legiſſet Seltanus, ſua manu reſcripſit fratri, mirari ſe vehementer, hominem arcanorum ſuorum omnium conſcium non intelligere, edictum illud non ſuum fuiſſe, ſed temporis. Bono ſit animo, & cum exercitu Gojamenſi quamprimum accedat ad regiam: tollendum eſſe edictum ſimul ac vires conjunxerint. His cognitis rebus, nullam interpoſuit moram Cela-Chriſtus, ne cum ingentibus copiis ad regiam properaret. Ejus porro adventu mirum, ut compreſſa fuerit hæreticorum audacia. Imperator viribus ſimul & animo auctus, continuo Patribus liberam ut ante eſſe facultatem jubet ſacra populo impertiendi. Neque id ſatis. Retinebant Æthiopum plerique ſuperſtitioſum, ac ſæpe antea proſcriptum ſabbati cultum. Ad eum penitus abolendum Imperator grave edictum, fruſtra monachis reclamantibus, tulit: certas mulctas, quibus plectendi eſſent a provinciarum præfectis contumaces, conſtituit. Et ſiquidem norat, jacere leges ubi violentur impune, paulo poſt præfectura privavit ducum ſuorum præſtantiſſimum, propterea quod ejus edicti cuſtos negligentior fuiſſet.

110. Edictum extorquent ab Imperatore contra Patres Societatis.

111. Cela-Chriſtus Imperatorem objurgat.

112. Imperator edictum abrogat, & hæreticorum audaciam reprimit.

113. Prorex Begamedri rebellionem facit.

Edictum de cultu ſabbati occaſionem ſuam putavit Begamedri Prorex Joannellus, vir ille quidem bello egregius, ſed audax æque, & rerum novarum cupidus.

Cum

Cum ergo monachi paſſim accuſarent Imperatorem, quod contra quam eſſet divino jure inſtitutum, ſabbatum violari præciperet, Joannellus fore ſe vindicem avitæ fidei profitetur: nactuſque conſilii ſui ſocios & fautores non paucos, quos pietatis larva deceperat, arma capit, juga montium aditu difficillima occupat, inde Galas finitimos in belli ſocietatem vocat. Erat apud Imperatorem P. Paezius, cum hæc illi nunciata ſunt. Principem ut animaret Sacerdos, meminiſſe jubet, ex quo veræ fidei patrocinium ſuſcepiſſet, nullum extitiſſe hoſtem, quem non feliciter ſuperaſſet. Diſce hinc, ſubjecit, ſuam cauſam tuentibus adeſſe Deum. Nec vero dubites cum Joannello ſigna conferre. Dabit improbus perinde ac cæteri temeritatis pœnas. Facile vinces, quem ſuum urget ſcelus, quem irati ſuperi in interitum pertrahunt. His dictis ſupra modum erectus Imperator, primo inquirendum ſtatuit in aulicos, quorum erat fides ſuſpecta. Cum inveniſſet plurimos Proregi Begamedrenſi clam conſentientes, nocentiores capite multavit. Tum hortatus milites, ut forti alacrique animo ſint, & rem ſtrenue gerant, adverſus Proregem movet exercitum. Vix primos duces, & copiarum partem præmiſerat, cum afferuntur a Prorege litteræ pacem, & deditionem offerentes. At ſuperbus ita profitebatur ſe in poteſtate Principis fore, dummodo ne ſibi adimeretur præfectura Begamedrenſis, & Patres Societatis tota pellerentur Æthiopia. Riſit Princeps vecordiam temeritatemque hominis, ac ne reddito quidem reſponſo, cum omnibus imperii viribus profectus eſt. Ut ventum ad radices montium, quos hoſtis inſederat, nutare perduellium plerique: non ordines, non ducis imperata ſervare. Demum, ſeu deſperatione partium, ſeu inſita genti mobilitate, tranſitionem fecerunt. Joannellus cum paucis ejecit ſeſe in Galarum fines, ubi eodem anno a ſuis comitibus interficitur. Sic auctoris exitio conquievit tumultus, quem religionis obtentu concitaverat cupido regni impotens, & inſana. Res autem catholica multum inde emolumenti cepit. Præterquam quod eo bello plurimum acciſæ fuerunt hoſtium vires, in regnum Begamedri miſſus eſt cum imperio gener Imperatoris Sara-Chriſtus, vir eximie catholicus, & partium catholicarum fautor egregius, qui veritatem in ſua provincia publice tuendam ſuſcepit.

114. Imperator contra proregem movet exercitum.

115. Perduelles illi ſe dedunt, & religio reſpirat.

Prius quam hæc agerentur, apud Agaos hoſtis humani generis creſcentem Chriſti gregem opprimere conatus erat, ſed exitu parum proſpero. Strenue agebat inter Agaos P. Franciſcus Antonius de Angelis: cumque ſocium laboris haberet P. Ludovicum Azevedum, plura jam hominum millia per baptiſmum regeneraverat. Ecce autem gens accola Galæ, ingenti agmine comparato, irrumpunt Agaorum fines, armati diſcurrunt, omnia cædibus ac rapinis vaſtant. His rebus cognitis, accurrit ſine mora Cela-Chriſtus cum paucis, quas ad manus habebat, cohortibus, & ad Ancaxam oppidum caſtra ponit. Prius vero quam quidquam aggrederetur, arceſſito Patre de Angelis, edicit militibus, ut ejus miniſterio conſcientiæ maculas expient. Prior ipſe exemplum præbet. Hinc ſuos in prælium educit. Degebant in hoſtico Galæ ſecuritate tanta, ut majore non poſſent in ſuo. Eos itaque Cela-Chriſtus inermes & imparatos repente invadens, omnes in fugam agit, ſuorum nemine deſiderato, præter gregarios milites duos. Poſtridie Galæ, totis collectis viribus, in aciem procurrunt denuo, & prælium Cela-Chriſto denunciant. Veniebant quadrato agmine contra regios numero longe impares. Cela-Chriſtus conſilio uſus continuit ſuos, quoad hoſtes ex editiore loco in ſubjectam planitiem deſcendiſſent, atque interim multa prece ſe muniit. Tum vero atrox conſeritur pugna. Galæ cum diu ſuſtinuiſſent veterani militis impetum, ad extremum turbatis ordinibus fugæ ſe mandant. Inſequitur Cela-Chriſtus cum victricibus copiis, urget a tergo fugientes, magnam occidionem facit. Ita demum Galæ, cæſis pluribus, pluribus captis, omnes cum inſigni clade profligati fuerunt. Succeſſu tam proſpero dici vix poteſt, quanto Agai ſtudio chriſtianæ religionis exarſerint. Nullus exinde inter eos fuit populus, qui non unum aliquem noſtrorum expoſceret. Angebatur proinde Pater de Angelis, ut ipſe ad amicum ſcripſit, duos tantummodo

116. Galæ Agais infeſti impetuntur a Cela-Chriſto.

117. Mox cum inſigni clade profligantur.

Digitized by Google

esse operarios, ubi vix quinquaginta fuissent rerum gerendarum magnitudini pares.

118. Adventus Patrum Didaci de Mattos, & Antonii Bruni.

Quo lætior per hos dies accidit adventus Patrum Didaci de Mattos, & Antonii Bruni, qui desudantibus in Æthiopica vinea sociis auxilio veniebant. Auxit lætitiam, quod profecti Goa transierant per Turcarum terras commodissimo itinere, primique aperuerant hominibus Societatis viam venientibus ab India expeditissimam, cujus antea omnes aditus Turcæ tenebant obstructos. Debuerunt hoc quoque beneficium Patres Imperatori Æthiopiæ. Nam cum ante biennium legationem accepisset a prætore Suaqueni (insula hæc est Erytræi maris præfecto Turcico parens), post habitum ad plures menses legatum quam potuit splendide ac liberaliter, dederat ad prætorem eundem litteras officii plenas, unam duntaxat rem pro amicitia rogans, ut si qui venirent ex India Patres Societatis, eos in Æthiopiam tuto deducendos curaret. Quod Æthiopis officium barbarus tanti fecerat, ut mitteret continuo Dium (urbem maritimam Lusitanorum in sinu Cambajæ) famulos, cum diplomate liberi commeatus pro Patribus Societatis, qui migrare in Æthiopiam vellent. De hoc ergo diplomate cum audissent Goæ duo quos dixi Patres, Mattos, & Brunus, Dium læti petierunt, nactique in Diensi portu navim in anchoris stantem, & propediem vela facturam, ea conscensa Suaquenum appulerunt. Hic vero videre licuit, quam sancta etiam apud barbaros publica fides sit. Sacerdotes Societatis a prætore Turcico ita fuerunt susceptí cultique, ut neque benignius, neque liberalius possent a magistratu Christiano. Transmissuri Mazuam, insulam Abissino littori ferme junctam, litteras ab eodem acceperunt commendatitias ad præfectum insulæ cum mandatis, ut hospites cum honore exciperet, ut eos in continentem tuto trajiceret, ut usque ad fines Æthiopicæ ditionis militari custodia, & copia jumentorum instrueret. Quo imperata faciente, Mazua discesserunt navigio Patres, expositique in proximum littus, iter tutum, ultro deducentibus Turcis, peregerunt, donec Æthiopiæ saltus ingressi sunt. Quod vero reliquum viæ fuit usque Fremonam, jumentis ab aula missis confecerunt.

119. Ut adjuti fuerint in itinere a Turcis.

120. Res Malabaricæ. Restituuntur collegio Columbensi sua bona.

Res interim provinciæ Malabaricæ, pro locorum varietate, alios atque alios prospectus habebant. In Ceylano haud ita pridem Prorex Indiarum Franciscus Cotinius Rodondi Comes, causatus regium nescio quod decretum, quo religiosi possidere prædia vetabantur, negotium dederat Episcopo Coccinensi ut collegium Columbense spoliaret bonis, quæ beneficio prætoris Hieronymi de Azevedo a longo tempore possidebat. Fecerat autem Episcopus adeo inclementer, ut Patribus ex re satis commoda ad extremum inopiæ deductis necessario cedendum esset insula, nisi colonorum benignitas subvenisset. At non perpetuum, neque diuturnum fuit incommodum. Rodondo e vivis sublato suffectus est Ferdinandus Albuquercus. Is vero sui decessoris decretum abrogans, Columbense collegium in possessionem omnium, quæ ante habuerat, hoc anno restituit. Dempto in hunc modum inopiæ incommodo, aliud restabat fortasse gravius a voluntate Antistitis Coccinensis, qui opera Societatis negabat utendum esse in Ceylano, nostrisque hominibus se minus æquum præbebat. Alibi narratum a nobis est, in divisione insulæ olim inter nos, & Patres Franciscanos facta, obtigisse nobis partem septentrioni obversam. Ille divisionem a decessore suo factam, ac longo usu firmatam, ratam non habebat. Itaque cum regnum Jafanapatani nuper ditioni Lusitanorum fuisset adjectum, regionem istam Episcopus, licet haud dubie sitam in parte insulæ boreali, repulsis per injuriam nostris, aliorum ordinum religiosis excolendam tradiderat. Duas præterea Cingalarum ecclesias, quas Patres intra descriptos sibi fines extruxerant, ad alios transtulerat. Nihil intentatum relinquebat P. Antonius Rubinus Columbensis collegii rector, ut Præsulem palam aversum deliniret. Absentis nomen ipsum venerari solitus, nunc præsentem cum videret in Ceylano, quo ad lustrandam diœcesim venerat, tot illum colere officiis studebat, ut neque pluribus, neque verioribus posset, si ab eo beneficia plurima & ampliſſima accepisset. Nec vero re-

121. Episcopus Coccinensis minus æquum Societati se præbet in Ceylano.

122. Eum P. Rubinus demereri studet, nec frustra.

Digitized by Google

religioſum conſilium ſucceſſu caruit. Captus obſequio Præſul, & noſtrorum neophytorum egregia inſtitutione delectatus, vel mutavit mentem, vel mutare certe viſus. Quod ad rem attinet, pro regno Jafanapatani operarios popoſcit a Societate, acceptoſque miſit cum ampla utriuſque fori poteſtate in eam terram, ubi nec tantam in erudiendis incolis aſſiduitatem, nec tantum in rebus agendis ordinem deprehenderat. Ut materiam operis, ita ſtimulos ad agendum addidit Patribus Epiſcopi novus favor. Aggreſſi ſtatim traditum ſibi agrum excolere, perfecere labore & induſtria, ne fruſtra ad tale opus adhibiti viderentur. Anno uno adultorum bis centum fere & quinquaginta capita baptiſmo initiaverunt. Multo plures in album catechumenorum, proxime initiandos tranſtulerunt. Arx erat millia paſſuum circiter triginta ſex a Columbo, ad coercendas barbarorum irruptiones a Luſitanis extructa. Huc cum veniſſet P. Petrus Mexia, fidem pene ſuperat quæ ejus concionibus morum commutatio fuerit facta. Profitebantur palam præſidiarii, & circumpoſiti incolæ, nunc demum ſe eſſe Chriſtianos, antea nudum nomen Chriſtianorum habuiſſe. Agebant proinde cum Epiſcopo, & Patre Rubino, ut poneretur ibi ſtabile Societatis domicilium: id quod ſuo tempore perfectum eſt. Hæc in Ceylano.

123. Sociorum labores, & res geſtæ in Ceylano.

At in ora Piſcariæ, & in regno Travancoris multo graviora contigerunt. Epiſcopus Coccinenſis, quocunque demum eſſet animo, reſtituere cogitur Societatem in poſſeſſionem curiarum, quibus ante annos undecim fuerat per vim ſpoliata. Negotium momenti gravioris, nec niſi poſt longas diſceptationes confectum, nos ab origine exequemur. Magnæ illius peninſulæ, quæ intra Indum & Gangem hæret continenti, & in oceanum nongenta fere millia paſſuum excurrit, extrema pars eſt promontorium Comorini. Adjacent huic ab occidente regnum Travancoris, ab oriente ora Piſcariæ, & parva Manaris inſula, anguſto freto divulſa. Primam Evangelii lucem intulerat his regionibus magnus Xaverius: cujus deinde cœpta feliciter proſecuti Patres Societatis, gregem neophytorum ad plura centena millia perduxerant. Hinc Reges Luſitaniæ Joannes III., & Sebaſtianus, jure regii ut dicitur patronatus, parœcias omnes earum gentium adminiſtrandas tradiderant Societati; & quidem ſic, ut eſſet penes Parochos, præter curiale jus, illa quoque pars forenſis juriſdictionis, quam ſolent Epiſcopi vicariis, quos Foraneos vocant, impertiri. Nunquam porro per annos ferme ſexaginta quæſitum fuerat, cujus primum auctoritate facta fuiſſet utriuſque juriſdictionis conjunctio, nec dubitaverat quiſquam, quin facta per legitimam auctoritatem fuiſſet. Noſtri vero toto hoc tempore parœcias ita adminiſtraverant, ut eorum ſedulitatem, laborem, ac diligentiam ſumme laudarent Epiſcopi Coccinenſes, quorum ad diœceſim totus ille tractus regionis pertinet. Eadem animi inductione fuerat aliquandiu erga noſtros Antiſtes ultimus. At repente, neſcio qua cauſa, ex amico in adverſarium mutatus, ad exturbandos inde Patres aggreſſus eſt. Hæc autem rimanti ſe dedit occaſio. Paravæ (ita Piſcarienſes nominantur), excepto quod finitimo Regulo annuum vectigal penderent, liberi, ſuiſque viventes legibus, habebant in oppido Tutucurino quaſi caput rerum, & chriſtianæ religionis munitiſſimam arcem, collegium Societatis, ex quo pendebant Parochi per totam Piſcariæ oram late diſperſi. Accidit ut Tutucurinum ingrederetur cum infeſto milite Regulus, oppidanos crudeliter diſpoliaret, multas genti miſeræ inferret injurias, plures gravioreſque in poſterum minaretur. Tutucurinenſes, ut ſe deinceps ab hujuſmodi direptionibus defenderent coacti ſolum vertere, facile impetraverunt ab Indiarum Prorege Ayre de Suldania anguſti ambitus inſulam e regione Tutucurini, quæ antea vix nota, deinde Regum inſula dici cœpit. Hue pars oppidanorum multo maxima, hominum fere decem millia, demigraverunt: novum oppidum condiderunt: mœnibus, propugnaculis, muralibus tormentis contra terreſtres æque, ac maritimos hoſtium incurſus ſe munierunt. Fuere nihilominus pauci, capita haud amplius centum, qui relinquere antiquas ſedes noluerunt. His proprium dare Sacerdotem viſum non eſt. Ut breviſſimus erat ex inſula Regum trajectus Tutucu-

124. De parœciis olim Societati attributis in ora Piſcariæ, & regno Travancoris.

125. Tutucurinenſes in inſulam regum una cum noſtris demigrant.

Digitized by Google

curinum, excurrebant ad eos identidem noſtri, qui pariter collegium tranſtulerant, curabantque ut nulla re ad ſalutem neceſſaria indigerent.

126. Occaſionem inde ſumit Epiſcopus exturbandi e paroeciis Societatem.

Hæc ab annis jam fere quatuor ita ſe habebant. Cum ecce tibi ex improviſo Patribus denunciat Epiſcopus, religioni ſibi eſſe, Tutucurinenſes carere tamdiu proprio paſtore. Id ſe diutius ferre nec poſſe, nec velle. Curarent proinde ipſi ut Paravæ, relicta regum inſula, in antiquam ſedem remigrarent, aut certe ſe curaturum. Hoc atrocis inſectationis initium, & prima quaſi denunciatio belli fuit. Nam cum minime adduci poſſent Paravæ, ut denuo Tutucurinum domicilia transferrent, miſit primo Epiſcopus virum ordine religioſum cum nomine & poteſtate vicarii, qui populo jus diceret in inſula regum. Tum cauſatus, vicarium ſuum non ut par fuerat acceptum ab oppidanis fuiſſe, edictum promulgavit, quo vetabat ſub pœna anathematis, ne quis quidpiam utilium in inſulam regum importaret; ſi quæ vero inde naves ad oram Piſcariæ appuliſent, eas cum ſuis oneribus capi, & publicari jubebat: quæ res per aliquot menſes, ut in civili bello, multis utrinque latrociniis, & cædibus anſam præbuit. Poſtremo litem intentavit Patribus de forenſi juriſdictione, petiitque a Goano Archiepiſcopo tunc proregis vices gerente, ſibi ut liceret eam quibus viſum eſset committere. Reſcripſerat ex ejus voto Archiepiſcopus. Sed reſcripto intercedens Præpoſitus provinciæ Malabaricæ P. Albertus Laertius, & regiorum Goæ judicum fidem implorans, decretum impetravit ex formula *uti poſſidetis*. Eo decreto ſatis conſultum videbatur, ne quis novi quidquam inciperet injuſsu Regis. Verumtamen Epiſcopus, ſeu non ferens judiciorum moras, ſeu ratus per ejuſmodi ambages ſibi jura epiſcopatus imminui, aliam, & ſane breviorem inire viam ſtatuit: quodque nemini de Epiſcopo, & quidem antea religioſo veniſset in mentem opinari, jus ſuum, non exequi legibus, ſed armis vindicare decrevit. Simulato igitur diœceſeos luſtrandæ conſilio, rumorem ſpargit, ſe brevi ad oram Piſcariæ profecturum. Interim naves & arma parat, conducit milites, undique peritos belli duces arceſſit. Hæc cum palam fierent, haud temere metuebant Patres, quo demum evaderet apparatus itineris minime ſacerdotalis. Prudenter exiſtimantes, honeſtius ſibi fore curias ultro deponere, quam ſua cauſa bellum a Paravis cum Epiſcopo geri, etſi nullum hac ſuper re mandatum habuiſsent a Provinciali, Proregi Archiepiſcopo offerri libellum curaverunt, quo eccleſiarum curam, ſiquidem regiminis formam Epiſcopus immutare vellet, ſponte abdicabant. Abdicationem Archiepiſcopus non admiſit. Scire ſe, dixit, quanti intereſſet, cum ad Dei cultum augendum, tum etiam ad populos in regis fide continendos, curiarum adminiſtrationem penes Societatem manere. Pergerent proinde Patres acceptam a rege procurationem, uti fecerant hactenus, ſuſtinere diligenter. Curæ ſibi fore ut quamprimum Rex ſuper forenſi juriſdictione, quod erat controverſiæ caput unicum, ſententiam diceret. Hoc accepto reſponſo ſocii quieverunt. At Provincialis Laertius, auditis quæ de apparatu bellico nunciabantur, litteras ad rectorem Piſcarienſem dedit hujus ſententiæ. Rumorem increbuiſſe, paratam eſſe ab Epiſcopo Coccinenſi claſſem: eundem militari copia ſuccinctum adventurum quammox in oram Piſcariæ, ut Societatem ejiciat curiis, cogatque Paravas, deſerta regum inſula, remigrare Tutucurinum. Rem enimvero videri incredibilem. Utcunque tamen ſit, noſtri nullo modo vim vi repellant. Paravis ſe nihil præſcribere. Viderint ipſi quid ſua interſit. At ſi illi arma ceperint, caveant ſocii etiam atque etiam, ne quam hujus conſilii partem attingant.

127. Jus expertus fruſtra, ad arma ſe convertit.

128. Noſtrorum conſilia ad vim arcendam irrita.

129. Epiſcopus armata manu noſtros pellit ex tota ora Piſcariæ.

Cum eſſent in hoc ſtatu res, Coccino ſolvit Epiſcopus cum tribus navibus milite, & omni bellico inſtrumento inſtructis. Utque inſigni aliquo facinore expeditionis initia illuſtraret, primo ad regum inſulam vela fecit, ab ejus arcis expugnatione bellum inchoaturus. Et jam, adjunctis ſibi aliis minoris alvei navigiis ſeptem, inſulam obſidere cœperat. Verum ut ſenſit infringi ſolido dentes: Paravas nempe ad ſe tuendos accurrere, obvertere arma, rem magno animo gerere, nec facile ad deditionem cogi poſſe; poſt mutuas hinc inde cædes, ob-

Digitized by Google

obſidionem ſolvit re infecta, ſeque cum tota claſſe convertit ad immunitos oræ pagos, ubi Patres Societatis opprimeret reſiſtente nemine. Quæ ibi patraverit, quam immania, quam non ſolum dictu, verum etiam auditu indigna, nec paucis exequi poſſim, nec multis ob rerum atrocitatem velim. Ut odioſiſſimam narrationem quam breviſſime peragam, quocunque ille venit, noſtris convaſandum fuit. Utque nullus erat locus, quo non venturus eodem animo putaretur, Patres, ut in re penitus deſperata, cedendum tempori exiſtimantes, reliquas quas adhuc retinebant curias, tum in ora Piſcariæ, tum in regno Travancoris, ultro dimiſerunt. Ita demum eccleſias amplius octoginta, cum tot neophytorum lætiſſima ſobole, quorum ne unus quidem erat, qui non fidei inſtitutionem a noſtris & baptiſmum habuiſſet, uno tempore, unus belli turbo ademit Societati: magno quidem dolore noſtrorum, ſed pari neophytorum luctu, qui Patribus abeuntibus, tanquam ſi divellerentur a complexu parentum optimorum, orbitatem ſuam non minus multis quam veris lacrymis deplorabant. Scio non defuturos, quibus mirum, & vix credibile videatur, potuiſſe hæc palam ac libere ab Epiſcopo peragi: quaſi nulli eſſent in India regii magiſtratus, quorum auctoritate reprimi ejus conata, ac cohiberi poſſent. Sed qui longius aberant Goæ, etſi in tempore moniti, non ante crediderunt talia poſſe fieri, quam nunciatum eſt eſſe facta. Qui vero propius rempublicam adminiſtrabant Coccini, aut in inſula Manarenſi, eos Epiſcopus ita ſibi conciliaverat, ut tametſi aperte non probarent ejus incepta, re tamen ipſa non cohiberent, quin ſecundarent potius, & clam promoverent. Certe inſulam regum, quam poſtremo loco Epiſcopus totis collectis viribus invaſit, nunquam ſubacturus putabatur, niſi cum eo præfectus Manarenſis naves & arma conjunxiſſet, dediſſetque oppidanis fidem, recipiendam eorum deditionem, non Epiſcopi, ſed Regis nomine. Qua fraude decepti incolæ cum poſuiſſent arma, Tutucurinum remigrare coacti ſunt: collegium autem cum cæteris ædificiis a victore dirutum, & incendio conſumptum eſt.

130. Patres ex regno Travancoris ſponte abſcedunt.

131. Qua fiducia Epiſcopus talia auſus fuerit.

132. Occupat regum inſulam, & collegium Societatis incendit.

Parum tamen erat Antiſtiti diripuiſſe armis qualeſcunque noſtrorum res, niſi graviore belli genere in eorum quoque famam litteris graſſaretur. Humanæ ſuperbiæ vitium id eſt, perſequi ſemel læſum, & injuriam augere ne injuſte feceris. Sane Præſul, ut parum honeſte factis ſpeciem aliquam juris imponeret, qua apud Regem Hiſpaniarum purgaret ſeſe, & ora obloquentium obſtrueret, ſparſit tota India, & in Europam uſque tranſmiſit libellum Societati maxime contumelioſum, in quo ſexcenta, & atrociſſima congeſta erant crimina contra Patres parœciis adminiſtrandis adhibitos: ſic ut ſuo merito pulſi viderentur. Verum qui armis, ut par fuit, modeſte ceſſerant Patres, calumnias intrepide repulerunt: ſuæ vero innocentiæ teſtes, tum ex Luſitanis, tum ex indigenis optimos quoſque, & ſpectatiſſimos viros habuerunt. Præter alios, Epiſcopus urbis S. Thomæ ex familia S. Auguſtini hæc ad Hierarcham Goanum ſcribebat. Vidiſſe ſe loca omnia in quibus fuiſſent Patres Societatis, & miratum eſſe vehementer, cum optimam neophytorum inſtitutionem, tum victus aſperitatem, qua Patres ubique uterentur. Degentes in ora Piſcariæ perquam acerba inſectatione fuiſſe exercitos ab Epiſcopo Coccinenſi, qui adjunctis ſibi hominibus facinoroſis, inſulam regum obſidione cinxiſſet, multarumque indignitatum & cædium auctor fuiſſet. Niſi Patres Societatis ſua ſponte ceſſiſſent, graviſſimas calamitates fuiſſe ſecuturas. Eos vero, quantumvis obſeſſos vexatoſque, nunquam permiſiſſe Chriſtianis, ut adverſus Epiſcopum arma ſumerent: qui ſi pugnaſſent, forte nec Epiſcopum, nec ex tota ejus claſſe quemquam fuiſſe ſuperfuturum. Hæc ille. Ubi quod negat Paravis fuiſſe permiſſum a Patribus, ut contra Epiſcopum arma ſumerent, eo utique ſpectat, quod repreſſi ſunt, ne ad aggrediendam ejus claſſem exirent. Nam ne ſuas tuerentur armata manu fortunas, nec prohiberi poterant, nec vero a Patribus fuerunt prohibiti. Præter illum, inventi Luſitani genere, fama, & rerum peritia clariſſimi, qui litteris ultro miſſis ad Regem diſerte affirmabant, niſi eccleſiarum adminiſtratio redde-

133. Calumnias ſpargit contra Societatem.

134. Multi teſtimonium innocentiæ præbent Patribus.

Digitized by Google

deretur Societati, religionem in tota illa plaga funditus interituram: periculum etiam eſse, ne gentes ingenio inſtabiles, & ſæpe a Batavis, ſæpe a finitimis regulis ad rebellandum ſollicitatæ, diſcederent ab obſequio regis.

135. Regis decretum de reſtituendis Societati parœciis.

Curaverant interea noſtri, de rebus in ora Piſcariæ geſtis per legitimos magiſtratus acta confici, & ad Regem mitti. Ea cum fuiſsent in Matritenſi curia diligenter expenſa, decretum eſt, religioſos Societatis in eccleſiarum poſſeſſionem eſse reſtituendos. Id ipſe Rex Ruizio Laurentio de Tavora Indiarum tunc Proregi perficiendum committebat. Tamen perfectum non eſt, niſi poſt annos plures. Ne ſtatim regia promerentur juſsa, in cauſa fuit religioſa moderatio P. Nicolai Pimentæ provinciæ Malabaricæ viſitatoris: qui per illud tempus Goæ cum eſset, ſollicitus, non tam de amiſſis recuperandis, quam ut id cum bona Epiſcopi Coccinenſis gratia fieret, impetravit a Prorege, ut ſuppreſſis tantiſper Regis litteris, negotium ſibi ex æquo & bono tranſigendum permitteret. Fuerat olim Pimenta Epiſcopo Coccinenſi ſumma familiaritate conjunctus. Rem juſtiſſimam, & Regis auctoritate ſancitam non putabat ſibi a veteri amico denegandam. Jam quibus eum & litteris & officiis placare ſtuduerit, longum eſset explicare. Nihil amplius conſequi potuit, quam ut obſequiis bona duntaxat verba rependeret; in repellenda autem ab eccleſiis Societate pertinacius obfirmaret. Ubi ergo cætera nihil proficiebant, mandata Regis Epiſcopo denunciantur. Sed neque his valde profectum. Excepit contra Præſul, poſſideri ab aliis Sacerdotibus eccleſias: eos vero a poſſeſſione legitima non poſse dejici, niſi cognita cauſa condemnarentur. Exceptione iſta nihil excogitari poterat ad rem diſturbandam opportunius. Nam quis Sacerdotes illos in judicium vocaret? Noſtri, quorum unice fuiſset actio, ſatis ſe facere officio arbitrabantur, quod parati erant curias obedienter recipere, ſi redderentur. Ut autem judicio contenderent, alios qualeſcunque ab iis poſſeſſores detrudi, id a ſuis moribus inſtitutiſque alienum putabant. Suberat præterea illa ratio ne appetentiores eccleſiarum videri vellent, quod falſa quædam opinio percrebuerat, multorumque inſederat animis, homines Societatis in ora Piſcariæ partem de regiis vectigalibus ad privatum quæſtum derivare ſolitos, divitias maximas comparaſse: quæ opinio quamquam evanuiſset ſimul ac pulſa fuit Societas (tunc enim liquido compertum eſt, præter penſiones publica auctoritate impoſitas, nihil unquam noſtros a Paravis in ſuum commodum exegiſse); tamen verebantur, ne ſi ſe provinciæ recuperandæ cupidiores oſtenderent, calumnia jam prorſus extincta reviviſceret. Ita quieſcentibus noſtris, regias quas dixi litteras Epiſcopus ſex continenter annos eluſit exceptione poſſeſſionis. At demum ſentiens, rem ulterius extrahi haudquaquam poſse, conſilium cepit deſerendi prius omnia, quam quidquam mutandi, ſeque Epiſcopatu abdicavit.

136. P. Pimenta conatur negotium amice componere, ſed fruſtra.

137. Epiſcopus per ſex annos decretum regis eludit.

138. Demum Eccleſiam ſuam dimittit.

Succeſſit in ejus locum Epiſcopus S. Thomæ, idem ille, a quo datum Patribus innocentiæ teſtimonium ſupra videbamus. Pro ea quam præ ſe tulerat in noſtrum ordinem voluntate, haud temere putabatur novus Epiſcopus in ipſo aditu epiſcopatus Regis imperata facturus. At ſecus accidit. Vir vel ſuapte natura mobilis, vel aliorum conſiliis immutatus, principio moras alias ex aliis nectere, noſtris verba dare: donec ipſe etiam decreto Regis oppoſuit exceptionis libellum, quo admiſso, res iterum differebatur quoad judicium fieret de jure, quo eccleſias Societati ablatas alii poſſidebant. Interea chriſtiana res, cum in ora Piſcariæ, tum in regno Travancoris, quotidie in deterius labi. Sacrarum ædium quædam erant a longo tempore occluſæ, aliæ ruinoſæ: plures omnino corruerant. Chriſtiani, maxime Travancorienſes, pleriſque inter ethnicos diſſipatis, ad miram paucitatem redacti: rudes iidem, ſummeque imperiti, quippe elementa religionis aut obliti, aut nunquam edocti: iis autem moribus, ut bene multi, præter qualemcunque externi cultus formam, vix haberent quo Chriſtiani viderentur. Cognita hac rerum inclinatione, remedium ultra non diſtulit Philippus Rex. Monuit graviſſimis verbis Epiſcopum Coccinenſem, ne vana excipiendo regii decreti executionem morari pergeret: ſimulque Comiti

139. Novus Coccinenſis Epiſcopus cunctatur regis juſſa facere.

140. Chriſtianæ rei detrimentum in illis terris.

141. Decretoriæ regis litteræ de rebus in priſtinum revocandis.

de

Digitized by Google

de Rodondo Proregi Indiarum mandavit, ut quæ dudum imperaverat de reducendis Patribus Societatis in poſſeſſionem eccleſiarum, perficeret nulla mora, nullaque habita ratione cujuslibet exceptionis. Sibi, ajebat, ut Magiſtro ſummo ac rectori ordinis militaris, quem a Chriſto nominant, jus datum eſſe ab Apoſtolica ſede conſtituendi in India legitimos neophytorum Parochos. A ſe conſtitutos dejici ab Epiſcopo non potuiſſe. Fruſtra vero implorare præſidium legum immiſſos per vim in poſſeſſionem rei alienæ; cum nemini licere debeat obtinere per fas, quod per nefas acceperit. Qualecunque igitur jus poſſeſſionis obtendant intruſi ab Epiſcopo Parochi, niſi ſponte ceſſerint, eos protinus dejiciat vi, & Patres Societatis in antiquas ſedes quamprimum reducat. De forenſi juriſdictione, rem totam permittat Epiſcopo. Eum tamen moneat, ne plures in utraque ora vicarios conſtituat quam duos: taleſque deligat viros, de quorum voluntate erga Patres Societatis nulla ſuſpicio ſit. Regis hæ litteræ Goam pervenere hoc ipſo anno labente. Et commodum, mortuo nuper Rodondo, ex regiis codicillis, quos vocant ſucceſſionis, Indias regendas ſuſceperat Ferdinandus Albuquercus, vir in noſtrum ordinem egregie animatus. Is ergo Laurentio de Mello in Coccinenſi foro cauſarum cognitori ſupremo negotium dat regia juſſa exequendi: quo celeriter faciente, ad ſuas noſtri eccleſias eodem anno redierunt. Jam quibus lætitiæ ſignificationibus excepti fuerint a neophytis Patres, otioſum eſſet exponere. Tutucurini, quo poſt everſam regum inſulam gentis capita remigraverant, adventante cum Patribus claſſe, tota ſe civitas in littus effudit. Magna pars conſcenſis naviculis, quas ad hunc uſum ornaverant, obviam illis progreſſi quam longiſſime ſunt, tripudiis interim, cantu, manualium tormentorum exploſionibus, commune omnium gaudium de reditu ſuorum Patrum teſtantes. Qui vero in littore conſtiterant, ut propius acceſſerunt naves, ingreſſi mare pedibus quantum aquarum altitudo patiebatur, certabant, ut exſcenſuros in terram ſuppoſitis humeris veherent. Ita expoſitos, exceptoſque frequentiſſima multitudo, quæ ex proximis undique locis confluxerat, in ſacram ædem ad ſolemnem Deo gratiarum actionem perſolvendam deduxit. Inter eundum, alii periſtromata, alii propria corporis indumenta eorum pedibus ſubſternebant. Quacunque incedendum fuit, viarum latera ramalibus arborum intexerant. Aderat cum hæc agebantur Malabaricæ provinciæ Præpoſitus P. Gaſpar Fernandez, eodemque die novum collegio Tutucurinenſi rectorem impoſuit, & ſingulis oræ pagis e numero ſociorum, quos habebat circa ſe, paſtorem tradidit. Inde tranſmiſſum eſt in regnum Travancoris, ubi ob paucitatem inopiamque neophytorum, minori quidem pompa, ſed non minori aſſenſu, ac gratulatione Patres in antiquas ſedes reſtituti fuerunt. Atque hunc, Deo protegente, habuit exitum graviſſima perturbatio provinciæ Malabaricæ.

142. Redduntur noſtris Eccleſiæ. Qua lætitia Patres excepti ſint a neophytis.

Quo tamen tempore tempeſtas illa conquievit, in altera ejuſdem provinciæ parte diœceſim Cranganorenſem fœde turbabat unius viri vetus & inſanabilis morbus, ambitio. Offenderat Archidiaconum, projectæ audaciæ hominem, ac ſuperbiſſimum, quod Archiepiſcopus Franciſcus Rozus, profecturus ob negotia Madurenſia Goam, non ipſum, ſed collegii noſtri rectorem rerum arbitrum, & ſuum in provincia vicarium reliquiſſet, abſente ſe. Delatum alteri honorem ſuam contumeliam ratus, eo prorupit amentiæ, ut palam defecerit ab Archiepiſcopo, ejuſdem poteſtatem ſibi arrogaverit, & Thomæorum magnam partem ad defectionem traxerit. Toto fere quadriennio, quandiu Rozus ſuperſtes fuit, furere perrexit improbus, omnia quæ Antiſtitis ſunt ſibi vindicans, nullam concordiæ conditionem audiens. Erant ex noſtris qui Rozo ſuadebant, ut furentem demereri blanditiis ſtuderet, cenſebantque, partem aliquam publicæ adminiſtrationis illi permittendam. Tantam rerum perturbationem intuentibus tolerabilior videbatur unius viri arrogantia, quam poſtremum malorum diſcordia, qua divulſus a ſuo paſtore grex ad interitum rapiebatur. At prudens, & ingentis animi Præſul nullis adduci ſuaſionibus potuit, ut quidquam de ſummo jure remitteret. Qua enim erat rerum experientia, ſibi perſuadebat, nec ante

143. In diœceſi Cranganorenſi turbas excitat Archidiaconus.

144. Conſtantia Archiepiſcopi contra illum.

Digitized by Google

bona fide illum ad catholicas partes accessisse, nec accessurum aliquando; sed Nestoriano penitus imbutum veneno id unum egisse semper, ac porro acturum, ut res Thomæorum iterum ad Babylonios traheret. Hinc sive concordiam simularet, sive dissidium præ se ferret, nullam habebat homini fraudulento fidem, & minus timendum putabat apertum hostem, quam insidiatorem occultum. Et vero ea contigerunt postea, ex quibus æstimare licuit, plus in hac re Archiepiscopum vidisse, quam cæteros. Interea allatæ sunt Roma litteræ, quibus Rozo adjutor dum viveret, post ejus vero obitum successor designabatur P. Stephanus de Britto. Hunc sibi quasi collegam dari poposcerat ipse Rozus, tum ob senium ingravescens, tum præsertim quia verebatur, ne si mortuo se vacua inveniretur sedes Archiepiscopalis, ad eam occupandam arcesseretur Babylone successor. Nihilominus, quæ est hominum etiam optimorum infirmitas, designationem auctore se factam ægrius accepit. Nam quia Brittus cum Archidiacono mitius agendum existimabat, suspicabatur senex, ne deinde perfugium illi daret, omnemque perverteret ordinem consiliorum suorum. Auxit suspicionem lætitia insolens, qua efferri visus Archidiaconus, ut de Britti designatione nunciatum est. Quare Brittus, cui cognita Antistitis ægritudo, dolens angi sua causa optimum, & sibi carissimum senem, ad deliniendum ejus animum statuit, quamdiu ille viveret, non solum abstinere insulis, verum etiam a diœcesi longius abesse. Sed jam de provincia Malabarica satis multa.

145. Ejusdem mœror ob datum sibi successorem.

146. Res Japoniæ; Nangasachii refodiuntur Christianorum mortuorum cadavera.

Progredimur in Japonicam, & ab urbe Nangasachio rerum dicendarum initium sumimus. Novo ibi genere crudelitatis, & ad odii significationem insigni sævitum hoc anno est. Prætor urbis Conrocuus, ut christiani cultus monumenta omnia funditus tolleret, e quatuor publicis Christianorum sepulchris erui ossa defunctorum, & extra urbem deportari jussit: qua inhumanitate vix mente concipi possit, quantum horrorem urbe tota sparserit, quantum lacrymarum exciverit. Vix erat in frequentissima civitate familia, quæ non aliquem suorum censeret inter illos mortuos, quorum cadavera refodiebantur. Itaque ad omnes pertinuit dolor insanæ crudelitatis æque acerbus, ac justus. Diceres in unum diem fuisse congesta multorum annorum funera. Certe uno die multorum funerum luctus renovatus est. Areas cœmeteriorum Conrocuus donavit bonziis, ut illic profana templa, & cœnobia sua ponerent. Neque id satis. Erant partim intra mœnia, partim in suburbiis publica domicilia septem, alia ægrotorum, alia pauperum curæ destinata. Omnia barbarus eadem die solo æquavit, ejectis in publicum pauperibus ægrotisque amplius quadringentis; haud dubie perituris, nisi eos Christianorum misericordia tuendos suscepisset. Hinc ad perquirendos Dei ministros, quorum plures sciebat intra urbem delitescere, curas omnes convertit: optassetque carnifex, ut una quædam esset Christianorum omnium cervix, quam uno ictu posset demetere. Odium illi præcipuum in P. Matthæum de Couros, qui munia Episcopi, ut alibi dictum est, tunc obibat, & Japonicæ Societatis provinciæ præerat. Hunc pridem mortuum crediderat: at nunc & vivum esse, & Nangasachii præsentem audiens, unum ut comprehenderet, omnes urbis latebras excutiebat. Edixerat, ut post occasum solis omnia viarum capita clausris occluderentur. Excubitores constituerat, qui ex insidiis explorarent, si quando ex unis ædibus transgrederetur in alias. Omnia demum conabatur, ut illum haberet in potestate. Sed vafri nebulonis artes omnes fefellit divini numinis providentia, cui se Matthæus totum crediderat. Sane quod ne sic quidem fuerit captus, visum omnibus miraculi simile. Abierat enim Nangasachio, atque iterum in eandem urbem redierat. Sæpe ex ipsis prope quærentium manibus evaserat. Sæpe eum viderant satellites, sæpe curiosius inspexerant, nemo tamen agnoverat. Erat Patri Matthæo ad ferendas epistolas administer vir insigniter probus, Matthias nomine. Is nocte concubia comprehensus cum fasciculo nescio quo, ducitur ad prætorem. Soluto involucro, apparet tunica Societatis. Quærunt cujus sit ea vestis? ad quem deferatur? Ille conticescere. Instant, minantur, sternunt humi pronum, & verberibus

147. Nosocomia, & hospitia pauperum destruuntur.

148. P. Matthæus de Couros frustra perquiritur.

149. Capitur Matthias quidam, P. Matthæi comes.

Digitized by Google

bus afficiunt. Ne verbum, aut gemitus quidem. Ergo ad graviora ſupplicia progrediuntur. Admoto ori infundibulo, aquam ingerunt ſtomacho quantam capere poſſit, & haurire reſpirando debeat. Tum ventri inſtar dolii diſtento genibus incumbentes, aquam per omnes corporis meatus vi extrudunt. Dirum tormenti genus apud Japones uſitatum. Cum patientem vita deficeret, & jam una cum aqua & ſanguine eruptura videretur anima, ceſſatum parumper eſt ab immani cruciatu. At jubetur iterum effari, num quem Sacerdotem ſciat eſſe Nangaſachii? Novi ſane unum, inquit, qui Firandi modo degit. Arrectis omnibus, inſtantibuſque ut nomen ederet, nominavit ſceleratum apoſtatam omnibus propter flagitia probe notum. Hunc, ſubjecit, impune crucietis licet; at bonis innocentibuſque parcite. Senſit barbarus, ſe æque ac tormenta ſua ludibrio haberi: iraque infrendens: Etiam ne, clamat, illuſeris mihi execrande? Simul inſtaurari aquæ ſupplicium jubet. Matthias cum diſrumperetur, exerta propter vim doloris lingua, jacuit ſemianimis. Vidit miles improbus, & pugno in mentum impacto colliſit oris dentes, quibus linguæ pars prominens abſciſſa eſt. Ita, quod Chriſti miles optabat ut loqui ne poſſet quidem, eſt conſecutus. Judices, adempta ſpe eliciendi ullum de Sacerdote indicium, cruci illum deſtinabant, aut rogo. Sed Matthias doloris acerbitatem non ferens, evaſit ex impiorum manibus fortunata morte. Cadaveri non pepercerunt ſævi carnifices. Caput humeris revulſum, infixumque haſtili ſummo per celebriores urbis vias ad ludibrium circumtulerunt: truncum in mare projecerunt.

150. Dire torquetur, & inter cruciatus expirat.

Illo extincto, reſtabat indicium tunicæ: nec dubitandum videbatur, quin in ea urbis regione, ubi Matthias fuerat captus, lateret aliquis Patrum. Latebant reipſa, præter alios, P. Provincialis Couros, & P. Joannes Baptiſta Baeza: & quidem ita abditi, ut neque egredi poſſent noctu, obſeratis viarum capitibus, neque auderent interdiu, propterea quod omnia ſpeculatoribus plena erant. Movebantur illi tamen periculo, non tam ſuo, quam hoſpitum cariſſimorum, aliorumque in quorum vicinia hoſpitabantur. Videbant enim, ſi apparitores, ut juſſi fuerant, ædes ſingulas ſcrutarentur, haud difficulter ſe poſſe intercipi. Quare Provincialis, ne tot innocentibus crearet perniciem, prodire denuo e latibulo, & mutare locum ſtatuit. Cum nocte ob viarum clauſtra non poſſet, audaci uſus conſilio effugium luce palam tentavit, nulla re tutior, quam periculi magnitudine. Nam quis ſuſpicaretur, hominem tam ſollicite perquiſitum, per urbem mediam, plena luce inceſſurum? Ergo circa meridiem in aperta lectica ſedens, dat ſe vehendum extra urbem. Devectus eſt per celebriores vias, ac ſecus ipſum prætorium, in quo Gubernator degebat. Nemo tranſeuntem curioſius inſpexit. Quod ejus exemplum ſecuto haud multo poſt Baeza, ambo feliciter ſervati ſunt. Reliqui erant in latebris Nangaſachienſibus ſocii novem. Hi, ſublato intra paucos menſes edicto de viarum exitibus obſerandis, noctu Chriſtianorum domos obire perrexerunt. Neque vero intra limites urbis ſe continuit eorum labor. Omurenſes, Satzumanos, quique Firandum, & huic proximas inſulas incolunt, adierunt, miſſa a Paulo Pontifice indulgentiarum beneficia circumlaturi. Quod utile omnibus, ſed Omurenſibus præcipue fuit. Eos enim jam ſalubriter conterruerat mors infelicis Reguli præceps, & immatura: pleriſque palam affirmantibus, miſerrimum Principem pœnas ultori Deo dediſſe perfidiæ, & impietatis, qua datam Chriſto fidem turpiter fefelliſſet. Hinc ad Chriſtum adducti plures: in quibus cum eſſent aliqui ex cohorte militum, qui Omurenſem carcerem cuſtodiebant, ea res vinctis non nihil profuit ad percipienda facilius vitæ præſidia, quæ a piis Chriſtianis ſubmittebantur.

151. PP. Couros & Baeza, audaci conſilio diffugiunt.

152. Sociorum labores Nangaſachii, & in proximis locis.

Ante quam hæc agerentur, VII. Idus Januarias obierat in illo tetro ergaſtulo Frater Ambroſius Fernandez. Nec enim homo grandævus annorum ſexaginta novem durare diutius potuit intolerabiles ærumnas loci, inediam, graveolentiam, pædorem, hiberni frigoris acerbitatem, nives præſertim fere perpetuas, quas illo menſe horridus aquilo in patentem carcerem per intervalla

153. Moritur Fr. Ambroſius Fernandez in carcere Omurano.

Digitized by Google

ſtipitum ingerebat. Incommodis pro fide toleratis fuiſſe proſtratum, jurati affirmarunt quotquot erant carceris & pœnæ ſocii, quorum teſtimonia rite atque ordine perſcripta excepit P. Carolus Spinula. Nec abfuit ſuſpicio veneni, quod illi clam propinatum & convulſiones inſolitæ, & vomitus ſanguinei, & lividæ cadaveris notæ indicaverunt. Natus Fernandez in oppido Siſto diœceſis Portuenſis in Luſitania, vela fecerat in orientem ineunte ætate, ut rem negotiatione augeret. Tempeſtate adverſa ad maritimam Sinarum oram expulſus, votis, ut mos periclitantium, ſalutem pactus eſt. Ea ſæpe vota in ventos abeunt, ubi naufragii periculum præterierit. At Ambroſius promiſſi memor, ſervatam a Deo vitam Deo conſecravit in Societate. Poſt exactos inter nos annos tres & quadraginta, felici quam diximus morte præmium accepit virtutum maximarum, quibus id fuerat conſecutus, ut inter Japones paſſim ſanctus ſenex audiret. Incommoda & labores in deliciis habebat. Semper eodem inter proſpera & adverſa vultu, animoque erat. Nunquam iraſci eſt viſus, nunquam appellare durius quemquam auditus. In veſtibus, in victu, in quotidianæ vitæ conſuetudine, quidquid deterrimum eſſet aucupari ſolebat. Ad mentionem oppetendæ pro Chriſto mortis, & ardentis rogi, exiliebat gaudio, & lætitiæ cœleſtis, qua totus perfundebatur, partem ſociis aſpergebat. Statim atque extremum edidit ſpiritum, erupit omnium læta vox divinas canentium laudes, & Spinulæ ob ſodalem beata donatum nece gratulantium. Mox deoſculari pedes, & aliquid ad monumentum ſtimulumque pietatis e capillis ejus, aut veſtibus decerpere. Triduo toto jacuit in carcere, quia per ſatellites improbos efferendi copia non dabatur. Victi denique precibus, raptarunt foras cadaver, & injecta raptim humo contexerunt.

154. Ejuſdem vitæ ſumma, & religioſa virtutes.

Mirum porro accidit, tandiu conſtare vitam reliquis in illo carcere potuiſſe. Affirmabat Spinula ad P. Sebaſtianum Vieram ſcribens, nullum eſſe corporis ſenſum, qui non ibi proprio quodam dolore conflictaretur. Primus dolor ab anguſtiis loci, per quas vix unum promovere gradum licebat, nedum commode ad capiendum ſomnum jacere. Alter a fœtore intolerabili, qui tot corporibus arctiſſimo ſpatio concluſis, & continuo ferme ſudore per æſtatem diffluentibus, animam prope intercludebat. Adde veſtium illuviem, quas purgare, aut mutare nulli conceſſum: adeo ut annis quatuor P. Spinula idem ſemper induſium olidum detritumque geſtaverit. Adde poſitas in ipſo carcere latrinas, quæ cum redundabant (nec enim exhauriebantur unquam), ſordes in pavimentum effundebant, agmenque turpe vermium, quibus omnes cooperti erant, ac vivi propemodum abſumebantur. Tertius cruciatus a fame, qua confecti, & extenuati, totidem videbantur larvæ nudis hærentes oſſibus. Decreverat enim tyrannus eos paulatim inedia necare, ne illorum virtus in cruce, vel rogo palam perſpecta multos ad æmulationem accenderet. Ne ſuum deeſſet oculis tormentum fecerat immanitas militum, per quos nemini fas nocturnas tenebras admoto lumine propulſare. Aures conviciis ethnicorum, & procacibus jocis perpetuo obtundebantur. Nec nihil erat incommodi, quod quoties naturæ neceſſitati ſerviendum eſſet, nemo aliorum effugere conſpectum poterat: haud leve tormentum nativi pudoris, & indolis liberaliter inſtitutæ. Tot nihilominus pœnarum formas viri fortes, non æquo tantum, ſed hilari etiam erectoque animo perferebant. Suſtentabat illos divinarum ubertas conſolationum, quibus ſic delibuti erant, ut ſcriberet ad eundem Vieram Spinula, ſe in hoc ergaſtulo tanquam in cœlo eſſe. Quotidie ante lucem per horam integram vacabant rerum cœleſtium meditationi. Reliquum tempus uſque ad prandium, aut legendis libris piis, aut precibus voce obeundis, aut percurrendo roſario, pſalmiſque concinendis tranſigebatur. Eædem pietatis exercitationes repetebantur a prandio, poſtquam animos piis colloquiis paulum relaxaverant. A cœna conſcientiam excutiebant, ſeque flagris diverberabant. Deferebatur ſingulis hebdomadis ad unum aliquem ex ipſis imperium cæterorum, & quaſi carceris præfectura. Hujus munus erat indicere, quæ, quibus horis agenda occurrerent: pro-

155. Indicantur carceris Omurani incommoda.

156. Piæ vinctorum exercitationes in illo ergaſtulo.

Digitized by Google

proponere ſociis ſiquid vocandum in deliberationem, ſiquid in communi ſtatuendum eſſet: demum verbo, & exemplo aliis præire.

157. Mors & elogium PP. Emmanuelis Barreti, & Joannis Fonſecæ.

Dum per hæc illi ad mortem pretioſiſſimam ſe comparabant, laboribus evangelici miniſterii ſuccubuerunt PP. Emmanuel Barretus, & Joannes Fonſeca, ambo Luſitani, ambo inter operarios Societatis inclytos numerandi. Barretus Feira oppido Portuenſis diœceſis oriundus, Societatem in India complexus erat. Ludovico Cerqueiræ Japonum Epiſcopo additus comes, regna plurima peragravit, multos indigenas ad Chriſtum pertraxit: linguam vernaculam, cujus erat apprime gnarus, libris editis illuſtravit, ejuſque ſalebras in gratiam recentium operariorum complanavit. Morbo demum ex rerum penuria contracto, pie deceſſit v. Idus Martii, anno ætatis quinquageſimo ſexto. Sex annis minor erat P. Fonſeca, ac triginta duos confecerat in Societate. Chriſtianos Arimenſes anno jam decimoſexto excolebat, cum exhauſtum incommodis beata mors meliore vita donavit III. Cal. Octobres. In iſtorum interea locum ſex alios collegium Macaenſe ſubmiſit: quod ſupplementum acceſſit ad reliquos triginta de noſtris, qui tunc rem chriſtianam in Japonia procurabant. Ardebat his ſe adjungere P. Didacus Valens Japoniæ Epiſcopus. Sed eum Macai tenuit, tum Japonici ſermonis inſcitia, tum quod in hac temporum perturbatione difficiles Europæo recenti latebræ, multo difficiliores Epiſcopo, parum quidem certe Chriſtianis utiles futuræ eſſent. Alii tamen e noſtris regionum, & morum gnari, inſidias ubique poſitas variis artibus eludebant: ea præſertim adhibita cautione, ut in eodem loco non conſiſterent diu, ſed poſt brevem moram ad alium tranſirent. Ita factum, ut cœleſtis doctrina latius hoc anno, quam unquam antea ſpargeretur. Coactis enim Evangelii præconibus inſtar nubium prætervolare, divinus imber terris pridem incultis arentibuſque infundebatur. Vix pars Japoniæ fuit, ad quam pars cœleſtis beneficii non perveniret. Quocunque Patres adventarent, jaciebant fidei ſemina, quæ deinde, relegentes eadem veſtigia excolebant paululum, donec ſuam illis dies, & cultura identidem repetita maturitatem afferret. Solus P. Joannes Baptiſta Porro, ut de aliis taceam, totas quatuordecim provincias in orbem percurrerat, eaſdemque nunc a capite exorſus reviſebat. Illi non concedebat de labore evangelico P. Hieronymus de Angelis, cujus præſertim curæ concreditum erat regnum Voxuanum. Paucis menſibus ethnicorum nongentos nonaginta ſex principi tenebrarum eripuit, & regum regi Chriſto ſubjecit, in iiſque bonzios procereſque quamplurimos. Sed neophytis Voxuanis tetra repente incubuit tempeſtas, cujus initia operæ pretium eſt cognoſcere.

158. Submittitur in Japoniam nova Sociorum manus.

159. Res geſtæ per diverſas Japoniæ partes.

160. Chriſti religio proſcribitur in regno Voxuano.

Regni maximam partem obtinebat Maſamunes, homo avarus æque ac fraudulentus: idem ille ſcilicet, qui ante aliquot annos, duce venerabili viro Ludovico Sotelo Franciſcano, legationem miſerat ad Hiſpaniarum Regem, Romanumque Pontificem, ſpecie quidem chriſtianæ religionis amplificandæ, re tamen ipſa ut commercium inſtitueret cum nova Hiſpania, atque inde quæſtum pararet. Is nunquam antea neque Chriſtianis, neque eorum doctoribus adverſatus, utroſque acerbius inſectari anno labente cœpit. Nam cum auditum eſſet in aula de legatione quam dixi, eamque rem Imperator non æque ferret, Maſamunes, ut averteret a ſe ſuſpicionem initæ cum Chriſtianis amicitiæ, regnumque conſervaret, per omnia Xendaii compita (id primariæ civitati nomen) præfigi juſſit libellos in hæc verba. *Condemnatam ab Imperatore ſectam Chriſtianorum nefas eſt tolerari in meo regno. Omnes ergo ad priſtina redeant ſacra. Qui contra fecerint, iis, ſi erunt nobiles, bona omnia adimantur: cæteris vita. Quicunque Chriſti cultorem occultum indicabit, mercedem amplam referet. Præcones Evangelii, aut ſacramentum dicent in verba bonziorum, aut exulabunt.* Edicto promulgato, cum in omnem partem dimiſſi eſſent ſatellites, Chriſtianorum aliqui metu proſtrati a fide deſciverunt: quo in numero primus fuit Fraxecura Rocujemonus, olim legationis ad Pontificem miſſæ comes, & hoc ipſo anno redux ab Europa. Sed miſer cito dedit perfidiæ pœnas, repen-

161. Chriſtiani plures a fide deficiunt.

Digitized by Google

pentino morbo consumptus. Alii contra, & multo quidem plures, bonis omnibus dispoliari, in exilium pelli, aut in carceres tenebricosos detrudi cum liberis & conjugibus maluerunt, quam fidem ejurare. Exemptus fuerat a communi edicto præcipuus dynastes Joannes Goto, tum propter eximia in rempublicam merita, tum quod certo constabat, vitam illi citius, quam Christi cultum ereptum iri. Ab eo barbarus juramentum duntaxat exigebat de non recipiendis hospitio Sacerdotibus. Repulit jusjurandum impium Goto, perrexitque nostros Matthæum Adamum, & Hieronymum de Angelis patrocinio tueri, nec tamen ob eam causam vel leviter violatus est. Verum Masamunes, ne legum suarum exactor negligens videretur, sex e populo sumpsit Christianos, quorum morte cæteros perterrefaceret. Processere ad supplicium martyres tam læto vultu animoque, ut ex illo spectaculo Christiani, non metum, sed animum potius, & alacritatem traxerint. Hoc magis barbarus crudelitatem expromere. Duo erant egregii conjuges, a Patre de Angelis haud ita pridem initiati. Viro nomen Joachimus, uxori Anna, ætas utriusque provectior. Hos impius Regulus capite truncari palam jubet. Sed neque sic cæteri sunt conterriti. Raptatos ad necem agmen ingens Christianorum in splendidis vestibus, tanquam ad triumphum, deduxit: quæ species Masamunem supra quam dici possit perculit. Jam ergo, ne totum prope regnum sine fructu cruentaret, non igne deinceps aut ferro, sed astu blanditiisque rem tractare statuit. His armis in speciem lenibus, sed reipsa crudelissimis, facile expugnavit dynastem sibi sanguine conjunctum. At non item expugnare ejus filium duodecim tantum annos natum potuit. Eum impius Pater ut præstaret incolumem, finxerat a Christo secum defecisse. Rescivit generosus puer. Nec mora. Parentis impietatem detestatus, ad judices recta pergit, Christianum esse se, ac porro dum vita suppeditabit fore renunciat. Moti ætate & innocentia pueri judices, innoxium dimiserant. At Pater factum indignissime ferens, retrahit illum vi ad judices, utque iis coram Christo nuncium remittat, jubet. Post varias hinc inde altercationes, decernitur a judicibus, ut puer aut paternam hæreditatem, aut religionem abdicet. Ego vero, inquit puer, non paternam modo hæreditatem, sed omnium regnorum bona libens abjicio, ut æterna consequar. Incensus ira & furore genitor, stricto pugione filium invadebat, vim illaturus, nisi qui aderant prohibuissent. Prociderat jam in genua puer, & nudum ferro pectus objiciebat. Cepit omnes commiseratio. Rogatus pater ut filio ignosceret, & dolorem dissimularet, domum se recepit. At ibi, dum secum reputat admissi sceleris atrocitatem, in alium pene hominem vertitur. Veniam a Deo precatus, recurrit ad judices, retexit orationem pristinam, se paratum ad eluendam cruore maculam perfidiæ offert. Tamen Masamunes a propinquo suo crudelitatem abstinuit.

162. Plures in fide confirmantur. Unius præclara fortitudo.

163. Nonnulli supplicio afficiuntur,

Inter hæc P. Didacus Carvallius, digressus a ditione Masamunis, memorabilem peregrinationem peragebat. Iter illi erat ad pios exules, quos alibi diximus in Tzugaram, extremum Japoniæ ad septentrionem angulum, fuisse relegatos. Cum venisset in regnum Devæ, audit obsessam esse terrestrem viam custodiis, nullique transitum præterquam mercatoribus dari: patere tamen aditum transmittentibus mari a Giezo. Insula ne sit Giezus, an continens, adhuc incompertum. Regionem latissime diffundi constat, colique ab hominibus vultu ingenioque quam proxime accedentibus ad Europæos. Præcipua gentis civitas Mazzuma, ab opposita Tzugaræ ora angusto freto dirempta. Gens procera, aspectu candida, viribus multum valens. Ejus arma arcus, acinaces, & sagittæ, quas exitiali toxico, ex quibusdam herbis araneisque putrefactis eleborato, inficiunt. Barbam pectore tenus promissam gerunt. Capitis anticam partem radunt, posticam habent intonsam: non fluentibus tamen capillis, aut in nodum collectis, sed ab ipso statim occipitio subrectis. Ex auribus annulos ingentes demittunt serica tænia illigatos. Vestis ad pedes fluit, bombycina per æstatem. Hibernum frigus ferarum exuviis arcent. Non auro gemmisque, non cerussa gaudent mulieres, sed vitreis quibusdam globulis trajecto serico funiculo connexis, quos

165. P. Didaci Carvallii expeditio in Giezum. Quænam regio ea sit.

166. Qui mores, & institutæ gentis.

Digitized by Google

quos e collo in pectus demittunt. Argentum aurumve non signant, sed merces commutant mercibus prisco more. Publica res bonis ac certis legibus administratur. Concordiam, qua maxime stat felicitas publica, fovent honore mutuo, & urbanitate, cujus multæ leges, & advenis haud parum molestæ. Plurima, quæ ad civilem usum spectant, hauserunt a Tartaris, etsi cum iis nec tributo, nec fœdere sint conjuncti. Japonum vicinorum ferocitatem bellicam humanitate condiunt, quam videntur a Sinis accepisse. Longissime tamen absunt a propudiosis libidinibus, quarum contage Japones æque ac Sinæ sunt inquinati. Conjugalis fidei adeo tenaces, ut inustam semel adulterii maculam nulla temporis diuturnitate elui putent. Solem & lunam venerantur, non uti deos, sed ut multorum quæ contingunt hominibus commodorum auctores. Jam si quis est, inquiunt, montium præses, & pelagi rex, hunc veneramur & colimus, cujus beneficio ligna dant nobis montes, & pisces mare. Sacerdotibus & bonziis carent, imo & libris, & litteris. Memoria seniorum vice librorum & annalium fungitur. Ad eos quotannis confluunt Japones ad triginta millia, interdum etiam ad sexaginta. Causa tanti concursus auri copia, cujus uberrimæ ibi sunt, ac per sese fluentes venæ. Illud enim ultro e montibus torrentes fluviique devehunt, & quidem ita probum purgatumque, ut obrizum putes. Unus incumbit labor indigenis colligendi sponte oblatas opes, ac divites micas ab arenis secernendi: quæ facultas, modico pretio Principi persoluto, advenis etiam datur. Terram Evangelii præconibus inaccessam primus omnium adierat ante biennium P. Hieronymus de Angelis; miratusque intextas vulgo omnium vestibus parvas cruces, quarum illi causam se nescire fatebantur, argumentum non leve putaverat christianæ fidei olim ab Apostolo Thoma, vel quopiam alio ejus discipulo in eam plagam invectæ. Quosdam etiam deprehenderat Christi cultores, ab anno hujus sæculi tertiodecimo baptizatos, & divina lege institutos a quodam medico, qui illuc ex Japonia pervaserat. Auxerat eorum numerum Pater de Angelis, & novæ cujusdam Ecclesiæ fundamenta jecerat.

167. De ejusdem indole, religione, litteris, & opibus.

168. Vestigia christianæ religionis in Giezo deprehensa.

Hæc omnia de Giezo cum cognovisset Carvallius, eo se ferre constituit, ut inde Tzugaram transmitteret. Conscenso igitur navigio, sumptaque veste metallici, conjicit se in turbam Japonum illuc auri colligendi studio concurrentium. Aliæ tamen illum divitiæ, alia alliciebat præda, salus incolarum. Mazzumam appulsus, audit occultandam sibi esse conditionem suam. Rex quippe, etsi ante annos duos Patrem Hieronymum de Angelis hospitaliter habuisset, post ejus discessum edixerat, ne quis deinde legem Christianorum amplecteretur, aut ejus doctores tecto reciperet. Ut id decerneret, motus fuerat exemplo Xoguni Imperatoris, cui amico & potenti gratificari studebat. Quare delituit Carvallius apud probatæ fidei Japonem, religione Christianum. Non ita tamen delituit, ut de ejus adventu ignorarent neophyti. Paucis diebus omnium confessiones excepit, omnes piis recreavit alloquiis, & ad constantiam confirmavit. Divina ibidem litavit hostia, quod ante ipsum fecerat nemo. Nam Hieronymo de Angelis per improbitatem portitorum non licuerat instrumentum sacrificale deferre. Post brevem, sed utilem moram, relictis Mazzumæ qui suas vices obirent duobus catechistis, ad eos transiit, qui auri particulas in alveo fluminis scrutabantur. Erat iter diei unius in interiora regionis, per jugum montis acclivis, & confragosi. Dum per oppositum montis dorsum descendit, habuit in conspectu quos quæsitum ibat Christianos, mapalia habitantes ex ramis arborum ædificata, ad oppidi speciem. Exceptus incredibili gaudio, eandem illis operam impendit, quam Mazzumanis impensam dicebamus, sed paulo liberius, & diutius. Demum inter lacrymas cari gregis Tzugaram solvit turbæ negotiatorum mixtus, illamque Japoniæ oram inobservatus attigit. Non dicam quibus lætitiæ significationibus venientem exceperint beati illi exules, qui vitam omni humano commodo solatioque destitutam trahebant. Respirare nonnihil visi sunt in ejus conspectu, complexuque. Nullum faciebant finem laudandæ charitatis, qua tam arduum ac periculosum iter eorum

169. P. Carvallii labores, & res gestæ in urbe primaria Giezi.

170. Digreditur ad metallicos, iisque utilem operam impendit.

171. Transit in Tzugaram. Ut illum exceperint Christiani exules.

Digitized by Google

rum cauſa ſuſcepiſſet. Nec temperabat a lacrymis Pater, cum tot inſignes belli ac domi viros cerneret, opibus olim commodiſque circumfluentes, nunc ſitu & macie luridos, ſeminudos, ſolibus peruſtos, ac frigore: virgines item, matronaſque miſeriis oppreſſas, cœleſti tamen conſolatione perfuſas, nec alium vitæ finem expetentes, quam ferrum aut rogum. Omnes Carvallius peccata confitentes audivit, omnes divini verbi pabulo, & communione ſacrorum recreavit.

172. Excurrit in alias Japoniæ provincias.

Inde terreſtri itinere ad dexteram flectens, Cubotam venit, urbem Aquitenſis provinciæ metropolim, ubi quotquot reperit Chriſtianos (reperit autem bene multos), ſimiliter excultos, & in fide confirmatos reliquit. Denique cum immenſum terræ tractum peragraſſet, ubique neophytis pœnitentia, catechumenis baptiſmo, omnibus congrua inſtitutione impertitis, regrediebatur in regnum Voxuanum, ſuam ſcilicet ſtabilem ac perpetuam ſedem. Sed admonitus de Maſamune in Chriſtianos ſæviente, divertit ad proximum regnum Devæ, ubi hujus anni excurſionibus finem fecit.

173. Labores P. Benedicti Fernandez.

Haud ſegnius interim alii de Societate per inſidias, ac tela ſatellitum in omnem Japoniæ partem ſe diffundebant, ut omnibus preſto eſſent. Favebat eorum concurſationibus, quod mireris, hiems, anni tempeſtas viatoribus plerumque incommoda. Cum enim ſoleant per illud tempus Japones iter facere vultu, propter vim frigoris, operto, id Patres ſecuros præſtabat, quia ignotos. Ut de uno tantum alterove in ſpecimen cæterorum dicam, Meaco egreſſus P. Benedictus Fernandez, quidquid Chriſtianorum erat inter hanc veterem Japoniæ metropolim, novamque regni ſedem Yedum, per millia paſſuum amplius ducenta luſtravit, ubique nova ſobole Chriſti gregem augens, Dei verbum, ac reliqua ſalutis præſidia diſpertiens. Surungæ, quæ Daifuſamæ regia fuerat, triduo commoratus, reliquias haud ſane modicas florentis olim Eccleſiæ reperit. Conſpiciebantur præ cæteris viri nobiles duo, quos ante ſexennium tyrannus fortunis exutos, ſucciſis poplitibus, truncatis manibus pedibuſque, demum forma crucis inuſta fronti, non tam vitæ, quam miſeriæ, & Chriſtianorum terrori ſervaverat. Retinebant illi triſtes diræ crudelitatis notas ſuo incredibili gaudio: & quamquam artubus laceratis jacerent, ſuſtentabant nihilominus rem chriſtianam, non tam libero oris eloquio, quam illuſtris patientiæ aſpectu eloquentiſſimo. Fernandius beatum par amantiſſime complexus, Yedum in ipſam Xoguni, ac totius imperii ſedem venit. Diebus quinquaginta ibi manſit, ut Chriſtianos ſub oculis, vel potius ſub cultro Imperatoris poſitos neceſſariis præſidiis muniret. Hinc iter novem dierum emenſus, Numatam, Codzuchiumque attigit, loca nondum a quoquam Societatis Sacerdote peragrata, ubi novam fundavit Eccleſiam, illuſtribus poſtea nobilitatam viris, & virtutibus. Tum in regnum, quod vocant Yetchu, inter crepidinem continuæ rupis, & proximum mare, difficillimo itinere progreſſus, veteres quoſdam Chriſtianos, contra ſævitiam temporum invictos, ſacrorum communione refecit. Poſtremo Canazavam excurrit, metropolim regni Cangæ, ubi propter Chriſtianorum multitudinem tres menſes commoratus, præter alios, adoleſcentem egregium, Imperatoris ex fratre nepotem, Chriſti cultoribus addidit.

174. Quam ſtrenuos Chriſtianos invenerit Surungæ.

175. Progreditur in alias Japoniæ partes.

176. Similis labor P. Juliani Nicauræ.

Eodem tempore P. Julianus Nicaura Bugenſe regnum, omneſque circumpoſitas regiones obibat: neque ſolum neophytos in doctrina fidei confirmabat, verum etiam multos procerum e ſuperbis ethnicis humiles Evangelii diſcipulos faciebat. Ea quippe vis erat cœleſtis gratiæ, ut nobiles natalium ſplendore, & ſolemni gentis arrogantia plebem conculcare ſoliti, ſtatim atque doctrinam fidei deguſtaverant, faſtum, innatoſque ſpiritus deponerent. Iſtiuſmodi nobilium unus, cum a Nicaura baptiſmum accepiſſet, relicta per octo menſes uxore, ac liberis, minime dubitavit loco famuli ipſum deducere, dum medici cultu tectus concurſabat huc illuc, ſpecie quidem ut medicinam faceret corporibus, re tamen vera ut ſalutem animabus afferret. Alter Cocuræ, in urbe regni Bugenſis principe, non putabat avito genere, & militari qua olim floruerat gloria indignum, juventutem chriſtianam bonis moribus ac litteris erudire, ac *Camboncm* age-

Digitized by Google

agere, quæ vox apud Japones ludimagiſtrum ſonat. Nobilis dynaſtes erat is, Simon Bocuſajus nomine, qui chriſtianæ humilitatis præmium tulit ampliſſimum, pro Chriſto moriens. Nam cum accepiſſet hoſpitio, haberetque domi tres neophytos, Thomam Guengorum, Mariam ejus uxorem, ac communem utriuſque filiolum Jacobum, eoſque doctrina Chriſti imbueret, Jecundonus Bugi Rex miſit ad ipſum mandata cum minaci nuncio, ne proſcriptam a Xoguno legem explicare cuiquam pergeret. Non obtemperantem vocat cum uxore Magdalena, & piis hoſpitibus. Aderant quinque numero, uno omnes, & eodem animo, Rex victuros omnes ſignificat, ſi Chriſtum ejuraverint: niſi fecerint, morituros. Illi evangelica doctrina probe inſtituti, tunc denique ſervari vitam reſpondent, ſi pro Chriſto perdatur, perdi ſi male ſervetur. Hanc philoſophiam non intelligens Jecundonus, cunctos in crucem tolli juſſit. Sententiam in haſta ſublimem præferebat lictor totidem verbis conceptam: *Iſtis crux irrogatur a Principe, quia promulgatam a Patribus legem amplexi, eam recuſant abjicere.* Simon, & Magdalena vivi ſpiranteſque perſtiterunt in cruce uſque ad ſequentis diei veſperam. Maria paulo diutius. Thomas, & adoleſcentulus Jacobus vivebant adhuc poſt triduum: cum ſatellites pietate moti, an tædio? utrumque lanceis tranſfixerunt. Corpora cum ipſis crucibus cremata ſunt, cineres in mare projecti. Tradunt, dum urebantur, geminam ſupra martyres iridem apparuiſſe, alteram alteri ſic obverſam, ut earum convexa ſe mutuo contingerent; idque etiam ethnicis fuiſſe miraculo. Sed de Japonia ſatis.

177. Illuſtre martyrium quinque Chriſtianorum in regno Bugensi.

Sinenſibus novum Imperatorem hic annus dedit. Vanlieus rerum potitus per annos undequinquaginta, nunc demum perſonam tandiu male geſtam cum vita depoſuit: hac una re noſtris annalibus memorandus, quod ejus tempore Societas Eccleſiæ Sinicæ fundamenta jecit. Suſcepit aliquando miſer Imperatoris animum & curas, ſed nimis ſero, cum nimirum imperare ac vivere deſiit. Ducibus militiæ fortitudinem ac diligentiam, præfectis provinciarum concordiam, omnibus curam ſalutis publicæ commendavit. Quæcunque peccaverat in imperio gubernando agnovit, ac dolore juſto, ſed inutili deflevit. Hac tamen, inquit, conſolatione ſuſtentor, quod filium parente meliorem habituri ſitis, qui regni mei, non morum hæres perficiet, ut mihi ignoſcat poſteritas, vel iſto etiam ſucceſſore gratuletur. Filium deinde præclaris inſtruxit monitis, quibus ſi ſuam ipſe vitam temperaſſet, fuiſſet regum optimus, multoque meliori loco rempublicam reliquiſſet. Fuerat ille quidem a prima ætate cunctis regnandi artibus egregie inſtructus. Sed voluptatum illecebris paulatim effeminatus, ita ſe demerſerat in libidinum cœno, ut publicis commodis & calamitatibus perinde indormiret, nulliſque neque populorum clamoribus, neque magiſtratuum admonitionibus excitaretur. Convenere poſt ejus mortem proceres, ac filium ficta modeſtia, ut fert conſuetudo, reluctantem ſalutaverunt Imperatorem, indito Taiciani nomine, quod vocabulum apud Sinas florem diuturnum ſonat. At flos ille nihil minus quam diuturnus fuit. Poſt alterum quippe menſem, non ſine veneni ſuſpicione, ſucciſus eſt. Fleverunt illum Sinæ non fictis lacrymis. Paucis enim diebus magnam ſui moverat expectationem, nec vanam ſpem faciebat Imperii reſtituendi, quod paulo poſt omnino concidit. Succeſſit Taiciano filius annorum ſexdecim, Tienchi nominatus, quæ vox apertum cœlum ſignificat. Principi cuſtodes adoleſcentiæ dati magnates duo, quorum alter cum eſſet bene erga noſtros affectus, fiduciam dabat, ſub novo imperio rem chriſtianam melius habituram. Ea interim nec optimo erat loco, nec omnino malo. Sociis ubique clam & caute agentibus, magiſtratus locorum diſſimulabant. Pekini nonnihil turbarum concitavit ſceleratus eunuchus, cujus villam Rex ante annos circiter novem Patribus attribuerat pro ſepulchro P. Matthæi Riccii. Villam hanc conſervandam Societati putaverant judices, ut alibi dictum eſt, etiamſi indictum fuiſſet exilium Patribus. Jam ergo homo vafer, in omnem occaſionem imminens villæ recuperandæ, P. Franciſcum Samblaſium in ea commorantem detulit ad magiſtratus, ac reum intolerabilis audaciæ fecit, qui in

178. Res Sinicæ. Mors Imperatoris Vanlieï.

179. Succedit illi proxime Taicianus, mox Tienchius.

180. P. Samblaſius grave periculum evadit Pekini.

Digitized by Google

Sina, ac prope in oculis regiæ contra Regis edicta manſiſſet. Miſſi jam fuerant ad eum capiendum milites. Sed accurrens in tempore doctor Paulus, Samblaſium periculo eripuit, & rem omnem cum magiſtratu compoſuit.

181. Doctoris Pauli conſilium de inferenda religione in Coream.

Hujus tamen viri eluxit præſertim pietas, & religionis amplificandæ ſtudium in re momenti gravioris, quam ſubjicio. Urebatur jam ab annis pluribus regnum bello Tartarico ſic, ut Sinenſes magnis affecti cladibus reſpicere ad externas opes cogerentur. Occaſionem iſtam arripuit doctor Paulus chriſtianæ religionis in Coream (Corajum vulgo appellant) inferendæ. Peninſula ingens eſt Corea, Sinis inter orientem & ſeptentrionem conjuncta. Excurrit meridiem verſus per millia paſſuum quingenta circiter, lata, ubi plurimum, centum & ſexaginta. Populi multo Sinenſibus bellicoſiores regi ſuo parent, ſed is tributum pendit Sinenſi. Eorum auxiliis videbatur doctori Paulo reprimi poſſe ferociam hoſtium, ſi modo quiſquam belli peritus innatam gentis fortitudinem arte & induſtria perpoliret. Scripto igitur libello monet Imperatorem, quantum in Coreanis præſidii ſit. Mittendum aliquem, qui eos militari diſciplina inſtituat: ſe hanc operam patriæ libenter navaturum. Eo ſpectabat vir pius, ut bellicæ inſtitutionis obtentu chriſtianam religionem in Coream inferret. Laudavit conſilium Imperator, & ad ejus vota reſcripſit. Jam Paulus ſe accingebet ad iter, Patre Samblaſio comite: cum procerum aliquot æmulatio prava, quod aulæ vitium familiare eſt, rem diſturbavit. Ajebant, multo plus detrimenti timendum, ſi amitteretur vel ad paucos menſes doctor Paulus, quam ſperandum eſſet emolumenti, ſi Coreanos ad artem bellicam egregie formaret. Virum ſpectatæ in graviſſimis periculis prudentiæ evocandum ſi abeſſet, nedum ablegandum cum aderat. Satis ſuperque militum eſſe, non item ducum. Poſſe per ſexcentos alios Mandarinos Coreanam juventutem erudiri: nulli, præterquam doctori Paulo, onus imperii defendendi imponi poſſe. Victus ſpecioſis id genus rationibus Imperator mutavit ſententiam, ac Paulum Pekini, tamquam ibi reipublicæ utiliorem, detinuit. Fruſtratus præclari conſilii exitu vir egregius, inſtitit nihilominus quibus potuit artibus rem chriſtianam augere.

182. Res optimo propoſito excogitata ſucceſſu caret.

183. Inſignis Mandarinus ad fidem trahitur.

Venerat ad aulam magni nominis Mandarinus, provinciæ Xamſienſis præfectus. Statim Paulus de Patribus Societatis, invectiſque per eos liberalibus diſciplinis cum illo ſermonem infert: movet hominem ſciendi avidum, ut velit cum aliquo ipſorum amicitiam jungere: ſibi curæ fore recipit, ut ex iis unum nominatim agnoſcat. Seceſſurus erat Mandarinus ad aliquod tempus in ſuam patriam prope Hamceum. Paulus ad P. Julium Alenum Hamcei degentem ſcribit, ut Mandarinum propediem adventurum officii cauſa adeat ſtatim. Morem geſſit Alenus. Primis diebus, ut fert conſuetudo Sinenſium, ſalutationibus, & officiis mutuis certatum eſt. Multi dehinc congreſſus de geometria, quibus tamen Alenus ſemper aliquid de divinis rebus intermiſcebat. Ne longior ſim, Mandarinus ſanctitate chriſtianæ legis captus, & inſtitutus probe, baptiſmum, ac Petri nomen accepit. Patris exemplum ſecutus eſt filius ejus unicus, mox hujus patruelis, quibus deinde alii atque alii ex eadem cognatione acceſſerunt. Neque hic utilitas conſtitit. Iis peractis, parabat Alenus in ſedem ſuam Hamceum ſe recipere. Non tulit Petrus; ſed eum in provinciam Xamſienſem adducere ſecum voluit, ut Chriſti doctrinam ſuis quoque provincialibus traderet. Non repulit oblatam occaſionem Sacerdos. Contendit in novum agrum, ſemen divini verbi jecit, frugem amplam collegit. Quo demum geometricas explicationes, ut ſæpe alias, multorum ſalus eſt conſecuta.

184. In provinciam Xamſienſem fides invehitur.

185. Immerito notati Patres, quod geometricis diſciplinis viam ſternerent Evangelio.

Quo magis miror, fuiſſe per idem tempus in Europa, qui nefas ducerent naturalium rerum ſcientia viam Evangelio ſternere apud Sinas, & noſtrorum morem in hac parte reprehenderent. Non his artibus, ajebant illi, promulgatum legimus ab Apoſtolis Evangelium, nec humanarum litterarum fiducia tam divina res agi poſtulat. Ita ſane. Sed nec Apoſtolos legimus, difficiles ac varias gentium linguas ſtudio didiciſſe, ut nunc diſcere neceſſe eſt: neque noſtri ad conciliandas ſibi hominum voluntates hæc adhibuiſſent humana ſubſidia, ſi,

Digitized by Google

ſi, ut olim Apoſtoli, accepiſſent *ſupervenientem ex alto virtutem Spiritus Sancti*, & dona linguarum, & poteſtatem patrandi miracula. Quid quod Paulum ſcimus, *omnibus omnia eſſe factum, ut omnes Chriſto lucrifaceret*? Geometricam diſciplinam, qua Sinæ plurimum delectantur, adhibebant noſtri ad ineſcandos litteratos. Sic terram divinæ ſementi præparabant quodammodo. Hinc ad ingerendam Numinis, & religionis veræ notitiam progrediebantur. Induſtriam comprobavit experientia. Ipſe ratam habuit de cœlo Deus: neque enim ſine divino numine effectum, ut hac ratione fides in illo regno radices ageret. Poſtremo, ne quis relinqueretur ſcrupulus, acceſſit auctoritas Romani Pontificis Innocentii XI., qui Pontifex non minus ſanctitate vitæ, quam dignitatis immortaliter venerandus, quid de hac re ſentiret luculenter ſignificavit anno præterlapſi ſæculi octogeſimo primo, datis ad P. Ferdinandum Verbieſtum litteris in hæc verba. „ Jucundiſſimum præ cæteris fuit agnoſcere, quam ſapienter atque opportune profanarum ſcientiarum uſum ad Sinenſium populorum „ ſalutem, & ad chriſtianæ fidei incrementum, utilitatemque deflexeris: earum „ beneficio refellens falſas criminationes, & calumnias, quibus nonnulli in chri- „ ſtianum nomen invehebantur, viamque tibi ſternens ad eum gratiæ locum apud „ Sinarum Regem, ut ſolutus ipſe gravibus moleſtiis, quas diu forti magnoque „ animo pertuliſti, ſocios tuos Miſſionarios ab exilio revocaveris, & religionem „ ipſam, non ſolum priſtinæ libertati dignitatique reſtitueris, ſed etiam ad me- „ liora in dies ſperanda provexeris. Nihil enim eſt, quod Dei adjutrice gratia „ ſperari non poſſit, te, tuique ſimilibus viris apud gentem iſtam religionis cau- „ ſam agentibus „. Hæc Pontifex Innocentius, auctor haud paulo gravior noſtris quibuſcunque obtrectatoribus. Sed his omiſſis, eo narratio redeat, unde nonnihil deflexit.

185. Quid ſenſerit de hac re Innocentius XI.

Nankini, poſt irrogatum Societati exilium, nemo noſtrorum hactenus ut in ſede ſtabili habitaverat. Adventabat ſubinde aliquis Hamceo, ut Chriſtianis ſacra miniſtraret, errabatque incertis ſedibus, hoſpitium ſumens qualecunque pietas neophytorum offerret. Hoc anno P. Petrus Spira ſtabili donatus eſt domicilio, quo Patres in poſterum exciperentur. Factum id neophytorum Nankinenſium charitate, & induſtria: qui tametſi inopes, tantum pecuniæ contulerunt, quanto opus fuit ad coemendam domum ſatis amplam, ubi fidelium cœtus haberi commode poſſent. Annum fere integrum Spira exegit Nankini: quo tempore ex ethnicis circiter quinquagenos baptiſmo tinxit, Chriſtianorum vero multitudinem haud exiguam myſteriis officiiſque religionis inſtituit, ac ſacris inſtauravit. Hæc eo jam fiebant liberius, quod a nobis non alienus videbatur novus Imperator, nec temere putabatur facturus noſtris hominibus facultatem in Sina libere commorandi. Nam cum unus litteratorum libellum illi obtuliſſet, rogans ut calendarium Sinicum, a veris aſtronomiæ calculis multum aberrans, emendandum committeret advenis Europæis, quippe aſtronomicæ rationis ſcientiſſimis; reſcripſerat Imperator, ſibi tunc belli curis, & geminatis avi patriſque funeribus occupato, non eſſe otium cogitandi de calendario. Quo reſcripto ſatis indicabat, nec ſe ignorare de advenis intra fines imperii degentibus, & conſilium non tam aſpernari, quam differre. His ita ſe habentibus, viſum eſt poſſe jam tuto ex Macaenſi collegio ſociorum auxilia evocari. Delecti, qui viam cæteris ſternerent, Patres Manuel Diaz, pridem Sinicæ Societatis Viſitator, & Joannes Ureman Dalmata, quem mathematicæ diſciplinæ plurimum commendabant. Hi Cantonem appulſi clanculum, in interiora regni nemine prohibente penetraverunt. Quorum ſucceſſu animum ſumens P. Alvarus Semedus, licet triennio ante e Sina cum inſigni ignominia, ut alibi demonſtratum eſt, ejectus, non ultra ſibi expectandum ſtatuit, quominus eo rediret impavidus, quo ſua illum ferebant vota, & neceſſitas religionis vocabat. Ita laborantibus in Sina Patribus tres anno exeunte ſodales acceſſerunt.

187. Nankini Societas iterum donatur proprio domicilio.

188. Spes de novo Imperatore conceptæ.

189. Evocantur e collegio Macaenſi in Sinam aliqui Patres.

At enim partam iſtorum adventu lætitiam præfeſtinatus Uremani obitus multum imminuit. Languebat ſtomacho vir egregius cum Macao ſolvit. Can-

190. Mors & elogium P. Joannis Uremani.

Digitized by Google

tone coactus nautarum metu per tres dies in fundo navis látere, loci ſitu ac pædore ita graviter fuit affectus, ut cum Nancianum pervenit, porro progredi nullo modo poſſet. Ibi itaque ſubſtitit, curatuſque a P. Joanne Rocha, vitam ad aliquot menſes ægre produxit. At demum, accedente ad cætera mala acri vi torminum, inter plurima & rara patientiæ documenta animam exhalavit anno ſequenti, poſtridie Idus Aprilis. Nihil magnum ſperare de illo non licebat, ſi diutius viveret. Cum ſingulari litteratura virtutes conjungebat eximias, miram præſertim animarum charitatem, quarum ſtudio miſſionem Sinicam ardentiſſime expetierat. Sed qui nullius opera indiget Deus, bonam ejus mentem accepit, non item labores apoſtolicos, quos ne incipere quidem potuit, tam celeri morte interceptus. Haud minori Sinenſium damno deceſſit hoc anno Macai P. Sabbatinus de Urſis, eo maxime ſublatus tempore, cum reverti parabat in Sinam, unde fuerat pulſus. Vixerat Sabbatinus Pekini annos decem, ſummis infimiſque utilis æque & acceptus: nec ulli inter cultores ejus vineæ aut laboribus exantlatis, aut rerum geſtarum magnitudine ſecundus cenſebatur. Spectabatur ſupra cæteras ejus virtutes obedientia, qua ita totus pendebat a majoribus, ut eorum non modo juſſa, ſed nutus etiam, atque ipſa prope mentis cogitata in rebus omnibus prompte ſervaret. Gente Neapolitanus fuit, patria Lupienſis. Obiit ad Nonas Martii, anno ætatis ſuæ quadrageſimo quinto. Domeſticis funeribus juvat attexere pium neophytum, qui eodem anno vitam a ſuſcepto baptiſmate præclariſſime actam cum pari morte commutavit. Matthæo nomen erat viro. Ultro ſe Patribus famulum & adminiſtrum dederat, ut cæteris curis ſolutus pietati tantum vacaret. Nihil illo in obeundis quibuſcunque miniſteriis promptius, nihil laborioſius. Quod his ſupererat temporis, precibus totum dabat. In ea Nankinenſi procella, quam alibi memoravimus, cariſſimos Patres adeo non deſeruit, ut imo ſe cum illis vinciendum obtulerit ſponte, beatum ſe prædicans, quod ſocius ejuſdem carceris, & particeps ærumnarum eſſet. Poſt indictum noſtris exilium, ipſe relegatus fuerat ad extremos regni fines prope Tartaros. Inde opera doctoris Pauli revocatus, Hamceum rediit ad Patres, perrexitque quocunque ſuo periculo iiſdem obſequi. At dum eorum unum Macaum proficiſcentem deducit, lethali morbo correptus ſanctiſſime obiit Quamcei. Prolatum eſt poſt ejus mortem chirographum ab ipſo jam pridem exaratum, quo multa & maxima Dei erga ſe beneficia commemorans, ut pro iis ex parte ſatisfaceret, profitebatur, velle ſe quamdiu viveret in Patrum obſequio permanere, & eorum in omnibus juſſa facere. Scriptum claudebat pia prece, Deo per Jeſum Chriſtum, & Matrem Virginem ſupplicans, ne ſe ſceleſtum abjiceret, ſed magis volentem ingredi novam viam, & caſtitatem colere, præſidio cœleſtis gratiæ juvaret. Monumentum Sinicæ pietatis illuſtre, cujus verba ſingula religionem ſpirabant. Sed nos nimis fortaſſe diu res Aſiaticæ hujus anni detinuerunt. Americanas deinceps brevius expediemus.

191. Obitus & elogium P. Sabbatini de Urſis.

192. Moritur inſigni pietate neophytus Quamcei.

In provincia novi regni non improſperam fuiſſe per hoc tempus operam Societatis, teſtatus eſt litteris ad Præpoſitum Generalem datis Ferdinandus de Arias Archiepiſcopus Sanctæ fidei, quarum particulam ſubdo. „ Enim vero, „ inquit, divinus cultus multum opera Societatis augetur, præſertim in hoc no„ vo regno Granatenſi, quod eſt ampliſſimum. Tenues hactenus in hoc ſolo ra„ dices egerat Chriſti religio: ſed minus popularium, quam operariorum culpa, „ ut experientia docemur in iis, quos Societas colit. Ex his enim plures jam „ ſunt veri Chriſtifideles, qui dogmata religionis probe tenentes, pœnitentiæ & „ euchariſtiæ myſteriis rite utuntur: cum in cæteris, proh dolor! vix tale ſit „ aliquid invenire. Quamobrem plurimi facerem, ſi cunctas ditionis meæ curias „ regerent operarii Societatis, boni & fideles adjutores Epiſcoporum„. Hæc ille. Cui in eo quod optabat de curiis, prohibebantur noſtri morem gerere, cum ob paucitatem ſuam, tum etiam quod edixerat Mutius, ne qua admitteretur veterum Chriſtianorum paroecia. Id autem ſapienter decreverat Præpoſitus Generalis, veritus, ut opinor, ne paulatim mos inoleſceret implicandi Societatem

193. Res novi Regni. Teſtimonium Archiepiſcopi Sanctæ fidei de rebus geſtis Sociorum.

hoc

Digitized by Google

hoc genere miniſterii, quod, citra occaſionem inferendi gentibus Evangelii, a nobis alienum eſt. Nihilo tamen minus provinciæ Præpoſitus P. Emmanuel de Arceo facere non potuit, quin eodem hoc anno Curionem daret Hondenſibus. Jacet Honda in ripa fluminis Magdalenæ, centum quinquaginta millia paſſuum a Sancta fide. Oppidum eſt inter celebriora novi regni. Oppidani paſtorem ſibi jamdiu depoſcebant de Societate: quorum poſtulatis cum ſuffragarentur Archiepiſcopus, & Præſes auditorii regii, nobis onus detrectare non licuit. Curiam ergo noſtri adierunt Septembri ineunte: atque intra quadrageſimam anni proximi jam Æthiopum fere octingentos baptiſmo initiaverant. Incidit hoc medio tempore mors Provincialis Arcei, ex eaque nonnihil turbarum inter domeſticos ortum eſt. Reſignatis enim de more litteris ſucceſſionis, quas ante quinquennium miſerat Aquaviva, ex hujus deſignatione ſalutatus eſt provinciæ Præpoſitus P. Gonzalus Lyra, qui tunc Quitenſe collegium regebat. Vix Lyra magiſtratum inierat, cum aliæ afferuntur Carthaginem Mutii litteræ, quibus erat externe inſcriptum ut reſignarentur, ſi quo caſu contingeret mori Patrem de Arceo. Rector collegii Carthaginenſis, cui nota mors Arcei, ignota adhuc ob diſtantiam locorum ſubſtitutio Lyræ, litteras aperit, & Arceo ſucceſſorem deſignari videns P. Florianum de Ayerbe collegii Sanctæ fidei rectorem, ad eum litteras ipſas cum uſitatis gratulationum officiis mittit. Hæſit principio Florianus, incertus animi quid ſibi faciendum putaret. Patribus in conſilium adhibitis, ſententiæ variabant: aliis priori, aliis recentiori deſignationi ſtandum arbitrantibus. Tota in partes provincia ſcindebatur. Sed contentionem præcidit Lyra. Vir quippe modeſtia ſingulari, ubi de his cognovit, ultro ſe magiſtratu abdicavit, & locum Floriano dedit.

194. Oblatam Hondæ curiam noſtri recipiunt.

195. Periculum diſcordiæ domeſticæ ex duplici deſignatione Præpoſiti Provincialis.

Etiam provincia Peruviæ ſuum hoc anno Præpoſitum extulit P. Didacum Alvarum de Paz, virum ſanctitatis fama illuſtrem, libriſque de chriſtiana perfectione editis celebratiſſimum. Toleti natus erat Pazius, piis & honeſtis parentibus. Primis excultus litteris in ſchola Societatis, hanc amplexus eſt anno ætatis decimoſeptimo. Nihil exinde habuit antiquius, quam ut Deo fieret quam maxime familiaris: in quo genere tantum profecit, nullis ut negotiorum occupationibus impediretur, quominus in contemplatione ſummi boni hæreret defixus. Sæpe inter concionandum, ſæpius dum ſacrificaret, ita ſenſibus alienabatur, ut eſſet in cubiculum reportandus quaſi exanimis. Quam ob cauſam abſtinuit aliquandiu miniſterio concionum, nec audebat coram populo rem divinam facere. Sed monitus de cœlo, ne majorem humilitatis ſuæ, quam alienæ utilitatis rationem haberet, ad priſtinam utriuſque rei conſuetudinem rediit. Cum inſigni ſanctimonia parem doctrinam prudentiamque conjungebat. Philoſophiam ac theologiam docuit Limæ. Rexit collegia Cuzquenſe, & Quitenſe, ac per annos ſex provinciam univerſam. Anno ante obitum vigeſimo ſexto hanc ſibi legem interpoſita voti religione impoſuerat, ut caveret noxas quaslibet quantumvis leves, ex earum tamen genere, quæ ſcienter prudenterque admittuntur: affirmabantque ipſius moderatores, legem adeo difficilem exacte ab eo ſervatam fuiſſe. Vir demum omnium opinione ſanctus deceſſit, uti futurum præſciverat, Potoſii XIII. Cal. Februarias, dum obiret ex officio provinciam: ejus vero funus, ob inveteratam & publicam ſanctimoniæ famam, omnes civitatis ordines celebraverunt. Corpus etiam nunc incorruptum, quique ex eo manat liquor fragrans, & ſalubris, certa exiſtimantur documenta innocentiæ & ſanctitatis, qua vixit, nec non gloriæ cœleſtis, qua modo fruitur. Hinc ad ejus ſepulchrum perpetui concurſus. Tertio poſt Alvarum menſe, videlicet VIII. Cal. Majas, par prope ſui deſiderium reliquit Limæ P. Gonſalvus Barnovus patria Numantinus. Is in primo ætatis flore, cum polleret genere, ingenio, opibus, & in magnam familiæ ſpem adoleſceret, Societatem, fruſtra parentibus dehortantibus, amplecti maluit; nec ullis deinde eorum machinis dimoveri ab arrepto vitæ propoſito potuit. Eductus fuerat e tirocinio Societatis, & quaſi ſequeſtro depoſitus apud neſcio quos alterius ordinis cœnobitas, donec ejus

196. Res Provinciæ Peruanæ. Mors & elogium P. Alvari de Paz.

197. Mors & elogium P. Gonſalvi Barnovi.

Digitized by Google

ejus animus diligentius exploraretur. Quamdiu apud eos constitit, vix credibile quam valide tentatus oppugnatusque fuerit. Impressionem sustinuit, conatus elusit invicto animo adolescens: utque primum licuit, denuo se in tirocinium Societatis recepit. His initiis reliquus tenor vitæ consensit. Litteras cum virtute religiosa ita consociabat, ut Limæ utriusque rei causa in pretio esset, & crebro a viris primariis adiretur. Morti proximus id sibi maxime est gratulatus, quod moreretur in Societate: hac una consolatione abunde sibi reddi, affirmans, centuplum earum rerum, quas religiosæ paupertatis studio dimisisset. Morbo consumptus est permoleste, cum ageret ætatis annum trigesimum septimum, ab inita Societate vigesimum. Paris jacturæ fuit immatura mors P. Andreæ Ægidiani Gandavensis, quem sacris missionibus insudantem labor supra vires susceptus extinxit. Ex Julide excursionem inierat ad loca circumposita. Ea dum fructuose excolit, totusque est in abolendis nescio quibus horrendæ superstitionis arcanis, lethali febri correptus est. Noluit tamen opus intermittere, nisi cum morbi vim ultra ferre non potuit. Tunc demum in Julienſem stationem deportatus, commisit lecto se. Jacebat defectus viribus: & jam migrantium viatico roboratus, & sacro oleo inunctus, vitæ exitum præstolabatur. Cum uni sociorum visus mutato vultu subtristior. Rei causam percunctanti: *Nunc*, respondit, *in ipso discrimine pugnæ sum*. Nec multo post, iterum serenata facie: *Cessit hostis. Brevi meo judici sistar, evocandus in cœlum.* Quæ vix locutus, placide expiravit IV. Idus Decembres. Candorem animi, & mentis integritatem ipsa oris specie præferre dicebatur. Natus erat annos triginta tres, quorum quatuordecim in Societate confecerat.

198. Mors & elogium P. Andreæ Ægidiani.

199. Fundatur collegium Piscense.

His ita ad præmia laborum evocatis, qui relinquebantur socii novum laboris campum habuerunt Pisci, quæ Hispanorum colonia est nobilis, millia passuum centum & viginti circiter ab urbe Lima. Jampridem Petrus de Montoya, & Joanna Alarconia, pii conjuges, opulenti iidem, ac totius coloniæ facile principes, cum liberos non haberent, decreverant sedem Societatis Pisci constituere, obtulerantque ampla in eam rem vectigalia. Sed quia in Indiis nuspiam licet injussu Regis nova religiosorum domicilia construere, dilatum fuerat in aliquot annos negotium, quod nunc demum miro consensu oppidani conficiendum curarunt. Sub idem tempus duo de novo condita sunt nobilium seminaria, Cuzqui unum, alterum Argyropoli, quam urbem Hispani vulgo *Platam* appellant. Ea Rex cum jussisset Societati administranda committi, utrumque Præpositus Provincialis non invitus recepit. At non item inducebat animum, ut admitteret oblatam similiter Regis nomine curiam nescio quam neophytorum in diœcesi Cuzquensi. Ne illam reciperet, impediebatur novo quodam Regis decreto, quod instituti nostri rationibus minus congruere videbatur. Nam cum antea curiæ hominibus religiosis ita committi solerent, ut penes eorum præpositos esset arbitrium instituendi, mutandique pro libito Parochos, & causas de vita ipsorum & moribus cognoscendi; novo regis edicto illa omnia abrogabantur. Hæc autem in posterum præscribebantur. Ubi novus instituendus esset ex ordine quopiam religioso Parochus, ejus ordinis Præpositus Provincialis viros idoneos exhiberet Proregi tres. Unum Prorex eligeret. Quem semel Prorex curiæ præfeciſſet, ille quamdiu viveret amoveri non posset injussu ipsius. Idem de vita & moribus judicem non haberet, nisi Episcopum. Jam vero his conditionibus Societas adeo nullas susceptura erat de novo curias, ut dimissura potius esset quascunque habebat, ne jus moderatorum, & disciplina ordinis læderetur. In hanc prorsus sententiam Mutius Præposito Provinciali rescripserat. Verum admonitus interea Rex, quam grave detrimentum ex ea novitate immineret sacrorum ordinum disciplinæ, decretum illud suum passus est antiquari.

200. Traduntur Societati duo seminaria.

201. Oblatam Paroeciam Societas respuit, & quare.

HI-

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ

LIBER SEXTUS

ANNUS CHR. 1621. SOC. 82.



NEUNTE anno ſæculi vigeſimo primo, Pontifex Paulus V. ſollicitam habuit Societatem de ſuo Præpoſito, quem certis auctoribus ferebatur in ordinem Purpuratorum primo quoque tempore relaturus. Mentio hujus rei fieri cœperat fere ante annum, ſed vox ut temere ex vulgi opinionibus nata hactenus contempta fuerat. Nunc autem rumor urbe tota adeo invaleſcebat, ut multi rem pro confecta haberent. Jam primores aulæ Mutio tanquam Cardinali deſignato gratulatum veniebant. Hinc apud nos perturbatio non levis. Periculoſum namque erat exemplum Præpoſiti Generalis ad ampliſſimam dignitatem aſſumpti, & merito timebatur, ne eo tota Societas offenderetur. Mutius, ne quid temere ſuſciperet, rem totam ad conſilium Aſſiſtentium referendam cenſuit. Profeſſus vero ſe in eorum poteſtate futurum, nihilque niſi ex ipſorum conſilio moturum, ex conventu diſceſſit. Multa inter Aſſiſtentes ultro citroque jactata fuerunt. Demum hæc communi conſenſu decernuntur. Primo, ut cunctis in communi ſociis indicantur preces, tanquam in negotio maximi ad rem Societatis momenti. Deinde, ut Mutius, conſiſtorio imminente, ſecedat paululum in unam aliquam ex ſuburbanis villis, loco nemini indicato: quod ita fieri placebat, ne, quod olim Cardinali Bellarmino contigerat, ſimul nuncio dignitatis, & accipiendæ præcepto opprimeretur. Poſtremo, ut exploretur Pontificis animus, & ubi opus ſit, tententur cætera, quæ ad dimovendum ipſius animum apta videantur. Curam iſtam in ſe recepit Aſſiſtens Gallicus P. Chriſtophorus Balthaſar, ſatis cæteroqui gnarus agi rem lubricam, ancipitemque, & cui illud periculi ſuberat, ne intempeſtiva deprecatio honoris, quem nemo obtulerat, ludibrium aulæ, & riſum urbi daret. Sed nihil adeo difficile, quod prudentia non temperet. Balthaſar, ut erat Cardinali Bonzio intime familiaris, huic omne negotium arcano committit: ejuſdem opem, ſi quam afferre poſſit, implorat. Ille operam ſuam pollicitus, quaſi tentandi vadi cauſa, Pontificem adit paulo ante conſiſtorium: metum Societatis exponit: rogat obteſtaturque, ut ſi forte Præpoſitum Societatis inter Cardinales mox creandos conjeciſſet, abſtineat beneficio, quod ordini univerſo

1. RES ROMANÆ. Paulus V. de Mutio in collegium Cardinalium cooptando deliberat.

2. Quid conſilii ceperint noſtri ad periculum avertendum.

3. Removetur ab ea deliberatione Pontifex.

Digitized by Google

verſo mœrorem ac detrimentum eſſet allaturum. Reſpondit Pontifex, ſibi quidem Mutium Vitelleſchum honore purpuræ dignum videri: ſed quando eam rem Patres Societatis ut ſibi damno futuram reſpuerent, nolle ſe de illo ſecus conſtituere, quam ipſi optarent. Non vanam fuiſſe noſtrorum ſuſpicionem, poſtea compertum eſt. Narrabat Pontificius cæremoniarum magiſter Paulus Alaleonus, viſam ſibi ſchedam Cardinalium recens creatorum, in eaque Mutii nomen expunctum manu Pontificis. Ita periculum tunc quidem vitatum eſt, ſed non propulſatum omnino. Moritur IV. Cal. Februarias, intra vigeſimum diem a Cardinalium creatione, Pontifex Paulus V. Ei poſt duodecim dies ſubſtituitur Cardinalis Alexander Ludoviſius, Gregorius XV. in Pontificatu dictus. Ecce autem ſub novo Pontifice deliberatio eadem reviviſcit: quodque gravius, infligere Societati vulnus graviſſimum ſtudet vir, cui in diligenda Societate paucos habeo quos comparem, quem præferam fortaſſe neminem. Fuit is Ludovicus Ludoviſius Gregorii fratris filius, poſtea Cardinalis, qui cum de Mutio præclare ſentiret, de ipſo in collegium Cardinalium cooptando denuo ſermonem intulit. Hanc ſibi mentem, ajebat Ludovicus, fuiſſe injectam ab illo venerandæ memoriæ viro Fr. Dominico a Jeſu Maria Carmelita excalceato, quem audiſſet aliquando cum diceret, tanto honore & munere neminem videri Mutio Vitelleſcho digniorem. Cumque apud patruum auctoritate & gratia poſſet longe plurimum, facile illum ſuam in ſententiam traxit. Sed dum res, neſcio qua cauſa, longius trahitur, periculum tertio poſt anno iterum diſpulit mors feſtinata Gregorii. Ajunt, tunc etiam cum Pontifex ſupremum ægrotaret, inſtitiſſe apud illum vehementer Cardinalem, ut ſuppleret ſacri collegii numerum novo Purpuratorum delectu, quodque de Mutio Vitelleſcho agitatum ſæpe fuerat, tunc demum perficeret: at negaſſe Pontificem, rem tantam tali ſuo tempori convenire: facturum tamen adpromiſiſſe, ſi quando ex morbo recreatus, vigens & valens in conſiſtorio conſidere potuiſſet. Eo quidem certe vita functo, ab ejuſmodi ſollicitudine ac metu Societas reſpiravit.

4. Idem periculum ſub Gregorio XV., ſed ſine effectu.

Sed quo maxime tempore Patres ſervatum ſibi ſuum Præpoſitum, occluſumque vetito honori oſtium gratulabantur, accidit ut ſibi, & Eccleſiæ univerſæ ereptum dolerent Robertum Bellarminum Cardinalem, virum illum, non tam ordinis dignitate, quam virtutum magnitudine inclytum, cujus celebrius eſt nomen, quam ut ulla commendatione litterarum indigeat. Sane Bellarminus, ſive morum & vitæ ſanctitas, ſive doctrina & eruditio ſpectanda ſit, utraque laude floruit inter præſtantiſſimos ætatis ſuæ: Societatem vero noſtram ita illuſtravit, ut nemo omnium magis. Ac de doctrina quidem, & copia litterarum nihil amplius dicam, niſi quod magnus ille Pontifex, & hominum rectiſſimus æſtimator Clemens VIII., cum ſtatuiſſet Bellarminum ſacro Cardinalium collegio aggregare, dum ad venerabiles fratres ſuos de more proloquitur in conſiſtorio, hunc a ſe fuiſſe delectum hominem pronunciavit, propterea quod *parem doctrina virum id temporis non haberet Eccleſia Dei*. Ipſius vero ſanctitatem ſatis ſuperque æſtimare licebit ex eo, quod jamdiu apud Apoſtolicam ſedem inſtituta ſunt acta ſolemnia ad eundem ſanctorum albo tranſcribendum: dumque hæc ſcribimus, ad eum locum provecta eſt cauſa, ubi non vana ſpes optati eventus oſtenditur. His ergo leviter indicatis, nos Bellarmini duntaxat vitam per ſumma capita percurremus. Longiorem hiſtoriam ſiqui volent, adeant Danielem Bartolum, alioſque, qui de venerabili viro fuſe, & ex profeſſo ſcripſerunt. Illuſtri admodum genere natus eſt Bellarminus in monte Politiano, quæ civitas Hetruriæ eſt nobilis, & antiqua. In paterna domo liberaliter educatus, Societatem iniit Romæ, ætatis anno duodevigeſimo. Exacto tirocinio, phyloſophicis ſtudiis operatus eſt in collegio Romano, theologicis Patavii: Florentiæ, & in monte Regali ſubalpinorum humaniores litteras docuit. Hinc Lovanium traductus, in illo ſapientiæ domicilio plures annos divinitatis arcana explicavit, eodemque tempore concionandi munus exercuit tam ſecunda fama, ac tanta omnium approbatione, ut ad eum audiendum ipſi ex Hollandia Angliaque con-

5. Mors & elogium Ven. Roberti Bellarmini Cardinalis.

6. Summa ejus vitæ, & rerum geſtarum.

flue-

Digitized by Google

fluerent heterodoxi. Romam inde est revocatus, ubi controversias fidei cum tradidisset, suos illos edidit celebratissimos controversiarum libros, multorum, qui deinde in eodem genere prodierunt, librorum fontes, ac velut armamentaria totidem contra hæreticos, quibuscum nemo post illum nervosius feliciusque sapientum judicio decertavit. Henrico Cardinali Cajetano in Galliam legato comes additus, ardua legationis negotia dexteritate summa prudentiaque tractavit. Ex Gallia regressus Romam, variisque apud nos magistratibus cum laude perfunctus, vir demum immortalibus in Ecclesiam meritis sacra purpura donatur quantumvis invitus, & Capuæ Archiepiscopus renunciatur. Eum tamen abesse Roma non tulit Pontifex Paulus V., aperte affirmans, ad christianam rempublicam administrandam sibi opus esse Bellarmini consiliis. Ergo ab urbe Capua, ubi degebat, Romam venire jubetur denuo. Ille ita Pontifici paruit, ut simul suam opulentam Ecclesiam, frustra complorantibus Capuanis, & pastorem optatissimum retinere conantibus, in perpetuum dimitteret. Nullis enim neque precibus, neque rationibus sibi persuaderi passus est, ut præesse gregi pergeret, cujus non posset faciem intueri, & vocem audire. Quod vitæ reliquum habuit Romæ, publicis Ecclesiæ negotiis totum impendit, particeps curarum omnium, quæ sane graves in illa tempora inciderunt: eaque causa in ædibus Vaticanis prope Pontificem habitavit. At demum ætate gravis cum esset, annos quippe natus septuaginta novem, & valetudine parum firma, sentiens abesse propius supremam diem, secessit in Quirinalem tironum domum, ubi soli jam sibi ac Deo vacans, vitam præclare actam felici exitu absolvit xv. Cal. Octobris. Ut viventem imi pariter ac summi, tanquam unum ex priscis illis Ecclesiæ Patribus, intueri consueverant, ita mortuum publicus dolor, & communis omnium ordinum mœror est consecutus, nec ferme ullus Romæ per eos dies sermo frequentior, quam de Bellarmini virtutibus fuit. Erat in ore multorum viri summa facilitas in admissionibus, audiendi patientia, in causis cognoscendis labor, æquitas in judicandis. Prædicabant alii firmitatem animi vere sacerdotalis, qua in Apostolico Senatu nulla actus cupiditate, nullo cohibitus metu sententias ex vero rectoque pronunciaret. Plures referebant, quanta semper abstinentia Ecclesiæ bona tractasset, quam parum inde sibi, quam nihil suis, quam multa pauperibus tribuisset. At quibus erat intime notus, hi maxime commendabant ejus innocentiam a prima usque pueritia incorruptam: tum animarum, ac divinæ gloriæ studium inexplebile, usum orandi assiduum, voluntarias corporis afflictationes, quod denique mirari nemo satis poterat, animum de se ita demisse sentientem, ut vir omnium judicio summus, se suaque omnia in postremis haberet. Sepultus est in Farnesiana Basilica ad dextrum aræ maximæ latus, cum insigni mausoleo, quod amico & collegæ suo carissimo Odoardus Farnesius Cardinalis extruxit.

7. Quantum sui desiderium, & quantam virtutis opinionem reliquerit.

Amissi Bellarmini mœrorem ac desiderium ex parte lenivit alterius Cardinalis insperata transitio ad Societatem. Alexander Cardinalis Ursinus, vir genere, ætate, opibus inter Purpuratos apprime florens, cum Bellarminum semper antea in parentis loco coluisset, ut de ejus obitu accepit in Æmilia (quam provinciam Legatus Pontificis obtinebat), exarsit sanctioris vitæ desiderio, ejusque mores, atque instituta imitari, si non ex toto, at saltem quatenus pateretur ratio conditionis suæ, constituit. Eo consilio litteras manu sua dedit ad Mutium, quibus, post solemnia salutationis officia, hæc totidem verbis subjiciebat: „ Cardinalis Bellarmini jam cœlo fruentis obitus fecit, ut ipse me respicerem paululum per hos dies, & magno pudore perfunderer. Equidem cum „
illo comparans me, & meam cum illius virtute socordiam, hæc mecum ajebam. „
Bellarminus annos quatuor supra sexaginta sanctissime vixit in ordine religioso: „
ego ad eundem ordinem olim haud obscure vocatus, Deo vocanti parere nolui. „
Ille, & Jesuita primum, & deinde Cardinalis, semper omnibus exemplo ad vir- „
tutem, & incitamento fuit: ego contra, & Clericus, & Cardinalis fui sæpe „
quamplurimis offensioni. Ille tot ingenii dotibus clarus, in tanta copia doctri- „

8. Alexander Cardinalis Ursinus in Societatem cooptari postulat.

9. Ejus ad Præpositum Generalem litteræ.

Digitized by Google

„ næ, in tam excellenti ſanctimonia de ſe ſentiebat humillime : ego nullius in-
„ genii homo, omni carens litteratura, nihilque veræ pietatis aſſecutus, animo
„ inaniter elato ſuperbiſſimos ſpiritus gero. Ille denique, quamdiu vixit, nullum
„ finem laborandi pro divina gloria fecit: ego ad hanc uſque diem tempus otio-
„ ſe conſumpſi. Quærenti vero mihi tot malorum meorum cauſam, occurrebat il-
„ lico contumacia, qua olim ad Dei vocem obſurdui, cum me vocaret ad Socie-
„ tatem. Quantum hinc doloris & triſtitiæ ſenſum hauſerim, ipſe reputes velim.
„ Illa me præſertim res angit vehementer ac cruciat, quod mihi jam non eſt in-
„ tegrum huic tam funeſtæ ægritudini meæ ex toto mederi. Nam quod unum
„ prodeſſet, religioſum ſtatum inire, id ne cogitare quidem audeo, partim hoc
„ in quo verſor dignitatis gradu, partim tepore ipſo mentis, ignaviaque deter-
„ ritus. Unum ſupereſt, quod & magnopere exopto, & enixe a Paternitate tua
„ peto, ut quemadmodum quibuſdam aliis Apoſtolus *lac potum dedit, non eſcam*,
„ ita tu imbecillitati meæ ſerviens, me, non quidem in ſinum Societatis, ſed in
„ ejus ſaltem clientelam recipias. Atque ut aperte loquar, ſumma petitionis meæ
„ eſt, cooptari in veſtrum ordinem, vobiſque conjungi (quantum ſtatus mei
„ ratio patitur) ſingulari quodam modo, & vinculis quam arctiſſimis. Mihi qui-
„ dem nihil poſthac erit in bonis animi & corporis, nec in rebus externis, quod
„ paratus non ſim pro vobis dare in omnem caſum, ita prorſus ac ſi eſſet om-
„ nino Societatis, & tuum. Hanc voluntatem valere mihi velim pro ſolemni
„ paupertatis voto. Quod ad alterum caſtimoniæ attinet, in eo dabo operam ut
„ videar filius Societatis, & vere ſim. Quamquam autem annum ætatis duode-
„ trigeſimum nondum egreſſo longa fortaſſe reſtet via, quamquam ſæpe per lu-
„ brica incedendum ſit, multaque ſubinde obverſentur plena periculis pluribus,
„ & occultis, nihil tamen eſt quod vinci Deo adjuvante non poſſit. Tuis ego ſa-
„ ne, ac tuorum precibus multum tribuo. Reſtat dicere de tertio obedientiæ vo-
„ to. Hoc genere virtutis præcellere veſtros homines ſcio. Hoc ego maxime vi-
„ deri volo de Societate. Noſti Reverende Pater, quanta hactenus cum fiducia in
„ omni re conſilia exquiſierim tua. Jam ſcito eſſe mihi in animo, non conſilia
„ in poſterum a te accipere, ſed imperia, inque his obedienter exequendis om-
„ nem operam ponere. Ita demum mihi videor ſuppleturus ſaltem ex parte,
„ quod me pudet ex toto non antea perfeciſſe. Nunc igitur quæſo te etiam at-
„ que etiam, Reverende Pater, ut mihi quantumvis immerenti conficias diploma
„ cooptationis, quod diploma ſignari velim die feſto SS. Chryſanti & Dariæ.
„ Ad eam quippe diem ego conſcientiam diligentius recognoſcam, & noxarum
„ omnium confeſſionem repetam a noviſſima, quam circa initium anni labentis
„ peregi. Hæc ipſa dies eſt, ut bene memini, qua plures ante annos parentem
„ meum rogavi Societatis ineundæ veniam. Una cum diplomate perſcribi mihi
„ velim ordinem agendæ vitæ ad formulam veſtræ domeſticæ diſciplinæ : nec ta-
„ men id a te fieri poſtulo, quem plus nimio occupatum ſcio, ſed a tuorum
„ quopiam, cui, ſi tibi videbitur, id negotii dabis. Curabis etiam ſuis tempo-
„ ribus, ut ad me tranſmittantur ſchedulæ cum nominibus ſociorum, qui ſubinde
„ morientur, ut ſacra pro illis faciam, quæ pro defunctis fieri a Sacerdotibus in
„ provincia ſolent, ac porro debent. Nam, ut omnia verbo dicam, volo poſt-
„ hac a te, & ab univerſa Societate haberi, non pro Cardinali, ſed pro uno de
„ numero ſociorum. Mitto ſchedulam impreſſam, in qua deſcribas cooptationis
„ meæ decretum. Schedulam eandem ego includam libello precum, quem ſemper
„ habeo apud me. Hanc epiſtolam erit arbitrii tui cum quo communices. Tan-
„ tum oro, ut quantulumcunque iſtud eſt quod tibi offero, ac dedo, benigne
„ recipias. Non ſane multum inde Societas lucrabitur : at magnum ego certe
„ emolumentum capiam. Tu vero Chriſtum Jeſum imitabere, qui *non venit voca-*
„ *re juſtos, ſed peccatores*„. Hæc ille : quibus ad calcem ita ſubſcripſit : *Qui fie-*
ri optat frater ac filius, Alexander Cardinalis Urſinus. Schedulam addidit ſua
pariter exaratam manu, qua rogabat cuſtodiri epiſtolam, ut eſſet perenne ſui
erga nos animi teſtimonium. Quod ad rem attinet, talis viri tam piis & juſtis
vo-

Digitized by Google

votis refragari non licuit. Mutius igitur Alexandrum Urſinum Cardinalem, modo quo petierat, in noſtrum ordinem cooptavit, & exinde in familia Romanæ Profeſſorum domus cenſeri juſſit.

10. Admittitur quo modo admitti Cardinalis poterat.

Verum tanti viri acceſſio ad Societatem non abſterſit omnino dolorem ſane gravem, quem toti creavit Ordini jactura eodem anno facta in Ven. juvene Joanne Berchmans. Hujus nomen ipſum juvenis pro elogio longe maximo eſt. Uſus obtinuit, ut paſſim juvenis intemeratus, juvenis angelicus vocitetur. Cum operaretur philoſophiæ in collegio Romano, ſodales ſibi redditum arbitrabantur Aloyſium Gonzagam: adeo mores illius, & perfectionem omnem expreſſerat. Romam venerat ex provincia Flandrobelgica. Centum cum eo vixerant novitii in tirocinio Mechlinienſi. Multo major ſociorum numerus erat in collegio Romano. Omnes pariter teſtabantur, nihil ſibi in illo notatum unquam fuiſſe, quod reprehendi poſſet, nihil mancum aut mutilum, nihil imo ad veræ ſolidæque virtutis normam non exactum: non ſupervacaneam, aut parum conſideratam vocem, non impetum animi, aut affectum repentinum, quales rationi vulgo præcurrunt, nihil demum quod vel minimum a virtute deflecteret. Ipſe, quod magis eſt, Berchmans morti proximus Virgilio Cepario ſuo tunc rectori candide aperuit, in tali ſuo tempore magno ſibi eſſe ſolatio, quod vitam in Societate actam memoria repetenti nihil occurreret, quo Deum O. M. aliquando ſciens volenſque offendiſſet, aut ullam quantumvis minimam legum noſtrarum violaſſet. Deiparam ſibi in parentem adſciverat adhuc puer, nec ullis ſatis explicari verbis poſſit, ut eam deinde coluerit, ut amaverit. Modeſtia pluſquam virginali uſque ad miraculum ſpectabatur. Sedens, ſtans, inambulans, frontem, oculos, & omnia membra corporis ita gerebat, ut non dubitarent noſtri dicere, ſcriptas a B. P. Ignatio leges de modeſtia, ſi quo interirent caſu, in Joanne reperiendas. Alii feſtive dictitabant, cujus coloris eſſent ejus oculi ſcire omnino neminem, quos nemo unquam vidiſſet. Romæ nunquam adduci potuit, ut nobilium hortos & villas, aut ſpectacula publica, vel pompam Legatorum, Principumve urbem apparatu magnifico ſubeuntium, & alia id genus viſeret, ad quæ viſenda viri etiam graviſſimi, præſertim advenæ, ſolent concurrere. Tantam ejus virtutem mira quædam dulcedo indolis, & nativa oris venuſtas non imitabili modo condiebat. Nihil illo adoleſcente verecundius, nec tamen quidquam affabilius. Idem hilaris ſemper, & ſerius: illud cum gravitate, alterum ſine triſtitia. Nemini uni præ cæteris familiaris: ita tamen in omnes officioſus & comis, ut nemo quiſquam in unum. Quamobrem dijudicari haud facile poterat, utrum ſociis venerabilior eſſet, an carior. Ipſe certe ſe ad omnium indolem miro quodam modo accommodabat: quod cum inter multos ingenio, natione, moribus diſcrepantes arduum ſæpe ac difficillimum ſit, ideo crebris ſermonibus uſurpabat hanc vocem: *Mea pœnitentia maxime eſt vita communis*. Obiit Idibus Auguſti in collegio Romano, annum decurrens ætatis vigeſimum tertium. Paulo ante quam moreretur, cum eſſet jam ſacro peruncto oleo, ſigillum Chriſti crucifixi Roſario implicuit. Mox utrumque libello noſtrarum regularum imponens: *Hæc tria*, inquit, *ſunt mihi cariſſima: cum his libenter morior*. Ita demum obiit, ut omnes pro certo ſumpſerint, immaculatum juvenem ad ſedes beatorum, cum iis forſitan aliquando venerandum, evolaſſe. Communem hanc omnium perſuaſionem & ſpem multa divinitus oſtenſa confirmarunt. Quocirca Gregorius XV. P. M., biennio ab ejus obitu nondum elapſo, quæſtionem de ipſius virtutibus & miraculis habendam decrevit: quæ licet aliquandiu fuerit intermiſſa, poſtremis iſtis temporibus agitari denuo cœpta eſt, urgeturque nunc eo majori ſpe, quod multis & maximis beneficiis ejus ubique fama in dies ſingulos inclareſcit. Natus erat Joannes honeſtis parentibus ac piis Diſtemii, Brabantinæ ditionis oppido, anno ſuperioris ſæculi nonageſimo nono. Anno ſequentis ſæculi decimoſexto inierat Societatem, in qua annos quinque confecit.

11. Mors & elogium Ven. Joannis Berchmans.

Digitized by Google

12. Initia collegii Spoletini.

Inter hæc novum provinciæ Romanæ collegium dederunt Spoletini, qui cum ſemper antea a Societate, neſcio quibus præjudiciis, abhorruiſſent, nunc per occaſionem ſacræ miſſionis adeo mutati ſunt animis, ut res miraculo ſimilis paulo diligentius exponenda videatur. Spoletium, urbem Umbriæ nobiliſſimam, coloniamque olim Romanorum ab Hannibale fugato celebrem, tres noſtrorum venerant rogatu Epiſcopi Laurentii Caſtrucci. Ingratum ſibi acciditſe Patrum adventum, gravemque eorum præſentiam eſſe, non diſſimulabant initio cives. Obloquebantur palam, ipſorum non congreſſum modo, ſed aſpectum etiam vitabant. Patres nihilominus ſuis fungi miniſteriis exorſi ſunt. Cum pergerent diu noctuque in templis, in foro, in viarum capitibus verba facere, aliæ paulatim hominum mentes, alii vultus, Hoſpitium ubi diverſabantur, frequentari jam a nobilium ordine, aliis officii cauſa, aliis ad deponenda conſcientiæ onera adventantibus. Populus eoſdem per urbem incedentes magnis agminibus deducere, concionantes confertim audire, in tribunalibus pœnitentiæ conſidentes quodammodo obſidere. Tanta ad extremum facta inclinatio civitatis, ut qui nuper noſtrorum nec nomen ferre poterant, nunc illos ægre dimitterent. Sic affectis facile perſuaſit Epiſcopus, præclarè ſibi ſuiſque liberis conſulturos, ſi collegium Societatis in ſua urbe fundarent. Rem Magiſtratus ad conſilium publicum refert. Secundiſſima approbatione relatio accipitur. Deliguntur continuo e nobilitate viri graves, & idonei, qui negotium exequi maturent. Ut vulgatum eſt iſtud Senatus conſultum, vix credibile quanto urbem univerſam gaudio compleverit, Lætis fauſtiſque acclamationibus viæ perſonuerunt.

13. Quorum præcipue beneficentia erectum ſit.

Fuerunt qui conceptam inde lætitiam feſtis ignibus, tormentorum exploſionibus, & expoſitis ad feneſtras luminibus indicarent. Primus operi manum admovit Ruggerius quidam, humili ille quidem ortus loco, ſed virtutibus inter paucos locuples, & omnium opinione ſanctus. Is nuper ſodalitium erexerat Spoletii ab immaculato divinæ Matris conceptu nuncupatum. Sodalitio civium permulti aggregaverant ſeſe, ex eorumque largitionibus ſacra ædes parata fuerat, & vectigal neſcio quod conſtitutum. Ruggerius ergo, magis e re divina & bono publico futurum putans, ſi ædes illa cum ſuo qualicunque proventu ad faciendum collegii initium transferretur, id ipſum pro ea qua erat apud ſodales auctoritate perficiendum curavit. At nimis multum adhuc ad rationem collegii deerat, niſi aliunde ſubſidium afferretur. Allatum eſt quam citiſſime. Audiit de poſitis collegii primordiis mercator honeſtus & opulentus Hieronymus Martellus, patria Spoletinus, qui Romæ tunc negotiabatur: eaque re plurimum delectatus, ædificationem domicilii provexit, ac fere ex toto perfecit. Præſenti deinde pecunia, & certis poſſeſſionibus attributis, vectigalia amplificavit, domum inſtrumento domeſtico, ſacra ſupellectili templum inſtruxit: diverſis demum largitionibus nomen fundatoris obtinuit.

14. Res Provinciæ Mediolanensis. Ut ejecta fuerit ex Valle Tellina Societas.

Dum hæc in provincia Romana gerebantur, Societas Mediolanenſis in Volturenam, quam a Tellio oppido Vallem Tellinam vocant, feliciter remigravit. Jacet Vallis Tellina ad alpes Rhæticas: regio anguſtis incluſa finibus, ſed mira ſoli fertilitate. Tria ſunt vallis oppida primaria, Morbenium, Pons S. Jacobi, & Sondrium. Tota regio fuerat olim in ditione Ducum Mediolanenſium; Curienſibus deinde Epiſcopis in poteſtatem tradita fuerat: nunc Rhætorum, quos vulgo Griſones nominant, imperio tenebatur. Semper antea Valtellinenſes, quamvis accolarum plurimi ab Eccleſia Romana deſciviſſent, catholicum cultum non minus pie quam fortiter retinuerant, donec in jus Griſonum traducti fuerunt. Tunc vero ſenſim deflectere ad hæreſim cœperant, ſtimulos ſubjicientibus miniſtris Calvinianis, qui inter eos impune ac libere verſabantur. Horum molitionibus cum reſiſterent valide operarii Societatis, quippe in oppido Ponte, neque hinc procul Bormii ſedem fixam habentes, effecit miniſtrorum improbitas anno ſæculi labentis duodecimo, ne reſiſtere diutius poſſent. Subornato enim Senatu, edictum atrox abſtulerunt, quo totius Gri-

Digitized by Google

Griſonicæ ditionis finibus Societati interdicebatur. Ita anno ante hunc nono, tum ex valle Tellina, tum etiam ex Bormienſi oppido noſtri in exilium acti fuerunt. At cum uſque ad hoc tempus exulaviſſent, ingens ex improviſo facta eſt rerum commutatio, occaſione qua dicam. Exarſerat civile diſſidium inter Griſones ex duarum familiarum certamine, quod paulatim gentem univerſam in cruentas factiones diſtraxit. Dum illi invicem odio ferroque dimicant, ſeque neglecta republica mutuis atterunt cladibus, Valtellinenſes jamdiu eorum pertæſi dominatum, auctore ac duce Jacobo Robuſtello, conſpirationem de excutiendo Griſonum jugo faciunt, & vicinos Bormienſes in ejuſdem ſocietatem conſilii trahunt. Dies erat XI. Cal. Auguſti. Eo die ſimul omnes ex condicto arma ſumunt, præfectos regionis, & miniſtros hæreſeos nihil tale metuentes invadunt, partim in fugam agunt, partim interficiunt. Una die, uno impetu patriam imperio Griſonum, & hæreſi liberant. Conjurationem occulte aluerat Laurentius de Figueroa Feriæ Dux, Prætor Inſubriæ. Is vallem ut vidit vacuam, ac nullos habentem dominos, agmen expeditum ad eam occupandam mittit, populos in clientelam Regis Hiſpaniarum recipit, eoſdemque ſuo liberatori Robuſtello regendos committit. Hæc anno proxime evoluto geſta. Quæ deinde ſecuta ſint, hinc Griſonibus antiquum jus repetentibus, inde Hiſpanis populos, quos in fidem acceperant, defenſantibus, non eſt inſtituti noſtri perſcribere. Quod attinet ad res noſtras, Robuſtellus, aliique gentis principes, triduo ante quam aperte rebellarent, P. Stephanum Menochium provinciæ Mediolanenſis Præpoſitum de tumeſcente ſeditione curaverant admonendum, rogaverantque ipſum maximopere, ut mitteret confeſtim ſuorum aliquos, qui nutanti rei catholicæ ſubvenirent. Sed irritæ fuerant preces. Sentiens Menochius, obtentu religionis illud quæri præterea, ut ſociorum auctoritate populus in defectionis conſilio confirmaretur, poſtulata rejecerat, diſerte negans pati ſe poſſe, ut quiſpiam de Societate vocaretur in ſuſpicionem rei a ſuis inſtitutis, & legibus alieniſſimæ. At poſt felicem conſpirationis exitum, cum nullus relinqueretur ejuſmodi ſuſpicioni locus, pergerentque Valtellinenſes operam Societatis expoſcere, non ægre inducebat animum ut eorum votis annueret. Tamen ſapienter exiſtimans, Epiſcopum Novocomenſem offendi poſſe, ſi Sacerdotes aliunde quam ab ipſo peterentur (ad ejus quippe diœceſim pertinet vallis Tellina), rem omnem rejecit ad Antiſtitem, & ipſius arbitrio permiſit. Eo deliberante, & moras nectente de induſtria, affectatam cunctationem præcidit homo militaris Hieronymus Pimentellus, ſupremus equitum Hiſpanorum præfectus. Dum enim in vallem Tellinam proficiſcitur cum exercitu, expeditionis comitem habere voluit P. Horatium Torellum, quo conſcientiæ arbitro utebatur. Torello, ne ſine ſocio eſſet, comes eſt additus P. Petrus Franciſcus Reyna. Atque ita primi de Societate duo iſti Patres vallem Tellinam, communem utriuſque patriam, poſt novem annorum exilium feliciter reviſerunt. Excepti gratulatione ſumma a popularibus, ſtatim ad delenda quæcunque exiſterent hæreticæ labis veſtigia animum adjecerunt, multaque a Calvinianis miniſtris male corrupta refingenda ſumpſerunt: ut par eſſe videretur ex eorum adventu lætitia populi, utilitaſque rei publicæ. Talia Robuſtellus, aliique gentis primores cum perſpicerent, de retinendis perpetuo Patribus deliberabant. Bormienſes vero reddi ſibi Societatis ſtationem priſtinam optabant in tantum, ut ædes ipſas, quas ante exilium noſtri poſſederant, publico ære redemerint, ac denuo Patribus habitandas obtulerint. At cum Griſones interea vallem armis repeterent, omniaque ad bellum, ad cædem, ad perturbationem publicæ rei ſpectarent, recte exiſtimavit Mutius ſocios inde revocandos, ne odioſis ſuſpicionibus vel inviti implicarentur. Et illi quidem, Præpoſiti Generalis mandata excuſantes, cum bona omnium gratia exceſſerunt. At paulo poſt Pontanis Societatem repoſcentibus nequaquam licuit obſiſtere.

15. Valtellinenſes Griſonum jugum excutiunt.

16. Noſtros expetunt fruſtra tumeſcente ſeditione.

17. Duo noſtrorum in Vallem Tellinam reducuntur.

18. Mox revocantur juſſu Præpoſiti Generalis.

19. Collegium Pontanum reſtituitur.

Jam ante collegium fuerat Ponte, ab Antonio Quadrio honeſtiſſimo cive fundatum. Collegium iſtud in ea quam dixi noſtrorum proſcriptione cum fuiſſet

Digitized by Google

set amissum, cives, statim atque pulsi fuerunt heterodoxi, potestatem nacti habendi quos mallent sacrorum ministros, revocandos in urbem homines Societatis, iisdemque sumptu publico domicilium constituendum decrevere. Ipsa decreti verba subjicio, ut nostris incitamento sint ad gratiam perpetuo referendam hominibus amantissimis, & de nostro ordine præclare meritis. *Illustrissimam Societatem Jesu vocandam, amplectendam, omnibusque humanæ industriæ nervis sibi procurandam statuerunt, ut per ejusdem sanctissimæ Societatis præclarissima instituta universitas Pontis, finitimæque civitates fructum percipiant salutarem & maximum, quem toto orbi Christiano, ex quo exorta est, edidit.* Eodem decreto Pontani mittere constituerant ad provinciæ Præpositum delectos viros, cum ampliſſima potestate transigendi de conditionibus, quibus collegium essent habituri. Sed ne mitterent, justis de causis dissuasit Camillus Quadrius Clericus Societatis, qui tunc forte Pontem advenerat, ut parentis graviter ægrotantis desiderium expleret. Se quammox reversurum ajebat Mediolanum: eundem vero se acturum de ea re cum provinciæ Præposito, perfecturumque ut collegium haberent conditionibus quam æquissimis. Illi interim ut necessaria providerent, in omnem partem se vertere. Præter alia, corrogare a singulis, quantum quisque de suo collaturus esset ad ædificium censumque collegii. Confectum brevi, partim numerato, partim æstimatione, ad quatuor aureorum millia, quibus adhuc plura erant in spe. Nec silenda liberalitas rusticorum, qui cum proprios non haberent fundos, tamen ne nihil pro Patribus in commune conferrent, ligna, & arenam collegio ædificando daturos sine pretio sponderunt. Consenserant præterea, alteras sibi decimas imponi, unde ingens frumenti copia quotannis collegio penderetur. Sed Quadrius, collaudata eorum voluntate, ne ullum de decimis decretum fieret, intercessit. Postremo designatur collegio extruendo locus totius oppidi commodissimus, qui si minus placeret Patribus, fore in eorum potestate ædes habitare quas mallent. His ex Quadrii relatione cognitis, nefas duxit Menochius tam justis, ardentibusque civium optimorum votis obsistere. Continuo Pontem ire jussit quos supra memoravi Patres, Torellum, & Reynam, quibus mox rogatu civitatis etiam ludimagistrum adjunxit. Factum probavit Mutius, novamque sedem Pontanam, etsi censu adhuc angusto, in collegium recipiens, scripsit ad Provincialem, condonandum esse aliquid tam insigni Pontanorum benevolentiæ, perindeque ut in Indiis, ita in valle Tellina multa esse negligenda eorum, quæ ad commodam collegiorum institutionem alibi curari solent.

20. Studia civium erga nos per hanc occasionem ostensa.

21. Fundatur collegium Societatis Savonæ.

In idem interea tempus inciderunt collegii Savonensis initia. Savonæ, quæ notissima civitas est oræ Ligusticæ, ortus erat locuples negotiator Julianus Buchonius, sed in Sicilia mercaturam faciendo consenuerat: ita autem operam augendæ rei dederat, ut simul pietatem eximie coleret. Cum nullos haberet liberos, quos bonorum suorum hæredes institueret, præclare se consulturum putabat civium suorum commodo, si Societatem in patria collocaret. Dedit ergo ante annum litteras ad Savonensem magistratum (Seniores vocant), deliberatum sibi esse significans, si cum bona civium venia liceret, in communi patria collegium Societatis condere. Acceptum est cum actione gratiarum quod a Buchonio offerebatur: nec ita multo post de ipsius morte nunciatum est. Savonæ jus dicebat hoc tempore pro republica Genuensi vir nobilissimi generis Marcus Antonius de Auria, qui pro ea qua erat in nostrum ordinem voluntate, præcipuum præturæ suæ fructum putabat, quod se prætore Societas Savonæ domicilium figeret. Civitati proinde stimulos subjiciebat, ut rem exequi maturaret. Nihil moræ fuit ex parte civitatis. Initio hujus anni Seniores rogabant Mutium per litteras, ut accepto testamento Buchonii nuper in Sicilia mortui, mitteret continuo Savonam suorum aliquos, per quos condendi collegii initium fieret. Si minor esset hæreditas, quam ut ad aptam ejus institutionem sufficeret, suppleturos ajebant de suo cives, qui domum Societatis in loco beneficii longe maximi ponerent. Morem Savonensibus geri jussit Mutius, ejusque auctoritate

Digitized by Google

tate missi illuc sunt eodem anno Sacerdotes duo, ac totidem latinitatis magistri, qui novæ sedis possessionem caperent. At enim magistri parum abfuit quin protinus revocarentur, cujus rei hæc fuit causa. Statio Savonensis, etsi censu justo dotata, nihil adhuc percipere certi proventus poterat ad alendam familiam; quippe fructus hæreditatis in liberandis ipsius bonis, & ære alieno dissolvendo impendebantur. Cum id vulgo notum esset, promiserant initio aliqui civium in alimenta magistrorum pensionem annuam, toto biennio persolvendam. Nunc vero, ut fidem liberarent suam, domos singulas concursabant, & ubicunque adolescentes invenerant Societatis gymnasio addictos, certum pecuniæ numerum, quasi mercedem magistris debitam, imperabant. Non ignorabant de hac pecuniarum exactione Patres: nihil tamen movere contra audentes, connivebant quodammodo. Demum, ut in re dubia, Præpositi Generalis sententiam exquirere statuerunt. At Mutius, rem improbans vehementer, mirari se rescripsit, potuisse dubium videri quod in legibus Societatis apertissimum esset. Nisi aliter sustentari possent magistri, omnino esse dimovendos. Prius occludendas scilicet scholas, quam solvendam legem inter nos sacerrimam, qua jubemur dare gratis quæ gratis accepimus. Sic ille ad normam juris, qua metiri omnia solebat. Verumtamen Provincialis, ne Savonensibus ægre faceret, & scholas retinuit, & aliunde sumptus in alimenta magistrorum providit. Idem annus Pinarolensis collegii natalis fuit. Jacet urbs ad imas Alpium radices, amplitudine & frequentia, ut tunc erat, nulli subalpinarum secunda. Cives, licet accolis ad novas hæreses passim inclinantibus, catholicæ professionis retinentissimi erant, eamque ob causam maxime existere optabant unum aliquem, qui sedem apud se stabilem Societati daret. Cum nondum extitisset hactenus, neque facile extiturus in posterum videretur, re in communi deliberata, præstandos de publico sumptus familiæ Sociorum minimum quatuor decreverunt. Haud facile Mutius istiusmodi paucorum capitum domicilia recipiebat: tamen Pinarolense non ægre admisit. Inde enim munitiorem videbat fieri civitatem adversus hæreticorum molitiones & fraudes, quibus ad hoc usque tempus feliciter restiterat. Ut deinde collegium Pinarolense inter varias bellorum vices amissum receptumque fuerit, ut ad Lugdunensem provinciam translatum sit, ut postremo ad Mediolanensem redierit, suis infra locis narrandum erit.

22. Stipendium pro magistris exigi Mutius vetat.

23. Ortus collegii Pinarolensis.

Convertimur nunc in provinciam Venetam, ac primo exponendam loco sumimus rem momenti gravioris, prudenti consilio tentatam, quantumvis irrito. Societatem ex omni Venetorum ditione exulare jussam fuisse, narratur fuse a Juvencio in quinta parte. Jam ergo placuit experiri, si quo modo in eorum gratiam, & in pristinas sedes restitui posset. Vertebat annus exilii nostri sextus decimus, nec post redintegratam inter Venetos & Pontificem maximum pacem, quisquam ausus fuerat causam Societatis apud Senatum suscipere. Henricus Galliæ Rex, omnia expertus frustra ut in conditionibus pacis comprehenderetur etiam Societas, nihil ultra super hoc negotio movendum statuerat. Pontifex Paulus V., ut rem maxime cuperet, tamen nondum satis maturam dictitans, infectam reliquerat. Multi sæpe domi forisque auctores fuerant Claudio, ut negotium suum ageret ipse per sese, & Senatus clementiam per litteras imploraret. Id eo maxime faciendum putabant, quod non deerant Venetiis qui Societatis silentium in sequiorem partem acciperent, & superbiæ verterent: quasi vero Jesuitæ, tot alibi Principum gratia florentes, parvi penderent quo demum loco essent apud Venetos, aut de rebus suis jactanter adeo insolenterque sentirent, ut rogari potius vellent, quam ad preces descendere. Mortuo Aquaviva, idem suadebant aliqui Mutio: idem illi Congregatio generalis nominatim injunxerat. Sed obstitit semper quamdiu vixit Pontifex Paulus V., unum esse se inquiens, a quo posset negotium illud confici, ac plane deberet. Nunc igitur Paulo e vivis sublato, ejusque in locum suffecto Gregorio XV., visum Mutio, non ultra differendam rem toti ordini optatissimam. Qualiscunque futurus tandem esset exitus, aliquid conari oportere. Multa porro ad bene spe-

24. Res Provinciæ Venetæ. Tentatur restitutio Societatis in ditionem Venetam.

Digitized by Google

sperandum occurrebant. Primo novi Pontificis summa gratia apud Venetos: ejus deinde benevolentia erga Societatem eximia: postremo susceptum causæ patrocinium a Ludovico Galliarum Rege, qui Hannibali Duci Estræo ad Italos Principes legato mandaverat, ut Venetiis ageret regio nomine in Senatu de revocanda in sedes pristinas Societate. Nec vero erat dubitandum quin Estræus, vir nostri ordinis studiosissimus, negotium a Rege injunctum serio peragere. Frætus ergo tot tantisque bene sperandi causis Mutius, re prius cum Assistentibus deliberata, Veneti Principis majestatem adiit per litteras, quarum hæc ferme sententia. Flagrans esse, & commune votum universæ Societatis famulari Reipublicæ sereniſſimæ, eique quibuscunque posset modis obsequi. Manere quippe impressam omnium mentibus memoriam veterum beneficiorum, quibus Veneti Beatum Parentem Ignatium primo, & consecutis deinde temporibus ejus filios demeruissent. Ne hanc suorum voluntatem antea per litteras significaret, prohibitum se fuisse partim suo pudore, ac reverentia tanto Principi debita, partim etiam metu nescio quo, cujus nec leves essent causæ, nec occultæ. Cæterum ex quo Societati præesse cœpisset, nunquam desiisse quærere, si qua pateret ad id præstandum sine nota temeritatis via. Patefactam eam denique sibi videri per clementissimas Gregorii Pontificis, & Christianissimi Regis commendationes. Sperare vero se, talium deprecatione & interventu Principum motum iri sereniſſimum Ducem, & ampliſſimos Senatores, ut quantumvis seram officii significationem humaniter suo more recipiant. Demum orare atque obsecrare, ne respuant tot religiosorum vota, quorum multi in ditione Veneta nati educatique sint, omnes operam suam, labores, & vitam ipsam impendere Venetorum obsequio cupiant. Hæc summa litterarum, quibus tamen nihil profectum. Lectæ fuerunt in Senatu litteræ. Corrogatis autem sententiis, placuit majori parti Senatorum, standum esse decretis ante annos sexdecim factis contra Societatem. Nihilo plus valuere officia Ludovici Zacchiæ Episcopi Montisflasconis, & Hannibalis Estræi, quorum prior Pontificis, alter sui Regis nomine causam Societatis peroravit. Omnia permoverunt viri egregii, ut decreta illa abrogarentur, sed nullo effectu. Immotus ad omnia Senatus perstitit. Causa repulsæ tam potentibus deprecatoribus datæ vulgo rejecta fuit in epistolam Veneti apud Regem Galliarum Legati, qua scribens ad Senatum, scire se ajebat, Ludovicum Regem, quæcunque oratori mandasset suo, feciſſe impulsu Jesuitæ, quo utebatur a confessionibus: cæterum haud magnopere laborare, quid super eo negotio Venetiis decerneretur.

25. Litteræ Præpositi Generalis ad Senatum.

26. Senatus persistit in priore sententia.

Sed quæ demum fuerit causa, repulsæ dolorem paululum minuerunt qui eodem tempore Societatem incredibili studio postulabant, Comaclenses, Carpenses, atque Plebenses. Comaclum, urbs haud ignobilis in Ferrarienſi, cum pauciores haberet Sacerdotes, quam ut suorum civium & advenarum frequentiæ essent satis, coloniam Societatis flagitabat ardore tanto, ut nullam conditionem respueret. Comaclenſium votis favebat Jacobus Cardinalis Serra legatus Ferrarienſis, proindeque negotium cum Generali Præposito per litteras conficiendum suscepit. At Mutius, qui obfirmasset parva hujusmodi domicilia non admittere, excusato apud Cardinalem animi sui proposito, tantum obtulit duos tresve Sacerdotes, qui Comacli ad præfinitum tempus degerent, & urbem interea usitatis ministeriis excolerent. Visi ad hæc acquiescere Comaclenses. Sane pro statione perpetua, quæ negabatur, temporariam, quæ ultro offerebatur, libentissime admiserunt. Ecce autem post sesquimensem instare denuo crebris apud Mutium litteris: vellet jüberet sociorum mansionem Comacli stabilem ac perpetuam esse: daret id addictissimæ urbis desiderio, daret precibus civium, qui in ea re maximam partem publicæ felicitatis constituissent. His Mutius admodum officiose respondit: sed tamen sententiam non mutavit. Quare Patres, post quinque circiter menses Comacli perquam utiliter positos, mœrentibus frustra civibus excesserunt. Pari Societatis desiderio tenebantur Carpenses, eamque ita sunt consecuti, ut quæ ibi statio per hoc tempus est posita, paucis post an-

27. Comaclenses stationem temporariam Societatis impetrant.

Digitized by Google

annis ad juſtam collegii molem excreverit. Carpi, quod nobile oppidum eſt in ditione Mutinenſi, natus erat inſignis ille, ac memoriæ ſemper colendæ vir Bernardinus Realinus, cujus alibi obitum & ſanctitatem commemoravimus: ferebaturque celebre ejus vaticinium, fundatum iri Carpi domicilium Societatis, poſt quam in eam tres fratris ſui filii nomen dediſſent. Oraculi partem unam, quæ erat de fratris filiis, jam pene eventus affirmaverat. Duobus enim Societatem ingreſſis, tertius adhuc puer paſſim profitebatur, ſe quoque illis adjungi velle. Pars altera de collegio Carpi erigendo, nemo dubitabat quin eſſet effectum ſimiliter habitura. Sed civibus noſtri ordinis cupientiſſimis longum videbatur opperiri diutius. Accidit ut Joannes Baptiſta Aquiſtapacius, civis Vicentinus, & Mutinenſis Ducis primarius medicus, hæredem bonorum ſuorum faceret Societatem ea lege, ut uſusfructus relinqueretur conjugi, tribuſque filiabus, dum viverent, his vero mortuis, collegium Carpi conderetur. Longior hæc viſa civibus mora. Principi ſuo Cæſari Mutinenſium duci ſupplicant, ut donec Patres hæreditatem Aquiſtapacii accepiſſent, liceat ſibi illis intra urbem locum dare, & ſubſidium annuum de publico conſtituere. Ad hæc poſtulata, non ſolum annuit prolixe Princeps nobis addictiſſimus, verum etiam tanti ſe facere Societatem reſpondit, ut eam in ſuum quoque cubiculum, ſi res ita ferret, nedum in oppidum ſuæ ditionis eſſet admiſſurus. Nec eo contentus, vota Carpenſium talibus deinde provexit litteris apud Mutium, ut is, tametſi deliberatum haberet omnia paucorum capitum domicilia reſpuere, tamen validæ petitioni tanti, atque ita de ſe meriti Principis morem gerendum exiſtimaverit. Decernitur ergo reſidentia Carpenſis, quæ hoc anno cum latinitatis magiſtro poſita, ſucceſſu temporis ad collegii formam pervenit. Similis formæ domicilium fuerat cœptum apud plebem Centi (oppidum id eſt Ferrarienſis provinciæ non contemnendum), ſed diſſimilis fuit exitus. Joſeph Maſtellarius, vir ſummæ inter ſuos auctoritatis, acris idem ingenii, & in agendo multum efficax, cum populares habendæ Societatis deſiderio incendiſſet, tot inſtitit apud Mutium, tum voce coram, tum per iteratas litteras precibus, ut demum in ſuam ſententiam invitum nolentemque traxerit. Dati itaque fuerunt Plebenſibus aliquot operarii cum ludimagiſtro, qui politiores litteras profiteretur: ea tamen præſcripta conditio, ut niſi collegium intra quinque annos eſſet apto cenſu fundatum, noſtri abirent. Haud facile explicari poſſit, quanta civium gratulatione excepti in illo oppido Patres, cultique fuerint. Vix uſpiam alibi domicilia Societatis commodius feliciuſque initium habuere. Unum curare videbantur omnes, ne quid deeſſet novis hoſpitibus, ne quid noceret. Officiis erga illos ſummi pariter infimique certabant. Quodque ad rem magis pertinet, non alios jam præter eos habebant conſcientiæ moderatores, non alios ſacrorum cauſa adibant. Una tantum re angebantur graviter, quod viderent, ad implendam de qua convenerat conditionem plus ſibi voluntatis eſſe, quam virium. Hanc illorum ſollicitudinem ſolus ſublevabat Maſtellarius: vir quippe magni animi, nihil deſperandum, nihil non audendum putans, vias parandi cenſus multas & varias inibat. Verum id agentem mors oppreſſit: quo ſublato viro, cum reliquis facultas ſimul & ſpes perficiendæ rei deeſſet, quinquennio elapſo ſtationem dimiſimus.

28. Initia collegii Carpenſis. Vaticinium V. P. Realini circa illud.

29. Singularis erga nos benevolentia Cæſaris Mutinenſium Ducis.

30. Inchoatur in plebe Centi collegium, & mox diſſolvitur.

Provincia Sicula, præter domeſtica quædam funera, nihil hoc anno exhibet ſingulari memoria dignum. Duo præſertim deſiderati ſunt rei domeſticæ adjutores, Bernardinus Laſirica, & Michael Florius, quos Fratribus Societatis ad exemplum religioſæ vitæ proponimus. Laſirica, Pugnadæ prope Miletum ortus in Brutiis, annos omnino ſexaginta quatuor apud nos ita vixit, ac ſi expers omnis humanæ cupiditatis eſſet. Nullum miniſterii genus, quod abjectum & laborioſum eſſet, refugiebat. Sutoriam, lignariam, murariam diverſis temporibus exercuit: omnia cum approbatione domeſticorum ſumma, neque patienti ſolum animo, ſed etiam hilari libentique. Mundare quotidie poſt menſam patinas proprium ſibi munus fecerat: ſolitus propterea peniculum e cingulo ſuſpen-

31. Res Provinciæ Siculæ. Mors & elogium Fr. Bernardini Laſiricæ.

Digitized by Google

ſpenſum perpetuo geſtare, quaſi miniſterii ſui glorioſum inſigne. Longævum infirmumque præſides juſſerant labore illo abſtinere. Laſirica ob eam rem auditus prope in morem pueri ejulare, ac plangere: ut miſericordiæ fuerit revocare præceptum, quo ille uno in omni vita contriſtari viſus, & rem adeo concupitam iterum optimo ſeni permittere. Domo nunquam efferebat pedem ſua ſponte, nunquam animi & voluptatis cauſa: idem tamen, ſi cuipiam eo comite opus eſſet, ſemper expeditus & promptus. Summa illi, ac fere aſſidua cum Deo mentis conjunctio. Inopiæ amor tantus, ut in veſtitu nihil niſi obſoletum, ac vetuſtate detritum admitteret. Quadratum pileum Clericorum, propterea quod audierat laicis minus apte congruere, etſi tunc liceret, nunquam adhibuit. Viri ſanctitatem mirabantur externi pariter ac domeſtici, fueruntque non pauci, qui accepta a Deo beneficia ejus precibus retulere. Obiit in Panormitana Profeſſorum domo VI. Cal. Junias, annos natus octoginta ſex. Florius patria Catanenſis, jam inde cum primum iniit Societatem, atrox ſibi bellum indixit, quod ad ultimum uſque ſpiritum continuavit, nullis unquam pactis induciis, nulla ceſſatione admiſſa. Quotidie ſe flagris immaniter diverberabat. Brevem carpebat ſomnum, eumque ſedens plerumque, & indutus. Omni exquiſitiore cibo abſtinere, uti inſtituerat ab initio, ita perrexit uſque ad extremum. Occubuit vero, ut militem fortem decet, armatus, & a conflictu recens. Eodem quippe obitus ſui die, qui in Nonas Novembres incurrit, collectis quæ ſupererant viribus, flagello ſe cruentavit, neque ſe lecto prius abjecit, quam exinanitus eſſet omnino, & proxime moriturus videretur. Inſigne cum primis eſt quod de ipſius abſtinentia tradunt. Syracuſis curandis prædiis cum fuiſſet adhibitus, pomarium in ſuburbano conſevit lectiſſimis plantis: nullum tamen ipſe pomum ex tam multis guſtaviſſe unquam dicitur. Hac vitæ auſteritate Florius innocentiam tutatus eſt: hac ad ſubliniorem perfectionis apicem viam ſibi communivit. Vir nullis excultus litteris, tantam ex aſſidua meditatione adeptus erat rerum divinarum ſcientiam, ut cum ſermonem de illis inſtituebat, doctiſſimos quoſque detineret, & multis partibus erudiret. Deceſſit Syracuſis octogenario major: eademque hora viſum e longinquo collegium collucentibus circum flammis ardere. Suprema funeris cives incredibili frequentia, ac publica ſanctitatis acclamatione honeſtaverunt: certatumque eſt inter multos, ut ex ejus veſtibus laciniam quiſque decerperet.

32. Obitus & elogium Fr. Michaelis Florii.

33. P. Julii Mazarini virtutes, & quædam naturæ vitia.

His adderem, nec immerito, P. Julium Mazarinum magni nominis concionatorem, niſi eximias ejus laudes nimia quædam aſperitas in agendo, & affinis vitio durities ex parte corrupiſſet. Tamen, ut leves in magna luce maculæ facile condonantur, non alienum fortaſſe erit tam illuſtris viri vitia, quæcunque ea fuerint, virtuteſque perſtringere: illa ad documentum poſteritatis, has ad commendationem ipſius. Nonnullis in Societate præfecturis perfunctus eſt Mazarinus: ſed indolem nactus ferream, nulliſque cujuſcunque precibus, aut officiis flexibilem, ubicunque magiſtratum geſſit, multos potentiorum offendit. Venerat initio Genuam cum poteſtate rectoris, habueratque a Præpoſito Generali mandata, ut deceſſorem ſuum P. Gaſparem Loartem remitteret in Hiſpaniam. Loarte matronarum plurimæ utebantur a confeſſionibus: quæ veteri ſuo duce, & conſcientiæ arbitro privari cum ægre ferrent, communes dederunt ad Mercurianum Generalem litteras, enixe rogantes, ut hominem ſibi cariſſimum, ac porro utiliſſimum abire Genua ne pateretur. Simul Mazarinum obſecrant, ut illum remoretur paululum, donec ſaltem ab urbe Roma reſponſa perferantur. Negat homo auſterus id licere, & Loarti nihilominus profectionem indicit. Adſunt ex proceribus multi ac validi deprecatores: inſtant officiis, precibus, minis, ut paucorum dierum dilationem impetrent. Nihil flectitur. Quin in ſententia obfirmatior, hoc magis Loartem ad diſceſſum maturandum compellit. Paratam jam navim, & propediem vela facturam Genuenſes portu egredi non ſinebant. Ille aliam conducit magno pretio, & noctu Loartem dimittit, ignaris, invitiſque omnibus. Pupugit indignitas rei Genuenſem

34. Genuenſium procerum gravis offenſio ob ejus duritiem.

Digitized by Google

ſem nobilitatem. Nemo fuit, qui non vehementer ſtomacharetur, rectoremque noſtrum ruſticum plane hominem, & inurbanum diceret. Utque ita paſſim uſuvenit, unius culpam, ſi maxime præſes ille ſit, in omnes ejuſdem ordinis derivari, magna inde invidia Societati univerſæ conflata eſt, magna in templo noſtro ſolitudo facta. Malo ut mederetur Præpoſitus Generalis, Mazarinum præfectura privavit, & ad conciones tranſtulit. Anni poſt hæc fluxerant ferme triginta, cum Claudius, mollitum ætate & rerum uſu hominis ingenium putans, eum a concionibus revocatum magiſtratibus admovit rurſum, & domui Profeſſorum Panormitanæ præfecit. At quæ ſunt naturæ vitia, non ſeneſcunt ætate, vix ulla diuturnitate temporis corriguntur. Mazarinus denuo poteſtatem adeptus, denuo ad eumdem offendit lapidem. Erat Panormi Joanna Auſtriaca, recens Buteræ Principi nupta. Hæc unum aliquem e noſtris Sacerdotibus poſtulabat, qui adiret ſubinde ejus domum, & familiam privatis concionibus excoleret. Mazarinus hæc illi totidem verbis renunciari a ſe jubet: patere omnibus templum Societatis, nec eſſe cur gravaretur accedere ejus familia, quo viri principes, quo matronæ regni primariæ quotidie ventitarent. Repulſam, & illiberale reſponſum, ut pronum erat, indigniſſime tulit femina magnarum opum, juvenis, & Caroli quinti neptis. Excanduit, & quamquam antea Societatis amantiſſima ſemper fuiſſet, aliam momento induens mentem, averſari cœpit noſtros in tantum, ut jam eorum nulli aditum ad ſe daret. Mazarinus ob eam rem male ſibi metuens a Generali Præpoſito, magiſtratum ultro dimiſit, & inſula quam maturrime cedens, Bononiam recepit ſeſe, ubi quod reliquum fuit vitæ cum laude conſumpſit uſque ad Nonas Novembres anni labentis, quo die ſubita apoplexia correptus occubuit. Hæc ſi demas, quæ etiamſi ex bona mente profecta, nec probari omnino, nec defendi poſſunt, Mazarinus inter præſtantiſſimos ſui temporis viros merito cenſendus ſit. Eodem certe privato modeſtius nihil, nihil affabilius, aut religioſius. Oratoria laude ita florebat, ut ejus eloquentiam pleræque Italiæ urbes certatim expeterent, ac mirarentur, nec fere alium in dicendo parem invenirent. Multa illi cum ſummis viris neceſſitudo, cum ob morum integritatem eximiam, tum etiam ob quamdam in familiaribus colloquiis gravitatem jucunditate mixtam, qua omnes mirifice capiebantur. Denique cum eſſet, non ſolum oris facundia, ſed etiam libris editis apprime clarus, non ſine Societatis damno ac mœrore finem vivendi fecit, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo. Panormi natus erat, ex ejuſque fratre geniti ſunt Julius ille Mazarinus, cujus notiſſimum ubique eſt, ſed præſertim in Gallia nomen, & Michael Mazarinus, ambo S. R. E. Cardinales. Atque hæc de rebus Italicis.

35. Parem offenſionem incurrit Panormi.

36. Nonnulla de ejus laudibus indicantur.

Ad Polonicas tranſgredienti offert ſe primo beatus juvenis Stanislaus Koſtka, cujus hoc anno ſacrum caput ex urbe Roma in illud ejus natale ſolum delatum eſt. Deferendi quæ fuerint cauſæ, quæ inde ſecuta ſit in rem Poloniæ publicam utilitas, paucis expediam. Sigiſmundus III. Rex, imminentes cum innumerabili exercitu, & in exitium Poloniæ conjuratos Turcas videns, ut humanis præſidiis undique conquiſitis divina jungeret, poſtulavit a Præpoſito Generali caput beati juvenis, cujus fauſtum nomen ac patrocinium experta non ſemel erat Polonorum reſpublica. Negari non potuit quod a tanto Rege, in tanto diſcrimine, tam enixe petebatur. Pretioſum ergo pignus tradidit Mutius Regis Oratori, a quo ſumma ſuſceptum pietate, ſumma quoque celeritate devectum eſt in Poloniam. Prius quam regni finibus exciperetur, ingraveſcebat in dies periculum a turcis. Eorum licet centena fere millia deleviſſet Ladislaus Sigiſmundi regis filius, & regni limen perrumpere tentantes fortiſſime repuliſſet: idem tamen milite, annona, commeatuque deſtitutus, vinci ac perire intra biduum cogebatur, cum reſtarent adhuc recentes & integræ hoſtium copiæ ad trecenta minimum millia. In his anguſtiis, ecce tibi B. Stanislai caput Poloniæ fines intrat: eodemque tempore, mirum dictu! Oſmanes Turcarum Imperator, qui non tam pugnæ, quam victoriæ, ut ſperabat, futurus teſtis ac-

37. Res Poloniæ. Defertur in Poloniam caput S. Stanislai Koſtka.

38. In ejus adventu terga vertit Turcarum exercitus.

Digitized by Google

ceſſerat, pacem ultro ſupplex à Polonis orat, de reditu paciſcitur, ac terga vertit. Tam incredibilem rerum converſionem, tam inexpectatam & indecoram hoſtis ſuperbi in tanta victoriæ facilitate fugam, beato Stanislao deberi agnovit omnis Polonia, nec obſcure Deus ipſe docuit. Sane eo ipſo die, quo Turcæ de reditu pacti ſunt (is erat VI. Idus Octobres) aliquot pii Sacerdotes, quorum exſtant jurata teſtimonia, belli totius felicem exitum divinitus cognoverunt in hunc modum. Videre ſibi viſi ſunt, hinc ſparſum in ingenti campo, horrentemque armis Turcarum exercitum, inde oppoſitas Polonorum copias ad oppidum Chozimum, ubi de rerum ſumma certabatur. Sublimis apparebat B. Virgo, ſplendenti vecta curru, & puerum Jeſum complexa. Ad ejus pedes provolutus hærebat Stanislaus ſupplicantis ritu, oculos ad Virginem, dextram ad caſtra Polonorum intendens, & opem poſtulans: quem divinus puer ore læto, & prominentibus e materno ſinu brachiolis aſpectans, voti compotem facere videbatur. Hæc oblata Sacerdotibus ſpecies congruere omnino cum rei veritate deprehenſa eſt, ita ut in eundem diem & viſum, & victoria prorſus caderent. Quod ubi promulgatum fuit, continuo gratiæ ſolemnes Beato Stanislao perſolutæ fuerunt: tota autem viſio variis in urbibus ad documentum poſteritatis depicta eſt. Exſtat etiam nunc Cracoviæ in templo SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & magnificentiſſimo Stanislai ſacello ingens tabula, eique ſubjectæ leguntur iſtæ voces rem totam explicantes. *Dum Oſmanes Turcarum Imperator, inſigni ſuorum clade ad Chozimum bello Dacico adactus, de pacis fœdere ſanciendo cum Polonis hæreret, Beatiſſima Dei Mater, unicum Chriſtiani nominis propugnaculum, cum infante Jeſu rheda invehi conſpecta eſt, præſentem Poloniæ opem allatura, ſupplicante coram B. Stanislao Koſtka Societatis Jeſu pro patria pene extremum tunc periclitante. Jam vero Sigiſmundo Rege cum univerſæ nobilitatis ordinibus ad caſtra ſui exercitus procedente, dum hoſtis inglorius finibus excedere cogeretur, eo ipſo tempore ſacrum Divi hujus tutelaris caput alia regni parte in Poloniam communi omnium ſolatio inferebatur per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. Achacium Grockoroski Epiſcopum Luceorienſem, Roma ab A. R. P. Mutio eidem Sereniſſimo tranſmiſſum.*

39. Documentum victoriæ Staniſlai patrocinio relatæ.

40. Ejuſdem beneficii monumentum Cracoviæ.

Neceſſe non eſt enarrare fuſius, quibus populi gaudiis, qua celebritate, Varſaviam ad regni ſedem perductum fuerit ſacrum Stanislai caput. Occurrit ipſe Rex Sigiſmundus cum toto aulico comitatu. Ipſe Poloniæ patronum, ac liberatorem patriæ conſalutans, thecam rite obſignatam aperuit, exceptumque manibus caput venerans, primo oſculatus ipſe eſt, deinde oſculandum proceribus dedit. Paratum erat pretioſiſſimum, & affabre elaboratum ex auro caput, tot ornatum gemmis, tot unionibus diſtinctum, ut nihil vel regia pietas, vel dignitas tanti muneris poſſet optare ſplendidius. In eo Rex cariſſimum pignus juſſit includi, incluſumque, ac rite compoſitum ipſe in ſuo regali Varſaviæ ſacello collocavit. Inde illud efferebat quotannis, recurrente B. Stanislai feſto die. Aderat ſemper Sacerdos Societatis, noſtrorum ibi præſes, qui e Regis acceptum manibus imponebat aræ, & rem divinam auguſtioribus cæremoniis faciebat. Sigiſmundus regali veſtitu amictus, ac Polona ſtipatus nobilitate, ſolemni ſacrificio intererat: quo peracto, ipſe omnium primus, deinde Regina, tum regii liberi, poſtremo Senatus cum aula univerſa, procedebant venerabundi ad propoſitum in altari caput, illudque pio ſingillatim oſculo libabant. At quoties bellum ingrueret, non ante Rex induebat arma, & in hoſtem gradiebatur, quam ex illo capite auſpicium pugnandi, & omen victoriæ cepiſſet: futurum omnino ſperans, ut cujus opem præſentiſſimam ſenſerat contra barbaras vires ex Europa Aſiaque collectas, ac Poloniam inundantes, ejuſdem adverſus hoſtes minoris molis patrocinio frueretur.

41. Transfertur Staniſlai caput Varſaviam.

42. Quo cultu habitum deinde fuerit.

Regis ac populi pietatem vehementer auxerunt innumera miracula, S. Stanislai deprecatione ac meritis hoc anno edita, quorum nos unum & alterum duntaxat ex ingenti acervo decerpimus. Poſnaniæ ludebat in ripa fluvii Wartæ, qui urbem perfluit, puerorum caterva. Ex iis Stanislaus quidam decem-

43. Puer mortuus ad vitam revocatur ope S. Stanislai.

an-

Digitized by Google

annos natus, a ſocio impulſus, in flumen gelu conſtrictum decidit. Quo loco decidit, patebat hiatus ingens; glacies enim perrupta de induſtria fuerat ad hauriendam aquam. Quare puer abreptus ſubter glaciem longe proceſſit, opem inclamantibus fruſtra ſociis, & concurſante ripam populo, ad illum, ſicubi glacies dehiſcens exitum aperiret, excipiendum. Jam horæ fluxerant tres, nec puer infelix uſquam apparebat. Caſu accidit, ut præterirent duo noſtri litterarum profeſſores. Exciti clamore, ad ripam populo conclamante ac miſerante differtam advolant. Subiit illos pariter miſeratio, eoque major, quod puerum eſſe lutheranum audiebant. Unus eorum tamen animoſior, nomine Chriſtophorus Chzaſtoroski, divino motus inſtinctu eſt, ut in genua procumbens hortaretur populum ad implorandam B. Stanislai opem, cujus patrocinio allatum iri puero ſalutem confidebat. Omnes continuo humi ſe abjicere, omnes B. Stanislaum auxilio vocare. Nondum finita prece, apparet pueri cadaver ſumma in aqua, ſtirpibus ac virgultis implicatum. Nam cum plurimi ripæ prætenti eſſent pali, ut aqua pauliſper compeſceretur, & ad verſandas duas moletrinæ rotas copioſior affluereret, illud impetus fluminis ad ipſas rotas violenter raptaverat, quibus non fuiſſe in fruſta diſcerptum, comminutumque, omnes mirati ſunt. At dum ad poſteriorem rotam delabitur, hæſerat majore retentum palo inter algam, & fruticeta. Eductum e flumine, & in ripa ſtratum contemplatus eſt diligenter medicus, & excuſſit: iis vero, a quibus trepide vocatus fuerat, ſuccenſens, mortuis opus eſſe dixit pollinctore, non medico. At religioſum Societatis, quem invocandi Stanislai auctorem fuiſſe dicebamus, fiducia non deſeruit. Omnino ſperavit fore, ut qui beneficii partem unam dederat invento corpore, alteram quoque adjungeret, vita eidem reſtituenda. Urget circumſtantes, ut B. Stanislao ſecum enixe ſupplicent, ab eoque pueri vitam exorent. Dum id maxime agunt, movet ſe repente cadaver, & vivere deprehenditur. Mox aſſurgens, vires priſtinas, & valetudinem inceſſu, cæteriſque ſignis minime dubiis teſtatur. Attonitus prodigio tam evidenti, cujus tot erant oculati teſtes, quot in ripa conſtiterant cives, Martinus pater pueri lutheranus, conceſſit filio, & duabus ejus ſororibus, ut catholicam deſerto Luthero fidem ſequerentur. Ipſe, metuens ne deſereretur a ſuis gregalibus, quos inter quæſtuoſam chirurgi artem exercebat, non eſt auſus profiteri palam catholicam religionem: de qua tamen quid interne ſentiret, ſatis oſtendit, dum vitam filii acceptam retulit Stanislao, & beneficii memorem tabellam argenteam ad ejus imaginem appendit in templo Societatis. Paulo minorem habuit admirationem Varſaviæ repentina & certa ſanitas, quæ Stanislai patrocinio eſt reſtituta viro præ-

44. Aliud Stanislai miraculum inſigne.

nobili, & copiarum ductori Nicolao Stogneo. Evenit cœnanti cum aliquot militibus Decembri menſe, ut oſſiculum faucibus tranſverſum inhæreret adeo pertinaciter, ut nec in ſtomachum trajici, nec ejici per os poſſet. Ingeſta ſolidi panis fruſta, inditum oleum, ferramenta denique adhibita nihil profecerant. Jamque intercluſo ſpiritu, acciſis viribus, livido colore ſuffuſus prope aberat ab interitu. Diffugientibus qui una cœnabant amicis, ne miſere pereuntem cernerent, converſaque in mœſtitiam funebrem hilaritate convivii, evocatur P. Andreas Lavicius noſtrorum rector, ut noviſſimam morienti abſolutionem impertiat. Lavicius, poſt impenſas animæ primas curas, de ſalute corporis non deſperans, immittit in vini ſcyphum particulam reliquiarum B. Stanislai, & poculum ægro porrigendum curat. Succeſſu non caruit fiducia. Infuſa vini ſtilla tumidis faucibus oſſiculum momento protruſit in ſtomachum, & præteriti morbi ſolam reliquit recordationem: quam P. Lavicius, & periculo defunctus Stogneus publicis teſtatam tabulis, & jurejurando firmatam eſſe voluerunt. Ejuſmodi curationum multæ recenſentur in vita Stanislai, quæ quia in alios annos inciderunt, hoc loco omittuntur.

Ad præſentem pertinent plura Societatis domicilia, aut condita, aut inchoata intra Poloniam, de quibus aliquid attingendum hoc loco eſt. Breſta, non illa Poloniæ majoris in Cujavia, ſed altera intra fines diœceſeos Luceo-

45. Fundatur collegium Breſtenſe.

rien-

Digitized by Google

rienſis, erat ſectarum omnium quaſi commune receptaculum. De collegio ibi fundando deliberaverat ante annos plures Stephanus Bathoreus Poloniæ Rex, ſed ejus pie cogitata mors interceperat. Rem eamdem aggreſſus deinde ille noſtri ordinis amantiſſimus vir, cujus eſt alibi facta mentio, Paulus Volukius Luceorienſis Epiſcopus, duos Breſtæ collocaverat in domicilio ſtabili Patres, qui collegii mox condendi prima quaſi fundamenta præſtruerent. Sed coactus paulo poſt Luceorienſem Eccleſiam mutare Cujavienſi, & ad novam diœceſim curas transferre, mœſtos reliquerat Breſtæ Patres, ac tanta oppreſſos rerum omnium inopia, ut ægre vitam eleemoſinis tolerarent. Accedebat ad egeſtatis incommoda Parochus a Societate palam alienus, qui vexare illos indignis modis non ceſſabat. His de cauſis parabant noſtri Breſta quamprimum excedere. Et exceſſiſſent plane, niſi vetuiſſet novus Epiſcopus Luceorienſis Andreas Lipski, qui & domeſticam depulit inopiam penſione annua attributa, & injuſta Parochi odia auctoritate compeſcuit. Præſulis optimi beneficia cumulavit Leo Sapieha regni Cancellarius, vir dignitate, genere, & opibus florentiſſimus: qui cum olim opera P. Petri Scarga a ſecta Lutheranorum fuiſſet ad Eccleſiam reductus, eamque ob rem multum ſe debere Societati profiteretur, faciendum omnino ſibi ſtatuebat, ut vicem illi aliquam pro tam inſigni beneficio exſolveret. Videns itaque Breſtæ noſtros peranguſte habitare, in tugurio verius quam domo, ad coemendam commodiorem domum pecuniæ vim non exiguam numeravit: nec diu poſt providit, unde annui proventus alendæ ſociorum familiæ ſuppeterent. Qua ejus beneficentia intra biennium apertæ ſunt juventutis ſcholæ, ac tandem poſt annos decem domus illa ſtatum nomenque collegii accepit. Interim Kioviensis Epiſcopus Boguslaus Boxa novum Societatis domicilium conſtituebat Fauſtoviæ in Ukrania. Epiſcopatum adiit Boza hoc anno, deliberatum habens coloniam aliquam Societatis ſtatim intra fines ſuæ diœceſeos inducere. De loco dubitans, conceſſit in ſententiam P. Joannis Argenti Provincialis, cui viſum Fauſtoviam loci opportunitate Kioviæ præferendam. Ædes igitur coemit in urbe media Patrum uſibus opportunas, ædibuſque ſacellum haud inelegans addidit ex materia, more gentis. Delati Fauſtoviam PP. Bartholomæus Obornicenſis, & Valentinus Stopecius, tanta continuo frequentia adiri cœperunt, ut appareret, ſi eſſet operariorum copia, multum inde frugis colligi poſſe. Quare Præſul anno proximo, paratis fundis, eorumque poſſeſſione jure & moribus regni tradita Societati, collegium condidit. In idem ferme tempus incurrerunt primordia reſidentiæ Conecenſis. Conecum, quam alii Choinitiam dicunt, Pruſſiæ urbs eſt vicina Pomeraniæ. Locum in paucis opportunum Societatis laboribus arbitrabatur Joannes a Gleiſſen, illius Eccleſiæ Præpoſitus: cumque jam curiale urbis templum ab oppreſſione Lutheranorum liberaviſſet, & catholicæ religionis cultum ab annis ſexaginta pene abolitum reſtituere decreviſſet, implorare operam Societatis, eique qualecunque domicilium Coneci fundare conſtituit. Hac mente prædium, quod habebat ex patrimonio non contemnendum, nobis tranſcripſit, & de curiæ bonis aream cum domo inædificata dedit perpetuo jure poſſidendam: quam donationem Archiepiſcopus Gneſnenſis poſtea ratam habuit. Tam lætis initiis non modica deinde incrementa acceſſerunt ex liberalitate Joannis Balkowski, & Dorotheæ a Zalno conjugum, qui de ſuo ſinguli peculio certam pecuniæ ſummam collegio conſtituendo addixerunt. Rege demum, & quibuſdam procerum materiam, & ſumptus operarum præbentibus, Coneci gymnaſium extructum fuerat. Verum poſt Gleiſſeni, & duorum quos dixi conjugum mortem, tot ab hæredibus motæ ſunt circa donationes illorum controverſiæ, ut nunquam ea domus ad juſtam collegii menſuram aſſurrexerit, & adhuc mera ſit reſidentia collegio Gedanenſi obnoxia.

46. Conſtituitur Societatis collegium Fauſtoviæ.

47. Choinitiæ reſidentia ponitur.

48. Res Lithuaniæ. Societas Rigæ exturbatur bello Svecico.

In provincia Lithuaniæ fuit hic annus Societati maxime calamitoſus. Rex Sigiſmundus omnes regni vires contraxerat adverſus Turcam in finibus Valachiæ. Cum ex adverſo Svecorum Rex Guſtavus Rigam Livoniæ caput aggreditur, & poſt dies paulo plures quadraginta ad deditionem compellit. Erant e no-

Digitized by Google

e noſtris intra urbem omnino octo: nam cæteros, cum magna parte ſacræ ſupellectilis, ante hoſtis adventum rector dimiſerat in Lithuaniam. Promiſerat Svecus ante quam urbe potiretur, omnes ſacri ordinis viros, ac noſtros nominatim dimiſſum iri incolumes. Et vero pacti fidem ſervavit. Tamen urbe capta, cum ſibi ſiſti juſſiſſet homines Societatis, intuitus inter alios P. Laurentium Norvegum, ſenem annorum octoginta, qui tempore Joannis III. pro religione catholica ſtrenue laboraverat in Svecia, eundem increpuit acriter, ac minis terrere conatus eſt. *Quouſque tandem*, ajebat victoria ferox, *deſipere depontane ſenex perges? Nunquam ne oculos aperies miſer? An vero ignoras de æternis ignibus, qui te brevi moriturum manent, niſi religionem veram, id eſt reformatam amplectaris?* Ad quæ Norvegus, modeſte quidem, ſed tamen intrepide: *Æternis damnari ſuppliciis Lutheranos, certo ſcio. Iiſdem, ſpero, me eripiet fides catholica, quam profiteor.* Perculit Regem impavidi viri conſtantia. Hæſit paululum, ac vocem quaſi cogitabundus continuit. Tum irato ſimilis hominem canitie venerabilem objurgare vehementius. Non latere nimirum ſibi, quæ jeciſſet diſcordiarum ſemina inter Joannem Regem, ejuſque fratrem Carolum Sudermanniæ Ducem, parentem ſuum: nec ſe ignorare de ſeditioſis libellis, quos Svecia tota vulgaſſet, utque delectos juvenes pontificiis ſacris initiandos curaſſet. *Ob hæc*, ſubjecit, *nihil eſt quod Vilnam, aut aliam quampiam Lithuaniæ urbem cogites, quo tui ſodales talium inſontes ibunt. Stocholmiæ te, aut Revaliæ expectant carceres.* Cæterum hæc minatus eſt tantum, ſi forte incutere metum fortiſſimo viro poſſet. Cernens fruſtra eſſe minas, triduo poſt eundem una cum ſociis incolumem abire permiſit. Verum poſt hæc, Venda in poteſtatem redacta, noſtros inde pariter exturbavit. Atque ita demum duo Societatis domicilia, Rigenſe, & Vendenſe, quorum maxime opera in Livonia Lotaviaque res catholica utcunque ſuſtentabatur, unus quaſi turbo disjecit. Derpati quoque trepidatum eſt. Sed Svecus, relictis per circumpoſita loca præſidiis, bello autem in Curlandiam translato, ab illa tunc quidem urbe abſtinuit. Et nihilominus Patrum ibi conſidentium labores plurimum retardavit. Hoſtibus enim vicinas arces occupantibus, adempta eſt illis libertas ad Eſtoniæ populos excurrendi, unde magna animarum lucra ſæpe retulerant.

49. P. Laurentii Norvegi fortitudo adverſus Svecorum Regem.

50. Vendenſe pariter domicilium amittitur.

Pro clade Livonica ſolatio fuit, quod eodem anno Sigiſmundus Rex ſtationes Societatis duas, Orſenſem in Ruſſia, & Smolenskenſem in Siberia, inſtabiles hactenus & incertas, ad ordinem collegiorum provexit, apto ſingulis proventu attributo. Ut Smolenskum occupaverint poſtea Moſcovitæ, & Societatem abegerint, alibi dicendum erit. Nunc Patrum ibi commorantium lætitiam cumulavit, quod ſchiſmaticus ex ipſis propemodum orci faucibus ereptus eſt. Moſchus erat is, ac detinebatur in vinculis, capite, neſcio qua cauſa, damnatus. Cum eſſet ad ſupplicium producendus, peracta miſer homologeſi apud Sacerdotem Ruthenum, eidem ſupplicabat, ſibi ut manu carnificis morituro opem ferret, & ad extremum uſque ſpiritum benigne adeſſet. Reſpondit homo ſuperbia tumens, non eſſe dignitatis ſuæ tam prope accedere ad patibulum: morienti autem cum ignominia aſſiſtere, id turpe ſibi fore, & indecorum pronunciavit. Mœrebat tam duro reſponſo infelix. Mœrentem adeunt noſtri, & ſiquidem velit, ſuam illi operam uſque ad ſupremum anhelitum pollicentur. Senſit ille, haud equidem ſine cœleſti inſtinctu, Sacerdotum diſcrimen: atque inde diſcrimen utriuſque profeſſionis conjiciens, non eo contentus ut Patribus ſe totum permitteret, catholicum rite profeſſus eſt. Tum expiatus denuo, Patribus iiſdem deducentibus, ad ſupplicium proceſſit, & plenus optimæ ſpei cervices carnifici dedit. Acceſſit ad provinciæ ſolatium ortus collegii Grodnenſis. Eſt Grodna urbs Trocenſis palatinatus in Lithuania, incolarum opibus & frequentia celebris. Multo ante quam Societas provinciam Lithuanam ſejungeret a Polonica, Stephanus Bathoreus Rex de conſtituendo ibi collegio egerat, cœperatque ob eam rem certa vectigalia conſtituere, & inſigne templum a fundamentis erigere. Sed illo e vivis ante ſublato, quam perficere cœ-

51. Dotantur collegia Orſenſe, & Smolenskenſe.

52. Schiſmaticus proxime ante mortem ad Eccleſiam reducitur.

53. Fundatur collegium Grodnenſe.

Digitized by Google

coepta potuiſſet, nulla deinde ejus rei mentio facta fuerat. Hoc demum anno cum reſignaretur teſtamentum viri nobilis e Koſſobuckiorum familia, qui a Tartaris cæſus fuerat, bona quædam inventa ſunt ab eo Societati tranſcripta, cum hoc ut excitando Grodnæ collegio impenderentur, aut domui Profeſſorum Vilnenſi addicerentur. Viſum noſtris uti legato ad novam Grodnæ ſedem inchoandam, cum præſertim ſpes eſſet non defuturos, qui neceſſariam collegio dotem aliquando complerent. Quinque itaque ſocios Grodnæ P. Michael Ortizius provinciæ Præpoſitus collocavit. At eorum adventus minus gratus accidit ordini ſacerdotali. Erant quippe ejus ordinis bene multi, quos falſa ſuſpicio inceſſerat, ne paulatim noſtri invaderent in ipſorum bona, aut certe partem de Grodnenſis Eccleſiæ proventibus ad ſe traherent. Etiam e populo aliqui contra Patres incitati fuerunt, & ad eos divexandos conſurrexerunt. Unus quidam audacior, ſecutus pravi conſilii auctorem amicum neſcio quem ſuum, partem haud exiguam de bonis ad Societatem pertinentibus vi invaſit. Verumtamen brevi rerum facies verſa eſt. Sacerdotalem ordinem ſenſim leniit modeſtia, & affabilitas Patrum. Illum vero bonorum interceptorem ultio divina ad redhibendum compulit. Nam qui eum incitaverat ad inferendum Societati damnum, compertus repente furti ſuſpendio damnatur. Qui injuriæ exequendæ miniſtri & adjutores fuerant, intra breve tempus omnes, alii alio caſu, male perierunt. Ipſe fornacem domeſticam caleſecerat lignis de adempta nobis ſilva collectis. At dum calore ſecurus fruitur, flamma latius diffuſa corripuit domum, & brevi ſpatio totam abſumpſit. Hæc reputans improbus, malo doctus tum alieno, tum ſuo, Patribus ablata reſtituit.

54. Moleſtiæ noſtrorum Grodnæ ex diverſis cauſis.

55. Divinæ ultionis exemplum.

Quod pertinet ad res geſtas ſociorum in Lithuania, uberem illis hoc anno, & ſolito ampliorem laborum ſegetem nova ſchiſmaticorum conata obtulerunt. Kioviam Pſeudopatriarcha Hieroſolymorum venerat, eumque Coſaci ſummis honoribus exceptum in epiſcopali cathedra collocaverant, ac Pontificem ſalutaverant. Ille, ne errantibus deeſſent errorum duces, continuo ſeptem ejus gentis Epiſcopis, qui Romano Pontifici parebant, totidem oppoſuerat lectos de medio ſchiſmate: qui quamquam nec bona, nec ſedes Eccleſiarum intercipere poſſent, plurimos tamen ſubornabant identidem, & a legitimis paſtoribus ad ſuas partes trahebant. His noſtri malis pro viribus ſe opponebant. Alios in fide nutantes continebant, alios miſere prolapſos erigebant. Accurrebant huc illuc, quocunque res & tempus vocaret. Augebantur nihilominus & numero, & audacia partes ſchiſmaticorum: donec anno poſt hunc altero in crudeliſſimum facinus proruperunt. Polocenſem regebat Eccleſiam Joſaphat Conſevichius, vir eximiæ virtutis, idemque magnus Societatis æſtimator & fautor. Illum ſchiſmatici acerbiſſime oderant, & jamdiu ad ictum deſignaverant. Hanc tandem ſceleris maturandi cauſam arripuerunt. Morabatur Vitbeſci Præſul in arce ſuæ diœceſeos, ibique in honeſta cuſtodia detinebat impium quemdam Presbyterum, qui haud ita pridem ad partes ſchiſmaticorum transfugerat. Injuriam ſuo nomini factam ſchiſmatici arbitrantes, repente ædes Epiſcopi invadunt magno agmine, januas refringunt, famulos vim repellere parantes vulnerant, demum in interiora irrumpentes, Præſulem magnis clamoribus ad cædem depoſcunt. Abdiderat ille ſe in conclave intimum, & Presbyterum, cujus cauſa mota erat ſeditio, dimitti e cuſtodia juſſerat. Cum neque ſic quieſcerent latrones impii, poſt tres fere horas orando conſumptas, prodit ultro, ſeque multitudini concitatæ offert. Signum bene precandi faciebat elata dextera, ac ſeditioſos blande compellatos rogabat, quid vellent. Cum loqui incipientem ferociter interfatur unus omnium audaciſſimus, & impacto in caput fuſte ſeminecem terræ allidit. Mortuum in ipſo ictu mortalium ſceleſtiſſimi crediderunt. At mox comperto, ſpirare adhuc Præſulem, & cœleſte auxilium voce intermortua implorare, clamorem inſanum tollunt: hortantur ſe invicem ad ſæviendum: fuſtibus gladiiſque cædere jacentem pergunt, donec ignea glande trajectum crudeliter interfecerunt. Cadaver, dictu nefas! primo per totam domum

56. Turbæ a ſchiſmaticis concitatæ contra Catholicos.

57. Polocenſis Antiſtes a ſchiſmaticis interficitur.

cum

Digitized by Google

cum insigni ignominia protrahitur. In quo tristi ac diro spectaculo ajunt, miraculo prope fuisse catelli fidem, qui, cæteris domesticorum fuga dilapsis, mortuum dominum prosequebatur unus, nullisque neque minis, neque verberibus abigi poterat: qua re in furorem acti carnifices, ipsum etiam denique gladio necaverunt. Vocatæ postea in sceleris partem lascivæ, impiæ, & audaces feminæ mortuo insultant Præsuli, non conviciis solum & calcibus, quod tamen summe impium & inhumanum erat, verum etiam tripudiis & saltationibus, alioque procacitatis & scommatum genere, quod ne referam pudore prohibeor. Postremo nefarii parricidæ, ne quem inhumanitatis gradum omitterent, Pastori suo indumenta detrahunt, nihilque moti quod thorace cilicino interne tectum invenere, nudum raptant usque ad præcelsam rupem, atque inde præcipitem dejiciunt in præterfluentem amnem: eo de industria delecto loco, ubi altissimum esse alveum norant, ne inveniri usquam a Catholicis, neu cum honore condi posset. Sed eorum in hac parte improbitatem vicit Catholicorum pietas & industria: qui exangue corpus cum ingenti cura quæsitum, inventumque perhonorifice condiderunt, multisque cum lacrymis, quas sane justas in tam acerbo casu dolor exprimebat, Pontifici optimo parentaverunt. Sed relicta in præsens Lithuania, narrationem ad provinciam Austriacam transferamus.

58. Eorundem sævities contra cadaver.

In Hungaria, turbante adhuc omnia perfido Gabore, per varias vices res Societatis fluctuabant. Anno superiore pepigerat cum illo Cæsar inducias mensium octo, conditionibus magis sibi necessariis, quam honestis, quarum ea ferme gravissima, ut præsente Gabore celebraretur totius regni concilium in urbe Neostadio. Affuere ad condictum diem magnates. Gabor in consessum receptus id unum rogavit ordines, vellentne juberentque se in Hungaria regnare? Cum plerique Calvinistarum sciviissent *Uti rogas*, ipse cæteros, qui contra rogationem dicere incipiebant, ad silentium adegit metu cædis: nihilque ultra moratus, se regem Hungariæ appellavit, & conventum solvit. Iterum ergo itum est ad arma, & vario marte pugnatum, donec barbarum rerum successu elatum clades Bohemorum, de qua dictum est supra, compressit. Nam cum essent in exercitu Palatini copiæ Gaborianæ, quæ Bohemis amicis & fœderatis subsidio venerant, eadem ipsæ etiam clade perierunt. Ex eo die Gabor, quippe solitus servire fortunæ ac tempori, animum valde demiserat. Qui paulo ante omnia pacis consilia superbe rejiciebat, jam se placabilem præbere, modestius loqui: quin ultro profiteri, jus Hungarici regni penes Ferdinandum esse: quod vero ipse regis nomen sumpsisset, id se ea duntaxat mente feciisse, ut Cæsari regnum servaret, procul dubio tradendum Turcæ, nisi protectum a se, & occupatum fuisset. Sic ille mendaciissime, & fraudulenter, ad faciendum Cæsari fucum, & belli impetum remorandum. At Cæsar, qui hominis ingenium fallax & versipelle plus nimio haberet perspectum, ejus vires experiri, quam fidem maluit. Habebat Ferdinandus Germanorum exercitum florentissimum sub Carolo Longavallio Comite de Buquoy, perito belli duce. Hunc adversus Gaborem movere jubet. Buquoyus paucis mensibus expugnato Posonio, aliisque arcibus in potestatem redactis, magnam Pannoniæ partem Cæsari, nostris collegium Tyrnavienſe restituit. Tyrnaviam nostri redierunt Junio ineunte. Excepti mira populi gratulatione & gaudio, parabant collegium omni domestico instrumento nudatum reparare: cum nova ex insperato clades rem simul publicam regni, & privatam Societatis afflixit. Dum Buquoyus novam quam vocant arcem, oppidum Hungariæ superioris egregie munitum, oppugnat, lapsus nescio quo casu in insidias Gaborianorum, & ab hostibus circumventus, fortissime dimicans interficitur. Eo casu ingens rerum commutatio facta. Gabor, ut de nece Buquoyi nunciatum est, ratus, quod erat, hostes morte ducis consternatos occasionem rei bene gerendæ sibi daturos, magnis itineribus ad eos contendit. Quem Cæsariani appropinquantem ut conspexere, conterriti numero & ferocia hostium, turbatis ordinibus terga vertunt, nec tam

59. Res Provinciæ Austriacæ. Bellum inter Gaborem & Cæsarem recrudescit.

60. Tyrnavienſe collegium nostri recuperant.

61. Clades Cæsarianorum ex morte ducis.

Digitized by Google

itineris, quam fugæ modo recipiunt ſeſe in Schitum, inſulam ſtagnantibus circum aquis communitam. Partem impedimentorum, & tormenta muralia viginti quatuor Gabori relinquunt: qui eorum ignavia ſolerter utens, potitur deſertis caſtris, tormenta in fugientes convertit, multos ſternit. Demum præda onuſtus, & inſperato ſucceſſu audacior, animum ad Tyrnaviam recuperandam

62. Gaboriani denuo Tyrnaviam expugnant.

adjicit. Erant in urbis præſidio Germanorum fere mille quingenti, ſed equites plerique, obſidioni tolerandæ parum idonei. Eos nihil ambigens Gabor, ad conſpectum hoſtis eruptionem facturos, ſuorum duo millia collocat in inſidiis. Tum paucos e regione urbis diſponit cum mandatis, ut egreſſuros ad pugnam Germanos ſimulata fuga in locum inſidiarum trahant, cætera ſibi permittant. Res ſupra ſpem feliciter ceſſit. Præſidiarii, conſpecta contemptaque paucitate Gaborianorum, erumpunt ſine ordine, ſine imperio, ac refugientes temere inſequuntur. Ita lapſi in inſidias, momento temporis circumveniuntur ab hoſtibus, ac numero obruuntur. Trecenti trucidati ſunt, capti non pauci. Cæteri ſic evaſerunt, ut tamen urbis tuendæ ſpem nullam haberent. Ergo poſt triduum, velo candido in altum ſublato, ſignificant, ſi æquas conditiones ferant, urbem ſine certamine tradituros. Annuit barbarus, & obſidem in urbem miſit virum nobilem, eundemque catholicum. Viciſſim Germani legatos miſerunt in caſtra, hiſque mandarunt, ut de urbis deditione tranſigerent, ea tamen lege, ut ſalvum eſſet præſidium, & Patres Societatis incolumes inviolatique dimitterentur.

63. Patrum Tyrnavienſium periculum, & conſtantia.

Peſſime in noſtros animatus venire ferebatur Gabor: ex iis enim, qui capti fuerant, Germanis quæſierat ante omnia, eſſent ne Jeſuitæ Tyrnaviæ? Et vulgo putabatur velle omnes ſua manu mactare. Nihilominus ratas habuit conditiones, & civium poſtulata ſe religioſe facturum promiſit. Quæcunque interim ille vel interpoſito jurejurando ſpopondiſſet, Catholici minime fidendum arbitrabantur homini ſubdolo, qui ſacramenti religionem nihil penſi faceret, & fidem frangere in more haberet. Ideo noſtris amice ſuadebant, ut tunicam Societatis militari ſago mutarent, abirentque furtim permixti militibus. Sed viſum Patribus conſilium benevolum magis, quam prudens. Ecquam enim dari ſpem fallendi tyranni, qui verſari intra urbem Patres certo ſciret? Quod unum erat reliquum, decernitur inter eos, ut ſiquidem odio religionis moriendum ſit, jam tum ad mortem fortiter obeundam componant ſeſe: cui Patrum decreto mirum, ut libentes alacreſque ſubſcripſerint omnes, etiam juniores magiſtri.

64. Permittit Gabor ut urbe educantur incolumes.

Præter hæc Rector, ne quid ad ſuorum ſalutem intentatum relinqueret, obſidis Gaboriani, quem eſſe catholicum dicebamus, opem & patrocinium implorat. Atque hic, miſſis in caſtra codicillis ad amicos duces, eorum interventu & deprecatione impetrat a Gabore, ut Patres una cum præſidio educantur urbe, & in tutum exportentur. Eos educendi negotium dedit barbarus Sigiſmundo Corniſio, ſupremo Tranſilvanorum præfecto, viro egregie catholico, & Societatis ſtudioſiſſimo: ut nihil ad rem præſentem accidere optabilius poſſet. Nec vero diſtulit Corniſius admonere per nuncium Patres, ut ad profectionem accingerent nullo metu: ſe enim toto itinere ipſis, Germaniſque militibus cum valida manu præſidio fore. Re per urbem vulgata, trepidari deſiit quidem de ſalute noſtrorum: at lætitiam inde partam, dici vix poteſt quantum corruperit publicus mœror de ipſorum exilio. Vix ſibi redditos eripi denuo, boni omnes dolebant. Multi optabilius putabant, ut ne redditi quidem fuiſſent, ſiquidem tam cito erant abripiendi. Affuere magno numero Catholici, ut diſceſſuris ſupremum vale dicerent, nec a lacrymis hinc inde temperatum eſt. Vehicula ipſis exportandis, partim ab amicis ultro miſſa, partim ære publico civitatis comparata. Tandem inter mutua ſalutationum officia Patres, conſcenſis curribus, proficiſcuntur. Ibant poſt equites præſidii Cæſarei, habebantque a tergo pedites ſane paucos, quos pone ſequebatur imbellis turba mulierum ac puerorum. A porta urbis copias ſuas Gabor longo ordine collocaverat. Ipſe equo ſedens, conſtiterat in extremo ordine. Prætereuntes noſtros Daci militum,

65. Civium mœror de diſceſſu Patrum.

66. Quo ordine & apparatu Tyrnavia exceſſerint.

Digitized by Google

tes, Hungarique ſpectaverunt taciti. At ubi ventum ad agmen Sileſitarum, qui ſere quadringenti Gabori ſtipendia faciebant, nullum eſt probri genus tam impudens, & obſcenum, quod non illi in Patres germanica lingua jactaverint. Demum prætervectis Turcarum agmen apparuit Gabor, qui ſalute comiter acceptа, redditaque, Patres honorifice compellatos juſſit accedere, & accedentibus dextram porrexit. Tum equo deſiliens, currum conſcendit: in quo, cæteris Patribus ad ſua remiſſis vehicula, tres eorum accepit ſecum, cum iiſque ſermones varios familiariter conferens, ad plura ſtadia proficiſcentium agmen deduxit. Sermonem præſertim intulit de rebus a ſe geſtis, de commiſſis præliis, victoriiſque ex Cæſariano milite reportatis. Ac ſibi quidem, ajebat, Cæſarem ſemper in honore fuiſſe, & porro fore: ſed viciſſim a Cæſare haberi velle, non pro fortuna in qua natus eſſet, ſed pro ea, ad quam ſua virtute perveniſſet. Davidem etiam ante regnum paſtorem ovium fuiſſe: in eo tamen dignitatis faſtigio collocatum glorioſiſſimos regum æquaſſe, & multis partibus ſuperaſſe. Addidit ad extremum, ſe a conſiliis pacis minime abhorrere, modo Cæſar honeſtis legibus paciſci vellet: fore autem ſibi jucundiſſimum, ſi Societatis opera ad pacificandum uteretur: nec enim aliud eſſe hominum genus tam integræ, tam perſpectæ fidei. Hæc loquebatur Gabor, non ex animo tamen, aut ulla in noſtrum ordinem benevolentia, ſed ut ſibi Catholicos ſuarum partium arctius obſtringeret. Nam eodem tempore compertum eſt, ſubmiſſam ab eo fuiſſe Turcarum cohortem, ſpecie quidem ut noſtros deducerent, re ipſa ut diriperent: feciſſentque plane, niſi Corniſius latrones inhumanos diſtricto gladio, totoque in eos converſo agmine repuliſſet. Ita demum Patres a Gabore dimiſſi, Corniſii fide, & virtute ſingulari in tutum evaſerunt. Ita collegium Tyrnavienſe, ex priori ruina vix renatum, denuo corruit. Ut deinde felicius reſtitutum fuerit, alibi diſſeremus.

67. Admodum honorifice habentur a Gabore.

68. Subdole tamen, ac per inſignem perfidiam.

Homonenſe interea ne inſtauraretur, in cauſa fuit obitus fundatoris Georgii Drugheti, a quo pendebat. Vir egregiæ in Deum & Cæſarem fidei, conductis ære ſuo aliquot Polonorum millibus, contra Gaborem arma ceperat, prælium atrox cum Rakoczio commiſerat, ejus copias internecione deleverat, vix ipſo rebellium duce, aliiſque paucis de media clade ſubtractis. At cum per eas, quas dixi, octo menſium inducias in Poloniam ſeceſſiſſet, ibi vivere deſiit immatura morte ſublatus. Morientis cura non ultima Homonenſe collegium fuit. Filium poſt ſe relinquebat unicum annorum novem. Eum ſupremis tabulis hæredem ſcribens, quam graviſſima potuit obteſtatione admonebat, ut collegium Societatis Homonæ a ſe conditum quantocyus reſtitueret, vel ſi aptius viſum eſſet, in aliud avitæ ditionis oppidum transferret. Et quia puer relinquebatur apud parentem ſecta Calvinianam, tutores ipſius nominabat Ferdinandum Cæſarem, & regem Poloniæ Sigiſmundum, eoſdem per quiquid apud Chriſtianos ſanctius eſt obſecrans, ut pupillum de matris manibus vindicatum orthodoxe inſtituendum curarent. Pia teſtatoris mandata irrita non fuerunt. Ereptus eſt matri puer auctoritate Cæſaris, datuſque in diſciplinam Societatis Viennæ. Qui ut adolevit, paternum collegium quod Homonæ fuerat, in arce Unguariæ reſtituit. Inter has rerum vices diem clauſit extremum Zagrabiæ P. Alexander Dobokajus, vir olim genere illuſtris in Tranſilvania, deinde virtutibus, & fama ſanctitatis multo illuſtrior. Cum eſſet adhuc adoleſcens, poſt acceptam Euchariſtiam, diſtinctis verbis audiviſſe vocem dicitur admonentem, ut Societatem ingrederetur. Præfecturas inter nos varias per annos viginti geſſit. Nemo ſe ab illo iracundius appellatum queſtus eſt unquam, nemo commotiorem aliquando vidit. Homonæ repertus ſemel eſt in ſuo cubiculo a terra ſublimis, in aere ſuſpenſus, fulgiduſque, habitu orantis. Vir quidam nobilis teſtabatur, viſum ſibi ſupra ipſius concionantis caput globum lucis, qui paulatim in candorem vergens evanuit. P. Georgius Forrus ad Præpoſitum Generalem ſcribens, reperta eſſe ait in ejus adverſariis plurima, ſi vulgarentur, admirationem & fructum legentibus allatura. Ut dolendum ſit, ejuſmodi rerum documenta vel

69. Collegium Homonenſe tranſfertur Unguariam.

70. Mors & elogium P. Alexandri Dobokai.

Digitized by Google

periiſſe, vel adhuc latere. Deceſſit Dobokajus III. Idus Octobris, annum agens ſextum ſupra quinquageſimum, cum recens in ſuam provinciam rediiſſet ex Polonia.

71. Fundatur collegium Tergeſtinum.

Duo Societatis domicilia nuper amiſſa dicebamus in Hungaria. Alia duo de novo Societas adepta eſt in Iſtria, Tergeſtinum, & Goritienſe, de quibus modo ſingulis diſſerendum. Tergeſti, quæ urbs arce, portu, & incolarum frequentia habetur inter cæteras ejus tractus inclyta, jampridem Societas in deſiderio erat. Caſu factum eſt, ut in horribili illa tempeſtate, quæ noſtros e Bohemia, Moravia, Hungariaque expulit, ſocii duo Tergeſtum advenirent, ad Lauretanam inde Virginem profecturi. Dum navigandi opportunitatem præſtolantur, mirum ut ſtudia civium erga ſe, & collegii conſtituendi voluntatem accenderint. Una tantum re angebantur Tergeſtini, quod ob detrimenta bello Forojulienſi nuper accepta, vires operi perficiendo non ſuppeterent. Quod pro præſenti poterant, cenſum pro familia quatuor vel quinque capitum conſtituerunt, non ſine ſpe amplioris dotis aliunde acceſſuræ. Vix ibi noſtri ſuis miniſteriis fungi cœperant, cum Joannes Udalricus Ecchembergius inter miniſtros Cæſaris facile princeps, motus fama late manante rerum, quæ ſane utiles Tergeſti gerebantur, domicilium illud ita dotavit, ut honores nomenque fundatoris promeruerit. Goritiam, urbem in Italiæ finibus poſitam, divitem, & frequentem venerant ante ſexennium duo operarii Societatis: quibus quæ ſunt noſtri ordinis ſedulo exequentibus, agi ſtatim cœperat de collegio erigendo. Rem tunc intervertit bellum, quod eodem anno inter Venetos, & Ferdinandum exarſit. Manſere nihilominus in urbe noſtri. Quamvis autem nullum haberent proprium ac ſtabile domicilium, nullum templum, aut vectigal ſuum; operam tamen non inutilem ponebant in excolenda urbe, ac regione circumpoſita. Præter alia, accurrebant identidem ad excipiendas confeſſiones militum in caſtra proxima Ferdinandi Archiducis: qui hac re delectatus, ne inopia alimentorum Patres abire Goritia cogerentur, penſionem illis annuam conſtituit in quodam Venetæ ditionis fundo, quem ſibi vectigalem fecerat. Iiſdem mox Gaſpar Vitus a Dorembergio ædiculam ſacram addixit S. Joannis Baptiſtæ, cum domo conjuncta. Verum pace poſt hæc inter Venetos & Archiducem conſtituta, cum ea de qua dictum eſt penſio ſolvi deſiiſſet, noſtri locum deſerere coacti ſunt. Operi ſubverſo denuo manus admovit Ferdinandus, ex Archiduce Stiriæ Imperator factus. Sed parum abfuit, quin ejus beneficentiæ fructu aliorum nequitia privaremur. Impetraverat Ferdinandus a Paulo V. Pontifice, ut collegio Goritienſi in partem dotis addiceretur fundus neſcio quis præpoſituræ Piſinenſis. Multi, quibus hæc aſſignatio diſplicebat, noſtros criminoſis litteris deferunt ad Pontificem, quaſi Cæſaris indulgentia abuſi fuerint, eamque conceſſionem ſubdole extorſerint. Commotus accuſatione Pontifex, donationem abrogavit: quo facto, negotium uſque ad obitum Pauli ſuſpenſum hæſit. At eo ſublato, cum ſucceſſor Gregorius donationem eandem nova Cæſaris deprecatione ratam firmamque eſſe voluiſſet, effecit Ferdinandus ut collegium tanto dotaretur largius, quanto ſerius abſolvebatur. Erat in agro Preſſinienſi, diei ferme iter a Goritia, latifundium (Commendam vulgo appellant) ad equites Teutonicos pertinens. Id Imperator cum aſſenſu Pontificis emit a fratre ſuo Carolo, Teutonicorum equitum magiſtro ſummo, & collegio Goritienſi in perpetuum tranſcripſit. Qua in re Caroli quoque eluxit benevolentia in noſtrum ordinem ſingularis. Nam & pretium latifundii, quod numerato ſolvi non poterat, æſtimatione accepit, & ad præcidendas moras, prius etiam quam tabulæ permutationis confectæ eſſent, in ejuſdem poſſeſſionem Patres immiſit.

72. Initia collegii Goritienſis.

73. Quod a Ferdinando II. Imperatore perficitur.

74. Res Germaniæ superioris. P. Jacobi Rheingii luctuoſa defectio.

Inter hos rerum ſucceſſus, gravem Societati plagam intulit in Germania ſuperiori unus noſtrorum, factus exemplo ſuo triſti luctuoſoque cæteris documentum, male in aliorum ſalute operam ab iis poni, qui ſuam negligunt. P. Jacobus Rheingius, præſtantis ingenii vir, idem Wolfango Guillelmo Palati-

Digitized by Google

latino Neoburgico ob laudem eloquentiæ cariſſimus, cum totum ſeptennium in reducendis ad catholicam fidem hæreticis & voce, & ſcriptis fructuoſiſſime deſudaſſet, ipſe demum Societatis, & quod extremum malorum fuit, Eccleſiæ deſertor, ad caſtra lutheranorum transfugit. Quid hominem in hanc dementiam impulerit, pro certo dicere non habeo. Illud conſtat, jampridem Provinciali Grenzingo remiſſiorem fuiſſe viſum in ſtudio virtutis. Egerat ille ſane aliquoties cum Palatino, ſibi ut liceret cum bona ipſius venia Rheingium loco amovere, & longe ab aula transferre: namque erat Principi a ſacris concionibus. Sed fruſtra fuerant prudentis moderatoris conſilia. Reſtiterat ſemper Princeps, cujuſque eloquentia plurimum delectabatur, eum nunquam permiſerat a ſe divelli. Noviſſime deprehenſus cum fuiſſet in loco minus idoneo feminam alloquens familiariter, ac ſine arbitris; poſtridie quam id acciderat, profugiſſe dicitur Vittembergam, ac Luthero nomen dediſſe: ut ſuſpicari non immerito liceat, vecordem hominem fugæ conſilium cepiſſe metu, ac ne colloquium illud ſibi criminoſum eſſet extimuiſſe. Ut ut fuerit, lapſum hominis adeo lacrymabilem haud ſecus quam par erat noſtri doluerunt. Graviter etiam doluit Neoburgicus, quippe Societatis amantiſſimus princeps: & quamvis adhuc in catholica profeſſione recens, nihil non egit, ut concionatorem ſuum ex hæreſi, aut ſaltem ex hæreticorum ditione retraheret. Longe tamen abfuit, ut offenderetur exemplo illius, aut ob eam rem in catholico dogmate vel minimum vacillaret. Probe intelligebat ſcilicet, miſerum inter hæreticos, non veram religionem quæſitum iſſe, ſed licentiam vitæ, & ſcelerum impunitatem. Exſtat Rheingii egregius commentarius, cui titulus *Duodecim muri civitatis Dei*, tunc ab eo ſcriptus edituſque, cum Neoburgicus catholicum profeſſus eſt. Oſtenditur eo libro fides Romana duodecim præcipue fulta rationibus, ac totidem quaſi propugnaculis munita. Quo magis dolendum, tam fœde periiſſe, qui tam multis profuerat ne perirent. Periiſſe dixi: ac nimis quidem ex vero, niſi quid aliud forte ignotum nobis occultumque, Deo miſerante, evenerit. Nullis quidem certe precibus, neque ſuaſionibus abduci unquam ab hæreticorum partibus potuit: in quibus dum obfirmat in dies contumacior, paucis poſt annis, nullo edito pœnitentiæ indicio, pene ex improviſo deceſſit. Sed non deerant hoc tempore exempla meliorum.

75. Defectionis quæ fuerint cauſæ.

76. De quodam Rheingii egregio volumine.

Brixinam advenerant ex collegio Oenipontano Sacerdotes duo, de quorum laboribus multa ad memoriam illuſtria litteræ annales commemorant. Narrant, eorum opera veterem diſcordiam inter nobiles familias non paucas extinctam fuiſſe, compreſſam vulgo peccandi licentiam, injectos libidinibus frænos, periclitantium puellarum honeſtati proviſum, novam denique pietatis formam, atque alios mores in urbem inductos. Addunt, eorum diſceſſu ſic affectam univerſe civitatem fuiſſe, ut iis retinendis aliqui civium pecuniæ numerum ingentem obtulerint, uſque ad quinque aureorum millia. Parem ferme benevolentiam exhibuerunt Griſones, etſi Societati ſemper antea infenſi, erga Patres Petrum Friker, & Germanum Milotum, quos cum auxiliaribus copiis ſecum adduxerat præfectus Helvetiorum, ut eſſent tum ſibi, tum militibus ſacrorum miniſtri in bello ad recuperandam vallem Tellinam ſuſcepto. Adductos non æquis exceperant initio animis hæretici pariter, ac orthodoxi. Memores enim, Societatem ex valle Tellina ejectam a ſe olim cum ignominia fuiſſe, oderant, uti ſolet, quos læſerant. At capti paulatim modeſtia eorum, comitate, & morum innocentia irretiti, mutarunt brevi mentem in tantum, ut quorum antea nec nomen ferre poterant, eos jam in honore longe maximo ac pretio haberent. Sane diſceſſuros cum legione Helvetica multi rogabant, ne abirent. Alii de condendo nobis aliquo collegio, ac ſeminario ejuſdem gentis agebant. Quod niſi ſtatus rerum in ea republica præter omnem expectationem mutaſſet, profecto Societas non unum intra ejus fines domicilium accepiſſet. Namque in hoc ſtatu res erant. Griſones poſt bella inteſtina, quibus ſtudio paucorum inter ſe de poteſtate certantium diu fuerant conflictati, tandem feſſi malis, unam ſibi

77. Labores ſociorum Brixinæ.

78. Griſonum inclinatio erga Societatem.

79. Ob hæreticorum ſeditionem irrita.

Digitized by Google

sibi patere censuerant viam reparandæ concordiæ, si in clientelam Comitum Tyrolensium se contulissent. Eorum patrocinium susceperat jam Leopoldus Tyrolis Comes, & frater Cæsaris: jam ipsorum rogatu vallem, quam vocant Engedinam, & urbem Curiam præsidiis occupaverat. Designati post hæc fuerant nostri ordinis Sacerdotes duo, qui irent ad Engedinos. Verum inter hæc hæretici seditiosis ministrorum concionibus incitati rebellaverunt, coeuntesque incondita multitudo cum armis, præsidiarios Austriacos numero longe impares conciderunt, Curiam oppidum obsederunt, Leopoldi præfectum arcem sibi tradere conditionibus parum honestis coegerunt; locis demum omnibus recuperatis, quæcunque inita de nobis fuerant consilia interverterunt. Per hanc occasionem accidit, ut irruentes in ædem sacram hæretici B. Fidelem, ex sacro ordine Capuccinorum heroem, pro concione dicentem invenirent, crudeliterque interficerent.

80. Inducitur Societas in superiorem Palatinatum.

Felicius enimvero est inducta Societas in eam Norici partem, quam superiorem Palatinatum vocant. Ditionem hanc Cæsar, post Pragensem victoriam, a Friderico Septemviro Palatino transtulerat ad Bavariæ Ducem. Is cum in nova, & adhuc dubia ditione magnam vim militum per præsidia constituisset, eodem mittendos curavit sex nostri ordinis homines, qui militibus sacra ministrarent, simulque indigenas, prout se daret occasio, ad catholicam fidem pellicerent. Bini in tribus provinciæ locis collocati fuerunt, Ambergæ, Chambi, & Novofori. Præses omnium constitutus P. Christophorus Steborius, vir multis nominibus insignis. Porro sua Patribus ministeria naviter exercentibus, inter præsidiarios ingens operæ fructus statim constitit: at inter cives initio perexiguus, ac propemodum nullus. Hi enim, pendente adhuc bello, necdum certa Bavaro possessione provinciæ, donec comperissent cujus religionis dominum essent habituri, cunctabantur mutationem facere: more Protestantium multorum, qui modo inter Christianos per baptismum censeantur, perinde habent Ecclesiæ ne, an dissidentium sectarum partes sequantur, eorumque amplecti religionem solent, quorum sub imperio vivunt. Non tamen omnino nihil apud eos profectum. Aliqui ab hæresi ad Ecclesiam transierunt. Plerique sacrarum cæremoniarum spectaculo, quibus crebro intererant, adeo delectati fuerunt, ut dictitarent passim, catholicis religionibus divinum inesse aliquid, aut certe humano majus. Hæc autem prima quasi semina fuerunt frugum lætissimarum, quæ post aliquot annos, Deo cœpta fortunante, maturuerunt. Sed gradum ad alia faciamus.

81. Nostrorum labores & res gestæ ibi.

82. Res Provinciæ Aquitanæ. Quo loco esset religio in Bearnia.

In Gallia fuit hic annus, ut hæreticorum seditionibus reipublicæ turbulentus, ita illarum exitu felix fortunatusque rei catholicæ, Societati vero laboris inusitati ferax. Turbarum initia & eventus, quatenus iisdem res Societatis illigantur, ego attingam, quæque ad provinciam Aquitaniæ pertinent primo loco exponam. Benearnia, quam usitatiore vocabulo Bearniam dicimus, provincia non magni ambitus, sed pagis incolisque frequens, ante quam ad Henricum magnum matris hæreditate deveniret, sic tota erat Calvini hæresi infecta, ut vix ullum catholicæ religionis vestigium retineret. Nam cum regionem obtinuisset diu Joanna regina Navarræ, regis Henrici mater; mulier errori perdite addicta Episcopos ejecerat, bona Ecclesiarum invaserat, Calvinianis ministris, & præceptoribus perpetua stipendia constituerat. Sceptro Gallico potitus Henricus, tametsi maternam superstitionem vere & ex animo ejurasset, in iis tamen quæ ad religionem pertinent nihil magnopere mutandum censuerat, ne novis decretis irritaret hæreticos, genus hominum nunquam bene pacatum, semper ad seditiones & arma promptum. Pervicerat tamen, quod haud levis momenti visum, ut aliquæ civitates locum apud se darent Catholicis, & & catholicæ religionis usum liberum tolerarent. At Ludovicus XIII., statim atque matris Mariæ Mediceæ tutela egressus est, & regnum administrare per se cœpit, nullam regiminis curam religione potiorem ducens, de restituendo in Bearniam cultu catholico deliberavit. Edictum itaque proposuit, quo suas Episco-

Digitized by Google

ſcopis ſedes, & Eccleſiis quæ ablata fuerant bona reſtitui jubebat. Erat edictum, ut æquum catholicis, ita ſectæ miniſtris liberale: his enim tantundem promittebatur in poſterum ex ærario, quantum hactenus inique percepiſſent ex alieno. Edicto nihilominus interceſſit Senatus Bearnienſis, pervicitque ne in provincia reciperetur. Urgente Rege ut facerent imperata, nectebant moras, alia ex aliis cauſabantur, apparebatque nunquam plane facturos, niſi vi ad obſequium adigerentur. Pertinaciæ fiduciam dabant regni diſſidia. Nam circa idem tempus multi procerum, ægre ferentes immodicam Luinæi ducis gratiam apud regem, tracta in partes Regina Ludovici matre, nefaria arma ſumpſerant contra Principem, & factioſorum ingentem numerum poſt ſe trahebant. At Rex, perduellibus acie feliciter ſuperatis ad pontem Ceæ, ſibique matre reconciliata, brevi pacavit omnia: certus autem Bearnienſium contumaciam omnino frangere, ad eos iter intendit, juſſis ſubſequi legionibus. Ut vulgatum eſt in Bearnia, regem imperii ſui exactorem venire, fit raptim Senatus conſultum, referendum in acta decretum, eique obtemperandum. Tum venienti obviam mittunt Gubernatorem ſuum, qui imploraret clementiam principis, rogaretque eum ſuppliciter, ne provinciam ingrederetur armatus. Hominem Rex, etſi non ignorabat ex pertinaciſſimis Hugonotarum eſſe, & præcipuum auctorem repudiandi edicti fuiſſe, admiſit humaniter: nullo tamen certo reſponſo ad ejus orationem dato, Arſacum primo, inde Palum Bearniæ caput iter direxit. Urbem attigit comitantibus tantum aulicis, corporiſque cuſtodibus: legiones enim itinerum ipſius celeritatem æquare non potuerant. Tamen ſola regiæ majeſtatis præſentia Bearnienſes ita conterruit, ut iidem nuper ſeditioſi, ac præferoces arma depoſuerint ſtatim, & regios nutus obſequio præverterent. Hac uſus animorum conſternatione Princeps, catholicis probatæ fidei tuendas commiſit urbes, arceſque provinciæ præcipuas. Mox firmatam ſibi videns imperii vim, Romanæ religionis publicum cultum inſigni pompa revocari jubet. Repurgatur ſolemnibus Eccleſiæ cæremoniis ædes Pali primaria. Sacrum in ea magnifice peragitur. Sacroſancta hoſtia per urbem, longo præeunte ſupplicantium ordine, circumfertur. Pompam ſequebatur ipſe Rex cum ingenti aulicorum, ac ducum comitatu, cereum accenſum manu ferens. Myſteria geſtabat Epiſcopus. Haſtilia conopei ſupra ipſum prætenti regebant quatuor ex proceribus. Aderant promiſcuæ multitudinis ad decem millia, viſendi ſtudio: nam plurimos accolarum fama celebritatis exciverat. Ita demum revocata in Bearniam catholica religione, Epiſcopis autem in omnia ſui ordinis jura reſtitutis, Rex diſceſſit. Verum hæc hæretici ſic ſpectaverant taciti, ut certis indiciis appareret non laturos diutius, quam metu in obſequio continerentur. Et vero ſtatim ab diſceſſu regis rebellaverunt denuo, miſſaque legatione Rupellam, ubi generalis conventus ſectæ celebrabatur, gregalium pleroſque ad rebellandum pariter incitaverunt. Trepidatum ubique eſt armorum vel tumultu, vel metu; in Aquitania præſertim, & Occitania, ubi factio majores habebat vires. Nihil intentatum omiſit Rex, ut rebelles ad officium ſine cæde & ſanguine revocaret. Sed tandem in ſcelere obfirmatos juſto pioque bello perſecutus, intra ſeſquiannum ita contudit, ut ſpoliati arcibus oppidiſque, quæ jampridem in pignus ſecuritatis acceperant, pacem orare ſuppliciter, & perfidiæ pœnam deprecari coacti fuerint.

83. Bearnienſium contumacia contra regem.

84. Regis ipſo adventu comprimitur.

85. Revocatur in Bearniam cultus catholicus.

86. Rebellant iterum Bearnienſes, iterum coercentur.

Tot inter belli tumultus Societati Gallicæ major patiendi, quam agendi copia oblata eſt. Socii provinciæ Lugdunenſis Dea Vocontiorum, quam Diam vocant, itemque Nemauſo, atque Ucetia, quas urbes hæretici quaſi fiduciario jure tenendas acceperant, ejecti fuerunt. Per provinciam Aquitanam, & Toloſanam, quæ belli ſedes erant, rebus adeo turbatis, ſacrarum expeditionum curſus eſt interruptus. Nihilominus ex ipſa illa temporum calamitate nonnihil frugis collectum. Utilem in regiis caſtris fuiſſe noſtrorum operam, diſertiſſimis verbis tradit Gabriel Bartholomæus Gramondus Senator Toloſanus in hiſtoria proſtratæ rebellionis. Ubi etiam refellens libellum querimoniarum, Regi a concilia-

87. Societatis incommoda inter tumultus armorum.

Digitized by Google

88. Sociorum labores ex testimonio Bartholomæi Gramondi. * *Lib. 2, cap. 24.*

ciliabulo Rupellensi oblatum, notari jubet postremum ejus libelli caput, quo Jesuitæ dicebantur auctores unici decretorum, quibus Calvini religio conficiebatur, atque ita loquitur:* *Notari par est, quam acerbe sectarii Jesuitas, gentem innocuam, oderint; quibus, si sine invidia calculus ponitur, vix dici potest, quantum hoc bello Gallia victrix debeat.* Duas prævalidas perduellium urbes Rex oppugnandas susceperat: Engeriacum primo, seu Fanum S. Joannis apud Sanctones, quod etiam subegit: deinde Montalbanum in finibus Aquitaniæ, unde, pestilentia in castris grassante, discessum est re infecta. Neutrubi desideratus sociorum labor. In oppugnatione Engeriacensi, narrat Gramondus, inductum fuisse in mores, ut stationarii milites subituri vallum, prius manipulatim ad genua Sacerdotum acciderent, & piaculari confessione conscientiam expiarent. Inde, ait, in amplam digressi planitiem, certas quasdam peragebant in communi preces, & secundum hæc ad stationem quisque suam incredibili alacritate pergebant. Vallum custodientibus affuisse omnium maxime Jesuitas, idem testatur,* *eorumque in tali bello zelum* (ipsa ejus verba refero) *supra fidem magnum, & laude dignum fuisse.* Hi Patres, qui, quotve fuerint, incertum. Illud minime dubitandum, ex provincia Aquitaniæ omnes fuisse.

* *Lib. 3, cap. 9.*

89. Res Tolosanæ. Res gestæ in exercitu regio.

Pari studio subvenisse socios Tolosanos obsidentibus Montalbanum, indicant Mutii Generalis litteræ, quibus in hunc modum rescribit Nicolao Villiesio Provinciali; *Sane*, inquit, *gaudeo, nostros Patres, qui in ista provincia ad Christianissimi Regis exercitum profecti sunt, fructu maximo, & ædificatione omnibus officiis charitatis defungi, & esse tum militibus, tum ductoribus gratissimos. Hoc enim ex multorum litteris intelligo.* Sic ille Idibus Octobris. At IV. Cal. Januarii alias ad eundem litteras dabat, ex quibus colligo, plures sociorum in obsequio militum periisse. *Doleo*, inquit, *jacturam fecisse provinciam tot bonorum operariorum. Sed illi, meo judicio, non potuere vitam finire glorioſius, quam in causa tam pia, atque laudabili.* Quæ cum magnam vulgo admirationem haberent, minus miror excitatos tandem fuisse cives Tolosanos, ut nobis in urbe sua domum Professorum extruerent. De hujus operis institutione agi cœperat temporibus Claudii, extabantque jam tum certæ pecuniæ nobis eum in usum testamento legatæ. Verum tot ex adverso impedimenta consurrexerant, ut Patres Tolosani negotium desperarent omnino. Scripserant proinde ad Mutium, an non verius esset bona domui nunquam extituræ legata conferre in usum templi, quod tunc maxime sibi collegium strueret? Quibus rescribens Mutius, nefas id esse dixit. Quæcunque nimirum Societas ex aliena beneficentia accepisset, ad eos duntaxat usus servari debere, quos ab initio largitores præscripsissent. Verum ipsi ne desponderent animos: urgerent opus, quod maxime e re divina esset futurum. Rerum salubriorum initia multis plerumque difficultatibus implicari: sed vinci demum omnia sedulitate, atque patientia. His erecti litteris Patres, ad excitandam Professorum domum curas omnes, & studia converterunt: quodque prius desperationi proximum erat, hoc anno feliciter confecerunt. Emendis ædibus subsidium opportunum affuit ab egregio juvene Paulo de Pinis, qui claro ortus genere, & commodo patrimonio instructus cum esset, se suaque omnia Societati dicavit. Difficultates reliquæ, quæ totam negotii seriem usque ad hunc annum produxerant, facillime sunt disjectæ. Obstiterant primo Canonici primariæ ædis, deinde Octoviri Capitolini, qui summus est apud Tolosates magistratus, plures denique religiosorum familiæ: omnesque pariter ne novum Tolosæ domicilium Societas conderet, intercesserant. Interces sionem omnem unæ Regis litteræ sustulerunt, quibus litteris Rex causam Societatis Senatui impense commendabat. Principis commendatio cum videretur habere imperii vim, nemo obsistere ausus est. Illud tantum Canonici pervicerunt, ne nova sedes Societatis intra fines eorum curiæ consisteret, de qua re nemo magnopere pugnabat. Atque ita demum cunctis consentientibus, ex decreto supremæ curiæ, quam Parlamentum vocant, stare cœpit Tolosæ domus Professorum, secunda post Parisiensem in tota Gallia. Primus

90. Domus Professorum Tolosæ constituitur.

91. Difficultates in eo opere superatæ.

Digitized by Google

mus illi præſes fuit impoſitus P. Bartholomæus Jaquinotius, qui cum eſſet pietate ac prudentia clarus, cunctiſque inſtructus dotibus, quibus maxime mortalium animi conciliantur, ad ipſius incrementa haud parum contulit. Surgebat domus, cum Rex, obſidione Montiſalbani ob eas quas dixi cauſas in opportunius tempus dilata, Toloſam venit. Commodum agebatur a noſtris de ſacra æde domui adjungenda. Id ille cum audiſſet ex Patribus, cognoviſſetque deliberatum ipſis eſſe novum templum S. Ludovico Regi dicare: *Ludovico*, inquit, *ſatis in tota Gallia templorum eſt. Hoc Beato Parenti veſtro Ignatio conſecratum velim*. Quod dictum noſtris cum magno aſſenſu approbantibus, addidit ipſe, ſe jampridem B. Ignatio ædem voviſſe: at ſiquidem differre voti ſolutionem propter anguſtias ærarii cogeretur, velle nunc iſtius primum lapidem ponere ſua manu. Patres humaniſſimo principi gratias prolixe egerunt, quæque ad ritum celebritatis opus erant celeriter paraverunt. Ad conſtitutam diem affuit in area deſignata Rex magna procerum manu ſtipatus: interque ſolennes Eccleſiæ cæremonias ad ima templi fundamenta delapſus, ibi lapidem collocavit his exaratum litteris. *D. O. M. Ludovicus Juſtus Rex Chriſtianiſſimus ob rem adverſus hæret. fact. bene ac felic. geſtam ex voto. P. Vicennal. et. Anno D.* CIↃIↃCXXI. Quibus peractis, Toloſa Monhurtium profectus eſt.

92. Ludovicus Rex primum Toloſani templi lapidem ponit.

Prius tamen quam abiret, rem ex improviſo præſtitit, quæ omnium mentes magnopere perculit, ſermonibuſque multis ac variis materiam præbuit. Quintus vertebat annus, cum a confeſſionibus utebatur P. Joanne Arnulpho. Hunc nihil minus cogitantem a ſe dimiſit, ac ne porro aulam ſequeretur vetuit. Dimiſſionis nuncium Arnulpho attulit Luinæus Comes ſtabuli: nec ulli dubium fuit, quin idem fuiſſet regii auctor imperii, qui miniſter & interpres erat. Hæſit paululum Arnulphus, tam inopina denunciatione perculſus; quaque erat rerum aulicarum peritia, qua manu jactum eſſet telum pervidit, nec vero diſſimulavit. Superos hominesque teſtes fecit, nihil ſibi aliud in regenda regis conſcientia fuiſſe propoſitum, niſi ut ille ſancte regnum adminiſtraret. Hoc ſuum crimen eſſe unicum, cujus cauſa pelleretur. Cæterum, ut erat idem moris religioſiſſimi, id ſibi beneficii loco futurum profeſſus eſt, quod abſtinere aula juberetur, loco nimirum periculoſo, & curarum pleno. Solummodo quæſivit ad regem aditum, ut eum ſupremo ſalutaret; eamque ob cauſam Monhurtium perrexit. Prohibitus ad Regem ingredi, rediit Toloſam, ibique ſubſtitit, ſuam deinceps, & proximorum ſalutem unice curaturus. Illum antea Rex eximie dilexerat, illum plurimi ſemper fecerat, nec ulla apparebat juſta cauſa, ob quam tam ſubito voluntatem erga illum ſuam mutaſſet. At non omnibus in aula, ac minime omnium Luinæo placebat, patere quotidie Principis aures atque animum viro, non ſolum probo cum primis integerrimoque, ſed etiam ſpiritus ingentis, & liberi, qui nullo cujuſquam reſpectu quæ ſentiret aperte loqueretur. Hanc plerique cenſuerunt cauſam fuiſſe, cur ab regis latere divelleretur. Sed quæcunque ea demum fuerit, Mutius ad Villieſium Provincialem ſcribens, affirmare non dubitavit, *Dimiſſionem Arnulphi apud omnes æquos rerum æſtimatores fuiſſe quaſi teſtimonium laudis, in ejus vitam actioneſque redundantis: nemine non agnoſcente, ſuis illum conſiliis, & in regendo Chriſtianiſſimo Rege prudentia, ſtudioque religionis, non de Gallia modo, verum etiam de Eccleſia univerſa optime meritum eſſe*. Jam vero Comes ſtabuli Luinæus, ſi vere is, ut vulgo creditum eſt, auctor dejiciendi Arnulphi fuit, fructum ejus rei breviſſimum cepit. Quippe menſe vix evoluto, cum eſſet in ipſo robore ætatis, & in ſummo culmine fortunæ, immatura morte ſublatus eſt: id quod multis viſum notabile. At malevolorum lætitiam brevi ingens mœror excepit. Arnulphi enim loco, ad regendam conſcientiam regis, lectus eſt paucos poſt dies de Societate P. Gaſpar Seguiranus: quæ res Ugonotis tam ægre fuit, ut nihil ſupra. Coquebat illos etiam quod viderent, florere uti prius Arnulphum opinione virtutis, & in magna apud omnes gratia eſſe. Sane Rex, quæcunque jactarentur initio, nihil præſtitit, unde illi offenſus videretur. Quin

93. Rex dimittit P. Joannem Arnulphum, quo utebatur a confeſſionibus.

94. Conjecturæ circa cauſas dimiſſionis.

95. Triumphant ob eam rem malevoli, ſed non diu.

Digitized by Google

aliquanto poſt redux ab expeditione ſubalpina eum occurrentem ſibi lætus vidit Valentiæ, pluraque pro Societate ipſius deprecatione confecit: argumentum benevolentiæ vel nunquam amiſſæ, vel facile recuperatæ. Eundem vero vix aula juſſum abſiſtere Præſules Eccleſiarum expoſcere certatim, & habendis concionibus deſtinare cœperunt adeo contentioſe, ut Mutius ſuo unius arbitrio ſervaverit, cui illum permitteret in annos ſingulos. At enim factionem Ugonotarum nihil urebat gravius, quam quod multiplicari per idem tempus viderent domicilia Societatis in Gallia. In una provincia Toloſana, præter domum Profeſſorum, de qua ſupra dictum eſt, ſtatio Albenacenſis, quæ fuerat hactenus peranguſta, ante hujus anni exitum juſti collegii cenſum, & jus obtinuit. Aureliaci vero cives, vix operam ſociorum experti, nulli parcendum impenſæ cenſuerunt, ut ſtabilem apud ſe haberent Societatem, & commodis vectigalibus tuerentur. Itaque anno eodem collegium Aureliacenſe civium beneficentia inceptum, perfectumque eſt.

96. Fundantur collegia Societatis Albenaci, & Aureliaci.

97. Res Lugdunenses. Labores ſociorum in diverſis provinciæ partibus.

Similiter in provincia Lugdunenſi, Maſſiliæ, Aquis ſextiis, & Forojulii jaciebantur hoc tempore fundamenta domiciliorum, quæ ſerius ocyus erecta ſunt. Sed de iis infra ſermo redibit. Nunc ex geſtis intra provinciam quæ videntur notabiliora, ſummatim perſtringam. In ipſa urbe Lugduno hæreticorum duodequinquaginta hortatu noſtrorum ad Catholicos redierunt. Idem conſilii ceperunt viginti novem in finibus Vocontiorum. Forojulium miſſi duo Patres, civitatem invenerant binis factionibus miſere dilaceratam. Multi malo remedium adhibere ſtuduerant fruſtra. Ipſi, peracta ſacra miſſione, redintegratam inter cives concordiam priſtinam læti conſpexerunt. Bellicii prava invaluerat conſuetudo, ut licentiam bacchanalium producerent uſque ad lucem diei, quæ prima eſt eſurialium. Pravitatem acrius inſectatus eſt unus noſtrorum, & unica concione ſuſtulit ſic, ut eo die, licet conducti de more eſſent ſymphoniaci, paratumque omne inſtrumentum profanæ celebritatis, ad locum ſaltationibus deſtinatum nemo acceſſerit. Ex Ebredunenſi collegio operarii duo in ſacram expeditionem egreſſi, valles Barcellonenſem, & Queyracenſem peragraverunt, ac præter communes hujuſmodi peregrinationum utilitates, nebulones quoſdam exegerunt, qui multa ſibi divinitus oſtenſa de ſtatu mortuorum mentientes, ruſticam decipiebant plebem in tantum, ut unuſquiſque omnia ſibi licere arbitraretur, modo illis aliquid pecuniarum dediſſet. Verum inter hæc provinciam obitu contriſtavit ſuo P. Humbertus Selinus, vir domi foriſque laudatiſſimus: de quo nihil amplius dicam, niſi quod annos omnino quadraginta, quot vixit in Societate, nullam noſtrarum legum prætergredi unquam eſt viſus, ne illam quidem prima ſpecie leviorem, quæ ad ſilentium ſpectat. Patientiam ipſius & manſuetudinem difficiles aliquorum mores ſæpius probarunt. Si quando a quoquam objurgaretur aſperius, ipſe vocem premens nihil reponebat: ne vero alii, qui forte adeſſent, objurgantis intemperantia offenderentur, jocari eum, non ſerio dicere affirmabat. Erat ejus familiare dictum, animum immolari Deo debere: eademque noviſſima fuerunt verba, in quibus eum vox & vita defecit. Obiit Dolæ die Novembris ultima, annum agens ætatis ſexageſimum. Patria illi fuit Dinantum in diœceſi Leodienſi. Atque hæc de rebus Gallicis.

98. Mors & elogium P. Humberti Selini.

99. Res Toletanæ. Moritur Rex Philippus, eique aſſiſtit Pater Hieronymus Florentia.

Progredienti ad Hiſpanicas offert ſe ſtatim in provincia Toletana Philippi III. Regis obitus, qui quidem eventus proprias habet cauſas, cur in annales Societatis referendus videatur. Philippus biduo ante quam moreretur, ſuſceptis jam ultimis Eccleſiæ ſacris, & filiis ſupremum valere juſſis, metu futuræ ſortis angi ſupra modum cœperat. In ea animi perturbatione, vocari confeſtim ad ſe juſſit noſtrum Hieronymum de Florentia, concionatorem magnæ famæ, ſibique gratiſſimum, quicum ſolitus antea fuerat familiarius interdum, quam regum conſuetudo ferat, ſermones habere. Is cum accurriſſet, incredibile eſt, ut brevi regem ex illa ægritudine ad ſpem & tranquillitatem erexerit. Adſtabant lecto corona procerum, & Confeſſarius, ex familia Dominicana Sa-

Digitized by Google

Sacerdos. Suam morienti ſollicitudinem quo poterant modo teſtabantur omnes. Rex unum Florentiam attendere, unum audire, cujus oratione cæteri quoque fiducia & lacrymis complebantur. Narrabat deinde Confeſſarius, vir prudens cum primis, & doctus, ſe quidem ſemper antea Florentiam feciſſe plurimi; verumtamen quantus ille vir eſſet, tunc primum liquido intellexiſſe: neque enim alium ſibi unquam auditum, qui tanta ſimul pietate & prudentia, ac omnino tam appoſite loqueretur. Rex magnopere recreatus, gratias egit homini ſemel atque iterum, eumque ut adeſſe ſibi pergeret uſque ad extremum, rogavit. Mox novum ſermonem exorſus, ter ipſum compellans nomine: *Quam*, inquit, *tibi gratiam referam pro tuis tam multis in me officiis?* jubebatque effari, qua maxime re gratificari ei poſſet? Cui vir egregius, ut filio Societatis dignum erat: *Id unum*, ait, *rogo te Rex, ut ſi vitam produxeris, omnes pro eo ut meriti fuerint, honore aut pœna afficias.* Exinde ægrum nunquam dimiſit, & ad anxietatem identidem relabentem, ad ſpem optimam excitare non deſtitit. Audierat ſemel exclamantem, malle vitam egiſſe in ſolitudine, quam regnaſſe: quam vocem excipiens: *Viſne*, inquit, *Rex tam diuturnæ ſolitudinis præmium a Deo referre?* eoque affirmante: *Fac ergo*, ſubintulit, *ut & vitam, & incolumitatem, & regnum abjicias ante pedes regis regum, ejuſque arbitrio libens volenſque permittas quid his omnibus fieri velit.* Promptus ille ad omnia, verba præeuntem ſequebatur, eadem animi ſenſa & voce, & lacrymis expromebat: donec omni ſolutus metu, & in ſpem vitæ melioris erectus, noviſſimam horam placide admodum, ac feliciter obiit die Martii ultima. Eo vix mortuo, filius & hæres Philippus IV. Florentiam ſuprema patris mandata deferentem benigne admiſit, de opera parenti impenſa multum laudavit, ac ſuis in poſterum fratribus eſſe juſſit a confeſſionibus.

100. Quam ſancte P. Florentia morienti aſſtiterit.

At idem paulo poſt gravem Societati curam injecit, quam modo explicare aggredior. Jamdiu inſtitutum fuerat apud Patres Franciſcanos, ut quicunque ex eo ordine in Indiis degerent, regerentur per proprium magiſtratum (Commiſſarium ipſi vocant) affixum curiæ Matritenſi. Magiſtratus iſtius conſtituendi deſtituendique arbitrium non eſt integrum penes ordinem. Duos ad præfecturam deſignat Miniſter generalis, ex quibus quem elegerit Rex, ille provincias Indiarum in perpetuum adminiſtrat. Jam vero placebat Senatui Indico, ſimilis formæ magiſtratum inſtitui in omni ordine religioſo, proindeque etiam in Societate: quam Senatus ſententiam approbante Rege, videbatur negotium prope confectum, niſi occurriſſet novitati periculoſæ Mutius, & rem Societati pernicioſiſſimam declinaſſet. Novi decreti hæ præferebantur præſertim cauſæ. Omnes Indorum curias ad regem, jure ut appellant patronatus, pertinere: pleraſque hominibus religioſis eſſe commiſſas. Oportere ergo, ex cunctis ordinibus unum aliquem ſemper eſſe Matriti, qui ſubinde Regem doceret de ſtatu curiarum, qui jus haberet in Parochos, qui ad eos Regis imperata tranſmitteret. Neque enim hæc fieri per generales ordinum Præpoſitos tam procul degentes Romæ ſatis commode poſſe: cum ſæpe naves ante ſolvant ex Hiſpania, quam Roma reſponſa venerint, ex quo non raro contingat, negotia, quibus celeritate opus ſit, mora corrumpi. His rebus cognitis Mutius, recte intelligens agi negotium maximi ad rem Societatis momenti, brevi commentario complexus eſt quæcunque ad dimovendum ab eo conſilio Regem, ac Senatum Indicum apta exiſtimavit. Ac primo quidem, per ejuſmodi magiſtratum Generali Præpoſito non obnoxium funditus everſum iri, ajebat, regiminis formam plane admirabilem, in qua B. P. Ignatius præcipuam vim conſervandæ Societatis conſtituiſſet. Sic enim inſtitutum eſſe apud nos, ut quamquam publica rerum adminiſtratio per diverſos poteſtatis gradus diſtincta ſit, ad unum tamen moderatorem omnia referantur. Hinc inferiores Societatis præſides, contra quam in aliis ordinibus fieri ſoleat, ubicunque gentium creari a ſolo Generali Præpoſito, nec plus habere legitimæ poteſtatis, quam ab illo acceperint. Quis jam non videat, novo hoc, eodemque perpetuo magiſtratu Indico tolli penitus, ac diſſolvi tam pulchram, tam

101. Philippi IV. decretum de magiſtratu extraordinario pro Indiis.

102. Mutius decretum Societati pernicioſum declinat.

Digitized by Google

necessariam membrorum omnium conjunctionem cum suo capite? Quis deinde spondeat, edito semel exemplo in provinciis transmarinis, non idem quoque alias intra Europam provincias postulaturas? Quod si hæc, qua hactenus Societas stetisset, conjunctio solveretur, Societatem ipsam dissolvi, & concidere necesse esse ostendebat. Ad rationes, quæ ex adverso producebantur, curæ sibi fore spondebat, ut regem de rebus Indicis ad curiarum administrationem pertinentibus, quoties collibitum esset, certiorem faceret Procurator a se constitutus Matriti. Quod si tamen contingeret, aliquid esse Curionibus imperandum, de quo propter navium festinationem Præpositi Generalis responsa expectari non possent, se ad hunc usum potestatem quanta opus esset Præposito provinciæ Toletanæ collaturum: atque ita Regem facillime, ac Societate indemni, quæ maxime vellet consecuturum. Hæc Mutius, & plura scripto executus, commentarium transmisit Matritum ad Patres Petrum Pazium collegii Matritensis rectorem, & Franciscum de Figueroa Indiarum procuratorem, ut eadem ad præsidem Senatus Indici Ferdinandum Carillium deferrent, uberiusque explicarent. Quibus jussa facientibus, Carillius victus rationum pondere mutavit mentem usque adeo, ut datis ad Mutium litteris receperit, nihil posthac in ea causa decretum iri, unde Societatis instituta convelli, aut aliqua ex parte labefactari possent.

103. Res Lusitaniæ. Controversia de decimis ab Ebornensi Archiepiscopo excitatur.

Plus negotii fuit in componendis aliquibus controversiis, quibus Societatem eodem tempore exagitabat in Lusitania Joseph de Mello Archiepiscopus Ebornensis. Primam controversiam moverat contra immunitatem decimarum, quam Paulus III. primo, deinde Pius IV., postremo Gregorius XIII. Societati concesserant. Adjunctis autem sibi, ut in communi negotio, cæteris regni Præsulibus, collegiisque Canonicorum, & Parochis, decretum abstulerat a Paulo V. Pontifice, ut nostri futuris temporibus bonorum, quæ ad illum usque diem aquisivissent, vigesimas solverent: si qua vero compararent in posterum, eorum decimas deberent. Erant in eadem causa cæteræ religiosorum familiæ. Illis tamen jus longa consuetudine partum retinentibus, nemo erat molestus.

104. Quæ turbæ ob eam causam ortæ sint Eboræ.

A sola Societate novum vectigal Clerici exigebant: & Eboræ quidem non eadem æquitate, qua in cæteris regni partibus. Censebantur in bonis collegii Ebornensis aliqua olim ex ipso censu sedis Archiepiscopalis excerpta, quæ non tam privilegio Pontificum, quam ex ipsa lege pactorum, quibus nobis ab initio fuerant tradita, ab omni pensione decimarum exempta erant. Quippe fundator collegii Cardinalis Henricus, tunc Ebornensis Antistes, deinde Rex Lusitaniæ, auctoritate Pontificis interposita, bona illa in dotem collegii sui Ebornensis contribuerat sic, ut eorum etiam decimas in summam dotis conjiceret. Ex hoc ipso nihilominus bonorum genere vicarius Archiepiscopi vigesimas postulabat. Negante se daturum rectore (erat is P. Joannes Correa), & causas reddente cur non deberet, orta est contentio non levis, quæ demum in publicam offensionem erupit. Nam cum nostri appellationem ad sedem Apostolicam interposuissent, ea contempta vicarius rectori denunciavit, nisi vigesimas intra præfinitam diem solvisset, anathematis damnatum iri. Rector adversus vim diploma regium opposuit, quod Hispani *Tuitivam* vocant. Hoc decreti genere Rex Clericos Apostolicam sedem appellantes tuetur, ne dum Romæ pendet appellatio, per minores judices molestia afficiantur. Res more & legibus adhibita, adeo non fregit vicarii impetum, ut incitaverit potius. Itaque ad atrociora hinc inde ventum est. Rectorem vicarius anathemate feriit. Vicissim conservator Ebornensis academiæ vicario pro potestate denunciavit, ut censuras refigeret, jussaque non facientem perculit anathemate. Causa denique ad Paulum Pontificem delata est: qui tametsi censuras ex utraque parte sustulerit, rectori tamen succensuit gravius, quasi ope regis voluisset resistere judici Ecclesiastico, ne Pontificium decretum exequeretur. Illum proinde magistratu privatum, ad omne publicum munus inhabilem pronunciavit. Ad decimas vero quod attinet, causam disceptandam commisit consilio Cardinalium, qui re in lon-

105. Gregorius XV. controversiam componit.

Digitized by Google

longum extracta, & ſæpe ampliata, toto fere ſexennio quo Paulus ſuperſtes fuit, de ea nihil ſtatuerunt. At nunc demum Paulo e vivis ſublato, controverſiæ finem impoſuit ſucceſſor ejus Gregorius. Qui quidem Pontifex æquum exiſtimans, Societatem in Luſitania eodem frui jure, quo cæteri religioſorum ordines fruerentur, decretum edidit, ne in poſterum ex ullo genere bonorum, quæ Societas per ſe coleret, vigeſimas penderet, niſi *Prout alii mendicantes ſolvere conſuevisſent*.

105. Aliæ Patrum Eborenſium moleſtiæ ob inſtitutam ſodalitatem.

Dum hæc adhuc diſceptabantur, aliam præſul Eborenſis moleſtiam exhibuit Societati, nec vero levem. Inſtituerant in eo collegio Patres ſodalitium ex opificibus, ſub tutela Deiparæ in cœlum aſſumptæ. Inde Antiſtes materiem nobis ægre faciendi ſumpſit. Obtentu enim cujuſdam Pontificiæ ſanctionis, qua olim Clemens VIII. vetuerat, ne laici injuſſu Epiſcopi in nova ſodalitia (Confraternitates vulgo nominant) coire auderent, neu leges ſibi aut ſtatuta in communi conderent; primo capita ſodalitatis, deinde ſodales omnes alios poſt alios ad dicendam cauſam adeſſe juſſit, & Clementis lege damnatos in vincula conjecit. Dimiſit eos quidem poſt dies paucos: ſed non niſi mulcta prius perſoluta, datoque a ſingulis chirographo, nunquam exinde in eam de qua dictum eſt ſodalitatis formam redituros. Rem ſane gravem, & qua Societatis jura aperte lædebantur, Romam ad Pontificem detulerunt, tum Patres collegii Eborenſis, tum qui propius injuriam paſſi fuerant ſodales. Pontifex autem Gregorius, auditis Cardinalium ſententiis, litem ita compoſuit, ut omnes in poſterum intelligerent, illo Clementis diplomate non tangi congregationes adoleſcentium ac virorum, quæ in collegiis domibuſque Societatis per Generalem Præpoſitum inſtitui, ac primario collegii Romani ſodalitio aggregari conſueverunt. Nondum hanc Pontifex diſſenſionem judicio ſuo diremerat, &

107. Eborenſis gymnaſii privilegia impugnantur ab Archiepiſcopo.

jam aliam Antiſtes idem excitaverat, de qua modo dicimus. Eborenſe gymnaſium Henricus Cardinalis fundator multis ampliſque, tum a Rege, tum a Pontifice privilegiis ornandum curaverat. Erat porro illud inter præcipua, ut alumni omnes, ſi modo tabulis cenſus academici eſſent inſcripti, in omni cauſarum genere ſolius rectoris juriſdictioni ſubjicerentur. Rector propterea, quia nefas viro religioſo forum exercere, duos conſtituere ſolebat judices (Conſervatores vocant), alterum ex ordine ſacerdotali, e populo alterum, qui academicis ſui ſinguli corporis jus dicerent. Hoc Archiepiſcopus ex omnibus collegii privilegiis iniquiſſimum arbitrabatur. Itaque quam primam nactus eſt ejus infringendi occaſionem, cupide arripuit. Duo alumnorum in ſacro ordine conſtituti, vocati fuerant in ſuſpicionem criminis paulo gravioris. Statim Præſul in vincula conjectos jubet apud vicarium ſuum cauſam dicere. Reclamabat rector, vinctos ex æquo & bono repetebat. Cum nihil hac via proficeretur, pergeretque Antiſtes tam æqua rogantem repellere cum contemptu, judex gymnaſii conſervator reos ex juris formula repopoſcit, ſed pari effectu. Ne longior ſim, perſtante Archiepiſcopo per varias ambages rectoris juriſdictionem eludere, cauſa demum ad Romanum Pontificem deducta eſt, & Purpuratorum concilio ad judicandum propoſita. Prolatis Romæ, expenſiſque quæ in utramque

108. Gregorius XV. gymnaſii privilegia tuetur.

partem afferebantur, pronunciaverunt Cardinales, placere remitti ad conſervatorem vinctos, quos in fraudem Apoſtolici privilegii Archiepiſcopus detineret, ejuſque ſtare judicio. Verum haud multo poſt Gregorius, certior factus Archiepiſcopum non ut par fuerat Cardinalium reſcripto paruiſſe, novo diplomate ſua Eborenſi collegio privilegia firmavit. At ne ſic quidem cohiberi omnino potuit infenſus Præſul, ne eadem convelleret denuo, noviſque quamdiu vixit moleſtiis Societatem exerceret.

109. Collegium Eborenſe peſtilenti morbo conflictatur.

Interea vero, quaſi ſatis non eſſent tot ægritudines, quas ex alienata Antiſtitis voluntate ſocii capiebant, acceſſit eodem anno mœror de multorum incommoda valetudine, crebriſque funeribus, quæ collegium Eborenſe afflixerunt. Genus quippe morbi peſtilentiæ proximum, ortum in Caſtellæ finibus, atque inde latius pervagatum, Eboram uſque pervaſerat: quo cum plures tota ur-

Digitized by Google

urbe conflictarentur, hisque nostri passim remedia corporum animorumque circumferrent, aliqui pestem contagione traxerunt, & in collegium intulerunt. Hinc tota familia morbo eodem implicita est, plures extincti. Nullius tamen tam complorata jactura, quam Patris Leonis Henriquez, viri tota Lusitania clarissimi, quem nos Henriquium juniorem appellabimus, ut distinguatur a Patre Leone Henriquio ipsius patruo, magni item nominis viro, quo rex Cardinalis conscientiæ arbitro utebatur. Henriquius ergo junior, non sanguine, quam virtute conjunctior illi seniori fuit. Fama est, olim adolescenti, cum in horto domestico spatiaretur, oblatum ex improviso fuisse malum dæmonem lascivæ puellæ specie, & flagitium suasisse: illum periculo conterritum refugisse statim, & clamorem sustulisse: advolasse famulos strictis gladiis, ut procacem repellerent: nusquam tamen ullius feminæ neque speciem, neque vestigium apparuisse. Addunt, ex iis insidiis elapsum castissimum adolescentem, ad ineundam Societatem animum adjecisse. Nihil sane horum de homine, qui innocentissime sanctissimeque semper vixit, incredibile. Quod tamen certius, Societatem amplexus est adolescens mira innocentia. Et quia pio suo proposito videbat adversari vehementissime parentem suam viduam, ea nec salutata digressus est Alcaceva paternæ ditionis oppido, & clam Eboram venit, ubi assumpto ob patrui memoriam nomine Leonis, (nam Petrus antea vocabatur) tironibus adscriptus est. Non referam quantos in litteris, præsertim gravioribus, progressus fecerit. Præstanti sane erat ingenio, ad quod parem diligentiam cum attulisset, dignus est habitus, qui philosophiam, & quæstiones de moribus in collegio Eborensi explicaret. Verum ut his animi ornamentis excelleret plurimum, nimis quantum eadem religiosarum virtutum magnitudine superavit. Duabus præcipue virtutibus eminebat, charitate adversus proximos, & contemptu sui, nec fere unam ab altera sejungebat. Summa illi voluptatum in carceribus inter vinctos, aut in nosocomiis inter ægrotos versari, omnium ærumnas obsequio levare. Sæpe conspectus est, cum suis deferret per urbem humeris culcitras, cibaria, vestes, & quæcunque pauperibus vel ad tegenda corpora, vel ad famem arcendam, vel ad nocturnam quietem usui essent. Decem ultimos vitæ annos docendis pueris, & fidei institutionibus publice explicandis totos impendit, ajebatque, tunc vero se multo melius doctoris officio fungi, quam cum naturæ arcana, & morum præcepta disseruerat. Multa de illo supra naturæ usum memoriæ sunt prodita, quæ ego, ne longior sim, prætermitto. Illud ad viri commendationem singulare, quod adolescens quidam, cui Leo morienti adstiterat, post obitum se videndum exhibuit sorori suæ, enarratisque quibus fuisset in extremo vitæ insidiis a malo dæmone appetitus, ex iisdem se ope Leonis evasisse dixit: illum vero in magna gratia apud Deum, & infernis hostibus summe formidolosum esse affirmavit. Obiit Henriquius pridie Idus Novembris, anno ætatis quadragesimo sexto, post initam Societatem trigesimo primo. Sed jam ad oras transmarinas properemus.

110. Obitus & elogium P. Leonis Henriquez junioris.

111. Res Malabaricæ. Controversia Madurensis Romam defertur.

Aggredimur statim ad controversias Madurenses triennio ante intermissas, quæ quidem quo essent loco post consultationem Goæ jussu Pontificis institutam, prolixe suo loco narratum est. Hominem suarum partium, & consiliorum suorum conscium, ut tunc dicebamus, Goanus Archiepiscopus Romam submiserat, qui apud Pontificem & Cardinales nullum non moveret lapidem, & controversia secundum ipsius vota decideretur, oppositæ autem sententiæ auctor P. Robertus Nobilius impietatis ac superstitionis crimine damnaretur. Ex adverso Joannes Franciscus de Almeida fidei quæsitor in India, cum partes Nobilii tuendas suscepisset, scriptis Romam litteris, rem omnem uti gesta fuerat Goæ exposuerat: idque præter alia Cardinali Bellarmino perscripserat: *P. Robertum illuminasse totum orientem, & ex ipsis Brachmanum libris aperte demonstrasse, signa illa, quæ in suspicionem idololatriæ vocabantur, mera esse signa nobilitatis antiquæ, & ad idololatriam nullo modo pertinere.* Hac relatione majorem in modum recreatum fuisse comperio Cardinalem Nobilii avunculum.

112. Bellarmini litteræ ad Goanum Inquisitorem.

In-

Digitized by Google

Inquiſitori quidem certe in hæc verba reſcripſit. „ Accepi litteras tuas, & Deo gratias egi, quod accenderit cor tuum ad amplectendam, & propugnandam veritatem. Ex quo intelligitur, priorem tuam ſententiam non fuiſſe fundatam in aſſerendi voluntate, ſed in opinione, quam hic habebas de negotio, quod in controverſiam vertebatur. Quamvis autem in conventu hominum doctorum, qui habitus eſt Goæ, plures aſſenſerint Archiepiſcopo Goenſi, quam Cranganorenſi, accepi tamen, multos viros doctos, qui ad conventum illum vocati non fuerunt, ſcripſiſſe ſententiam ſuam, eamque optimis rationibus confirmaſſe, & ad ſummum Pontificem per viam Luſitaniæ miſiſſe. Et quamvis Archiepiſcopus Goæ miſerit hominem quemdam ſuum per viam breviorem, qui jam hic Romæ eſt, & litteras, atque alia ſcripta miſerit, & mihi etiam ſcripſerit, & perſuadere conatus ſit, Robertum Nobilem eſſe nimis audacem, tamen tandem veritas vincet. Expectamus ex Luſitania, non ſolum quid de præſenti controverſia Goenſes ſentiant, ſed etiam quid ſentiant alii permulti, quorum ſcripta per Luſitaniam ad nos mittentur. Ego vero non poſſum non magnas agere gratias tibi viro optimo, & doctiſſimo, & precari a Deo præmium ſempiternum, quod libere ſententiam dicere volueris, & mihi etiam ſcribere aperte quid ſentias, ut ſummus Pontifex omnia vere ſciat, & definiat quod ad majorem Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem eſſe cenſuerit. Vale, & pro me Dominum Deum ores, ut hominem jam pene octogenarium de hoc ergaſtulo eruat, & ad patriam dulciſſimam lætiſſimamque perducat. Romæ die 22. Decembris 1620. Alteram eodem die epiſtolam Bellarminus dedit ad Goanum Archiepiſcopum, cujus litteras acceperat a Sacerdote Romam, uti diximus, miſſo. Sic autem ſcribebat. „ Illuſtriſſime Domine. Accepi litteras Reverendiſſimæ amplitudinis veſtræ, quibus valde reprehenditur Robertus Nobilis, quaſi novam doctrinam invehere velit in iſtas regiones. Et quidem ſi omnes alii, qui ex India ad nos ſcribunt, idem dicerent, non dubitarem illum graviter accuſare. Sed habeo non paucas epiſtolas aliorum, qui contra ſentiunt, & ſupra modum eum laudant, quod magno labore & ſtudio libros Brachmanum legerit: quique ab aliis cenſentur ritus falſæ religionis, eos re vera eſſe ritus nobilitatis putant, ac per hoc non impedire converſionem ad veram religionem, quæ ſola eſt Chriſtiana & catholica. Utrum autem res ita ſe habeat ut P. Robertus cenſet, aut non ita ſe habeat, & P. Robertus decipiatur, non eſt meum judicare; ſed Apoſtolica ſedes, lectis multorum litteris quæ huc miſſæ ſunt, & auditis conſiliis ſapientium conſultorum, declarabit quæ ſit veritas. Et ſiquidem reprobabit P. Roberti ſententiam, ceſſabunt Brachmanes admitti ad ſacrum baptiſmum, niſi ſigna ſua dimittant. Sin autem approbabit ſententiam P. Roberti, facilior erit converſio Brachmanum. Hæc mihi interim occurrebant quæ ſcriberem Illuſtriſſimæ dominationi veſtræ, cujus me ſanctis precibus humiliter commendo.

113. Alia ejuſdem epiſtola ad Archiepiſcopum Goanum.

Goæ interim fidei Inquiſitor Almeida quæſtionem accuratiſſimam de cauſa tanti momenti exercendam ſuſceperat. Perlata ſunt ad eum ex ipſo Madurenſi regno ampliſſima teſtimonia, & monumenta tum publica, tum privata, ex quibus quid falſi, quid veri ſubeſſet plane cognovit. Tum adhibitis in conſilium eccleſiaſtici fori lectis judicibus, quid ipſe, quid doctiores quique in ea cauſa ſentirent, ad Ferdinandum Maſcareniam ſupremum in Luſitania Inquiſitorem perſcripſit. Addidit documenta omnia, quæ ad manus habere potuit, ac præſertim egregium commentarium a P. Nobilio ſuper eadem cauſa elaboratum. Ferdinandus, cui pariter Goanus Præſul omnia ſuæ partis documenta tranſmiſerat, hæc atque illa pervolutans, viros totius regni doctiſſimos in conſilium vocat, reque cum illis diu ac multum deliberata, uno denique omnium conſenſu pronunciat, ſententiam P. Roberti omnino veram ac tutam videri. Tum rationes omnes, quibus tum ipſe, tum alii doctores ducti ita cenſuerant, brevi ſcripto executus, ſcriptum iſtud Romam ad Pontificem mittit. Rationum potiſſima ducebatur ex authenticis juratiſque teſtimoniis Brachmanum illius met re-

114. Inquiſitionis Luſitanæ judicium de ea cauſa.

115. Quibus rationibus adjudicata

Digitized by Google

fuerit Nobilio cauſa in Luſitania.

regionis Madurenſis, qui libros legum ſuarum, & indigenarum ritus ac mores optime callentes, prolixe atteſtabantur, prædicta ſigna inventa fuiſſe ad nobilitatis gradus earum gentium indicandos, ac diſtinguendos. *Quæ teſtimonia*, inquit, *ex India nobis perlata legimus, & expendimus. Hoc ipſum*, addebat, *teſtantur fideles, virique graviſſimi, qui prædictas regiones peragrarunt, & illarum gentium mores diligentius indagarunt. Quorum virorum aliquos Ulyſſiponem appulſos egomet, & cæteri doctores allocuti ſumus, ipſorumque teſtimonium judicium hoc noſtrum comprobavit.* Confirmabat ſententiam ſuam uſu quotidiano Indorum, & conſuetudine, qui licet diverſas, ac plane contrarias ſequantur in colendis falſis numinibus ſectas, iiſdem tamen, nec diſſimilibus, ſi ſunt ejuſdem ordinis ac nobilitatis, utuntur inſignibus. Quod objiciebatur, lineam ante aliquot annos damnatam fuiſſe ſuperſtitionis in duobus provinciæ Goanæ conciliis, id ajebat cauſæ nihil obeſſe. Patres enim utriuſque concilii non alios audiſſe teſtes, niſi accolas maris, homines ſcilicet natos in ditione Luſitanorum, horumque moribus educatos, qui proinde antiquam gentis diſciplinam penitus ignorarent. Et vero Alexium Meneſium, notæ prudentiæ ac ſanctitatis virum, quem poſterior illorum conventuum præſidem habuiſſet, re melius comperta, lineam & voce palam, & factis comprobaſſe. Alia denique ſolvebat, quæ quia jam objecta Nobilio vidimus, & ab eo ſoluta, non putamus hoc loco repetenda. His Romam perlatis, Gregorius Pontifex cenſores

116. Conſtitutio Gregorii XV. de controverſia Madurenſi.

conſtituit, qui ſcripta omnia, quæcunque in Aſia & Europa de hoc argumento fuerant edita, & totius momenta cauſæ diſcuterent. Vix fuit qui non Patris Nobilii, & Luſitani inquiſitoris ſingularem in controverſia perdifficili diligentiam ac fidem admiraretur. Quoad ipſam vero cauſam, viſum in ſententia Nobilii nihil eſſe quod tuto permitti, ſaltem ad tempus, non poſſet, donec res fierent compertiores. Id præ cæteris cenſuit Epiſcopus Armacanus e ſacro Prædicatorum ordine, qui cauſam Nobilio adjudicans, eundem laudavit eximie, & teſtimonium dedit Madurenſi miſſioni perhonorificum. Jam ergo Gregorius XV. Pontifex, auditis cenſoribus, & Cardinalibus adverſus hæreticam pravitatem inquiſitoribus, die XXXI. Januarii, anno MDCXXIII., Apoſtolicam conſtitutionem edidit, qua *humanæ infirmitatis*, ut ipſe ait, *miſerando*, Chriſtianis Madurenſibus, uſque ad aliam ſedis Apoſtolicæ deliberationem, poteſtatem faciebat utendi ſuis illis inſignibus, *Linea*, & *Codumbo*, itemque *Sandalo*, & *lavationibus* (in quibus rebus tota, ut alibi dictum eſt, illius temporis controverſia vertebat): modo ne quid omnium uſurparent, quæ præter ſimplicem uſum earum rerum addiderat ſuperſtitio aliquorum. Nonnullas proinde conditiones, quibus in earum uſu neophyti ſubjicerentur, ſapienter præſcripſit. Quo demum ſupremæ auctoritatis oraculo neophytos naſcentis Eccleſiæ in profeſſione ſuſceptæ fidei confirmavit, ethnicos vero ad eam in poſterum ſuſcipiendam alacriores fecit.

117. Patris Nobilii congreſſus cum Archiepiſcopo Goano.

Prius quam hæc agerentur, P. Nobilius æquiſſimo animo quidquid Romæ decerneretur expectans, Maduram ſe receperat. Non tamen Goa prius diſceſſerat, quam Archiepiſcopum utcunque male de ſe meritum ſalutaret. In quo congreſſu Antiſtes falſe ſubridens quæſivit ex eo, quid ſibi tandem vellet cum illo vitæ genere tam auſtero, tam novo? An inuſitatæ pietatis commendatione ſperaret, obrepere ſe poſſe ad aliquem in Indiis epiſcopatum? Doluit vir Apoſtolicus, obortam hanc Antiſtiti ſuſpicionem fuiſſe adeo a mente ſua, & veritate alienam. Modeſte itaque reſpondit, id ſibi potiſſimum fuiſſe cauſæ cur Societati nomen daret, ut honores & epiſcopatus Indicis multo nobiliores fugeret. Ea vox curam injecit Archiepiſcopo inquirendi, quis Nobilius, & unde ortus eſſet? Ut cognovit, apprime claro eſſe natum genere in Italia, & Cardinali Bellarmino proxima conſanguinitate conjunctum, multo deinde habuit benignius. Demum fauſta prece abeuntem eſt proſecutus. Ille Malabaricam legens oram, & ſocios Coccinenſes reviſens, Maduram paucis poſt diebus attigit. Quanto neophytorum gaudio exceptus fuerit optimus pater,

118. Conſpiratio contra ipſum inita in regno Madurenſi.

nul-

Digitized by Google

nullis ego consequi verbis possim. At lætitiam non tulit malus dæmon esse diuturnam. Præcipua rerum ibi gerendarum spes, secundum Deum, in Nobilio erat. Ad eum ergo pellendum infernus hostis totis coortus est viribus, remque antea aliis viis machinisque tentatam frustra, nunc per paucos nequitiæ suæ administros pene est consecutus. Duo fuerunt neophyti, in quos Nobilius beneficia multa contulerat, Alexius, & Bonifacius. Hi sensim a primo fidei ardore in noxium torporem delapsi, ea commiserant, ob quæ commeriti sunt, ut ab ipsius familiaritate prius, mox etiam a communione sacrorum arcerentur. Ei propterea succensebant ambo, & de ultione cogitabant. Novissime cum inaudissent, P. Petrum Franciscum præpositum provinciæ Malabaricæ brevi transiturum Madura, consentiunt inter se, ut confictis criminibus ad eum deferant P. Nobilium, & reum multorum scelerum faciant. Ut fidem accusationi conciliant, aliquos ex popularibus ad ineundam secum impii consilii societatem inducunt, cumque his egregii artifices ita componunt fabulam, ut in dicendis testimoniis summa constaret omnium consensio, sine ulla varietate dictorum. Sic comparati, statim atque de adventu præpositi nunciatum est, eum adeunt pariter, & tanquam solliciti de fama Societatis, virum innocentissimum iis onerant criminibus, quæ ne referre quidem ausim. Utrum Præpositus calumniatoribus fidem habuerit, nec ne, haud satis constat: quippe intra paucos dies extinctus, spatium non habuit sua satis sensa explicandi. In eo certe parum considerate se gessit, quod cum festinaret Coccinum, nec testes interrogare præ angustia temporis posset; id negotii dedit Patribus Gundisalvo Fernandio, & Andreæ Bucerio, viris spectatæ quidem probitatis & fidei, qui tamen in controversia de moribus Madurensibus ita tunc a Nobilio dissidebant, ut cum eo propter usum Brachmanici cultus communicare nefas ducerent. Porro in hac naturæ humanæ fragilitate facilius optari, quam sperari prudenter poterat, inter quos tanta esset judiciorum contentio, contrarietatem nullam intercedere animorum. Jam ergo ad eos judices rejecti calumniatores, tam multa ex composito testimonia, ac tanto consensu dixerunt, ut nulla ex parte suspecta testificatio videretur. Bucerio nihilominus non persuaserunt. Ipsam Nobilii vitam, ajebat, objecta satis respuere. Esto enim non esset tantæ virtutis, quantam semper antea præ se tulerat: tamen tam multa, quæ in omni genere turpitudinis objiciebantur, minime in eum hominem convenire, qui tot districtus curis esset, qui in perdiscendis Brachmanum litteris, libriscque conscribendis tantum laboris ac temporis collocaret. At apud Fernandium potior hac defensione fuit testium numerus, & perfecta consensio. Itaque de re tota ad P. Gasparem Fernandium (huic Petrus Franciscus moriens provinciam reliquerat) ita perscripsit, ut Nobilius in multis compertus, in aliis suspectus graviter videretur. Acta causæ Gaspar Fernandius Romam ad Præpositum Generalem misit. Interim vero Nobilium, simplici negatione objecta refellentem, jussit Madura cedere in collegium Cranganorense, ibique Generalis Præpositi judicium opperiri. Paruit vir innocens, gravissimam ærumnam levans, tum conscientia integritatis suæ, tum etiam certa spe, Deum, cujus causa injuriam perferebat, non passurum opprimi se improborum mendaciis. Et vero citius quam quisquam speraſſet retecta est fraus, & mysterium iniquitatis in lucem eductum. Intra annum plures ex illo calumniatorum sodalitio, perculsi divinæ ultionis metu, palam professi sunt, quæcunque contra P. Nobilium testificati fuissent, mera fuisse mendacia. Eo non contenti alii, Cranganorem usque trecenta millia passuum advenerunt hac una causa, ut testimonium innocentiæ redderent, totamque calumniæ telam coram Archiepiscopo, & Patribus collegii retexuerunt: hoc fide digniores, quod in detrimentum suæ famæ non pauca aperuerunt, eaque jure jurando interposito confirmaverunt. Ex his ille Bonifacius, quem alterum ex duobus calumniæ fabricatoribus fuisse dicebamus, dicta ita recantavit, ut pro irrogata homini immerenti infamia pœnam nul-

119. P. Nobilius confictis criminibus opprimitur.

120. In collegium Cranganorense relegatur.

121. Nobilii innocentia in lucem educitur.

Digitized by Google

lam deprecaretur. Sic igitur cum emersisset innocentia Nobilii, eum rector provinciæ, nec expectato Præpositi Generalis rescripto, omni crimine liberavit, & in suam stationem cum honore remisit. Ipse autem Maduram rediit iniquis delatoribus adeo non infensus, ut magis eorum quæ acciderant culpam omnem in se, ac morum suorum austeritatem referret. Id sane ipsum respondit viro gravi & amico, a quo per litteras fuerat monitus, ut præteritorum memoriam abjiceret.

122. Nobilius in gravi periculo tuetur neophytos.

Porro neophytis Madurensibus nihil poterat tam commode accidere, quam ut tali tempore ad eos Nobilius reverteretur. Obruebantur quippe ethnicorum injuriis, nisi ille interveniisset. Erant plerique sub ditione dynastæ præpotentis, cui certa pars urbis regiæ parebat. Hermachetto nomen illi erat. Vir nondum Christo initiatus, tamen christianæ rei impense studuerat hactenus, & Nobilio domum, sacramque ædem extruxerat. Sed nuper in bellicam expeditionem profectus, cum rem gessisset improspere, & magnam partem impedimentorum amisisset, ut jacturam sarciret, statuerat suis spoliare bonis neophytos, quorum aliquos audierat esse prædivites. Causam obtendebat, quod desertis patriis religionibus, externa sacra frequentarent. Reipsa initium immiti direptioni fecerat a duobus neophytis, qui pridem apud nostros mercede famulati fuerant: namque hi ferebantur magnum pecuniæ numerum apud se habere. Cumque ambos in carcerem conjecisset, vix tandem quadraginta unciis argenti persolutis, ut unus e custodia educeretur permiserat. Unius damnum cæteros incredibili affecerat metu. Hermachettum quippe præda semel illectum, nunquam plane quieturum videbant, nisi omnium similiter fortunas invasisset. Quare sibi caventes, nec congredi cum Patribus audebant, nec jam in ædem ad solemnia religionis conveniebant, ne iniquo prædoni ansam exequendi consilii sui darent. Res ita affectas Nobilius cum invenisset, sine mora contendit ad Hermachettum in castra. Exceptus autem pro veteri benevolentia familiariter, Christianorum causam tam valide, tam apposite peroravit, ut litteras ab eo tandem exsculpserit, quibus jubebat nemini Christianorum posthac molestiam exhiberi. Iis litteris soluti metu neophyti animum resumpserunt, & pios ut antea cœtus frequentare cœperunt: pusillus vero Christi grex novis subinde accessionibus augeri perrexit.

123. Obitus & elogium P. Joannis Mariæ Camporæ.

Provinciam Malabaricam deserere non possumus sine aliqua commemoratione P. Joannis Mariæ Camporæ, viri tota Thomæorum regione nominatissimi, cujus laboribus apostolicis, & vitæ finem hic annus attulit Cranganore. Flevere illum multis & veris lacrymis christiani S. Thomæ, sed omnium maxime Archiepiscopus Franciscus Rozus, cujus ferebatur familiare dictum, sublato Campora, diœcesim Cranganorensem sine manibus pedibusque relictum iri. Peregrinationem Indicam sæpe antea quæsitam Romæ frustra, semper a Claudio Generali pernegatam, impetraverat demum ope Deiparæ in hunc modum. Viderat exire domo Præpositum Generalem, audieratque in basilicam Liberianam contendere, ut ad aram Virginis sacrum faceret. Processit ad eum supplex, & *Rogo te*, inquit, *ut voti mei sis memor, quidque me fieri oporteat, consilium petas a divina Matre*. Facturum promisit Claudius: vix autem regressus domum Camporam monuit, ut ad iter Indicum se pararet. Tam peregre profecturo unus quidam ex domesticis adjutoribus icunculam B. Virginis dedit, futurum promittens, si eam impense coleret, ut peregrinas orientis linguas facili negotio condisceret. Promissioni respondit eventus prope ad miraculum: adeo brevi Campora Syriacam, Chaldaicamque linguam percalluit. Decessit v. Idus Novembres, interitu repentino, non tamen improviso. Nam præterquam quod ita vivebat semper, ut ad moriendum nunquam non esset comparatissimus, haud ita pridem totos octo dies cœlestium rerum commentationi impenderat, in eoque secessu, quasi se proxime moriturum sciret, præteritam vitam omnem, exorsus a prima ætate, piaculari confessione purgaverat.

Digitized by Google

rat. Natus erat Lucæ in Hetruria ante annos quadraginta ſeptem. Hujus vero temporis partem non exiguam, annos ſcilicet amplius viginti, per infinitos labores exegerat inter Thomæos.

124. Res Provinciæ Goanæ. P. Simeon Figueredus novam ſtationem figit in regno Mogolico.

De rebus provinciæ Goanæ plurima litteræ hujus anni tradunt, ex quibus pauca ſubjicio. Principio novam provincia ſedem adepta eſt in imperio Mogolico, atque hæc fuerunt initia. Dynaſtes quidam Mogolicus, qui ante annos circiter undecim Goæ baptiſmo donatus fuerat, & inde Joannes nuncupari cœperat, provinciam Patanenſem pro rege obtinebat ad ripam Gangis. Is cum quærendo comperiſſet, eſſe per diverſa loca tractus Bengalenſis aliquos de Societate, unum ad ſe mitti curavit, cum quo ajebat eſſe ſibi quæ communicaret. Affuit ex omnibus P. Simeon de Figueredo, exceptuſque a Mogole ſic, ut nec amicius, nec honorificentius poſſet a Luſitano, Patanæ in urbe regionis primaria conſedit. Poſt plura & familiaria colloquia, intellexit Sacerdos prudens, Joanni aut nullam eſſe curam religionis, aut certe minimam: favere illum tamen Societati, ſive ob accepta olim beneficia Goæ, ſive quod crederet quæſtuoſam ſibi, & ad fovendum cum Luſitanis commercium opportunam fore amicitiam Patrum. Quæcunque favoris eſſet cauſa, eo Figueredus utendum ſtatuit ad ſalutem indigenarum. Ædes itaque, quæ ad novam ſtationem offerebantur, libens accepit, ibi ſubſtitit, & prætoris præſidio tutus de Chriſti lege apud Patanenſes diſſerere libere ac palam cœpit. At labore vix ſuſcepto, parum abfuit quin ejus fructum optatiſſimum meteret, glorioſam oppetens pro Chriſto necem. Interprete utebatur Figueredus adoleſcente annorum ſexdecim, cui Gonzalo nomen, quippe Chriſtiano, & regionis linguam percallente. Et jam ejus opera aliquibus Patanenſium perſuaſerat, ut a Mahomete ad Chriſtum tranſirent. Id ut vulgari cœpit per urbes proximas, exarſit furore juvenis quidam ferox, & ſuperſtitioni perdite addictus. Indignum putans, populares ſuos a patrio cultu ad Chriſtianorum ſacra transferri, ad Sacerdotis tugurium properat cum ſica, ipſum pariter, & ipſius interpretem mactaturus. Prior occurrit Gonzalus, quem ut vidit Mahometanus, irruit in inermem, unaque atque altera impoſita plaga proſtravit. Ad clamorem accurrebat Figueredus. Eum ferox juvenis furenter aggreditur, ac primo cæſim in ſummo vertice, deinde punctim circa pectus petit. Conficiebat omnino, niſi ſuperveniſſet in tempore vir prævalens viribus, qui ſicarium tenuit ne ſæviret atrocius. Ita ſervatus eſt Sacerdos: lætus ille quidem, quod acceptis quinque vulneribus partem ſanguinis pro Chriſto fudiſſet, at mœrens ſimul, quod non totum profundere licuiſſet, ſuoque multum invidens interpreti, qui tali ſorte dignus fuiſſet. Hunc odio chriſtianæ fidei cæſum fuiſſe, ipſe auctor cædis teſtatus eſt. Vinctus enim a multitudine, quæ, uti ſolet, ad facinoris atrocitatem affluxerat, productus ad judicem, & interrogatus, quonam conſilio tantum nefas auſus eſset? *Servus Dei ſum*, inquit: *quod feci*, *Mahometes juſſit ut facerem*. Prætori deinde idem per tormenta quærenti aliud reſpondit nihil, niſi famulum Dei eſſe ſe: vim autem externo Sacerdoti, ejuſque domeſtico intuliſſe, quod eos ſciret Mahometi maledicere. Prætor, cauſa cognita, Figueredi ipſius arbitrio permittebat, quo ſupplicii genere vellet juberet percuſſorem affici. Cum profiteretur Sacerdos pius, ſe injuriam illi condonaſſe, & pœnam miſero deprecaretur; laudavit ille quidem chriſtianæ manſuetudinis exemplum, nullius tamen admiſit preces, ne in ſontem jure & legibus ageret. Lapidibus ut impeteretur imperavit. Mox dire contuſum, ac pene ſemianimem elephanto conculcandum objecit: utque pœnæ atrocitatem ignominia cumularet, mortui cadaver toto triduo inſepultum in urbe media relinqui juſſit. Neque id ſatis. Poſtea quam humi mandatum eſt fœtidum corpus, cum audiſſet Gubernator, mahometicæ ſuperſtitionis antiſtites prope ipſius buſtum ſuos cœtus celebrare, & nefarium homicidam, veluti patriæ religionis vindicem, in cœlum tollere; eos arboribus inverſo ſuſpenſos capite tandiu cecidit, donec toto corpore vibices exſtarent. Cadaver autem effoſsum denuo raptari per urbem juſſit, ac denique in præterfluentem

125. Præclarus adoleſcens fidei cauſa interficitur.

126. P. Figueredus eandem ob cauſam vulneratur.

127. Sicarius ſupplicio afficitur.

Digitized by Google

projici. Quo exemplo adeo perterrefacti ſunt Mahometani, ut nemo jam contra Figueredum moliri aliquid, aut vocem mittere auderet.

128. Grave infortunium Goæ ex fortuito incendio.

Per idem tempus Goæ gravis, & inopinata calamitas multis ſaluti fuit. Erat ibi pulveris pyrii ingens officina, ac forte ejus materiæ magna vis in ſolario congeſta fuerat ad ſiccandum. Solario propugnaculum imminebat, in quo ſolebant milites diu noctuque excubias agere. Dum excubat unus militum, ſimulque nicoſianæ hærbæ fumum inambulando haurit, caſu accidit ut ardens illius folii particula evolaret in acervum pulveris. Flammam momento concepit ſulphurea materia. Quis vero ſubitam & immenſam incendii vim explicet ſatis? Repens flamma obſtantia quæque cum fragore horrendo disjiciens, prægrandeſque ſaxorum moles huc illuc propellens, ruinam ingentem ædificiis, & parem hominibus ſtragem attulit. Ad ſonitum improviſæ cladis, pleriſque metu obſtupefactis, proſilierunt e domo Profeſſorum noſtri, & ad ferendam quam poſſent civitati conſternatæ opem celeriter accurrerunt. Inventi plures lapidibus oppreſſi, ſaucii, animam jam prope agentes. Hi inter ipſa pericula impendentium ruinarum auditi, expiatique fuerunt. Alii, quorum non adeo deſperata videbatur ſalus, ad noſocomium deportati. Quidam ſemineces eruti ex ruderibus: quos inter cum eſſent ethnicorum nonnulli, ii rara felicitate, baptiſmo vix impetrato, vivere deſierunt. Per iſtam occaſionem Patres, publico infortunio ad excitandam civium pietatem uſi, religiones varias inſtituerunt: utque inſtabat novendiale ſupplicium, quo ſolet Goæ Societas natalitia divinæ Matris celebrare, illud majore quam unquam antea apparatu & concurſu peragendum curarunt. Per eos dies in tribunali pœnitentiæ multos audierunt diuturni temporis crimina retexentes: inventus autem in eo numero miles, ob exemplum divinæ erga homines indulgentiæ, dignus memoria ſingulari. Annum jam vigeſimum ſecundum in omni flagitiorum genere volutabatur. Die quadam, dum maxime libidini indulget ac genio, ſenſit repente circa ſe parietes velut vehementi motu terræ concuti. Inhorruit metu ſubito, ac fodiente animum conſcientia criminum, mutus attonituſque hæſit ad horæ ſpatium, tanquam ſolo mox dehiſcente abſorbendus. Ne ſe penitus deſperaret, effecit injecta divinitus cogitatio de ſumma Numinis bonitate, & prona erga omne genus mortalium miſericordia. Simul audire ſibi viſus vocem ex occulto admonentem, pergeret ad ædem Societatis: obvium ſibi fore Sacerdotem certis indiciis agnoſcendum: illi ſe totum permitteret. Qua voce erectus, continuo noſtrum ad templum properat, inque ipſo templi limine unum de Patribus offendit iis quas audierat notis inſignem. Huic ſe totum patefacit, multoque cum fletu omnium, quæ a prima uſque ætate deliquerat, confeſſionem peragit. Rite expiatus, ejuſdem hortatu renavigavit in Luſitaniam, ubi denique religionem inter ſeverioris diſciplinæ monachos profeſſus eſt. Inſignem pariter effecerunt hunc annum Goæ ethnici magno numero ad Chriſti ſigna traducti. Die B. Franciſci Xaverii anniverſaria, ad ædem Profeſſorum perducti ſunt uno agmine trecenti amplius & ſeptuaginta, quibus ut Chriſtiani eſſe vellent noſtri perſuaſerant. Præter hos, quos Chriſti ſignaculo donari inſigni pompa placuit, intra ſpatium ejuſdem anni ducenti & ſexaginta diverſis temporibus initiati fuerunt: ut nihil dicam de aliis haud ſane paucis, quos in carceribus, in triremibus, aliiſque publicis maleficorum locis conquiſivit Patrum induſtria, receptoſque ex dæmonum ſervitute ad Chriſti caſtra perduxit. Et hæc quidem Goæ.

129. Noſtrorum in eo periculo utilis labor.

131. Ethnici ad Chriſti cultum adducti Goæ.

Quid jam in aliis oræ maritimæ domiciliis geſtum ſit, quam breviſſime expediam. Tanæ capita circiter octoginta, Damani quindecim, Bazaini viginti ſupra centum, partim ex ethnica, partim ex mahometana pravitate ad cultum veræ religionis adducta. Plus in chriſtianorum emendatione profectum. Extincta paſſim odia, tum publica, tum privata, quæ diu in mutuas cædes exarſerant. Redintegrata pax inter conjuges, quos ob violatam nuptiarum fidem dolor injuriæ diſſociaverat. Alienæ vitæ aut ferro, aut veneficiis inſidiantes, a facinore abſterriti. Multi denique ab infidelibus, ad quos licentiæ ſtudio tranſ-

132. Res geſtæ in aliis oræ maritimæ domiciliis.

130. Mirabilis converſio militis flagitioſi.

fuge-

Digitized by Google

fugerant, ad loca moresque christianorum revocati. At nullibi lætior collecta fruges, quam in pagis Salsettanorum. Ad hæc loca cum venisset Goanus Antistes, ut eadem ex consuetudine episcopalis officii lustraret, peracto censu christianorum, reperta sunt viginti millia capitum amplius quam quinquennio ante fuissent. Numeri lætitiam auxit perspecta neophytorum pietas, qua major esse vix inter christianos antiquissimos posset. Ut alia præteream, Margani, qui pagus est illius oræ frequentissimus, sodalitium a Patribus institutum fuerat de nomine venerabilis Eucharistiæ. Sodales cum impetrassent ab Antistite veniam semel in mense incruentam hostiam supplicatione publica circumferendi, pro suis singuli viribus stipem in apparatum pompæ contulerunt, iisque pietatis & modestiæ signis novam religionem obire instituerunt, ut plerique Lusitanorum in eo spectaculo hærerent admiratione defixi, negarentque visum sibi uspiam in hoc genere quidquam aut decentius, aut religiosius. Verum inter tot, tamque justas lætitiæ causas, justissimo sociorum mœrore elatus est Bazaini frater Didacus Guerreirus, vir simplicitatis antiquæ, & in suo domestici adjutoris gradu valde laudatus. Vixerat apud nos annos circiter quinquaginta, eorumque partem multo maximam Bazaini consumpserat. Tempus inter laborem operis, & otium contemplationis ita solebat dividere, ut officiis utriusque ex æquo satisfaceret. In se unum asper, ac prope immansuetus, idem erga alios facilis, & summe comis, si qua offerretur exercendæ charitatis occasio, eam arripiebat cupide, non labori, non industriæ parcens, ut bene de omnibus mereretur. Obedientia erat tanta, quantam a suis postulat B. Parens Ignatius: ejusque fiducia virtutis nihil sibi arduum arbitrabatur, vel si miraculis opus foret interdum. Adeo sibi in animum demiserat veritatem illius divinæ vocis: *Vir obediens loquetur victorias*. Erant olim Bazainenses ob anni siccitatem in maximo, ac justo metu propinquæ famis. Dum illi calamitatem publicis supplicationibus deprecari conantur, collegii rector Guerreirum ire jubet recta ante aram templi maximam, nec inde prius abscedere, quam optatam pluviam a Deo precibus exorasset. Paruit moderatoris imperio optimus senex; atque ubi constitit ante aram, parendi necessitatem excusans, Deum rogavit ingenue, ac familiariter, ut nisi vellet se nimis diu genibus & orationi insistere, copiosum imbrem demitteret sine mora. Audivit orantem Deus. Precem vix produxerat ad horæ quadrantem, cum subita vis imbrium effusa est. Cœlestium aspectu interdum, & alloquio dignatum fuisse, crediderunt multi, nec temere. Indicio sit quod subjicio. Navarchus Lusitanus piraticum myoparonem aggressus fuerat, sed bellicis copiis adeo instructum, ut post tridui certamen nullam ejus potiundi spem haberet. Hæc domi cum narrarentur, medius interveniens Guerreirus, deditionem facturos quam primum barbaros affirmavit: id enim sibi pro Christianorum victoria supplicanti superos indicasse. Nec multo post secuta re ipsa est præter omnium opinionem deditio, uti fuerat prænunciata. Mitto alia ejusdem generis, ob quæ Guerreirus magnam domi forisque habuit virtutis opinionem dum vixit, moriens vero immortalem memoriam nominis sui domesticis pariter & externis reliquit.

133. Mors & elogium fratris Didaci Guerreiri.

Parem mœrorem, & majus damnum creavit Æthiopiæ obitus P. Laurentii Romani: qui quidem obitus vel in maxima operariorum copia, ne dum in illa paucitate multum lugendus fuisset. Adeo utiles Æthiopico agro censebantur ejus labores. Patriam sortitus fuerat Laurentius urbem Romam, hauseratque dignam Romano nomine indolem, excelsam scilicet, & quacunque fortuna majorem. Propagandæ studio religionis ex Italia in Indiam, ex India navigaverat in Æthiopiam, ubi annos omnino sexdecim operam posuit assiduam, tum in excolendis Lusitanis, tum in indigenis ad rectam fidem adducendis: nulla unquam cessatione admissa, ne tum quidem, cum ex diris torminibus periculose decumberet. Nullum erat mortalium genus, cui non ad omne obsequium se demitteret. Sæpe homines contagiosis morbis implicitos suis ipse manibus curandos suscipiebat. Sæpe cadavera, quæ contingere nemo audebat, sublata hume-

134. Acta in Æthiopia. Obitus & elogium P. Laurentii Romani.

Digitized by Google

meris deferebat ad ſepulturam. Illum propterea Æthiopes prope ut parentem ſuum amabant, nec ſolum amore, ſed quadam quaſi pietate proſequebantur, quam apud vulgus perſpecta viri probitas, & innocentia ſingularis augebat. Quem porro viventem admirari conſueverant, mortuum publica comploratione extulerunt. In regno Tygræo, ubi ætatis maximam partem exegerat, flevere ejus obitum ſummi infimique incredibili planctu & ululatu: quodque ſolet in luctu maximo, feminæ dolorem ſuum depoſitione comæ, viri indumentorum mutatione teſtatum fecerunt. Etiam in regnum Gojamenſe, ac Dambeanum dolor pervaſit. Colelæ, & Gorgoræ ad ædes Societatis turmatim Catholici confluxerunt, queſtu omnia gemituque compleverunt. Ipſe Imperator, ut in magno reipublicæ vulnere, multum lacrymarum fudiſſe dicitur. Obiit Romanus Fremonæ pridie Idus Januarias, annos natus quinquaginta duos, quorum amplius triginta egerat in Societate. Æthiopum linguam ita didicerat, ut credi poſſet indigena. Inter alios bene multos, quibus veritatem catholicam perſuaſit, fuit Taquela Salaſſe Imperatori a ſecretis, vir ille de religione optime meritus, qui demum in ea rerum converſione, quam ſuo loco narrabimus, glorioſam pro Chriſto mortem oppetiit.

135. Publicatur novum templum Gorgoranum.

Hujus interea mœrorem funeris multæ res, ac variæ lenierunt. Lætiſſima in primis accidit templi Gorgorani, de quo alibi dictum eſt, publicatio. Biennio minus confectum fuerat templum iſtud, ſumptum faciente Principe, formam operis præſcribente Patre Paezio, qui partes architecti ſumpſerat. Erat opus ex lapide quadrato totum, & excepto quod non calce, ſed argilla duratum, cætera elegans, & Europæis baſilicis quam ſimillimum. Augebat ædificio pretium aræ maximæ impoſita imago Deiparæ, quam noſtri ab urbe Roma deferendam curaverant: præclari operis tabula, quæ omnium oculos animoſque rapiebat. Apertum primo eſt novum templum cum ingenti catholicorum concurſu. Et quia celebritati intereſſe non potuit Imperator, quippe adhuc *bello* Begamedreno, cujus anno ſuperiore meminimus, diſtentus; ineunte quadrageſima, cum ex illa expeditione victor rediret, divertit ad novam ædem cum exercitu. Eam ut proſpexit eminus, equo deſiliit, ac reliquum viæ pedes confecit uſque ad ipſius veſtibulum. Neque tamen eſt auſus ingredi, niſi depoſitis ante ſoleis, detractoque capitis tegumento. Ibi cum oraſſet aliquandiu, reique ſacræ interfuiſſet, ſingula cum incredibili admiratione, & voluptate luſtravit. Quod vero reliquum fuit diei, familiariter, ut ſolebat, conſumpſit apud Patres: quibus etiam poſtridie certam auri ſummam conſtituit, ut aram Virginis elegantius exornandam curarent. Nondum abierat, cum nova illa ædificiorum forma mirifice delectatus, extruendum decrevit aliud ejuſdem generis templum, cujus paulo infra mentio redibit. Dum ſic novæ divino cultui ſedes in regno Dambeæ præparabantur, novi Deo cultores addebantur in proximo Gojamenſi. Schiſmaticos quadringentos & quadraginta quatuor hoc anno lucratus eſt unus nobilium, qui ſe paulo ante Catholicis aggregaverat: ut nihil de aliis dicam, qui hominibus Societatis ſe tradiderunt. Summa ope promovebat hæc religionis incrementa Prorex Cela-Chriſtus, partim auctoritate, partim induſtria utens, ut quam plurimos traheret ad veritatem, aut ſaltem ad audiendos doctrinæ veræ magiſtros impelleret. Allaborabant eidem rei noſtri pro viribus, artes varias excogitantes, quibus contumaciam ſchiſmaticorum mollirent.

136. Imperatoris eximia pietas in novo templo.

137. Catholicæ partis incrementa in regno Gojamenſi.

138. De quadam inſigni ſupplicatione.

Nonnihil profuit hoc anno pietatis exemplum inſigne, quod ſeminarii Colelani adoleſcentes publice exhibuerunt. Sexta feria ſanctioris hebdomadæ in publicum egreſſi ſunt pii alumni nudatis humeris, & compoſito ad pœnitentiam agmine: procedenteſque ſupplicantium ordine, ſeque flagris acerrime concidentes, ædem ſacram circumjerunt. Inter ictus crepituſque plagarum clamabant flebiliter: *Parce Domine, parce, & Æthiopiæ miſerere.* Quo ſpectaculo omnibus qui aderant (aderat autem multitudo frequens, ad audiendam de Chriſti cruciatibus orationem coacta) excuſſæ fuerunt uberes lacrymæ, multis etiam ad imitandum voluntariæ caſtigationis exemplum pius ardor injectus. Soli obdura-

Digitized by Google

durabant contra veritatem monachi. Erat porro nonnullorum conditio miserabilis. Vera esse fatentes quæ ex nostris audierant, suos pertimescebant Cœnobiarchas, ne eadem complecterentur. Dolebant passim, se suorum perfidia præsidum a via salutis arceri. Contumaciam denique obtentu obedientiæ majoribus debitæ excusabant. Quasi vero jus cuiquam esset quæ divinitus præcepta sunt prohibendi, aut non Deo magis obediendum quam hominibus esset. Alii interea nequiores perfidiam tuebantur apertius, & usitatis artibus contra Principem grassabantur.

139. Monachorum contumacia contra veritatem.

Est in extremo latere australi regni Gojamensis ampla regio, & fertilis, quam Damotæ incolunt, homines toto regno nobilitate præcipui, quorum multi ipsum Imperatorem id temporis propinquitate generis attingebant. Huc ex provincia Cela-Christi migraverant aliqui monachorum, ii nempe, qui principalia edicta de religione pati non poterant, & quidlibet movere prius constituerant, quam obtemperare. Vaferrimi nebulones pietatem meram spirantes, magnumque humanarum rerum contemptum vili amictu, & cætero vitæ cultu præferentes, facile sibi auctoritatem pepererunt apud Damotas. Ubi se apud vulgus in pretio esse, & aliquid dicendo posse senserunt, hortari palam seditiosis vocibus populum, ac plane incendere, ut pro patriis institutis, & nominatim pro custodia sabbati bellum gererent. Irent secum cum armis contra orthodoxos: magno ac forti animo decertarent, adepturi martyrii lauream immortalem, si pro tali causa morerentur. Iis vocibus primi ad seditionem incitati sunt gentis principes. Illi populares reliquos ad arma vocant, collectoque ingenti agmine, Catholicis omnem belli cladem denunciant. Per copias dispersi volitabant more furiarum monachi fere quadringenti, easque subjiciebant furori militum faces, ut nihil jam nisi cædes & sanguinem anhelarent. His rebus cognitis Cela-Christus, partim misericordia nobilissimæ gentis, quam videbat aliena fraude deceptam, partim propinquorum suorum caritate, in quos hostiliter ferri molestum erat, ad mitiora consilia descendens, legatos de pace mittit ad Damotas, ut accepta fide impunitatis arma ponant. Sed vehementius illos efferaverant nequissimi mortalium monachi, quam ut mitigari facile possent. Se vero negant ab armis discessuros unquam, nisi prius acceperint catholicorum omnes libros ex latinis chaldaicos factos, omnesque præterea Sacerdotes Lusitanorum: illos abolendos igne scilicet, hos suspendio tollendos. Risit hominum insanam temeritatem Cela-Christus, & proficisci cœpit cum exercitu; lente tamen, & quam modicis itineribus, ut perduellibus spatium resipiendi daret. Et iterum ex itinere certos præmisit homines, qui contumacibus suaderent jussa exequi. Ægre se, ajebat, & invitissimum facere, ut contra affines suos ferrum stringeret. Consulerent ipsi sibi in tempore: extrema ne expectarent. Sed nihil magnopere profuit. Hominibus furore incensis, & virium suarum fiducia elatis, visa hæc Proregis sollicitatio magis timentis sibi, quam alienæ saluti parcere cupientis. Ferocius ergo quam prius respondent, non aliis se conditionibus, nisi quas ante proposuissent, in officio futuros. Stetere tandem in conspectu exercitus, primique Damotæ cohortem sagittariorum miserunt, qui velitando in pugnam traherent hostem. Cela-Christus continere non potuit suos, ne strenue pugnam capesserent. Hortantur se invicem regii, & in rebelles irruunt. Uno impetu impulsa, & disjecta omnino est acies Damotarum. Dum illi fuga salutem quærunt, hærent a tergo regii, fugientes cominus insequuntur, ac nequidquam tendente contra Cela-Christo, & clamitante ut ferro parcerent, sternunt quamplurimos, reliquos in fugam abigunt. Eo prælio ex monachis cecidisse dicuntur centum & nonaginta. Reliquæ multitudinis amplius tria millia periere. Victores suorum pauciissimos desiderarunt. Fructus victoriæ ingens, tranquillitas publica. Namque, ut Patri Paezio retulit imperator ipse Seltanus, erant toto regno non pauci novarum rerum cupidi, qui in exitum hujus belli imminebant, parati cum Damotis arma capere, si vicissent. Illorum autem clade ita fracti fuerunt, ut ne mu-

140. Damotæ ad seditionem concitantur.

141. Cela-Christus comprimere sine sanguine seditionem conatur.

142. Committitur prælium. Damotæ profligantur.

Digitized by Google

mutire quidem auderent. Lætiorem tamen ex ea victoria fructum pietas Imperatoris excerpsit.

143. Imperatoris edictum contra monachos.

Quippe Imperator, compressam Damotarum clade audaciam schismaticorum videns, ut pro tam insigni beneficio gratum se superis immortalibus exhiberet, præter actas solemni ritu gratias victoriæ largitori Deo, novis vindicare edictis fidem catholicam statuit. Nec vero distulit optimæ mentis cogitata perficere. Tentorium ingens ante regiæ vestibulum erectum fuerat. Huc regni proceres, & primores aulæ convocati fuerunt: quibus suo singulis ordine considentibus, prodiit in locum superiorem præfectus regiæ domus, & circumfusam multitudinem docuit, quæ sæpius agitata fuissent inter Catholicos & Alexandrinos circa duas Christi naturas. Id longa aptaque oratione executus, ad monachorum conata impia sermonem transtulit. Armatos ab iis sæpe in exitium principis populos, sparsa seditionum semina, illatas regno civilium bellorum clades demonstravit. Nec dissimulavit, quam multa quotidie nequiter, & flagitiose perpetrarent: ut credulo ac rudi populo imponerent pulchre, ut fictam pietatem in quæstu haberent. Quæ cum copiose disseruisset, edicto Imperatoris denunciavit, fore in posterum capitale monachis, si cum quoquam laicorum verba de religione facerent, aut eorum domos docendi specie circumcursarent.

144. Edicta alia pro fide catholica.

Postea quam assedit præfectus, surgens Taquela, sive ut alii scribunt, Tecla Salasse Imperatori a secretis, edictum aliud proposuit hujus exempli. *Jesus Christus Deus idem verus, & verus homo est, utrumque plene atque integre: namque unus naturam obtinet utriusque, nulla alterutrius in alteram mutatione, aut permixtione. Si quis in posterum his contradixerit, ejus caput affertor imperatori, bona delatoribus tribuuntor.* Edictum plaudentibus multis, palam obloquente nemine recitatum cum fuisset, Imperator deleri jussit ex omnibus sacræ liturgiæ libris nomen Dioscori, vetuitque in mysteriorum celebratione ullam amplius mentionem Patriarchæ Alexandrini fieri. Illum, ajebat, ante annos fere mille & ducentos fuisse damnatum in synodo Chalcedonensi: cum ejus vero successoribus omnem omnino societatem sacrorum abrumpi oportere.

145. Extruitur novum templum opere cæmentitio.

Atque his peractis conventum dimisit. Post hæc Imperator, Paezio secum adducto in planitiem, quam conserendis regiis hortis elegerat, (Ganete nomen erat loco) describi aream novi templi jussit ad similitudinem Gorgorani, ut in usum aulæ rusticantis esset. Metato apte loco, dum movetur jaciendis fundamentis humus, monuit Imperatorem Paezius, qua rituum celebritate poni apud catholicos soleret primus sacrorum ædificiorum lapis. Quod princeps valde comprobans, adesse ad præfinitum diem jussit e cœnobiis circumpositis agmen monachorum, qui totum psalterium canendo decurrerent. Affuit eo die etiam ipse, & ad imum fundamenti delapsus, tres delectos in obsequium divinæ Triadis lapides, quos prius Sacerdos aqua lustrali, & solemni prece sacraverat, suis aptavit locis, sacro circum concentu personante. Auxit deinde operarum numerum, & instare operi celeritate quam possent maxima jussit. Quibus imperata facientibus, intra sex menses ad culmen educta est novi ædificii moles, exigua illa quidem, sed tamen elegans, & ad omnes architecturæ leges exacta. Surgebant in orbem e candido marmore columnæ duodecim striatæ, suis singulæ basibus impositæ. Supra columnas eminebant capitula totidem, cum epistyliis affabre sculptis. Desuper zophorus, & projectura coronidis excurrebat. Templum claudebat superne camera fornicibus juncta. Nec ædis facies relicta fuerat inornata. Per eam apte disposita visebantur vasa ex lapide, quorum intervalla distinguebant anaglypha plura, nec invenusta. In fronte media prostabat marmorea ingens tabula, sacrosancto Jesu nomine inscripta in titulum ædificii, quod vulgo *Hortus Jesu* nuncupari cœpit. Deinde residentia Societatis apud eandem ædem fuit instituta.

146. Descriptio novi templi.

147. Schismaticorum transitiones ad catholicos.

Sed utcunque læta hæc essent, nihil fuerunt ad lætissimos fructus, quos victoria de Damotis protulit inter schismaticos. Multi haud temere existimantes, Cela-Christum, tot in expeditionibus bellicis tam secunda utentem fortuna, pe-

Digitized by Google

peculiari quodam Numinis præsidio tegi, nihilque ambigentes esse causa meliorem, qui tam sæpe viribus prævaleret, Catholicis aggregari petierunt adeo confertim, ut nostrorum duo, qui in regno Gojamensi rem sacram administrabant, impares omnino essent accedentium multitudini excipiendæ. Goam scribebat hoc tempore P. Ludovicus Azevedus, uno post nuncios victoriæ quatriduo, atque intra solos agri Colelani fines, mille ducentis capitibus auctum esse numerum orthodoxorum. Aliis ejusdem temporis litteris testabatur P. Antonius Fernandez, Franciscum Antonium de Angelis, qui cum exercitu victore provinciam obibat, præter plurima laicorum millia Ecclesiæ reconciliata, plerisque regni monasteriis fuisse auctorem, ut fidem Alexandrinam Romana commutarent. Addebat, cum Prorex in quadam villa consedisset, triduo uno in vicinia ejusdem villæ popularium mille octingentos ad catholica signa transfugisse. Præterea audiri jam in Æthiopia, qui libera voce sanctissimum appellarent Romanum Pontificem, invisum antea nomen: Dioscorum contra, tanquam æterno damnatum anathemate, diris omnibus execrarentur. At enim in hac rerum lætissima conversione nihil evenit commodius, quam quod detecta est, Deo propitio, vetus hæreticorum & gravissima labes, quæ hactenus delituerat. Plurimi reperti sunt Parochi, qui, sive dolo, sive imperitia, legitimam baptismi formulam ita vitiaverant, ut inepta prorsus ad vim mysterii esset. Id Patres cum vulgassent, trepidatum ubique est ut in re gravitatis supremæ: nec dilatum malo remedium. Quorum baptismus certo compertus est irritus, ii rite initiati fuerunt, nulla adhibita conditione: quorum dubius, vel merito suspectus, conditione adjecta. Baptizandi vero ritus exinde ad primam, atque unicam institutionis suæ formam revocatus. Quod dum reputo, non temere judicare mihi videor, etiam si nihil aliud ad Æthiopiæ salutem nostri contulissent, hac una re satis magnum operæ pretium apud eam gentem fuisse factum, quod restituta fuerit baptismi vera ratio, per eamque apertus denuo tot infantibus ad æternam salutem aditus, qui antea erat occlusus. Illud certe cognitum est, schismaticos quod in hoc genere peccaverant emendavisse non invitos: proindeque credibile, ad errorem adeo exitialem non esse ultra relapsos. Quod si verum est, etiamsi exulet nunc Æthiopia Societas, manet ibi tamen etiam nunc Societatis meritum insigne, pro quo non frustra suscepti tot illi nostrorum labores videri debeant.

148. Baptismi ritus revocatur ad formam institutionis suæ.

149. Quantum hac una re profuerit Æthiopiæ Societas.

Interim in Japonia nihilo meliore res erant loco, ac anno præterito dicebamus. Gubernator Nangasachiensis, dum pergit qua cœperat acerbitate ministros divinæ fidei plus quam hostiliter insectari, duos ex ordine Franciscano Sacerdotes, frustra in agresti tugurio delitescentes, ac Dominicanos totidem comprehendit. Suos habebant singuli catechistas, quos pariter immitis prætor capi jussit: his autem per varios urbis carceres distributis, religiosos detrusit in carcerem Omuranum. Vinctis accessit eodem anno ex nostris P. Sebastianus Kimura. Sed quo is pacto fuerit interceptus, operæ pretium est cognoscere. Kimura, cum esset gente Japon, nullamque in vultu aut sermone qua teneretur ansam daret, oculos exploratorum eluserat diu. Addiderat naturæ solertiam, solitus instar illius poetici Vertumni omnes induere formas, idem semper aliusque: hodie mercator, cras agricola, perendie opifex, mox nauta, servus alias, alias dominus. Nihil timendum videbatur, nisi proditor: quem extiturum aliquando metuens Provincialis, nuperrime Kimuram admonuerat, ut Nangasachio tantisper recederet. Parantem imperata facere detinuit pius hospes Antonius, rogans ut ne gravaretur sequentem diem (is III. Kal. Quintiles erat Apostolorum Principi sacer) celebrare domi suæ, priusquam abiret: esse sibi filium Petrum nomine, qui magnopere vellet divinum eo die panem sumere. Audivit colloquium istud puella christiana, olim Antonii serva, donata postmodum libertate, ac filiæ ritu domi habita: quibus vinculis sic obligata hero videbatur, ut proditionis vel leviissima suspicio in eam non caderet. Sed quodnam est vinculum tam sanctum, quod avaritia non perrumpat?

150. Res Japoniæ. Religiosi quatuor in vincula conjiciuntur Nangasachii.

151. P. Sebastianus Kimura sæpe manus perquirentium eludit.

Digitized by Google

Vilem animum inceſſit ſpes ingentis, & cupido lucri. Evadit ſub noctem ad Gubernatoris ædes, Feſtinantem per tenebras conſpicatus e Chriſti grege neſcio quis, proditionem extimuit, & clam ſignificandum Kimuræ curavit, ut caveret. Neglexit indicium Sacerdos, multa ejus generis falſa expertus. Non inanem tamen fuiſſe metum dies ſequens, menſis Junii poſtremus, aperuit.

152. Capitur demum cum ſuo hoſpite. Prima luce irrumpunt Conrocui ſatellites, & eum recta locum petunt, ubi latere Kimura conſueverat. Nixum genibus deprehendunt, & operam dantem meditationi matutinæ, cujus ſpatium metiebatur appoſitum in menſula horologium ex arena. Ejuſmodi nimirum clepſydram ſecum ubique circumferebat Sacerdos pius, ne vel minimam pretioſi temporis particulam, quidquid inſtaret negotii, deperderet. Quærunt, num ille ſit Sebaſtianus Kimura, quem quæſitum venerant? Fatenti vincula injiciunt, & ovantes opima præda tollunt clamorem, quo tota vicinia perſonuit. Iiſdem vinculis conſtringunt ejus hoſpitem Antonium. Iiſdem vincire parabant Chriſtianum juvenem, quem Kimuræ putarunt eſſe catechiſtam, ſive, ut ipſi loquebantur, dogicum. Et juvenis quidem moriendi pro Chriſto avidus, & lætus oblata ſorte, vinciendas ultro offerebat manus. Sed illi palmam præripuit, ſibique arrogavit Thomas Acafoxius, nobilis e Fingenſi regno Japon, qui ſatellitibus obviam factus: State, inquit, & huic juveni vincula demite: Debentur illa mihi, qui tot annos operam Patribus navavi, non iſti, ad quem ea cauſa nihil pertinet. Valuit apud lictores oratio. Dimittitur juvenis. Rapitur ejus loco Acafoxius ad Conrocuum cum Patre Sebaſtiano Kimura. Mox ambo in carcerem Omuranum pariter amandantur. Hoſpites, & proximarum ædium domini, in cuſtodiam publicam contruduntur Nangaſachii.

153. Kimuræ ſe comitem addit Thomas Acafoxius.

154. De quatuor novitiis Societatis. Per idem tempus in tetrum illud religioſorum ergaſtulum conjecti fuerunt quatuor Societatis candidati, Conſalvus Fuſai, Antonius Chiuni, Petrus Sampò, & Michael Xumpo, præclari juvenes, & prius etiam quam cooptarentur in Societatem, ob vitam ſanctiſſime actam magnopere commendati. Jam pridem ex diverſis Japoniæ regionibus adjunxerant ſe noſtris Patribus Nangaſachii, ut miniſterio dogicorum fungerentur. Religioſis tota Japonia exulare juſſis, cum iiſdem navigaverant Macaum, ibique in ſeminario dogicorum recepti fuerant. At cum Macai Societas, ob rei familiaris anguſtias, tantæ juvenum multitudini alendæ non eſset (cenſebantur enim capita amplius quadraginta) eos paulo poſt P. Valentinus Carvallius cum parte ſeminarii maxima in Japoniam remiſerat. Id quod ille recte ne, an perperam fecerit, non definio: ſatis cæteroqui gnarus, hoc ejus conſilium pleriſque Patrum fuiſſe improbatum. Nangaſachium reverſi juvenes, montem ubi proximum, & denſa conſitum ſilva delegerant, ubi ſimul in communione ſumma omnium rerum viverent, ſeque interim ad omnem pietatem exercerent: extructa autem anguſti ambitus caſa, & in cellulas diſtributa, rationem agendæ vitæ inſtituerant ei quam ſimillimam, quam apud nos viderant in domo probationis. Nulla erat temporis pars, quam non utiliter occuparent. Plures quotidie horas vel orando, vel pios libros lectitando conterebant. Quod his rebus ſupererat temporis, partim domeſticis miniſteriis, partim officiis miſericordiæ tribuebatur. Præerant in orbem ſinguli per menſem integrum, nihilque injuſsu præſidis quiſquam inceptabat. Pium contubernium adibat frequenter unus noſtrorum, ut confitentes audiret, & ſacrorum communione reficeret. Irrepebant ipſi interdum in urbem clanculum, catechumenos imbuebant fidei veritate, confirmabant in eadem neophytos, nullam denique prætermittebant occaſionem alendæ augendæque pietatis. Victum petebant ex hortulo, quem ipſimet colebant. In hac ſolitudine pii juvenes cum delituiſſent aliquandiu, detecti demum captique fuerunt. Nam cum exploratorum plena eſſent omnia, quidam Religioſos per inculta quoque atque invia nemorum venantes, ad illorum habitaculum penetravere; ſuſpicatique ex forma domicilii religioſos eſſe, vinctos tradidere Conrocuo, qui ſimul omnes in vinculis cuſtodiri juſſit, donec a chriſtianorum re-

155. Quam pie viverent priuſquam inter noſtros reciperentur.

156. In vincula conjiciuntur Nangaſachii.

Digitized by Google

religione deficerent. Duos circiter annos hæserant jam in squalenti carcere. Cum nihil de constantia remisissent hoc tempore, pergerentque imo ex ipsis vinculis tradere confluenti populo legem Christi, eos demum Prætor perduci ad se jubet, seorsum tamen, unumque post alium, ne se aspectu mutuo confirmarent. Callidum sane consilium, sed tamen irritum. Ut unus erat omnium spiritus, ita omnino similia omnium responsa ad singula quæstionis capita fuerunt. Interrogati, essent ne fratres Societatis Jesu? indignos se fuisse dixerunt, qui in eam adscriberentur. Urgente prætore, cur contra iterata regis edicta christianam docerent legem? ideo se facere responderunt, quod eam scirent unicam esse salutis consequendæ viam. Atqui, excepit ille, Japones oportet suo regi obtemperare. Negarunt id ita esse, cum a mortali rege præcipiuntur contraria regi summo Deo, & animarum saluti noxia. Quo loco Petrus Sampò, cœlesti quodam ardore succensus: An non, inquit, tibi videor pie & laudabiliter facere, qui populares meos ea doctrina susceperim imbuendos, qua mortem evadant sempiternam? Equidem si in hac re cessarem, si istud cœleste donum non etiam per qualiacunque vitæ discrimina cum mea gente communicarem, ipse me sævitiæ, & inhumanitatis arguerem. Et satis scio, eandem esse causam, quæ huc tam peregre adduxit Patres Societatis Jesu, eosque inter tam multa diræ mortis pericula errare cogit. Unum est eorum propositum, salus Japonum: qui si medicinam respuunt ægroti cum sint, furunt profecto miseri, eoque remedium exhibendum est vel invitis. Hæc, quemadmodum tunc ex ore dicentis excepta fuerunt, nostris annalibus inferenda censui, ut videas, egregio juveni datum in illa hora fuisse quid loqueretur. Peracta causa, omnes Gubernator transmisit ad carcerem Omuranum, suo mactandos tempore cum aliis vinctis. Huc delati juvenes, ad Præpositum Provincialem Societatis Matthæum de Couros dederunt litteras, summis rogantes precibus, ut aliquando tandem in Societatem, id quod sæpe antea rogaverant, admitterentur. Petitioni libenter annuit Courus. Etsi enim alienus esset a recipiendis Japonibus, præsertim in fratrum adjutorum gradu, istorum tamen diu cognita, & tam duris experimentis probata virtus omnem dubitationem eximebat. Receptis jussit carcerem pro domo probationis esse, & tirocinii magistrum dedit P. Carolum Spinulam: a quo cum induerentur veste Societatis, hanc dupliciter sibi esse matrem professi sunt, & quod ipsos antea genuisset in Christo Jesu, & quod modo suis filiis accenseret. Sic omnino sex de Societate in Omurano carcere constiterunt, Pater Carolus Spinula, Pater Sebastianus Kimura, & isti quatuor novitii: quibus paulo post aggregati fuerunt alii tres, Thomas Acafoxius, Joannes Chungoquus, & Ludovicus Cavara. Aderant pariter novem Dominicani, & Franciscani quinque: omnes digni suo nomine, & ea quam adepti sunt corona.

157. Christianam fidem libere profitentur coram judice.

158. Intra carcerem Omuranum recipiuntur in Societatem.

Dum his differtur, & longa exercitatione patientiæ duplicatur beatæ necis gloria, breviore illam via, & uno securis ictu consecuti sunt alii plures. Duo Nangasachii fuerunt Joannes, alter cognomento Chum, alter Ito. In crimen vocati, quod ædes habuissent ædibus religiosorum conjunctas, licet longe abessent Nangasachio quo tempore capti sunt religiosi, nihilominus tanquam eorum occultatores, & violatæ legis comperti, jussi fuerant domum quisque suam habere pro carcere. Tentati postmodum a prætore ut Christo nuncium remitterent, cum oblatam impunitatem sæpius constantissime respuissent, hoc demum anno, post quam comprehensi fuerant quarto, adesse jubentur coram Conrocuo, & nihil minus in sententia persistentes capite obtruncantur. Eos pridie Sacerdos Societatis nulli observatus audierat pro confessione, expiatosque ad proximum certamen accenderat: in quo tantam præ se tulere magnitudinem animi, ut plerisque eorum mors mortis desiderium magis injecerit, quam terrorem. Sane post illorum supplicium novam alacritatem, & fortitudinem inter christianos observare licuit. Eorum nonnullis imperaverat Gubernator, ut ad parandum religiosorum hospiti rogum ligna conferrent. Omnium

159. Duo religiosorum occultatores capite plectuntur.

160. Eorum supplicio fortiores

Digitized by Google

fiunt reliqui chriſtiani.

una vox fuit, ſe morituros citius, quam tale quid facerent. Similiter qui chriſtiani erant in cohorte prætoria, juſſi manus injicere quibuſdam dogicis, maluerunt ſtipendium unde vivebant amittere, & in exilium pelli, quam parere. Ibidem faber lignarius (Paulo nomen erat), cum fanum idolis extrueretur, rogatus neſcio quam artis ſuæ operam locare ædificantibus, diſerte negaverat ſe facturum: nec enim fas eſſe, in ſede diaboli ornanda chriſtiani manum occupari. Ob eam rem Conrocuus ardens ira, vinciri hominem juſſit ad arborem e regione ſurgentis ædificii, vetuitque ne quis eum ſolveret, niſi prius promitteret imperata facturum: nec tamen ille ut promitteret adduci unquam potuit. Perſtitit in ea moleſtia octo continenter dies, præter incommoditatem ſitus, & cœli intemperiem, genus omne contumeliarum ab ethnicis perferens. Demum interventu nobilis Luſitani cum ſolveretur, miniſtros percunctabatur anxie, cur ſibi demerent vincula, qui de priori propoſito nihil admodum deceſſiſſet? Atque hic erat rei chriſtianæ ſtatus in urbe Nangaſachio.

161. In regno Omurenſi necantur chriſtiani duo,

Apud Omurenſes initio anni reſpirare paululum viſa religio per mortem reguli, de qua ſuperiore libro dicebamus. Verum haud multo poſt deterius habere cœpit. Nam Xogunus Imperator, translata ditionis hæreditate ad filium reguli nothum, trium circiter annorum puerum; tutorem huic, & rerum adminiſtratorem dedit Fyjoyemonem neſcio quem, hominem truculentum, & chriſtianæ legis deſertorem impium. Is autem, ut regis ſibi gratiam conciliaret, confirmaretque inſtabiles adhuc pupilli res, in eam curam totus incubuit, ut Chriſti religionem Omuræ finibus exſtirparet. Principio chriſtianos peremit duos, Franciſcum Fampejum, & Ludovicum Fanſuquium, viros præcipuæ inter ſuos nobilitatis. Prior adactus obedientiæ ſacramentum pupillo dicere, aliter ſe facturum negabat, quam chriſtiano ritu. Hoc hominis totum crimen, hæc cauſa ſupplicii. Vocatur a Fyjoyemone, & in ipſo arcis limine ſecuri percutitur. Alterum barbarus ſollicitabat, ut indicaret de noſtro quodam Sacerdote, quem apud ipſum fuiſſe diverſatum cognoverat. Cum nihil neque ſuaſionibus, neque diro cruciatu elicuiſſet, ei denique cervices fregit. Poſt hæc homo impotens viros & mulieres diverſi generis decem capite truncavit, omnia prius expertus fruſtra, ut vocem ſaltem aliquam ab iis exprimeret animi in fide vacillantis indicem. Non exequor ſingulorum acta cæteroqui præclara, ne ſim infinitus. Tantum dico, nihil adeo excelſum & admirandum de antiquioribus Eccleſiæ martyribus prædicari, cujus hi exempla non dederint.

162. Et deinde alii decem,

163. Chriſtiani cujuſdam martyrium in regione Iſafai.

Omuræ finitima eſt ſeptentrionem verſus regio Iſafai, atque hæc etiam chriſtiano cruore tincta eſt. Leo Rifyoje, vir eximiæ pietatis, veteri amico ſuo perſuadere nitebatur, ut pœnitentia deleret impiæ deſertionis flagitium, quod jamdiu metu victus admiſerat. Contumacem adeo non flexit, ut beneficio irritaverit potius. Benevolæ, at aſſiduæ admonitionis moleſtiam non ferens improbus, pium monitorem multis apud Gubernatorem criminibus accuſat, atque illo maxime, quod vetitam ab Imperatore legem Chriſti ſequeretur. Alia crimina neglexit Gubernator. Poſtremum de chriſtianæ legis profeſſione negligendum non duxit, ne apud Imperatorem offenderet, ac reus ipſe graviſſimi criminis fieret. Ergo cives primarios tres ad Leonem allegat, qui rei veritatem expendant, oſtendant periculum, præmia defectionis proponant. Præmia non ſecus ac pœnas Leo contempſit. Victoriæ ſpem Gubernator non abjecit. Leonis uxorem & liberos ejicit procul. Ipſum domo includit, addita militum cuſtodia. Mox amicum ſubmittit uxoris nomine. Rogare virum illa fingebatur, ut expenderet pauliſper ſecum, quantum adiret ipſe diſcrimen, quantam toti familiæ perniciem conſciſceret. Serviendum nonnihil tempori, diſſimulandum, & parendum neceſſitati. Factum id a multis prudentibus, & probis. Deum mentis arbitrum ac teſtem eſſe, quæ ſi recta ſit, cætera nullius, aut exigui momenti eſſe. Reſpondit Leo, dolere ſe vicem uxoris ac liberorum: æterna tamen eſſe alterius vitæ bona, contra hujus mala brevi temporis ſpatio definita: æquum proinde non videri, ut horum metu illa perderentur. Deluſus in

hunc

Digitized by Google

hunc modum irrito ſtratagemate Gubernator, ſortem neophytum educi noctu per poſticum juſſit, & in vicinam inſulam deportari, ubi ſecuri fuit percuſſus. Ortus erat loco nobili in regno Figenſi, ampliſque olim vectigalibus fruebatur. Hæc æternæ ſalutis ſtudio ſponte dimiſerat Nangaſachii, profectuſque Iſafajum, ibi Deo tantum vacabat ac ſibi: cæteris vero chriſtianis virtutum omnium exemplo prælucebat.

164. Chriſtianorum moleſtiæ in regnis Chicungienſi, & Arimenſi.

Eodem anno Fucatæ, quæ civitas eſt regni Chicungienſis, in vincula conjectos invenio chriſtianos decem, quorum aliquos brevi fames enecavit. Reliquos idem manebat exitus, ſed de iis poſteriores litteræ tacuerunt. In regno Arimenſi, connivente regulo Arimandono, quartum jam annum religio quieſcebat. Turbata momento eſt ferali ejuſdem edicto, quo non ſolum Patribus, eorumque receptatoribus, ſed pagis etiam, urbibuſque integris, ſicubi ullus religioſorum eſſet inventus, exitium denunciabatur. Multorum fuit opinio, non hæc ex animo, non ſerio edixiſſe regulum, ſed ſpecie tantum; ut Xogunno faceret ſucum ſcilicet, ab eoque gratiam iniret. Par certe minarum atrocitati non fuit acerbitas exequendi, perrexerantque Chriſtiani noctu ſuos cœtus celebrare haud minus tuto, quam cum per leges licebat. Idem creditum eſt aliquandiu de Voxuenſi tetrarcha Maſamune: nam paulo poſt ea, quæ libro ſuperiore retulimus, omnem a chriſtianis crudelitatem abſtinuerat. Verum ejuſmodi opinionem diſpulit repente factum immane, quo ſe nimis vere barbarus chriſtiano nomini infenſum probavit. Par erat conjugum, chriſtiani ambo ſpectatæ probitatis. Hos Maſamones conatus fruſtra ad avitam ſuperſtitionem retrahere, ubi ſenſit molliter agendo expugnari non poſſe, nudos revinctis ad arborem pedibus pendere juſſit in ſummi hieme, donec a fide Chriſti deficerent, ac ne quid interea cibi illis præberetur vetuit. Ad augendum dolorem, in conſpectu utriuſque filiolum, quem habebant vix triennem, ſtatuit. In tam diro corporis animique cruciatu perſtitere pii conjuges diem continenter & noctem, enecti prope frigore, & impaſti: quodque viſum naturæ viribus majus, toto illo tempore puer, defixis oculis in vultu matris, nec gemitum, nec lacrymam fudit. Vir demum, ut erat obeſi corporis, in terram decciderat, func abrupte. Illum & cadentem, & graviter ex lapſu ſaucium, facie item ob collectam vim ſanguinis fœdum in modum livida, & inflata, videt barbarus, irriſitque. Tolli hominem, & ad arborem alligari denuo jubet. Tum utrique denunciat, ſi quid a quoquam oblatum guſtaverint, id ſibi mutatæ religionis indicio fore, perinde ac ſi aperte ſacramentum chriſtianæ profeſſionis abjicerent. Iniquam conditionem accepit ſimplex, at pia mulier. Non committemus ſane, inquit, ut nos defectionis coarguere quocunque poſſis indicio. Certum eſt nihil vel ſponte ingeſtum attingere. Idem diſerte cum affirmaret vir, perituri ambo erant inedia, niſi eos doctior quiſpiam chriſtianorum monuiſſet, ſtultam eſſe hominis denunciationem, ac nihili faciendam: neque enim ex illius arbitrio vim ullam ſceleris habiturum uſum cibi, quem Deus ad vitam conſervandam hominibus præſcripſiſſet. Senſit Maſamunes veritatem doctrinæ, hominum ſingularem incredibilemque conſtantiam miratus eſt: ac probe intelligens, citius illis vitam eripi quam fidem poſſe, non ſolum ab incepto deſtitit, verum etiam viſus ex eo tempore erga chriſtianos iterum manſuefieri.

165. Immane tormentum duorum conjugum in regno Voxuano.

166. Fructus hoc anno collecti in Japonia.

Hinc Patri Hieronymo de Angelis, qui tam ſævo tempore ab ipſa reguli ſede nunquam abſceſſerat, data facultas erigendi plurimos, quos metus afflixerat, & ingentem præterea ethnicorum numerum baptizandi. Namque, ut hoc obiter notem, quantumvis ingraveſceret perſecutio contra chriſtianos, & difficillima eſſent tempora, nunquam apud Japones defuere qui baptiſmum ſuſciperent, donec fuere qui traderent. Hoc quidem anno, quo ad eſcindendam Chriſti religionem ſævitum eſt atrociſſime, duo circiter adultorum millia initiati ſunt manu noſtrorum. Nec vero dubitandum, quin aliorum quoque ordinum religioſi, quamvis univerſi noſtris multo pauciores, aliquam multitudinem

Digitized by Google

dinem neophytorum collegerint. Illud erat incommodi, quod pauci jam in Japoniam adventabant divini verbi præcones. Atrocitas quippe suppliciorum, quæ navicularis & portitoribus erat proposita, plerosque absterrebat, ne viris religiosis naves locarent. Tamen, ut ingeniosa est charitas, omnem obicem superarunt feliciter Patres Societatis quinque, Emmanuel Borges, Camillus Constantius, Antonius de Sosa, Michael Carvallius, & Thomas Tzugi, hoc ipso anno advecti in Japoniam, & sociis ferme triginta, qui ibi *pondus diei & æstus portabant*, additi. Quibus porro artibus viri præclari tot inter excubias, & vitæ pericula penetraverint in eas oras, non alienum puto erit cognoscere. Emmanuel Borges, sumpto mercatoris habitu, in Cocincinam usque profectus est: inde cum negotiatoribus ultro citroque commeantibus in Japoniam navigavit. Constantius, & Sosa, Macai cum essent, scirentque nauclerum propediem vela facturum in Japoniam, illum silentio noctis adiere operti sagulo militari, sibique instare periculum affirmantes (si quid id est simulationis, ego non approbo, sed quod factum est refero) ut profugos reciperet, occultaretque in carinæ latibulo impetraverunt. Alii duo, Michael Carvallius, & Thomas Tzugi, prius Macao transmisere Manilam. Hinc ille militem, hic navigii gubernatorem habitu præferens, conscensa oneraria Sinica, ad easdem Japoniæ oras appulere, ubi nulli suspectos nemo egredi in terram vetuit. Sed aucto in hunc modum numero sociorum, novum repente genus persecutionis prorupit. Conductus a Conrocuo sceleratus apostata, qui amore mulieris impuro subversus defecerat a fide, libellum scripserat pestilentissimum, cujus hæc ferme summa: Christianorum vitam simulationis ac doli plenam esse: eorum institutiones legesque, perinde ac Japonicas, mera esse bonziorum commenta, meras fabulas: Sacerdotes denique Europæos id unum religionis obtentu agere, unum spectare, ut Japoniam aliquando tandem Hispanorum regi subjicerent. Sic domitas ab Hispanis fuisse in oriente & occidente regiones plurimas: sic nuper Philippinas insulas, quæ in oculis Japoniæ positæ essent, in potestatem Hispanorum cessisse. Nihil sane poterat odiosius fingi apud eam gentem, quæ ita est instituta, ut externi imperii vel nomen ipsum exhorrescat. Statim ergo ac liber in locum est editus, vulgatusque, P. Matthæus de Couros Episcopi vices in Japonia gerens, ut malo præsenti occurreret, christianis edixit, nemini eorum licere nefarium opus evolvere, aut habere apud se. Præterea, tametsi erant in omnium manibus nostrorum opuscula, quibus vetus illa calumnia funditus difflabatur, tamen virulento & fallaci scripto nova opposita sunt Patrum responsa, quæ illi fidem utcunque detraxerunt, & nutantes paululum firmaverunt.

167. Nostrorum quinque clam in Japoniam advecti.

168. Exitialis liber a nostris refellitur.

169. ACTA IN COCINCINA. Perdiu nostri parum proficiunt Nuocmani,

Ad hunc modum jactabatur in Japonia religio, cum secundis vehi flatibus cœpit in Cocincina. Vocatos a Gubernatore Pulicambensi Patres Societatis, & Nuocmani in urbe provinciæ principe collocatos alibi vidimus. Mortuo, uti tunc dicebamus, benevolo Gubernatore, per aliquot annos ita commorati sunt Nuocmani PP. Buzomius & Borrus, ut fructum assidui laboris caperent nullum, aut perexiguum. Gnari nihilominus, Evangelii sementem ex minimis sæpe initiis in uberrimam frugem excrescere, tolerabant indigenarum incredibilem pervicaciam, nec desperantes ullo modo de ipsorum salute, nec opus auctore Deo susceptum intermittentes. Fiduciam non fefellit exitus. Primum rei bene gerendæ aditum aperuit hoc anno peritia astronomiæ, cujus nobilissimæ facultatis usum præcipuum habent Cocincinenses in prædicendis lunæ solisque defectionibus. Rex, ubicunque sedem fixerit, secum habere solet delectos ejus scientiæ professores, alitque amplis vectigalibus, quæ etiam auget minuitque, prout astrorum labores vere aut falso prænunciaverint. Hos porro prænoscere multum interesse putant. Vulgo enim existimant, duo illa sydera, cum obscurantur, in fauces draconis nescio cujus incidere, devoranda scilicet, nisi infesta bellua clamoribus, & fragore horribili propulsetur. Ridiculæ opinioni locum dederunt libri astrologorum, qui puncta duo ecliptica, cum

170. Quam turpiter errent Cocincinenses in astronomia.

eam

Digitized by Google

eam luna ſoli occurrens ſecat, appellant caput, & caudam draconis. Futuram itaque eclipſim profeſſores Regi, toti regno Rex edicto ſignificat ante menſem: eaque imminente, prodeunt in apricum præfecti provinciarum, urbium gubernatores, magiſtratus, ac proceres, cum infinita populi multitudine. Ipſe Rex pullo amictu tectus, cum centurionibus, vexillis, & agminibus haud ſecus inſtructis, quam ſi hoſtis inſtaret, in planitiem apertam procedit. Atque ubi primum incipit, aut luna telluris umbra intercipi, aut lunæ tellus, converſi omnes ad ſpeciem deficientis aſtri, varios ac plane ridiculos edunt motus, nunc ritu venerantium, nunc dolentium, ac pene ſe deſperantium. Tum ad immanem belluam terrefaciendam, fragorem quam poſſunt maximum cient, milites quidem armis, populus vero pelvibus, lebetibus, aliiſque crepitaculis concutiendis. Ut demum, ſublato opaci corporis interjectu, aut luna, aut tellus fugacem umbram evaſit, & ſole iterum fruitur; tunc abactum putantes ferum, componunt ſeſe, & incolumitatem benefici ſyderis lætitia publica gratulantur.

171. Contentio orta circa futuram lunæ eclipſim.

Jam vero nullam mathematici Regis eclipſim prænunciaverant anno ſuperiore: id quod illis, quippe veram aſtronomiæ rationem ignorantibus, haud raro contingit. Contra P. Borrus prædixerat Nuocmani, obſcurandam eſſe lunam v. Idus Decembres, hora ante dimidium noctis una; idque indicaverat Mandarini cujuſdam filio, quo in mathematicis diſcipulo utebatur. Audivit ex filio Mandarinus, exploſitque Europæi magiſtri conjecturam hoc argumento, quod aulici aſtrologi nullam ejus rei mentionem feciſſent, quod eandem Rex pro more non denunciaſſet. Nam quis crederet, advenam in re tanti momenti plus videre potuiſſe, quam mathematicos tota Cocincina celebratiſſimos? Cum nihilominus Borrus, quippe certas ſecutus regulas, rem ita ut prædixerat futuram contenderet, conveniunt ambo, & ſponſionem faciunt. Loco pignoris ethnicus holoſericum poni jubebat pallium, quod victor a victo reportaret. Pactum accepit Borrus. Imo, adjecit, ſi vicero, a te aliud exigam nihil, niſi ut me de chriſtiana lege diſſerentem audias per dies octo. Conditionem non invitus admiſit adverſarius: quin etiam ſe chriſtianum fore promiſit, ſi vera Borrus affirmaret; nec vero dubitaturum, quin ſapientiſſimos Onſajorum divinarum rerum intelligentia vinceret, qui regis mathematicos aſtrorum ſcientia vicerit. Ad præſtitutam diem Mandarinus, intentis jam tenebris, domum noſtram ſe confert, lauto litteratorum & procerum comitatu ſtipatus. Serena nox, cœlum innube, magnam obſervandi ſyderis facultatem dabant. Dum illi oculos, & conſpicilla tubulata expediunt, Borrus in aulam interiorem ſe recepit, ut precum ſacerdotale penſum abſolveret: nam una duntaxat ante mediam noctem hora lunam obſcuratum iri ſciebat. Defeſſi vigilando & expectando, muſſitabant inter ſe ethnici, Borrum ſuſpicantes male ſubductis rationibus diffidere, & forte latebras aut fugam captare. Eundem identidem inclamabant. Ille arenariam clepſydram teſtem temporis indicemque monſtrans, nondum adveniſſe tempus placide reſpondebat. Ubi totus ille pulvis ex ſuperiore receptaculo in imum defluxiſſet, tunc defectionis initium fore. Ridere ad hæc hoſpites, multa falſe jocari, ſubinde quærere, numquid cerneret? Hora demum conſtituta, imo ad præfinitum temporis punctum, prodit Borrus e vicino conclavi lætus. Jamque ſplendidum lunæ orbem caligo involvere cœperat, quæ ſenſim gliſcens, alias ex aliis partes invadebat. Tunc enimvero alia hominum mens, alia conſilia. Continuo Mandarinus lictores atque apparitores ſuos dimittit in omnem late civitatem, ut populo eclipſim denuncient. Erumpit diſſonus vocum, armorum, ac diverſi æris fragor. Quod vero ad rem magis attinet, non modo Mandarinus ſponſionis auctor promiſſi fidem ſervavit, ſed quotquot præterea aderant in comitatu adoraverunt cœli dominum, quem chriſtiani colerent, eorumque exemplo litterati complures, & principes civitatis ſolemne ſacramentum Chriſto dixerunt.

172. Contingit eclipſis ut prædixerat P. Borrus.

173. Ob eam rem Mandarinus fit chriſtianus cum aliis plurimis.

Has

Digitized by Google

174. Nobilis feminæ pius ardor impetendo baptiſmo.

Has Pulicambenſium primitias læta deinde meſſis eſt ſubſecuta. Memorabilis præcipue femina inter matronas Nuocmanenſes genere, & opibus florentiſſima. Affuit ex improviſo ad domicilium Societatis elephanto vecta, cum magno puellarum lictorumque comitatu. Excepta a Patribus, ut talem decebat feminam, cum honore, & in ſacellum admiſſa, aperit quid ſui conſilii ſit: non alia cauſa ſe veniſſe, quam ut chriſtiana confeſtim fiat: nota ſibi eſſe chriſtianorum inſtituta, notas vivendi leges, ac ſcire ſe, quæcunque de futuro ſæculo chriſtiani crederent, vera eſſe. Attoniti Patres collaudare vehementer conſilium ejus: ſed tamen rem tantam tam celeriter confici haud quaquam poſſe dicere. Rogare illa contra, & obteſtari, ne ſe differrent. Affuturum propediem ex aula virum ſuum, qui eſſet legatus regis in Cambogiam deſignatus: cum eo abeundum ſibi eſſe pariter: profectionem differri non poſſe. Quis vero neſcit, ajebat, navigationis periculoſæ diſcrimina? Quis procellas, ac naufragia præſtabit? Perire poſſum in ipſo itinere: facite quæſo, ne æternum peream. Victi tanto pietatis ardore Patres, erudire illam cœperunt tam aſſidue, ut paucis diebus omnem chriſtianæ doctrinæ virtutiſque rationem complexa ſit. Aderant, dum erudiebatur, famuli plures cum ancillarum grege. Accidit ut Buzomius oratione vehementi ac vivida explicaret quæ parata ſunt apud inferos impiis ſupplicia, carcerem flammis undantem, tetra dæmoniorum ora, fœtorem intolerandum, alioſque hujus generis cruciatus. Perculſæ terribili narratione ſuccamaverunt ancillæ, & baptiſmum multo cum fletu poſtulaverunt. Negavit eas Buzomius poſſe ablui, quæ præter chriſtiani matrimonii leges in pellicatu viverent, & Legati concubinæ eſſent. Ita quippe fert conſuetudo gentis, ut ad uſum multiplicandæ prolis ancillæ admittantur in thori partem, hera non ſolum non improbante, verum etiam jubente. His feminæ auditis, triſtes, abjectæ, perfuſæ lacrymis, deteſtari conditionem vitæ miſerrimam, quæ ipſas æternis objiceret ſuppliciis, palamque denunciare, nihil rei deinceps ſibi cum Legato futurum. Quas ut vere locutas ipſarum hera ſenſit, bono eſſe animo juſſit: ſibi curæ fore, ut honeſtis viris collocarentur, & hoc impedimento ſolutæ in familiam Chriſti adſcriberentur. Cum ſe talis matrona vadem pro illis, & ſequeſtram offerret, Patres diem omnium baptiſmo aſſignarunt. Eo die venere ſacram in ædem mulieres, ornatæ præter morem, & cultæ. Præibat matrona felicis turbæ mater ac magiſtra. Comitabatur lecta nobilitas. Populus expectatione & admiratione defixus accurrit. Parata cum eſſent omnia, ſolemnibus Eccleſiæ cæremoniis baptiſmo conſignata ſunt capita omnino quinque ſupra viginti. Matronæ principi Urſulæ nomen inditum.

175. Ejus ancillæ repelluntur a baptiſmo quia concubinæ.

176. Cautione præſtita baptizantur cum ſua hera.

177. Matronæ exemplo trahitur Mandarinus ejus vir.

Ecce autem poſt paulo adeſt ab aula maritus Urſulæ, cui mandatam ad Cambogiæ regem legationem dicebamus. Subit domum, omnium quæ geſta fuerant prorſus ignarus. Miratur ſpoliata ornamentis conclavia, ſubverſa domeſticorum numinum ſimulacra, extantes alicubi cruces, alibi Chriſti ac divinæ matris imagines, paſſim occurrentes chriſtiani cultus notas. Exhorruit primo aſpectu Mandarinus. At mox, auditis quæ Urſula de unius veri ac ſummi Numinis cultu, de ſtatu futuræ vitæ, aliiſque fidei capitibus diſſerebat, viſus eadem, ſin minus probare, certe non habere contemptui. Ne multa. Patres ad colloquendum evocat, multa percunctatur, objicit ex adverſo plurima. Denique poſt dies perpetuæ concertationis ferme viginti, vera eſſe profitetur quæcunque ipſi credenda proponerent. Verum ubi de morum diſciplina agi cœptum eſt, & expoſita lex nuptiarum, hæſit homo mulieroſus ut ad ſcopulum alliſus, priſtinuſque, quo flagrabat, baptiſmi ſuſcipiendi ardor ſubito relanguit. Amplius deliberandum reſpondit, & ſermone abrupto Patres dimiſit. Illi metuentes, ne mala victus conſuetudine oblatam gratiam reſpueret, perſtitere noctem integram precibus, & vario afflictationum genere ejus ſalutem a Deo poſtulare. Nec fruſtra. Revocantur poſtridie, ſuperioris diei ſermo inſtauratur. Contendente Mandarino, fas eſſe prolis ſuſcipiendæ cauſa, præter primariam

178. Hæret poſtmodum in lege de nuptiis.

Digitized by Google

riam unam, plures inferioris ordinis uxores ducere, multa ex adverſo proponebant Patres, cur deberet una contentus vivere. Nulla ratio ſatisfaciebat. Tandem quæſivit ex eo Buzomius, an non æquum eſſet cenſendum quidquid auctoritate ſummi ac veri Numinis ſancitum eſſet? Non eſt auſus négare. Utque jam ante conſenſerat, Chriſtianorum legem a Deo optimo maximo fuiſſe traditam, ſuo ſe judicio, ſua ſe teneri confeſſione ſenſit. Hinc, ſublatis in cœlum oculis manibuſque, contentaque voce, ut appareret fatiſcere interne animum, omneſque naturæ cupiditates conatu ſummo contra vim gratiæ cœleſtis obniti: *Ibitis*, inquit, *turba concubinarum*, *nec mihi vos obſtabitis poſthac, quominus ſalutem conſequar ſempiternam*. Eodemque momento temporis accitas ad ſe pellices ſupremum valere, & migrare quamprimum juſſit. Uxorem deinde intuens: *Facies*, ait, *ut iſtarum nulla pernoctet domi meæ: ac ſi quid illis debetur, hodie ſolves*. Ita cum videretur Patribus baptiſmo idoneus, ad ædem Societatis cum inſigni pompa venit, ſumptoque inter feſtos tubarum ac tympanorum ſtrepitus Ignatii nomine, Chriſto renatus eſt. Lætitiam auxerunt ex ejus familia viri viginti pariter baptizati.

179. Dimittit concubinas, & baptiſmum ſuſcipit.

Poſt hæc Ignatius in ſuam legationem proficiſcens, egregia animi vere chriſtiani documenta præbuit. Primo hariolos diem profectionis nefaſtum denunciantes, & ne mari ſe committeret obſecrantes, riſit. Triremem deinde inſignibus chriſtianæ religionis ornavit, vexillum diſtinxit picta cruce, ſupparis omnibus Chriſti nomen inſcripſit. Ut appulit ad Cambogiæ portum, mirum eſt quantam incolis advenifque ſermonis materiam dederit. Noſcebatur navis prætoria legati Cocincinenſis: ſed inſpecta ex alto crux, quid iſthuc monſtri eſſet dubium faciebat. Cum ad littus ingens hominum multitudo confluxiſſet, re cognita, gratulari mirum in modum Luſitani, qui ibi plures mercaturam exercebant: parem lætitiam præ ſe ferre qui aderant ex Japonibus chriſtiani. Ethnicorum alii obſtupeſcere, alii ad exempli imitationem accendi. Plerique conſilium ejus deridiculo habere. Hominem quippe haud ita pridem eadem legatione perfunctum norant, ſciebantque eſſe libidinis effrænatiſſimæ: poſſe autem virum talem, adhuc ætate florentem, intra chriſtianæ temperantiæ modum coerceri, non putabant. Regem adiit denique Ignatius, auream crucem e collo demiſſam geſtans. Rex ad crucis conſpectum, quaſi ſideratus, obtorpuit. Nec ſibi temperavit, quin hominem hortaretur, ut inane, & ſuperſtitioſum (ita loquebatur) ornamentum abjiceret. Cum nihil minus legatus pietatis inſignia propalam retineret, pergeretque imo chriſtianam fidem, non ſolum profiteri libere, verum etiam Cambogienſibus tum voce, tum exemplo vitæ caſtiſſimæ perſuadere, eum Rex, confectis propere negotiis, in Cocincinam remiſit. Unde afflatum regi Cambogiæ odium iſtud chriſtiani nominis, paulo altius repetam. Anno labentis ſæculi decimo octavo, Sacerdotes Societatis duos e collegio Malacenſi poſtulaverat, quippe ſtudio veræ religionis accenſus. Batavos inceſſit metus, ne Luſitani hac data occaſione commercio Cambogiano potirentur. Conveniunt regem, multa de Luſitanis, plura de Societatis hominibus atrociter & inique diſſerunt: exiſtimantes in rem ſuam eſſe, ſi regem haberent idolis potius deditum, quam catholicis amicum. Quibus ſermonibus circumventus princeps, non modo retinere impietatem priſtinam, ſed arcere omnino Patres Societatis decrevit. Reipſa advectos in Cambogiam excepit admodum frigide, nec diutius in regno ſuo morari paſſus eſt, quam dum opportunitas daretur exeundi. Ea per ventos adverſos facta non eſt, niſi poſt ſextum menſem. Qua mora Patres ad multorum ſalutem uſi, baptiſmum ethnicis, alia ſacramenta chriſtianis illuc ex Europa commeantibus, quantum per anguſtiam temporis licuit, impertiti ſunt.

180. Proficiſcitur in Cambogiam palam ſe chriſtianum exhibens.

181. Excipitur a Rege parum liberaliter, quia chriſtianus.

182. Unde natum Regis Cambogienſis odium erga chriſtianos.

Sed ut revertar in Cocincinam, Ignatii inopina tranſitio ad chriſtianos, ut omnibus admirationi fuit Nuocmani, ita multos incendit ut idem conſilii ſibi capeſſendum putarent. Talem nempe Mandarinum, prudentiæ ac doctrinæ magnitudine toto regno celebratiſſimum, nemo arbitrabatur ſine magna ali-

183. Alii fructus collecti in ſtatione Pulicambenſi.

Digitized by Google

qua, & juſta cauſa voluiſſe paternas religiones mutare cum peregrinis. Hinc ad audiendos Patres, excipiendamque Chriſti doctrinam crebri concurſus. Anno uno, in ſola urbe Nuocmano, plus minus ducenti baptiſmo conſignati fuerunt, nobiles plerique, ac litterati. Ex ipſis quin etiam Onſais (ſunt illi, uti diximus, ſacerdotes gentis) unus erudiri petiit, & ad primam myſteriorum cœleſtium lucem, quaſi præſtrictis oculis, obſtupuit. Edoctus accurate, ipſo Chriſti natali die novam in Chriſto vitam cum omni familia auſpicatus eſt. Ita deinde vixit, ut eximiam ejus pietatem noſtri admirarentur. Ædes habitabat Patrum ædibus ferme conjunctas. Facilis ad eos aditus copiam illi fecit obſervandi propius ipſorum mores, & quotidianæ vitæ rationem diligentius inſpiciendi. Captus rerum ordine, conſuetudine delectatus, rogavit enixe Patres, ut ſe domi ſuæ reciperent loco famuli: certum enim ſibi fixumque eſſe, quidquid reliquum vitæ eſſet, ad Dei cultum transferre. Tam piis votis cum obſtaret uxor, ſuæ quidem ſe domi continuit, haud ſecus tamen, quam ſi in religioſa familia verſaretur. Notare cœpit tintinnabuli ſonitum, quo quaque hora diei Patribus indicabatur quid facto eſſet opus, & ad ejuſdem diſciplinæ formam ipſe quoque ſpatia diurni ac nocturni temporis, officiaque compoſuit. Præterea ædi ſacræ ſe totum addixit, ejuſque ornandæ & componendæ provinciam ſuſcepit, in hunc uſum conferens quidquid ſibi ac familiæ ſupererat. Nec ſatis. Verba facere ad populum e ſuperiore loco, prædicare Chriſti nomen in circulis, omnes amore virtutis inflammare aggreſſus, partes Apoſtoli, ac numeros omnes implebat: utque in omni ſuperſtitionum Cocincinenſium genere verſatus erat diligentiſſime, earum ſubruebat fundamenta, inanitatem attonitis popularibus demonſtrabat.

184. Singularis pietas cujuſdam Onſai ad Chriſtum traducti.

185. Mira Onſajorum varietas in Cocincina.

Cæterum in aliis Cocincinæ partibus nullos, aut ſane mediocres chriſtianæ res habebat ſucceſſus. Non una mali cauſa. Primo Onſai, quorum ingens numerus, & magna in vulgus auctoritas, ſpecie virtutis, & frequenti, ut ementiuntur, cum ſuis numinibus colloquio parta. Eſt porro Onſajorum varietas vix credibilis. Crederes id fuiſſe dæmoni propoſitum, ut pulcherrimam inter chriſtianos religioſorum ordinum diſſimilitudinem adumbraret. Alii nigro amictu, alii candido, alii alio utuntur. Sunt qui vitam communiter degunt, ſunt qui ſolitariam, & ab hominum conſuetudine remotam. Hi in ferarum ſpelæa retrudunt ſeſe, unde poſt aliquot annos emergunt in urbium lucem, torridi macie, nudi, deformes, horridique, & nomen ſanctitatis mercantur. Non pauci voluntariam profitentur paupertatem, & mendicato vivunt. Plurimos videre eſt intentos curandis ægrotis, juvandis egentibus, ſublevandis calamitatibus alienis, ſanandis etiam equorum, boum, & elephantorum morbis, idque nulla mercede, nullo quæſtu. Nonnulli gratuitam pariter navant operam pontibus, ædificiis, delubris, aliiſque publicis operibus aut conſtruendis, aut reficiendis. Denique litteras & religionem multi docent, ac refertas diſcipulis ſcholas habent: quod munus nobile præ cæteris, ac multarum opum. Templa jactant ornatiſſima, & in ſuis ritibus peragendis noſtrates Epiſcopos, Canonicos, Abbates imitantur, pedo mitraque inſignes: ut chriſtianam ibi legem viguiſſe aliquando, non temere ſuſpiceris. Ab hac igitur ſacrificulorum natione, ejuſque artibus fraudulentis, obex primus ac fere præcipuus chriſtianæ religionis progreſſibus opponebatur. Alter a malis dæmonibus, qui vix credibile quam familiariter admiſcerentur indigenis, quibuſque modis miſeræ genti illuderent. Spectandos ſe præbebant paſſim nequiſſimi tenebriones humana forma: ſubibant domos, nobilium conventibus conviviiſque, tanquam honoratiſſimi hoſpites, excipiebantur. Eorum commercium & petulantias feminæ ſibi honori ducebant. Eoſdem irritare ſumme periculoſum. Horribilem quippe formam momento induentes, ſcintillantibus oculis, exſtantibus cornibus, falcatis unguibus, alis veſpertilionum in morem a tergo prominentibus, avulſos ab ædium penetralibus homines raptabant in ſumma tecta, indeque præcipites deturbabant. Accidit ut ingens aliquando clamor cooriretur prope ædes Societatis. Populus vocife-

186. Dæmonum familiaritas cum indigenis.

raba-

Digitized by Google

rabatur, conſpici dæmonem, ab eoque hominem abripi ſublimem. Accurrerunt Patres, & intentato crucis ſigno tartaream belluam exegerunt. Obſtabat poſtremo paucitas operariorum, ne chriſtiana fides latius ſpargeretur. Tota enim Cocincina ſocii numerabantur duntaxat ſeptem, quorum tres Faifone degentes in colonia Japonum, indigenis perparum aut nihil proderant. Ex hoc ipſo tam exili numero aliqui regionis linguam non ſatis callebant, aliqui rei domeſticæ adjutores erant. Quare totus fere evangelici miniſterii labor ſolis incumbebat Patribus Buzomio, Pinæ, Marqueſio, & Borro. Adde quod ſtatio Pulicambenſis ante finem hujus anni uno capite eſt deminuta. Nam, quod utili aliorum documento ſcribimus, P. Chriſtophorus Borrus, antea inter evangelicos operarios laudatiſſimus, ſed jam alienæ ſalutis quam ſuæ ſtudioſior, commiſit cur dimovendus ab illa miſſione, & in Europam revocandus videretur. Reverſus autem in Italiam, cum poſt plurima experimenta nihilo melior fieret, demum juſſu Mutii ejectus eſt extra Societatem. Lacrymabilis admodum memoriæ vir, qui a fervore ſuo priſtino tam turpiter exciderit, & mederi ſtudens alienis malis, malum ſibi graviſſimum creaverit. Eum ferunt, paulo poſt depoſitam tunicam Societatis, dum primos carpit libertatis recuperatæ fructus, ſubita vi morbi oppreſſum interiiſſe.

187. Operariorum paucitas in Cocincina.

188. Luctuoſus exitus P. Chriſtophori Borri.

Poſt ejuſmodi eventum, ſane luctuoſum ac triſtem, jucundum puto erit filiis Societatis audire, quid eodem tempore ex Philippinis ad Præpoſitum Generalem ſcriberet P. Valerius Ledeſma de uno quodam Manilani collegii ſocio, cujus tamen nomen & conditionem reticuit. Hunc, ajebat, pietate multum excellere inter domeſticos, ac præſertim in piis meditationibus aſſidue exerceri. Sæpe inter orandum divina pati, ſæpe aſpectu ſuperum, & colloquio dignari. Noviſſime vero, dum reputat quam multos ubique gentium labores Societas pro divina gloria exantlaret, eamque Deo ſupra quam ſoleret impenſius commendat, audiſſe illapſam de cœlo vocem in hæc verba: *Fac bono animo ſis. Societatem ego meam diligo plurimum. In ea ego ipſe ſum dux, ſigniferum vero Ignatium habeo.* Hæc ſcribebat vir graviſſimus Ledeſma, dum provinciam Philippinenſem adminiſtraret: quæ utcunque aliqui æſtimaturi ſint, mihi credibilia facit narrantis auctoritas. Sed ea modo perſequamur, quibus divinam benevolentiam Societas demereri ſtudebat. Notabile in primis quod hoc anno Patres Manilani in honorem Deiparæ præſtiterunt. Allatum nuper fuerat Manilam diploma Pauli V. Pontificis, piæ favens ſententiæ de conceptu Virginis immaculato. Noſtri, ut ſuum erga Deiparam ſtudium documento publico teſtarentur, diem continuo indixerunt, quo die adoleſcentes ſeminarii alumni ſolemne jusjurandum conciperent, ſponderentque ſe conſtanter aſſerturos divinæ matris immunitatem a communi macula. Celebritate quam potuit maxima peracta res eſt. Principio, affuſa ad pium ſpectaculum tota ferme civitate, ſignum Virginis per frequentiora urbis loca circumtulerunt adoleſcentes triumphantis in morem, atque ea pompa, cui nihil unquam ſimile Manilani ſe vidiſſe affirmabant. Præter tenſas numero plures, ornatu ac pulchritudine admirabiles, ſpectabatur in medio agmine adoleſcens equo ſublimis, ac ſplendida collucens veſte, qui haſtam gerebat manu erectam, appenſamque haſtæ membranam cum exarata juramenti formula. Ut ventum in ædem ſacram, de ſacro epulo participarunt pii juvenes, ac deinde ex formula juraverunt, pietatis ardore tanto, ut ægre populus a lacrymis temperaret. Porro religio eadem decretum eſt, ut quotannis in poſterum inſtauraretur, quod hactenus viget. Verum id exilius forte. Graviora non defuerunt.

189. Res Philippinarum. Cœleſte documentum divini erga nos patrocinii.

190. Celebritas Manilæ acta in honorem Virginis ſine labe conceptæ.

Cacereſiæ Eccleſiam in Luſonia inſula adminiſtrandam ſuſceperat Didacus de Guevara, vir e S. Auguſtini familia inclytus; primaque curarum illi vix inito pontificatu fuerat, ut Societatem induceret in diœceſim ſuam. Nam tametſi magnam ejus partem excolerent gnaviter Patres Franciſcani, pauci tamen pro ſoli amplitudine erant, nec rerum gerendarum magnitudini pares inveniebantur. At poſcenti de Societate delectos viros, quibus gregis ſui par-

191. Noſtrorum expeditio ad ſilveſtres Bondochi incolas.

Digitized by Google

tem committeret, negaverant hactenus noſtri moderatores: forte ne tranſilire Societas videretur præfinitos ab initio limites, indeque offenſiones & querimoniæ orirentur. Id modo anno labente datum optimo Præſuli, ut Societatis Sacerdotes duo cum evangelico miniſterio excurrerent ad Bondochi incolas, ſilveſtres ingenio homines, & montibus late diſperſos; viderentque ſi qua pellici arte poſſent ad conveniendum in unam civitatem, & ſocialis vitæ formam inſtituendam. Id enim niſi fieret, futuros illos ſemper feris quam hominibus ſimiliores: chriſtianos quidem certe nunquam futuros. Profecti in difficilem expeditionem Patres, conſederunt ad radices editi montis, ſibique ex rudi materia qualemcunque tecti modum ſtruxerunt. Hinc aggreſſi blandis ſermonibus, & munuſculis ineſcare barbaros, brevi tempore dociles morigeroſque habuerunt. Obſirmaverant illi quidem omnia prius pati, quam avitos ſaltus deſerere. Tamen deſeruerunt, ſuaſque certatim transferentes prope tugurium Patrum ſedes, in unum populum ſponte coaluerunt. Exilivit lætitia Epiſcopus, cum de hoc ſucceſſu curarum, & votorum ſuorum accepit. Patres rogavit per litteras, a loco ne excederent, impetravitque ut novi oppidi curiam adminiſtrandam ſuſciperent. Mox ad P. Joannem de Torres ſcribens, affirmabat, Bondocanos antea belluis ferociores, non modo in compagem unius oppidi fuiſſe copulatos, ſed manſuefactos præterea, eruditos, excultos ſic, ut recte jam, & chriſtianis moribus viverent. Quod ab aliis pluribus ſæpe tentatum fuiſſet fruſtra, id per duos tantum homines Societatis quam breviſſimo tempore confectum eſſe, & omnino feliciter. *Vere*, addebat, *videre eſt opus Dei, qui filiis Societatis utitur ad res difficillimas perficiendas*. Sic ille pro ſua egregia erga nos voluntate. Cæterum illius Curiæ procurationem noſtri poſt aliquot annos juſtis de cauſis dimiſerunt. Præter Bondocanos, plurimi adhuc inveniebantur inter Tagalas populi nullis conſtricti legibus, & veteri ſuo more nativis montibus ſaltibuſque errantes. Ad eos perquirendos ex omnibus ferme domiciliis Societatis procurſum eſt, eorumque ingens multitudo in urbes deducta prius, deinde Chriſto initiata. At inter Biſſayas, non tam numerus neophytorum augebatur, quam pietas. Feminarum pudorem modeſtiamque ipſi mirabantur Hiſpani. Sacrorum miniſtros populus honore tanto proſequebatur, ut iis coram vix quiſquam hiſcere auderet. Patres collegii Zebuani, etſi numero plures, & animo impigri, fatebantur, nequaquam ſe pares eſſe excipiendæ omnium ordinum multitudini, quæ per dies feſtos in eorum ædem ad ſacra percipienda conveniebat. Unum ibi reliquum erat malum, jurandi licentia. Ad eam penitus abolendam inductus hoc anno mos, ut pueri, quocunque in loco quempiam temere jurantem audiſſent, acciderent ad ejus genua, oſcularentur pedes, eumque per divinam charitatem obſecrarent, ne ſic ſanctiſſimum Dei nomen violaret. Succeſſu non caruit conſuetudo. Reperti ſtatim plures, apud quos piæ innocentium preces plus quam concionatorum fulmina valuerunt.

192. Bondocani in unum conveniunt oppidum.

193. Teſtimonium Epiſcopi de felici exitu illius expeditionis.

194. Res geſtæ in aliis Philippinarum partibus.

Inter hos rerum ſucceſſus, duo vivere deſierunt ſocii ob ſanctitatis opinionem illuſtres. Præceſſit frater Franciſcus Martinius, ſenex annorum ſeptuaginta, quorum amplius triginta exegerat in Philippinis. Domeſticis ille quidem miniſteriis erat addictus, ſed interdum etiam mulcendis barbaris, & neophytis erudiendis fuerat adhibitus, nec ſine fructu. Affirmabat ipſe de ſe jam ſenior, toto hoc præterito tempore vix duas, ut multum tres habuiſſe horas operis omnino vacuas. Peractis enim quæ moderatores injunxerant, ſiquid ſupererat otii, ſolebat de divinis rebus aut legere, aut commentari, quibus in rebus voluptatum ſuarum maximam conſtituebat. Cum orabat, miris deliciis perfundebatur, viſuſque non ſemel eſt a terra ſublimis, & ſenſibus alienatus. Cum fratre Martinio degebat in collegio Arevalenſi P. Vincentius Puche, magni & hic nominis vir, & in divinis rebus meditandis ſumme verſatus. Accidit ut, dum maxime ambo in precibus pernoctabant, ſubito incendio conflagrare viderentur ædes Societatis. Accurrerunt propere cives, ut flammas late diffuſas reſtinguerent. Tranquilla erant domi omnia, incendii ne veſtigium qui-

195. Obitus & elogium Fr. Franciſci Martinii.

Digitized by Google

quidem, aut umbra: unde omnibus persuasum, illo flammarum ostento pium comprecantium ardorem fuisse divinitus demonstratum. Natus erat Martinius Astige in Vandalicia. Cum ex Hispania delatus est in Philippinas, naufragium fecit prope Marinduquem insulam. Tunc ille se, & sarcinulas suas per adversas undarum moles ejecit in littus, duobus insidens tignis in crucis formam compositis, quæ, ut appareret non naturali levitate supernatasse, eo vix exposito submersa sunt. Decessit Arevali III. Cal. Julias. Secutus est Manilæ VII. Idus Octobris P. Andreas Carus, gente Italus, vir cunctis virtutibus clarus, sed laudatus præsertim ab insigni pietate, qua erga Christi vulnera ferebatur. Hanc ipse religionem cordi impressam gerebat ante alias, hanc inter Tagalas mirifice propagavit. Primus de Societate rexit parœciam S. Michaelis prope Manilam. Quo munere cum fungeretur, accidit ut vocaretur ad ducendum funus mulieris cujusdam mortuæ. Ille mortuam audiens feminam, quam nec audierat ægrotare, doluit vehementer eam decessisse sic nullis morientium sacris expiatam. Advolavit ad locum, ubi jacebat compositum feretro cadaver, ac prius quam ad ecclesiam exportaretur, positis humi genibus, rogavit enixe Deum, illum ut sibi angorem eximeret. Prece nondum finita, deprehenditur in muliere indicium vitæ. Micabat vena: utrum anima nondum emissa, an recepta divinitus, incertum. Illud certum, pergente Caro impensius supplicare, mulierem a somno veluti expergefactam assurrexisse sensibus omnino integris, confessionem piacularem instituisse, auditam per otium, & absolutam fuisse, hisque vix peractis, animam exhalasse. Res adeo mirabilis, in oculis multorum testium gesta, non est dictu facile quam cito, quam late percrebuerit, quantamque eximio Sacerdoti opinionem sanctitatis conciliaverit. Omnibus domi forisque venerationi erat. Sed in medio vitæ & laborum cursu sublatus est, annos natus quinquaginta. Mortui funus Manilenses incredibili frequentia, & luctu publico honestaverunt.

196. Obitus & elogium P. Andreæ Cari.

Per idem tempus in illa provinciæ Mexicanæ parte, quam Cinaloam appellant, omnia fiebant in dies christianæ rei, ac Societati lætiora. Latissimum agrum procurabant operarii tantum septendecim, per novem domicilia distributi, percurrebantque ultro citroque pagos amplius quinquaginta suæ curæ commissos, in quibus lectissimam neophytorum sobolem numerabant. Pervadebant etiam identidem in interiora regionis, ad perquirendos mulcendosque barbaros, Christiano pariter & Hispano nomini inimicos. Quibus excursionibus quantum meterent fructum, argumento sit, quod anno ante hunc tertio neophytorum numerabantur capita septuaginta millia: nunc autem, censu iterum facto, auctus ille numerus inventus est undecim millibus: fuissetque fortasse amplior, si plures affuissent evangelici ministerii adjutores. Sed eorum paucitas moliri plura non sinebat. Et provinciæ Præposito Nicolao de Arnaya, etiamsi maxime vellet in regionem jam albescentem ad messem alios atque alios operarios immittere, deerant qui mitterentur, saltem e numero Sacerdotum, qui in provincia tam longe lateque diffusa censebantur paulo plures centum & quinquaginta. Ex hac ipsa nihilominus tam modica Sacerdotum manu Patribus in Cinaloa desudantibus addidit hoc anno auxilium sociorum septem. Duos præterea Granatam misit in provincia Nicaragua, qui novi collegii fundamenta ponerent. Fuerat ibi quatuor ante annos P. Petrus Chabrera, & oblatam a civitate sedem stabilem cum assensu Præpositi Provincialis acceperat. Verum id ubi rescivit Mutius, comperto esse Granatæ aliorum ordinum religiosos, qui sacrorum ministeria civitati abunde præstarent, deseri sedem jussit. Frustra Prætor, frustra oppidani questu lacrymisque socios retinere conati sunt. Quod unum licuit, abeuntibus nostris, dedere ad Mutium litteras, publico nomine comprecantes, ut consilium mutaret. Et siquidem facturum certo sperabant, communi interea consensu demandarunt prætori, ut donec Mutii responsa adveniissent, rem omnem familiarem illius domus administraret nomine Societatis. Responsa nondum advenerant, cum ex aliis Præpositi Generalis lit-

197. Res Mexicanæ. Progressus religionis in Cinaloa.

198. Collegium constituitur Granatæ, & mox dissolvitur.

Digitized by Google

litteris Arnaya occaſionem cepit repræſentandi Granatenſibus quod expectabant a Mutio beneficium. Antonius de Grixalva, vir æque pius ac locuples, fundum obtulerat ad excitandum nobis collegium Regalei. Oppidum id erat Societatis miniſteriis opportunum ut quod maxime: nam & proxime aberat portu, quo ſæpe naves ſolebant ex Peruvia, novaque Hiſpania commeantes appellere, & quam abundabat incolis, tam ſacerdotibus indigebat. His de cauſis Mutius, accepta donatione Grixalvæ, jubebat collegium Regalei quantocyus condi. At Arnaya, recte exiſtimans ægerrime laturos Granatenſes, tam ſubito tribui Regalejenſibus quod negatum ſibi, ac pene de manibus ereptum fuiſſet, illud penſi habens præterea, collegio Granatæ reddito, multo fore commodiorem Regalejenſium ſociorum communicationem cum cæteris provinciæ partibus, Generalis mentem interpretari maluit, quam nova ejuſdem reſcripta opperiri: proindeque Chabreram, anno quam inde abierat nondum elapſo, remiſit cum alio Sacerdote Granatam, & collegium amantiſſimæ civitati reſtituit. Utrum hæc Arnayæ conſilia Mutius probaverit, ex nullis litteris comperire potui. Tantum invenio, nec Granatæ, nec Regalei Societatem perpetuo manſiſſe.

199. Decernitur aliud collegium Regalei, ſed eodem exitu.

200. Mors & elogium P. Hieronymi Ramirez.

Hunc denique annum toti Mexico luctuoſum fecit obitus P. Hieronymi Ramirez, quem ejus regni Apoſtolum appellare non veremur: adeo inter cultores illius ſoli laboribus, & rebus geſtis eminuit. Virtutes, quæ apoſtolico impoſitæ ſunt nomini, a puero coluiſſe dicitur, charitatem maxime, atque patientiam. Dum primis operabatur litteris Cordubæ, elephantiaco fœde maculoſo, cujus vel aſpectum omnes horrebant, oſcula ſui victor dediſſe, & ulcera linxiſſe fertur. Ex quo uno licet exiſtimare, quantum ſolidæ virtutis teneris adhuc annis eſſet. Adlectus in Societatem, miſſionem Indicam ſtudio animarum petiit, exoratiſque vix demum moderatoribus, in novam Hiſpaniam tranſmiſit. Hic magno conatu, licet non magno temporis ſpatio, Mexicanæ linguæ peritiam aſſecutus, primo per provinciam Mechoacanam lucem Evangelii circumtulit, ubique alte impreſſa apoſtolici laboris veſtigia relinquens. Miſſus deinde ad barbaros, quos Parras vocant (accolæ ſunt ingentis lacus, qui Topiæ montes alluit ad orientem), atque horum quoque lingua potitus, innumeros doctrina fidei imbutos baptiſmo conſignavit. In qua peregrinatione id illi mirum contigiſſe tradunt. In pago neſcio quo, poſt traditum pluribus familiis baptiſmum, dum ſingula obit neophytorum mapalia, quærebat anxie, numquis apud eos eſſet nondum baptiſmo initiatus? Negantibus cunctis talem inveniri apud ſe, etiam atque etiam inquiri, ac ſingula penetralia veſtigari diligentius jubet. Ecce autem in intimo quodam ſpecu ſenex invenitur annorum centum. Is baptiſmi nec nomen unquam audierat: at in reliquis, peculiari Dei beneficio ita vixerat ſemper, ut naturæ legem nunquam graviore noxa infregiſſe videretur. Adit illum Sacerdos: quæ ante baptiſmum credere neceſſe eſt, docet, ac rite præparatum aſpergit aqua ſalutari, qua vix ablutus fortunatus ſenex animam exhalavit. Ramirez poſt hæc Guatimalam in extremum provinciæ latus progreſſus, urbem ſibi ac Societati devinxit: novi collegii fundamenta jecit: Antiſtitem vero aperte infenſum, & noſtrorum miniſteria repellentem alloquio modeſtiaque ita lenivit, ut fuerit ex eo tempore amicus ſociorum & fautor, qui eorum aſpectum antea ferre non poterat. Tandem collegio Pazquarenſi redditus, dum auſtralem Mechoacanæ provinciæ partem in ſummo æſtu peragrat, lethali oppreſſus morbo deceſſit, pridie Idus Januarias. Annum decurrebat ætatis tertium ſupra ſexageſimum, initæ Societatis quadrageſimum tertium. Hactenus de rebus Mexicanis.

201. Res Paraquariæ. Status provinciæ ſub P. Petro de Ognate.

Venio nunc ad provinciam Paraquariæ, de qua dicturus, altius exordiar, reſque omnes ſexennii proxime evoluti uno narrationis contextu peragam. Non enim licuit ſingula in ſuos annos ordinate digerere. Tres præfecturas provincia Paraquariæ complectebatur: Paraquariam proprie dictam, regnum Chilenum, & Tucumaniam. Societatem intra hos fines adminiſtrabat ab anno ſæculi decimoquinto P. Petrus de Ognate, ſingulari virtute ſolertiaque vir, cujus præ-

Digitized by Google

præsertim effectum industria, ut non mediocriter augeretur numerus sociorum. Nam præter auxiliares manus, quæ subinde ex Europa submittebantur, multos ipse receperat in Societatem delectos juvenes ex coloniis Hispanicnsibus, quæ erant in illo terrarum tractu fundatæ. Itaque provincia adhuc recens constabat jam capitibus ferme ducentis: quorum ut labor quam latissime funderetur, Provincialis idem Ognates plures, tum Hispanorum colonias, tum populos barbarorum novis stationibus occupaverat. Idem, potestate sibi facta a Præposito Generali, in collegiorum formam erexerat Societatis domicilia quinque, Boniaeris scilicet, & Sanctæ fidei in Paraquaria: Conceptionis, & Mendocinum in regno Chilensi: denique domum S. Michaelis in Tucumania. Nuperrime in eadem præfectura Tucumaniæ addiderat Societati collegium Estecense, quod quamquam brevi, abeuntibus inde Hispanis, dimissum est, initia tamen habuit secundissima, & plane memorabilia. Oppidum est Estecum centum viginti millibus a nova Corduba, secus viam quæ Potosium ducit. Ibi coloniam habebant Hispani opportunitate loci, & soli ubertate futuram inter celebriores Tucumaniæ, si ad has terræ commoditates accessisset cœli salubritas, quæ nulla est in humido & calido solo. Anno labentis sæculi decimo octavo, Estecum cum advenissent Patres Franciscus Gomez, & Joannes Darius, sacris concionibus, cæterisque ad animarum salutem adhiberi solitis, suam colonis operam adeo probaverunt, ut communi omnium consensu collegium statim Societati oblatum, paratumque fuerit. Eo accepto, Provincialis misit in possessionem novi domicilii familiam sociorum quinque, qui quidem aggressi propria sui ordinis exercere, spem civium, ac prope vota superarunt. Extincta brevi sunt inveterata potentiorum odia, quibus tota civitas in cruentas factiones scindebatur: compressæ libidines, emendati mores, & quod omnibus miraculo prope fuit, excisum ulcus civitatis incuratum hactenus, nullisque, ut apparebat, remediis sanabile. Domus erat Esteci jamdiu ludis licentiæque aperta, quam vulgo inferorum vestibulum appellabant: tot ibi flagitia, tam impune cudebantur. In eam scelerum officinam invecti vehementius Patres, intra breve tempus occlusam viderunt. Circa idem tempus Roxani quoque stabilem apud se Societatem avide expetebant. Roxam, quæ Hispanorum pariter colonia est in Tucumania, duo nostrorum excurrerant. Statim atque audiri concionantes cœperunt, ea facta est morum conversio, ea privatim ac publice parta quies, ut coloni rerum successu delectarentur majorem in modum. Ut perennaret fructus, fit raptim decretum de retinendis Patribus. Coloni, quamvis in magna tunc fortunarum inopia, sex mille uncias argenti ad condendum Societatis domicilium conferebant. Sed nondum ea erat ad manus copia sociorum, quæ in tot partes dispergi posset. Ognates, memor quæ sæpe ante Claudius, ac deinde Mutius mandasset, ne plus operis Societas amplecteretur, quam cui explendo sufficeret, nullis precibus victus est, ut Roxanorum petitioni assentiretur.

202. Fundatur collegium Esteci in Tucumania.

203. Oblatum Roxæ domicilium non accipitur.

Idem tamen justas esse causas censuit, cur in vallem Calchaquinam mitteret homines Societatis, ab iisque pastorale munus geri permitteret. Jacet ea vallis inter præruptos Tucumaniæ montes, porrecta in longum millia fere nonaginta, exigua latitudine. Incolarum numerus millia capitum triginta circiter. Gens totius provinciæ bellicosissima. Libertatem suam tanta hactenus pertinacia tutati fuerant, ut feminæ cessantes maritos, aut fugientes incussis facibus ad pugnam incitarent. Semel atque iterum Hispani conati fuerant excitare arcem, & valli quasi jugum imponere. Eos semper Calchaquini cum magna clade repulerant. Iidem nihilominus Evangelii ministros ad se venientes benigne suscipiebant. Quidam etiam suos illis filios adhuc parvulos ultro permiserant baptizandos. Quibus ex rebus spes quædam ostendebatur, facile totam gentem ad Christum adductum iri, si essent per quos diligentius institueretur. Hæc reputans Episcopus Tucumaniæ, vallem omnem divisit in curias duas, easque Societati administrandas tradidit. Primi designati sunt Parochi PP. Christophorus a Turre, & Horatius Morellus, hisque dati comites & adjutores

204. Curiones de Societate Calchaquinis dati.

PP. An-

Digitized by Google

PP. Antonius Mazerus, & Joannes Baptiſta Sampſonius. Sed licet magno animo rem gererent omnes, ſpem eventus fefellit. Nam, quod mirere, non alia fuit natio, quæ fidei doctores exciperet honorificentius, nec fortaſſe alia, quæ eorum doctrinam contumacius repelleret. Unde aucta ſuſpicio, quam non levia pridem indicia moverant, Calchaquinos ab Hebræis fuiſſe proſeminatos. Multa certe apud eos exſtabant hebraicæ religionis veſtigia. Davidis & Salomonis nomina pleriſque imponebantur. Circumciſionem, & alios quoſdam hebræorum ritus apud majores ſuos viguiſſe, ipſi affirmabant. Toto ſexennio Patres perſeverarunt operam illis navare peræque laborioſam, & ſterilem: niſi quod infantes bene multos proxime morituros, & nonnullos grandes natu ſacro fonte aſperſerunt. At demum Ognatis ſucceſſor Nicolaus Maſtrillus Duranus, ſociis inde abductis, curias dimiſit.

205. Rebus parum proſpere geſtis curias dimittunt.

Longe felicius acta res in præfectura Paraquariæ. Duæ ibi nationes æque frequentes, & barbaræ noſtrorum labores præcipue diſtinebant, Guairanenſes, & Paranenſes. Guairanam, quæ ampla eſt portio Paraquariæ, pervaſerant ante aliquot annos PP. Joſeph Cataldinus, & Simon Mazeta. Progreſſi enim a colonia Aſſumptionis millia paſſuum amplius quingenta, navigaverant adverſo Parane fluvio in interiora regionis, inventiſque indigenarum crebris familiis oram fluminis ſparſim accolentibus, ex iis ſimul collectis duo condiderant haud contemnendæ magnitudinis oppida, quorum alteri a Virgine Lauretana, alteri a B. Ignatio nomen inditum. In his oppidis ſedem fixerant Patres: atque hinc identidem per circumpoſitæ regionis campos & nemora longe lateque excurrentes, magnis incolarum acceſſionibus utrumque populum augebant. Laboris interea ſocium & adjutorem habere cœperunt P. Antonium Ruizium de Montoya, magni nominis operarium, de quo ſæpius in hac hiſtoria ſermo redibit. Acceſſit paulo poſt quartus laborum & periculorum comes P. Martinus Hurtaſus, vir ingentis animi, & apoſtolo Indiarum Xaverio affinitate conjunctus. Itaque bini jam in ſingulis degebant oppidis Patres, nulluſque abibat annus, quo non aliqua centena barbarorum capita undique conquiſita ad ſuos greges adducerent. Anno de quo ſcribimus, cenſebantur in utroque oppido, partim neophyti, partim catechumeni, ad ſexdecim millia, quibus quotidie in ſacram ædem convocatis Patres fidei doctrinam explicabant. Ne ſtatim adultos baptiſmo initiarent, obſtabat, quod alibi paſſim, ratio connubiorum. Hominibus quippe exiſtimantibus, non eſſe e dignitate ſexus virilis iiſdem ac mulieres obſtringi legibus, dura videbatur lex unius tantum uxoris, & ſemel ductæ, quamdiu viveret retinendæ. Quæ naturæ vitia licet paulatim virtuti cœleſtis gratiæ cederent, inde tamen Patribus perpetuus labor, & interdum vitæ pericula proveniebant.

206. Status rerum in Guairana a ſuis initiis.

His generatim, ac leviter indicatis, juvat aliqua, quæ hoc præterito tempore acciderunt, paulo diligentius exequi. Anno ſæculi decimoſeptimo P. Cataldinus ex oppido Lauretano ad barbaros Tucutienſes periculoſam ſuſcepit expeditionem. Deſerto natali ſolo, profugerant Tucutienſes in ſilvarum latebras, & anfractus montium, novamque ſibi ſedem in loco remotiſſimo conſtituerant metu Europæorum, qui miſeros inſtar ferarum venabantur aſſidue, & per vim, aut inſidias captos abducebant in ſervitutem, venaleſque proponebant. Ad eos cum Indis aliquot locorum gnaris erepſit Sacerdos impiger, duriſſimo dierum quindecim itinere, baculum manu geſtans inſtar crucis in ſummo formatum: nam hic Evangelii præconibus ſcipio viatorius erat, idemque caduceus, & pacis fœderiſque inſigne. Pagum ducentis conſtantem familiis ingreſſus, barbaros appoſita oratione demulſit, ſibique ac chriſtiano nomini conciliavit. Inſtabat, ut ſecum in oppidum Lauretanum demigrarent. Sed confici nihil poterat, niſi de ſententia Caſiquii, quo illi nomine ſuos principes appellant. Ad hunc ergo legationem cum caduceo ſuo mittit Cataldinus, pacem & colloquium petens. Venit princeps, ac prolixe quod petebatur annuit. Hinc nongenti, Patrem viæ ducem ſequentes, Lauretum veniebant, neo-

207. Felix expeditio Patris Cataldini ad Tucutienſes.

Digitized by Google

neophytorum exemplis & moribus imbuendi: cum apparuit Hiſpanorum globus, prædam & mancipia venantium. Barbari partim expediunt arma, partim fugam circumſpiciunt. Utroſque pauliſper continuit Cataldinus, dum alloqueretur prædones, & quantum poſſet dicendo conſequi, ab inferenda vi cohiberet. Cum nihil ab inhumanis hominibus impetraret, affuit repente auxilium præſens unde minime expectandum erat. Erumpens e vicina ſilva tigris, impetum fecit in agmen improbum, ducem laniavit, reliquos in fugam egit. Alias ex oceani Braſilici littoribus in Paraquariam illapſus fuerat circulator nequam, qui divinos ſibi honores arrogabat. Is, peragrata maleficiis regione, in oppidum Lauretanum venerat. Statim congregat plebeculam, & verſicolori ex avium plumis chlamyde indutus, agitato e capræ calva crepitaculo, proclamat ſe vitæ ac necis arbitrum: ſterilitatem, & ubertatem in ſua eſſe manu: Deum denique ſe illum eſſe, quem Chriſtiani colerent. Hæc ſtentorea voce crepans, concutere timidum vulgus cœperat. Non tulit infandum caput Cataldinus, factiſque, non verbis refutandum balatronem impium ratus, corripi ſubito a valentiſſimis neophytis vociferantem, & flagris non molliter cædi jubet. Qui cum inter verbera ſe, non jam deum, ſed hominem eſſe clamitaret, ac vera dolore probaret, e dæmonis miniſtro Dei veri ſervus exſtitit, tanto fidelior, quanto certius agnovit ſe fuiſſe in errore verſatum.

208. Europæi miro modo cohibentur ne vim illis inferant.

209. Nugator impius ab amentia revocatur.

Pacatis in oppidis exiſtebant aliquando improviſa pericula. Unum exemplo omnium ſit. Michael Atiguaye, Caſiquius oppidi S. Ignatii, pellices ſuperinduxerat conjugi. Cum a Patribus ea res improbaretur graviter, ille ira percitus populares concitat, ut importunos monitores ejiciant, aut neci dedant. Fuit qui furenti conſilium dedit, rem tantam inconſulto Lauretanorum Caſiquio ſuſcipi non debere. Quantum enim periculi fore, ſi vir Patribus addictus, & viribus præpotens, eorum injuriam perſequeretur? Hunc ergo prius in conſilii ſocietatem eſſe adſciſcendum. Motus oratione barbarus, poſtridie in Lauretanam coloniam, vix quarto inde lapide, venit cum trecentis armatis. Nihil horum latebat Patres: tamen nec locum deſerere, nec ullis occultari latebris voluerunt, divino patrocinio fræti. Ecce autem, dum rei exitum opperiuntur, ſeque ad necem fortiter excipiendam comparant, ingreditur ad eos Michael ſine comitatu, ſine armis; & accidens ad ipſorum pedes, meditati facinoris veniam rogat. Non dicam ut exceptus fuerit; id enim cogitatione aſſequi pronum eſt. Sed cauſam tam nec opinatæ mutationis tacere non licet. Rochus Maracana (id nomen caſiquio Lauretano erat) Patres Societatis prope ut parentes ſuos amabat, ac verebatur. Ut audiit ex Michaele, cujus rei cauſa adveniſſet, non ultra loquentem ferens, irruit in eum ferociter, nihil tale expectantem afflixit humi, pugnis calcibuſque male multatum dimiſit. Quo facto Michael, ut ſe collegit, meliorem momento induens mentem, ſuos remiſit domum, ipſe habitu quo dixi ad Patrum ædes profectus eſt. Adeo furioſiores interdum, ſi audacter excipis, domas. Quis jam putaret eundem hunc Rochum, nunc Patrum fautorem tam eximium & vindicem, paulo poſt mutata voluntate inſectatorem acerrimum fore? Fuit tamen. Jecit odii ſemina Sacerdos improbus, qui neſcio quam obtendens inſpectoris eccleſiaſtici poteſtatem, ex urbe Aſſumptionis irrepſerat in oppidum S. Ignatii, ut noſtros homines ex Guairana depelleret. Longum ſit dicere, quibus calumniis veterator popularium animos circumvenerit. Noſtros ajebat, quos ſuos ipſi Patres dicerent, fures & latrones eſſe. Mitti a Rege quotannis annonam viritim dividendam inter neophytos: nullam ejus partem dividi: totam intercipi a bonis Patribus. Præterea veniſſe ſæpius criminoſiſſimas Patrum litteras ad præfectum regium, tum oppidanos, tum caſiquium nominatim accuſantium, utque in ſontes animadverteret poſtulantium. Hæc & ſimilia calumniator ſpargebat in vulgus, quibus Rochus incitatus, ac pene in furorem actus, de perdendis Patribus deliberavit. Cum illos apud pleroſque perſpecta tot in rebus fides, & vitæ innocentia tueretur, multique quolibet ſuo periculo Patres defenſandos putarent,

210. Periculum ſociorum ex ira unius Caſiquii.

211. Quomodo mitigatus ille ſit.

212. Alter Caſiquius conſpirationem facit contra Patres.

Digitized by Google

rent, populus in partes abiit. Quæ a nostris stabat, numero, opposita dignitate potentior erat. Dum omnia tumultu civili perstrepunt, progreditur ad concionem P. Simon Mazeta, & bono esse animo omnes jubet. Conari quidem diabolum per administros nequitiæ suæ, ut novo christianorum gregi salutis æternæ viam præcludat: sed illos brevi daturos sceleris pœnas, & inde finem discordiæ fore. Quo spiritu hæc pronunciaverit Mazeta, statuere pro certo non possim. Sane Rochus postridie, & duo minores casiquii consiliorum ejus participes ægrotare cœperunt, omnesque intra quartam diem occubuerunt. Nec diu post Presbyterum, cujus maledicentia seditionem concitaverat, vipera occidit. Quibus sublatis, in oppidum quies rediit.

213. Conspiratio ultore Deo comprimitur.

214. Mortuus ad vitam revocatur.

Rebus hoc modo compositis, iterum florebat apud Lauretanos pietas, & pietatis altrix concordia: cum prodigium accidit admirabile, quod non referrem, nisi se præsente contigisse scriberet testis omni exceptione major, P. Antonius Ruizius de Montoya. Obierat unus quidam neophytorum, & jam illato in ædem funere sepeliebatur. Ex improviso *resedit qui fuerat mortuus*, & exiliit feretro, cunctisque metu diffugientibus, unum compellavit P. Ruizium. Hunc ut adstare præsentem vidit, narrare incipit, sibi vix mortuo adstitisse horrenda specie diabolum, & aduncas manus intentasse, propterea quod duo in ebrietate commissa nunquam esset confessus. Excipiente se contra, non id animi pravitate, sed oblivione esse factum, cum furcifer non acquiesceret, adfuisse cœlesti lumine circumfusum Principem Apostolorum Petrum cum Angelorum pari, eorumque aspectu diabolum fugatum fuisse. Tum se audivisse ab Apostolo, placere summo Numini ut ad vitam rediret triduo finiendam, & continuo revixisse. Percunctanti Ruizio, quam putaret rei tam insolitæ causam esse? Non aliam, subjecit, nisi ut moneam populares meos, vera esse, quæ vos de vita post hanc futura traditis, omnesque exemplo meo ad confitenda rite peccata excitentur. His auditis, multos incessit metus salutaris. Multi tribunal pœnitentiæ adierunt, & confessionem piacularem quam potuerunt maxima diligentia peregerunt. Erat interim omnium magna expectatio, an qui revixerat neophytus triduum vivendo superaret? Toto ille biduo valuit sensibus omnino integris, quo tempore nunquam cessavit oppidanos turmatim confluentes cohortari, ut morem gererent Patribus, ut dicto audientes essent. Die vero tertia, iterum expiatus occubuit: neophytis rei novitate adeo perculsis, ut exinde ad omnia pietatis officia multo promptiores esse cœperint. Nondum illis Patres Eucharistiæ sacrosanctæ copiam fecerant ante annum sæculi decimum nonum. Sed jam cum essent bene multi ejusmodi morum integritate, & doctrinæ christianæ peritia, ut ad percipienda mysteria tuto viderentur admitti posse, delecti sunt ex omni multitudine probatiores, qui præirent cæteris, & cœlestis doni participes primi fierent. Ii certo temporis spatio diligentius instituti, ac multimodis præparati, demum sacro epulo refecti fuerunt. Et vere refecti. Nova enim posthac munditia vitæ fulserunt, qua cæteris persuasum est, sacrorum communionem esse vitiorum finem, & vitæ sanctioris exordium. Hinc alii, ut cœlesti convivio pariter fruerentur, emendandis moribus, addiscendisque christianæ fidei institutis impensius studere. Pars examen ultro deposcere. Senes cum pueris, cum populo proceres doctorem quærere, & urgere. Triumphare qui erant delecti, & corpora simul animosque hospiti Deo præparare jejunio, precatione, & voluntariis afflictationibus. Porro ad ingerendam hominibus adhuc rudibus reverentiam sacrarum rerum multum valebat ipse cultus exterior, quo Patres exercenda curabant omnia, quæ ad religionem pertinerent. Vix credibile videatur, quod tamen auctores idonei tradunt, in illa terrarum vastitate, nihil minus quam in cultioribus Europæ locis, divina peragi consueviſse cum splendido apparatu, & pompa, cum cantu præterea ad numeros composito, cum instrumentis musicis, & symphoniacis. Id potissimum referri debuit acceptum Patri Joanni Vasæo, qui suffectus in locum P. Martini de Urtaso, cum esset rei musicæ scientissimus, tam multos, ac tam scite instituit

215. Neophyti primo ad eucharisticam mensam admittuntur.

216. Quo cultu res sacræ peragerentur in Guairana.

Digitized by Google

tuit adoleſcentes, ut Guairanenſes chori tota celebrarentur America. Sed hæc momenti levioris. Illud ſane ad pelliciendos neophytorum animos multo præſtantius, quod ſe a Patribus plus quam paterne diligi ſentiebant, habebantque in iis quaſi parentes totidem, ac rerum ſuarum omnium amantiſſimos curatores. Id maxime patuit cum utrumque oppidum lues puſtularum corripuit, malum in Paraquaria frequens, & qualibet peſtilentia exitialius. In ea calamitate Patres nunquam neque noctu, neque interdiu ceſſarunt concurſare languentium ædes, ac præter æternæ vitæ præſidia, curandis etiam corporibus neceſſaria providerunt. Quodque mirum videri merito debeat, licet rei familiaris inopia ipſi laborarent, ſemper tamen paratam habuere domi ciborum copiam, quam ad fores convenientibus quotidie dividerent.

217. Peſte contactis Patres ſubveniunt.

Dum hæc in Guairana gerebantur, Paranenſem agrum pari fructu excolebant Patres Rochus Gonzalus, Didacus de Boroa, Joannes Salas, & Claudius Ruyer. In iſtam regionem primus pedem, & Chriſti nomen invexerat anno labentis ſæculi undecimo P. Marcellus Lorenzana, a quo etiam conditus fuerat opportuno in loco pagus a S. Ignatio nuncupatus, collectaque in eum non modica barbarorum manus, ut in quinta parte fuſe deſcribitur. Lorenzanæ ſuffecti quatuor quos dixi Patres, ejuſdemque imitati conſtantiam & fortitudinem, pergebant inter ſexcenta vitæ pericula propagare divinam fidem, & Chriſti gregem augere. His finibus contineri nequaquam potuit P. Rochus Gonzalus. Ab oppido Ignatiano progreſſus millia ferme triginta regionis uliginoſæ, cœnoſiſque gurgitibus propemodum impervia ſecus Paranem fluvium, multas invenerat indigenarum familias ad oram fluminis palantes ſuo more. Occurrunt e veſtigio barbari clava & arcubus minaces, & ſiſtere gradum jubent. Pergit nihilo ſecius Sacerdos, & vocem interrito vultu atque animo contendens, ſe Dei præconem, ac miniſtrum clamat: ponere intentos arcus, & audire cogit. Delectavit feroces homines ea fortitudo periculi neciſque contemptrix; nam hac laude plurimum gloriantur. Admiſſus in medium Gonzalus, cur venerit, quid promittat ediſſerit. Placuit oratio. Nieza, caſiquiorum potentiſſimus, operam illi ſuam, ac tutelam obtulit. Perſuaſit genti Rochus, ut ad convivendum coirent in aliquo certo loco, & pacem colerent. Locum ipſum monſtravit, in quem ſuas ſinguli domos transferrent. Itapua appellabatur locus, omnibus vitæ uſibus opportunus, & propterea quod ad alias barbarorum gentes aditum aperiret, Patrum conſiliis maxime accommodatus. Ibi crucem præaltam defigens in littore, vocato populo, myſterioque explicato, illam adoravit primus. Rochum circumfuſi ethnici, proſtratis corporibus, imitati ſunt, ſpecimen primum exhibentes religionis, quam omnes poſtmodum ſuſceperunt. Conſtructum eſt ibidem extemporale templum, & oppido Itapuano paſtor de Societate impoſitus. Novum deinde fundatur oppidum ad Iniam amnem, ubi Paranis ſubit alveum. Oppido nomen a corpore Chriſti datur. Diu reſtiterant Inienſes Patribus Rocho Gonzalo, & Didaco Boroæ ſuadentibus, ut Itapuanis quinquaginta millia paſſuum diſtantibus ſe conjungerent. Ceſſerunt denique, atque ultro Patres vocatum miſerunt: velle nimirum ſe quoque Chriſtianos fieri, & in formam civitatis coaleſcere. Quadringentæ ſtatim familiæ unum in locum ſedes tranſtulerunt, & in divini Patris familiam cooptatæ fuerunt. Ita in illo tractu, qui prope Paranem excurrit, tribus in locis totidem habebamus neophytorum curias, numero & pietate ſpectandas: Ignatianam, Itapuanam, atque hanc, de qua modo dicebamus, a Chriſti corpore appellatam. Accidit ut ex Ignatiana, ut mobilia ſunt barbarorum ingenia, dilaberentur multi, & ad nationem bidui diſtantem transfugerent. Transfugas ad ſuum oppidum, & ad prioris vitæ inſtitutum retraxit P. Didacus de Boroa. Nam cum audiſſet, nationem illam peſtilenti morbo conflictari, eo perrexit propere, ſecum ferens quidquid medicamentorum habere potuit. Tum aggreſſus languentibus opem ac ſolatium exhibere, eos denuo devinxit ſibi, dataque ſingulis fide, nullas ab ipſis deſertionis pœnas exactum iri, omnibus perſuaſit, ut una ſecum reverte-

218. Status rerum in regione Paranenſi.

219. Oppidum a P. Rocho Gonzalo conditum Itapuæ.

220. Itemque aliud a Chriſti corpore nuncupatum.

221. Neophyti transfugæ revocantur in ſuum oppidum.

Digitized by Google

rentur. Poſt hæc Ignatiani, non ſolum firmiores in ſuſcepta fide, verum etiam ad omnia pietatis officia multo promptiores effecti. Documento ſit quod ſubjicio. Itapuanis ſemper uſi fuerant inimiciſſimis. Eos nihilominus cum audiſſent magna premi rerum omnium penuria, fame laborantibus annonæ ſubſidium ultro miſerunt: homines cæteroqui a barbarie recentes, & nuper omnis humanitatis, nedum talium officiorum expertes.

222. Noſtrorum ſumma inopia in illis regionibus.

Non poſſum hoc loco prætermittere, quibus noſtrorum laboribus & incommodis tot ex illo novali collecti fructus, ſervatique fuerint. Præter moleſtias conquirendi, erudiendique homines ingenio barbaros, & ex conſuetudine vitæ ſolutioris adverſus omnia legum vincula contumaces, vivebant Patres anguſtiſſime, & perincommode. Plures continenter annos pane triticeo, vino, & ſale penitus caruerunt, neque carnem guſtaverunt niſi ferinam, eamque admodum raro. Quotidianus victus herbæ, & legumina. Nihilo melior ſupellex. Omnia longo uſu detrita, aſſutiſque diverſi generis laciniis reſarta. Ipſas calceorum ſciſſuras deciſis tunicarum fimbriis conſuebant. Quidquid ſtragulorum ad ſuos uſus attulerant, diviſum eſt inter ægrotos. Mantilia ipſa, & mappas habuerunt ſibi neophyti pauperiores. Vix erat Patribus reliquum, quo vitam tuerentur. Rogatus olim Ognates Provincialis, ut ſtationi Itapuanæ ſtragulum pullum operiendo mortuorum feretro provideret, eum in uſum pallium reliquit ſuum, quod habebat unicum: nec eo tamen uti licuit tegendis mortuis, ſed in partes conſciſſum, vivis ac nudis neophytis diſtributum eſt. In tanta porro rei familiaris anguſtia verſabantur Patres voluntate magis, quam neceſſitate. Etenim, ne quid hoc loco diſſimulem, cum primum noſtri in eas terras advecti ſunt, & barbaros pagatim collectos inſtituere chriſtiano ritu cœperunt, illis Prorex Peruviæ penſiones annuas aſſignavit ex ærario Boni aeris, & tantundem dari juſſit, quantum dari cæteris Indorum curionibus pro ſtipendio ſolebat. Verum P. Didacus de Torres id temporis provinciæ præſes, negans profeſſis Chriſti paupertatem tali proventu opus eſſe, oblati vectigalis quartam tantummodo partem admiſit. Erunt fortaſſe quibus hoc temperantiæ exemplum minus credibile videatur. Iis quidem certe perſuaderi ægre poterit, qui collectas a nobis immodicas in Indiis opes quotidie prædicant. Sed nos rem ſcribimus veram, & Hiſpaniarum conſilio Indico ſatis exploratam. Præter hæc, gnari Patres quantum interſit, nullius terrenæ rei appetentes Evangelii miniſtros inveniri, non modo nihil nec ſponte oblatum a neophytis accipiebant, ſed ſibi potius quod illis darent ſubtrahebant: qua beneficentia (nam feras quoque tangunt beneficia) omnium ſibi animos mirifice conciliabant.

223. Oblatum proventum non accipiunt, niſi ex quarta parte.

224. Noſtri libertatem Indorum tuentur.

Sed paupertas, ſi malum eſt, viris religioſis tolerabile malum eſt, imo etiam in deliciis habendum. Aliis noſtri moleſtiis, aliis multo gravioribus conflictabantur incommodis in Paraquaria. Dictum eſt alibi, quam inique aliqui Hiſpanorum conarentur indigenas in ſervitutem abducere, quam acriter hi contra libertatem ſuam, cujus erant in poſſeſſione antiquiſſima, & cujus amor homini vita ipſa potior eſt, tuerentur. Noſtri regio fræti diplomate defenſabant libertatem Indorum, & conatus improbos colonorum pro viribus retundebant. Sæpe abactores rapaciſſimos perſequebantur, & incuſſo Dei Regiſque metu prædam mittere cogebant. Sæpe eorum excurſionibus anteceptis, ſaltus adibant longe poſitos, ſcrutatique barbarorum latibula, magnas eorum manus iniquis raptoribus præripiebant, & contra vim tuebantur. Inde magnam ſubierunt invidiam. Colonorum aliqui, ægre ferentes præverti noſtrorum charitate injurias ſuas, falſis criminationibus, tum in America, tum in Hiſpania Patres inſectari cœperunt, perinde quaſi nullam rei chriſtianæ gerentes curam, id agerent unum, ut collectos Indorum populos ſibi ſubjicerent, ac ſuam potentiam amplificarent. Futurum ſperabant omnino, ut tanquam hoſtes publici proſcriberentur homines Societatis, iiſque amotis, curias adminiſtrandas acciperent alii, quibus minus cordi eſſet quid juris coloni ſumerent contra indigenas. Et invenio valuiſſe calumnias uſque adeo, ut in urbe Aſſumptionis Paraquariæ

225. Propterea in invidiam vocati, & calumniis appetiti.

pri-

Digitized by Google

primaria deliberatum ſit, an non verius eſſet revocare ex Guairana noſtros, alioſque illis paſtores ſubſtituere. Pene vicerant qui hoc cenſebant, niſi auditus fuiſſet vir uſque ad ſanctimoniæ famam illuſtris Marcellus Lorenzana, qui de Patrum laboribus & fructu longe diverſa retulit. Unam ille rem affirmabat ſibi eſſe viſam in Patribus reprehenſione dignam, quod nempe modum excederent omnem in laborando, nullamque tuendi corporis rationem habentes, intra breve ſpatium omnes laborum magnitudine opprimendi viderentur. Quo audito, conſultantium ſententiæ in aliam partem inclinaverunt.

226. Societatis diſcrimen ob imprudentiam unius.

Quaſi hæc ſatis non eſſent, aliæ aliis in locis factæ ſunt offenſiones, &, quod fateri debemus, non ſine quorumdam e noſtris aut culpa, aut errore. Duæ præſertim res acciderunt, unde noſtris ingens moleſtiarum ſeges oblata. Eas nos cum fide ſubjicimus. Paraquariam proprie dictam Rex nuper diviſerat in præfecturas duas. Alteram antiquo nomine Paraquarienſem vocari præceperat, cujus caput, ut antea, eſſet civitas Aſſumptionis: alteram a flumine argenteo nuncupaverat, & coloniam Boniaeris habere pro metropoli juſſerat. Hanc poſteriorem qui primus adminiſtrandam obtinuit Didacus Gongora, eadem qua vectus eſt navi neſcio quid exportavit mercium: quæ res etſi contra leges eſſet, tamen uſurpabatur paſſim a præfectis regiis, nec ulli hactenus fraudi fuerat. Cognovit neſcio quo indicio Senatus Indiarum de mercibus furtim illatis. Nec mora. Cognitorem miſit, qui in ipſo portu Boniaeris quæſtionem inſtitueret contra præfectum. Erat Gongora Societatis amans in paucis. Videns inſtare ſibi periculum, niſi merces occultarentur, P. Gabrielem Perlinum collegii Bonaerenſis rectorem rogat per amicitiam, ut eas domi ſuæ cuſtodiendas ſuſcipiat. Morem geſſit Perlinus, & quidem adeo incaute, ut rem olfecerint multi. Itaque inquiſitor, vel admonitus a delatoribus, vel rem aliunde ſubodoratus, collegium ipſum vexare, ſcrutatores immittere. Perlinus contra, quaſi iniquam vim pateretur, homines ſuperoſque conteſtari, miniſtros aditu collegii prohibere, contra regium judicem fidei Quæſitorem armare. Cum pergeret nihilo ſecius judex in collegium inquirere, eum denique Quæſitor fidei, cauſa cognita, de vi religioſis illata damnavit, & gravi impoſita mulcta depulit ex America. Quo hæc animo accepta ſint a Rege, ejuſque conſilio, pronum eſt conjecturam facere. Sed profecto non mitius accepta ſunt a moderatoribus Societatis. Provincialis Ognates Perlinum continuo e præfectura collegii dimovit, & in ordinem redacto ſucceſſorem miſit. Alias eidem, gravioreſque addidit coercitiones Mutius, atque illam nominatim, quod inhabilem deinceps ad omnes ordinis magiſtratus pronunciavit. Quibus Rex ſibi ſatisfactum exiſtimans, nihil ultra movit, nec de veteri in Societatem benevolentia quidquam remiſit. Delictum agnovit Perlinus, mulctam obedienter, ut par erat, ſubiit. Tamen haud multo poſt mœrore oppreſſus, de mutando vitæ ſtatu cogitabat, putabatque indolem ſuam Carthuſianorum inſtitutis aptiorem fore. Sed paternis Mutii conſiliis acquieſcens, non ſolum manſit in Societate, verum etiam poſt illud tempus uſque ad obitum laudabiliter vixit. Atque hæc duarum, quas dicebamus, tempeſtatum prima fuit.

227. Multatur ille, & periculum propulſatur.

Circa idem tempus in colonia Aſſumptionis gravius turbatum eſt, neque noſtri expertes publicæ perturbationis fuerunt. Urbis Antiſtes, vir ille quidem theologica ſcientia clarus, ſed in agendo vehementior, & Societati noſtræ, ut mitiſſime dicam, non amicus, cenſuras denunciaverat Præfecto Paraquarienſi, niſi intra octo menſes reduxiſſet ad ſe uxorem, quam in portu Boniaeris ad cuſtodiam rei familiaris reliquerat. Præfectus, juſtas eſſe ſibi cauſas putans ne præcepto obtemperaret, appellavit ex juris formula ad Archiepiſcopum Argyropolitanum. Mox appellationi non cedentem Antiſtitem Aſſumptionis edicto publico reum pronunciavit regii decreti, quo proſcribi jubebantur eccleſiaſtici magiſtratus, ſi legitimas appellationes contemnerent. Tali edicto læſum ſe graviter, ac dignitatem ſuam clamabat Epiſcopus. Oppoſuit aliud edictum, teneri Præfectum declarans lege in violatores clericorum conſtituta, arcendum proinde

228. Grave diſſidium inter Epiſcopum, & præfectum Paraquarienſem.

a com-

Digitized by Google

a communione sacrorum. Ita incitatis utrinque animis, brevi res ad apertam inimicitiam deducta est, non sine offensione ac periculo civitatis, quæ in duas factiones scissa est. Capita factionum illustria, & maximæ auctoritatis, Episcopus hinc, inde Præfectus. Ambo circa se globos armatorum habebant, metusque multorum erat, ne demum de jure vel injuria ferro decernerent. In hoc statu rerum Præfectus ad rectorem collegii codicillos mittit, in quibus erat, ad continendam in regis obsequio civitatem referre plurimum, ut innotesceret, an standum videretur sententiæ Episcopi? rogare proinde se, ut Patres negotium expendant diligenter, ac de scripto respondeant. Erat collegii rector P. Joannes Pastorius, quo uno ex nostris Episcopus utebatur paulo familiarius. Nec vero non vidit homo sagax, rem exigi periculi plenam, ancipitemque. Hæsit tantisper metu, ne alterutrum contra se irritaret. At consilium petenti nihil respondere, id enim vero indignissimum videbatur. Re igitur accurate discussa, & domesticorum gravioribus in consilium adhibitis, brevi scripto rationes explicavit, ob quas non videretur Præfectus commisisse, cur esset sacrorum communione privandus. Prius tamen quam scriptum Præfecto traderetur, illud videndum misit Episcopo, jussis qui ferebant Patribus excusare responsi necessitatem, æquitatem ostendere, rogare etiam, ut si quid minus vere solideque dictum crederet, indicare ne gravaretur. Præsul nec sui copiam fecit Patribus, & libellum, qui oblatus aliena manu fuit, cum contemptu repulit. At postea quam illum a Præfecto longe lateque vulgatum vidit, nec sine doctiorum approbatione circumferri sensit, vix credibile quantam adversus nostros irarum molem conceperit. Irato, atque æstuanti novas quasi faces subdidit concio a Pastorio, bono quidem proposito, sed fortasse parum prudenter habita. Nam cum videret id agi ab Episcopo, ut cives obedientiam negarent ministro Regis, ipse ut populum in officio contineret, Præfecti causam publice perorandam suscepit. Id vero Antistes tam inclementer accepit, ut palam minaretur, se pro potestate judicis ordinarii in causis fidei, non ipsum modo rectorem, sed & reliquos collegii Patres in vincula conjecturum. Hinc nova, & multum clamosa contentio. Rector veritus, ne vir fervidioris ingenii verba factis æquaret, & defensione legitima utendum ratus, ad normam privilegii tunc vigentis, conservatorem sibi sumpsit cœnobiarcham Franciscanorum, qui collegium vindicaret ab injuriis Episcopi. Jam longum sit, nec utile, totam negotii seriem evolvere. Delata fuerat Argyropolim controversia, ibique apud regium auditorium agebatur. Sed altercationi finem imposuit, non tam sententia judicum, quam christiana charitas, in cujus leges, omissis litibus, utrinque conventum est. Episcopus ad insulas Tucumaniæ traductus, ad coloniam S. Jacobi sedem novæ ditionis venerat. Adiit illum officii causa novus provinciæ præses P. Nicolaus Mastrillus Duranus, atque uno colloquio placavit sic, ut vix præteritæ offensionis vestigium supereresset. Tantum in animo Episcopi acerbitatis nonnihil residebat contra Pastorium, quem tametsi Provincialis loco movisset, & in extremum provinciæ angulum relegasset, nondum pro merito punitum arbitrabatur. Tamen eundem ut vidit coram se supplicem, & admissi veniam flagitantem, provolutum in genua, & vix dicere exorsum arcte complexus est, neque solum in gratiam recepit, sed etiam inter cariores amicorum deinceps habuit.

229. Dissidio implicantur nostri, & præfecti partes tuentur.

230. Iratscitur illis vehementer Episcopus.

231. Componitur controversia ex æquo & bono.

Has inter rerum vices præclarum constantiæ specimen in amplectenda Societate dedit nobilis adolescens, cujus commemoratio narrationem hujus anni claudet. Alphonsus de Ovalle, nobili ortus genere in urbe Chilensis regni primaria, idemque prima parentum soboles, & voluptas, cum in spem familiæ liberaliter educaretur, repente cœlesti instinctu consilium Societatis ineundæ cepit. Diu illum distulit Provincialis Ognates, ejus constantiam diu multumque tentavit. Tenacem propositi, & iteratis precibus admitti postulantem admittere demum constituerat: cum res innotuit parentibus. Non est dictu facile, quantum isti ob eam causam commoti fuerint. Quidquid in similibus multi solent, filio-

232. Cujusdam adolescentis in amplectenda Societate constantia singularis.

Digitized by Google

filiorum mentem ut explorent in ſpeciem, reipſa ut pervertant, id omne aggrediuntur. Preces adhibent, ſuaſiones, lacrymas: omne denique crudelium, blanditiarum genus intentant, ſed nullo effectu. Perſtantem in ſententia includunt domi, appoſita cuſtodia dies noctesque excubante, ne clam ad noſtros transfugeret. Ille certus exequi quod Deo afflante conceperat, in omnem occaſionem perficiendi conſilii imminebat. Oblata nec opinanti occaſio eſt, die anniverſaria divinæ Matris ſine labe conceptæ. Solebat ea dies in urbe S. Jacobi ludis, equorum decurſionibus, aliiſque lætitiæ publicæ ſignis celebrari. Alphonſus, præmonito clam Provinciali quid pararet, patrem enixe rogat, ſibi ut etiam liceat piis intereſſe ſpectaculis, & ſuas in equeſtri pompa partes exequi. Veniam non negavit pater: veruntamen, ne dilaberetur, comitem & cuſtodem illi addidit fratrem, natu quidem minorem, ſed viribus prope parem. Ergo ambo, conſcenſis equis ſplendide phaleratis, in publicum procedunt. Alphonſus, aliud omne ſimulans quam quod mente verſabat, celebriora urbis loca obequitando circumibat, quaſi oſtentandi ſui cauſa. Hærebat lateri frater, nihil ſuſpicans quo illa circuitio ſpectaret. Ventum erat ſecus collegii noſtri ædes. Cum ad eas Alphonſus accedere propius videretur, frater divinans quod erat, equo deſilit prior, & januam occupat, prohibiturus objectu coporis ne introiret. Rogabat ſimul, obſecrabatque fratrem, ne parentibus optime de ſe meritis tantum luctum inferret. Ille nec oratione motus, & vim facili negotio eluctatus, in ædium interiora ſe recipit, eademque die tironibus aggregatur. Adeſt paulo poſt genitor, ſed adeo truculentus & minax, ut fores pulſanti nemo auſus ſit aperire. Abiens itaque multo quam venerat iratior, regium, quod vocant, auditorium recta petit, judicum fidem implorat, ab iiſque decretum exſculpit, ut educatur e noſtra domo novitius, & apud alterius ordinis religioſos quaſi ſequeſtro deponatur, donec uberius de ipſius voluntate conſtaret. Traductus in cœnobium Alphonſus, per ſex ipſos dies iis pulſatus eſt machinis, quas, ut teſtatur Ognates Provincialis, ægre crediturі ſint qui non viderint. Habuit quotidie ante oculos utriuſque parentis lacrymas, inter quas audiebantur cognatorum amicorumque aſſiduæ voces, ne quibus vitam deberet, eos tam gravi & acerbo vulnere confectos vellet. Sed nihil magnopere profuit. Animum, licet ætate adhuc tenerum, ita cœleſtis gratia firmaverat, ut nullo rerum humanarum ſenſu tangeretur. Unum cavebat maxime, ne qua fraude ſpoliaretur tunica Societatis: eaque propter, quandiu ibi fuit, nunquam ivit cubitum, niſi veſtitus. Sexta demum poſt die certiores facti judices, non ulla cujuſquam ſuaſione, ſed ex animi ſui ſententia adoleſcentem dediſſe nomen Societati, & factum mutare nolle, eum nobis reddi juſſerunt,

HI-

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ LIBER SEPTIMUS

ANNUS CHR. 1622. SOC. 83.

1. Res Romanæ. Acta pro canonizatione BB. Ignatii, & Francisci Xaverii.

SEQUITUR annus sæculi vigesimus secundus, Societati immortaliter memorandus ob adscriptos sanctorum indici Ignatium, & Franciscum Xaverium, alterum ordinis parentem optimum, alterum inter alumnos facile primum. Rem jam pridem summis sociorum votis concupitam, & Romæ sæpius agitatam, aliæ ex aliis enatæ moræ distulerant usque ad hoc tempus. Clemens VIII. in Xaverium pronus, de Ignatio cunctabundus, causam utriusque intactam reliquerat. Paulus V., cum Beati nomen & cultum Ignatio primum, ac deinde Xaverio decrevisset, spem faciebat altiora utrique deferendi, si contingeret quempiam alium esse Ecclesiæ fastis addendum. Verum id opperientem mors intercepit. Commodum successit illi Gregorius XV., qui a prima ætate Romæ in collegio Germanico educatus, jam tum præcipuo quodam studio imbui cœperat erga beatum illius collegii fundatorem; & progressu temporis cooptatus inter Duodecemviros juri dicundo præpositos (sacræ rotæ Auditores vocant), apud quos illis temporibus hujus generis causæ disceptabantur, acta omnia de Ignatii virtutibus & miraculis accurate cognoverat. Talem ergo nactus Pontificem Mutius, egit apud eum sedulo, ut fundatori Societatis decerneret aliquando tandem eum cultum, quo esse dignissimum non ignorabat. Ut Ignatio Xaverium adjungeret, auctor fuit P. Nonius Mascarenia, qui pro Lusitanis provinciis, ut loquimur, Assistens erat. Pontificem ex se bene animatum accenderunt vota Cæsaris, Regum, Antistitum, & prope omnium etiam in orbe ultimo populorum, uno ore flagitantium, ut Roma operi manum ultimam adderet, & cœli suffragio, quod crebra ubique miracula loquebantur, suum denique adscriberet. Exstant de Ignatio litteræ Ferdinandi II. Cæsaris, Ludovici XIII. Galliarum Regis, & Ducis Bavariæ Maximiliani, e quibus litteris, ut nihil de aliis dicam, intelligi potest, quam præclara esset Europæ totius existimatio de Ignatii virtute. Ferdinandus quidem ait, e re ac dignitate Romani imperii esse, ut in sanctorum numerum adscribatur fundator religiosi illius ordinis, quem videretur Deus ad tuendam in Germania religionem elegisse. Ludovicus, com-

2. Principum litteræ ad Pontificem de meritis B. Ignatii.

me-

Digitized by Google

memorans Societatem quodammodo natam esse Parisiis, collectamque ex alumnis illius academiæ, cessurum in regni sui decus significabat, si ejusdem auctor honorem tam insignem consequeretur. Maximilianus pro tot rebus nuper a se bello Bohemico gestis contra Hæreticos, nullam petebat aliam ab Apostolica sede mercedem, nisi ut Ignatium in sanctorum albo scriberet. At beati viri causam impensissime omnium agebat Ludovicus Ludovisius Cardinalis, nec scio equidem an alius ageret efficacius. Non alius certe plus apud patruum Pontificem auctoritate & gratia poterat, nec alius fortasse erat B. Parentis cliens, qui augendæ ipsius gloriæ magis studeret. De Francisco Xaverio sua jam vota Romam oriens occidensque detulerant. Statim ab ejus obitu Goanus Archiepiscopus, cunctique Indiarum Præsules, communicatis cum Joanne III. Lusitaniæ Rege consiliis, Romanum urgere Pontificem non cessaverant, ut audiret aliquando preces totius Asiæ, & honores sanctis tribui solitos Xaverio decerneret. Hoc primum, ac fere unum Japones ad Gregorium XIII. legati, post solemne obsequium Ecclesiæ rectori delatum, suæ gentis nomine flagitaverant. Hoc Lusitaniæ Rex iteratis oraverat litteris. Nec segnior fuerat Europa in eodem oraculo exposcendo, quippe Xaverii virtutum & miraculorum plena.

5. Vota Indiarum pro canonizatione B. Xaverii.

Gregorius igitur, peractis rite omnibus quæ rei gravitas postulabat, & quæ Romana fert consuetudo, XIV. Cal. Martii Cardinalibus in consistorio significat, deliberatum sibi esse Ignatium & Xaverium sanctis adscribere. Ac de Ignatio primum dicere exorsus: „ Merito (inquit) ab hac sancta Apostolica sede honores ei debentur, qui pro ea defendenda ac propugnanda se, familiamque suam sanctissime devovit. Intelligitis, opinor, Fratres dilectissimi, de quo „ loquamur. Nobis profecto videtur accommodari posse B. Ignatio illud præconium, quod de Josue scriptura commemorat: *Fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel.* Nam & igne charitatis in Deum exarsit Ignatius, & ignem illum in eos, qui prædestinati sunt a Deo, indesinenter immisit, & hostes eodem ipso tempore adversus electos Dei insurgentes, sacra militia conscripta, & contrariis armis instructa, expugnare cœpit, & quotidie, Deo duce, magno Ecclesiæ bono expugnat: ut propterea, sicut ille beatæ patriæ hæreditatem consecutus est meritis suis, ita definitione nostra id declarari æquum esse judicemus. Persuadet hoc nobis ejus vita per virtutes admirabiles, & generi humano salutares perpetuo traducta, & miraculis ante & post mortem editis divinitus illustrata. „ Hæc de Ignatio. Deinde gradu facto ad Xaverium, „ ita perrexit: „ Beati Xaverii virtus tanta fuit in aggregandis Deo nationibus, ut quod Isaiæ dictum est, merito in illum transferre possimus: *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Xaverius enim tam longe lateque Evangelii lucem protulit inter gentes, ut usque ad extremum terræ, in Japoniam ipsam, ultimam orientis oram, Romanæ fidei nomen invexerit. Cum igitur in hunc admirabilem virum, vere Indiarum Apostolum, & vitæ sanctitas, & claritudo miraculorum, & populorum vota concurrant, illum inter sanctos referre consilium est„. Huic Pontificis orationi secundissima approbatione consensit Senatus Apostolicus. Dies itaque est constituta ad IV. Idus Martias, qua die Ignatius & Xaverius, una cum Beatis Isidoro, Philippo, ac Theresia, Sanctis Christi Confessoribus solemni ritu adscriberentur. Peracta celebritas est religiose admodum, ac splendide, Romano more. Eam vero diem Societas, quippe sibi ex omnibus auspicatissimam, singulari in posterum religione recolendam sumpsit. Et quia, secundum Deum, primas beneficii partes tulerant Gregorius Pontifex, ejusque fratris filius Ludovicus Ludovisius Cardinalis, præter preces & sacra pro iisdem per universam Societatem indicta, ne qua diuturnitas temporis memoriam talium meritorum obrueret, Mutius utriusque imagines, & solemnis cæremoniæ formam coloribus adumbrari jussit prægrandi in tabula, quam ante vestiarium Basilicæ Farnesianæ collocavit, hoc titulo aureis litteris inscripto: *Ob relatos in Sanctorum numerum*

4. Allocutio Pontificis ad Cardinales de BB. Ignatio, & Xaverio.

Eccl. 45. v. 2.

5. Ignatius & Xaverius in Sanctorum indicem referuntur.

Digitized by Google

rum Ignatium Loyola Societatis Jesu Fundatorem, & Franciscum Xaverium Indiarum Apostolum, Gregorii XV., & Ludovici Cardinalis Ludovisii immortalibus meritis. Jam qua pompa Sanctorum vexilla, ut mos est, ex Basilica Vaticana ad ædem Professorum delata fuerint, quibus lætitiæ signis Societas Romæ parenti suo Ignatio, & collegæ Xaverio novos honores gratulari studuerit, dicere supersedeo. Res enim longa, quanto jucundior ad spectandum fuit, tanto ad legendum esset molestior. Bullam, ut vocant, canonizationis non edidit Gregorius, morte prohibitus. Duas amplissimis conceptas verbis edidit ejus successor Urbanus VIII. anno sequenti, quarum quæ est de S. Ignatio, vitam omnem sancti viri per omnes virtutum heroicarum gradus ductam exponit, hisque concludit verbis, quæ panegyricum ingentem continent: *Vir vere quem præelegerat Dominus, ut eorum dux foret, qui portarent ejus sanctissimum nomen coram gentibus & populis, & infideles ad veræ fidei cognitionem inducerent, ac rebelles hæreticos ad illius unitatem revocarent, suique in terris Vicarii auctoritatem defenderent*. Alterius bullæ, quæ ad S. Franciscum Xaverium spectat, duæ sunt partes. Prima vitam Xaverii virtutibus, & rebus gestis inclytam breviter complectitur. Proferuntur apostolatus ejus, & vocationis divinæ signa perspicua, donum linguarum, donum prophetiæ, & miraculorum, nec non virtutes evangelicæ quæcunque sunt illustrissimæ. Altera pars miracula recenset, tum quæ vivens, tum quæ vita functus edidit.

6. Bullæ canonizationis, earumque sententia.

Jacuerat hactenus sacrum Ignatii corpus in templo domus professæ, ad latus dexterum aræ maximæ, ubi nunc sepulchrum Ven. Cardinalis Bellarmini cernitur. At cum esset jam in eadem basilica sacellum ipsius nomini consecratum, non ea quidem magnificentia quam videre nunc est, sed tamen decens, amplum, & loci dignitate post aram maximam primum; visum Mutio Generali, non ultra relinquendum in loco non suo pretiosum pignus, sed ad proprium altare exportandum. Diem ergo translationi faciendæ statuit pridie Cal. Martias, antequam in sanctorum numerum referretur, duodecimam. Prius tamen quam ad sacellum transferretur, placuit sacrum corpus eruere ex loculo plumbeo, ubi annos jam triginta quinque custodiebatur, atque illud in arca marmorea decentius posthac custodiendum reponere. Illatus est ea die loculus in privatam Præpositi Generalis bibliothecam, clam omnibus, præter quam Mutio ipso, Patribus Assistentibus, & Secretario Societatis Francisco Sacchino, quem habeo hujus narrationis auctorem. Reducto operculo, pauca ex ossibus integra sunt inventa. Pleraque, seu vitio loci, sive aquarum affluxu emollita, ac pene colliquefacta, in quamdam coaluerant massam recenti calci haud absimilem. Intermixtæ cernebantur laciniæ veli, quod iisdem olim tegendis adhibitum apparebat vetustate computruisse. Aderat separato loco lamella marmorea, litteris inscriptis indicans, quale ibi olim corpus fuisset conditum. Repertus etiam in extremo loculi repositus cumulus pulveris, ex ligno carie consumpto decidui, cum ejusdem materiæ frustulis: haud dubie residuum arcæ ligneæ, ex qua translatum fuerat beati viri corpus in plumbeam, anno præterlapsi sæculi octogesimo septimo. Mutius beati parentis reliquias pie veneratus, suis ipse manibus quidquid ossium erat collegit, & in sinum urnæ marmoreæ composuit. Lacinias veli, & lamellam sepositi sibi, ut haberet quod largiretur nobilibus, & religiosis viris, Ignatii lipsana certatim flagitantibus. Quod reliquum erat ex ligno & pulvere, arculæ cupressinæ inclusum est. Urna liquato plumbo, arcula confixis clavis obserata. His silentio noctis peractis, vocantur campanulæ pulsu omnes domestici, pia supplicatio in templum indicitur. Præibat longo ordine religiosum agmen, singulis ardentem manu facem gestantibus, & sacros inter eundum hymnos alternis decurrentibus. Urnam tria Sacerdotum paria suppositis humeris deferebant. Ut ventum ad aram Ignatii, depositum tantisper est super eam ferculum ad venerationem familiæ in genua provolutæ, & sui parentis reliquias exosculari gestientis. Cui pietati ut factum est satis, in cavo altaris apte jam præparato collocantur simul, tum urna ex mar-

7. Corpus Sancti Ignatii ex arca plumbea transfertur in marmoream.

8. Et sub altari proprio collocatur.

Digitized by Google

marmore, tum cupreſſina de qua dicebamus arcula, & foramen muro inædificato occluditur.

Rem alteram eodem anno Roma confectam vidit, quæ Societati accidit perhonorifica. Ante annos quatuordecim Claudius collegii Græcorum adminiſtrationem magis neceſſario, quam ſponte dimiſerat, impellente Protectore collegii ejuſdem Benedicto Juſtiniano Cardinali, qui cum eſſet a Societate alienior, effecerat ut nec honeſte retineri, nec utiliter poſſet. Omnino id agere videbatur de induſtria Juſtinianus, ut noſtri moleſtiarum impatientia locum deſererent. Non modo alumnis ad ſe quacunque cauſa confugientibus aures atque animos dabat, verum etiam in mores Patrum per ipſos inquirebat. Quæ illis Patres conceſſiſſent vetabat, quæ vetaſſent concedebat. Quibus rebus & moderatorum exiſtimationem apud adoleſcentes imminuebat, & in exigenda diſciplina auctoritatem plurimum debilitabat. Præterea œconomum totius rei domeſticæ diſpenſatorem collegio impoſuerat, cujus injuſſu ne Rectori quidem facultas eſſet vel minimi ſumptus faciendi. Erat autem œconomi procacitas intolerabilis. Sæpe domeſticas reviſens officinas, rationes omnium quæ in quotidianos uſus inſumebantur ita exigebat a noſtris, ut vix quiſquam paterfamilias a viliſſimis ſervulorum exigeret. Sæpe miniſtrorum, ſæpe rectoris ipſius officia turbabat. Ob eas res Claudius, videns collegii gubernationem in dies difficiliorem fieri, & meliora deſperans, cum bona Pontificis venia abduxerat ex illa domo ſocios, & curam, quam retinere ſalva dignitate non poterat, omnino abdicaverat. Noſtris ſubſtituti pariter fuerant Patres ordinis Prædicatorum, & Congregationis de Somaſcha; ſed curis inter ſe ita diſtributis, ut hi alumnos regerent, illi docerent. Quarto poſt anno, Somaſchis ſuo abſolutis munere, ſoli manſerunt in collegio Patres Dominicani, & uſque ad annum proxime evolutum, quamdiu vixit Juſtinianus, utrumque munus geſſerunt. At vix ille e vivis ſublatus fuerat, imo animam trahebat adhuc in nulla vitæ ſpe, cum præcipui degentium in urbe Græcorum omnem movere lapidem cœperunt, ut popularium ſuorum ſeminarium rediret ad Societatem. Id urgebat ſupra cæteros Matthæus Carofilus Archiepiſcopus Iconienſis, qui & diſciplinam Societatis memoria retineret, & collegium a priſtino ſuo ſtatu ſenſim defluxiſſe diceret. Idem haud paulo vehementius cupiebat Cardinalis Ludoviſius. Sed quamquam apud eum ſumma hujus rei poteſtas eſſet, cunctabatur tamen reſpectu Venetorum, qui forte ægre ferrent, adoleſcentes magnam partem ſibi patriæ jure ſubjectos tradi in diſciplinam ejus ordinis, quem olim ob cauſas aliunde notas ejectum e ſuis finibus, nondum in gratiam recepiſſent. Placuit proinde initio rectorem collegio imponere unum quemdam e populo Sacerdotem, nulli religioſorum ordini addictum, dimiſſis Dominicanis, qui, quantum audivi, procurationem illam non inviti depoſuerunt. At poſt aliquot menſes, urgentibus Cardinalibus Maphæo Barberino, & Marco Antonio Gozadino collegii Protectoribus, revocata eſt in contubernium Græcorum Societas, eique plena atque integra, cum diſciplinæ, tum rei domeſticæ adminiſtratio commiſſa. Per hanc occaſionem eluxit Barberini erga nos benevolentia. Nam cum Mutius novum collegii rectorem renunciaſſet Patrem Eudoemonjoannem, hunc ipſe Cardinalis III. Cal. Novembris in magiſtratus poſſeſſionem induxit. Et commodum accidit anno proxime conſecuto, ut Pontifex maximus crearetur ſub nomine Urbani VIII. idem Barberinus: qui memor quid antea in eo negotio ſenſiſſet, non ſolum ſententiam ſuam priſtinam confirmavit, verum etiam leges prudentiæ plenas collegio Græcorum dedit, & Societatis Præpoſito Generali tantundem in eo tribuit juris, quantum habet in cæteris diverſarum gentium ſeminariis, quæ Romæ cura Societatis adminiſtrantur. Sed ad acta hujus anni redeamus.

9. Collegii Græcorum adminiſtratio a noſtris dimiſſa.

10. Societati redditur cum magno honore.

Dictum a nobis eſt alibi, quanta pietatis laude floreret in urbe Roma ſodalitium oratorii, quod a Patre Gravita vulgus appellat. Charitatem ipſius, & benefaciendi ſtudium hoc anno ſpectare præſertim licuit. Romam venerat manus ho-

11. Charitas peregrinis impenſa a ſodalitio Patris Gravitæ.

Digitized by Google

hominum fere ducentorum, qui olim a Turcis Poloniæ fines incursantibus capti, & catenis onusti, perdiu remiges egerant in una barbarorum triremi. Ut facta conspiratione triremi feliciter potiti, ut eadem ad fugam usi fuerint, ut demum ad oram tyrrheni maris appulerint liberi, longum esset exponere. Quod ad rem pertinet, urbem subierunt squalidi, seminudi, rerum omnium egentes, & adhuc retinentes diræ captivitatis notas. Miseris primo triduo cuncta liberaliter suppeditata fuerunt in communi xenodochio apud sanctissimæ Trinitatis; hanc enim benignitatem impendit regina urbium peregrinis omnium gentium, qui huc ex omni terrarum plaga perpetuo commeant. At triduo exacto, nihil certi habentes quo viverent, cogebantur stipem mendicare ostiatim, nisi aliunde subsidium affuisset. Affuit a piis oratorii, de quo dicebam, sodalibus, qui & hospitium illis, & alimenta, & nonnihil pecuniæ ad plures dies de suo præbuerunt. Eo non contentus P. Petrus Gravita, dedit operam ut æternæ quoque vitæ subsidia, quibus multo magis indigebant, abunde acciperent. Rutheni cum essent plerique de secta schismaticorum, ut in catholico dogmate diligenter erudirentur, curavit; nec vero frustra. Prodiere e collegio Romano juvenes aliquot ejusdem gentis & linguæ, perrexeruntque assiduo multorum dierum labore rudes homines instituere, donec omnes ad unum catholicam religionem professi sunt, ac piaculari confessione purgati, in sacello ipso sodalitii sacram synaxim catholico ritu celebraverunt. Bis hoc tempore ab æde oratorii ad basilicam S. Petri processere supplicantium ritu, Deiparæ interea Litanias lingua patria concinentes: quæ res tanto acta est concursu ac motu populi Romani, ut quacunque illi incederent, ægre sodales, qui pium agmen deducebant, sufficerent submovendæ multitudini, accipiendisque pecuniis, quæ in ipsorum subsidium offerebantur. Cum demum satis commorati viderentur in urbe sancta, curæ fuit Gravitæ ut discessus ipse hominum spectaculo esset non jucundo minus, quam pio. Abierunt bini longo ordine, beatæ Virginis rosarium ore ac manibus decurrentes. Ut extra portam Flaminiam ventum est ad villam, quam Julii Pontificis vocant, Gravita jussos discumbere paratis excepit epulis, quas oratorii sodales ministraverunt. Postremo vestibus pecuniaque donavit singulos, interque amplexus sodalium fausta illis omnia comprecantium, lætos, ac præ mentis dulcedine collacrymantes in suam patriam dimisit. Laudavit vehementer Roma tam illustria christianæ benignitatis officia, laudavit post eorum reditum Polonia universa. Ipse Rex Sigismundus misericordiam suis impensam civibus Romæ cum magno verborum honore commendavit, fueruntque ex regni proceribus qui ea de re sodalibus oratorii gratias officiosissimis litteris persolverunt.

12. Idem ex schismaticis fiunt catholici.

13. Ut demum in suam patriam dimissi fuerint,

Ante exitum ejusdem anni novum provincia Romana collegium habere cœpit Viterbii, quæ urbs cum aliunde famam & celebritatem habet, tum ex eo præsertim, quod caput est amplæ provinciæ, quæ patrimonium S. Petri dicitur. Fundandum decreverat anno superiore civitas, constitutis pro censu annuo aureis mille, tamdiu de publico persolvendis, donec aliunde sua collegio dos pararetur. Nonnulla tamen acciderunt initio, quibus offensi cives parum abfuit quin ab incepto desisterent. Nam cum Viterbium ad jus domicilii capiendum veniissent PP. Philippus Rinaldus, & Paulus Casatus, quia non statim litterarium ludum, quippe adhuc in angustis ædibus habitantes, aperuerunt, multi obloquebantur palam, negantes alia vocatam fuisse causa Societatem, quam ut teneram ætatem litteris ac pietate erudiret. Nec deerant qui, quod pacti fuerant de pensione, rescindendum putarent. At evenit hic quoque, quod vix non semper Societas experta est in novorum erectione domiciliorum, ut ex amaris odiorum radicibus dulciores exorirentur fructus benevolentiæ. Invento apto ad habitandum loco, & ad usum præsentis temporis accommodato, duo aperti sunt ludi latinitatis Sextili mense exeunte. Quo facto ita reconciliati sunt civium animi, ut appareret præteritam offensionem non aliunde ortum habuisse, quam ab opinione, quæ magna apud eos de nostris

14. Fundatur collegium Viterbii.

scho-

Digitized by Google

ſcholis erat. Cætera deinde proſpero curſu fluxerunt, Acceſſit quadriennio poſt Scipionis Cardinalis Cobellutii inſignis beneficentia. Vir enim indidem civis, & noſtri nominis ſtudioſus in paucis, ut patriæ ſimul, & Societati gratificaretur, novum collegium teſtamento hæredem fecit. Qua hæreditate, præter annuum pecuniæ vectigal, pervenit ad Patres Viterbienſes bibliotheca libris optimis referta: ſupellex in religioſis domibus maxime neceſſaria, & magno, ſi recte æſtimetur, in pretio habenda. Eum propterea Cardinalem exinde collegium Viterbienſe tanquam parentem, & conditorem ſuum habuit.

15. Fundatoris titulum refert Scipio Cardinalis Cobellutius.

Multo operoſior fuit extructio collegii, quod eodem anno Neapoli fundatum eſt ſub titulo S. Franciſci Xaverii. Rem ſatis longam & ſalebroſam ego ſummatim expediam. Ante annos amplius viginti conflatum Neapoli fuerat ex Hiſpanis celebre ſodalitium a ſacroſancto altaris myſterio nuncupatum, ut homines ejuſdem gentis haberent in eo perpetua quædam, & opportuna præſidia ad ſalutem corporis animæque. Auctor ſodalitii vel unicus, vel certe præcipuus fuerat noſter Innicus de Mendoza, ex provincia Toletana traductus Neapolim, quia tunc Alvarus de Mendoza ipſius pater præfecturam obtinebat arcis Neapolitanæ, quam caſtrum novum appellant. Hinc ſodales originem ſuam referentes ad Societatem, inter cæteras ſodalitii leges ſanxerant, ut ex eadem Societate perpetuo acciperent Sacerdotem, quo præſide, & ſacrorum miniſtro uterentur. Porro ad celebrandos ſtatis temporibus ſodalitii conventus, ſacellum neſcio quod ſibi elegerant apud S. Jacobi, quod eſt inſigne Neapoli Hiſpanorum noſocomium. Hæc ſedes perdiu cum placuiſſet ſodalibus, diſplicere cœpit ſub finem anni præteriti. Conveniunt, ac re in communi deliberata, novam ſibi parare domum ſtatuunt ad forum arcis, prope ædes regias: ſeu quod commodior eſſet locus, ſeu quod Hiſpanis frequentior. Illud ſimul decernunt, ut in nova domo tres quatuorve conſtituantur operarii Societatis, tum ad curam ſodalitii, tum ad Hiſpanorum, qui frequentiſſimi in vicinia habitabant, utilitatem & commodum. His ita decretis, ſtatim ære ſodalitii coemptæ ſunt opportuno in ſitu novæ ædes, parabantque jam noſtri in illas, uti rogabantur, immigrare: cum ex adverſo tam multa, tam ardua conſurrexere, ut res prope confecta, nunquam plane conficienda videretur. Obſtabat primo Prorex Antonius Zapata Cardinalis, deinde Archiepiſcopus Decius Cardinalis Caraſa, poſtremo aliqui ex ipſis Hiſpanis, qui novi conſilii auctores fuerant. Omnes, quantum ferebatur, non tam ex intimo ipſorum ſenſu, quam nonnullorum cœnobitarum ſermonibus incitati, quibus nova Societatis ſedes, eaque in proximo, ægre faciebat. Verum omnia ſuperavit feliciter P. Mendoza ſodalitii caput, adnitente P. Carolo Sangro Præpoſito Provinciali. In expugnando prorege non multum negotii fuit. Edoctus enim, non quæſtum a nobis in ea re, ut malevoli criminabantur, ſed animarum ſalutem quæri, adeo mutavit ſententiam, ut etiam lætari ſe diceret, initia operis tam ſalutaris in tempus ſuæ adminiſtrationis incurrere. Non ita facile flecti potuit præoccupatus falſis opinionibus animus Archiepiſcopi. Tamen hic etiam denique, partim Nuncii Pontificii interventu (erat is Joannes Baptiſta Panfilius, poſtea Pontifex Innocentius X.), partim auctoritate & litteris Cardinalis Ludoviſii, poſt longas & acres altercationes, agnovit jus Societatis, & vim prius intentatam abſtinuit. Quo medio tempore, quia adverſarii ad negotium intervertendum legem obtrudebant Clementis VIII., qua lege vetantur religioſi mendicantes nova quocunque in loco domicilia erigere, niſi conſenſerint aliæ ejuſdem loci familiæ religioſæ, venere a Gregorio XV. litteræ, ut ajunt, in forma brevis, quibus ab ea lege excipiebantur domicilia Societatis, quæ certo ac proprio cenſu ſuſtentantur. Diſjectis in hunc modum primis obicibus, alter reſtabat ab Hiſpanis ſane paucis, qui a cæteris diſſidentes, retinendam contendebant priorem ſodalitii ſedem ad S. Jacobi, Hos adeo non licuit a ſententia dimovere, ut Sangrus Provincialis non aliam invenerit litis præcidendæ viam, quam ut perſolutum a ſodalitio pretium pro nova domo, eidem redderetur, domum vero ipſam Societas ſuam fa-

16. Res Neapolitanæ. Ut inchoatum fuerit collegium S. Xaverii Neapoli.

17. Difficultates ad illud diſturbandum exortæ.

18. Loco collegis fit ſimplex reſidentia.

Digitized by Google

faceret. Ita prorſus fieri placuit. Domum B. Xaverii titulo inſignitam poſſedit exinde collegium Neapolitanum emptionis jure: ſodales vero Hiſpani ad ſedem priſtinam S. Jacobi redierunt. Rebus ita compoſitis, omnique ſublato obice, in ædes Xaverianas familia paucorum capitum fuit inducta, quam utpote ſibi obnoxiam collegium Neapolitanum ſuſtentabat. At novæ ſtationis extitere quamprimum tam uberes ac læti fructus, ut ejus utilitatem æqui pariter iniquique faterentur. Primo anno adoleſcentes in ſchola cenſebantur ultra centum. Eccleſia mirifice frequentabatur, cum ab omni vicinia, tum a militibus præſidiariis maxime. Audiendis per dies feſtos pœnitentibus tres quatuorve Sacerdotes vix erant pares. Omnino magna in publicum utilitas promanabat. Jam ergo de his edocta Iſabella Gironda, nobilis cum primis & pia femina, ſortem pecuniæ non contemnendam obtulit, ut ex ſtatione Xaveriana collegium fieret. Majorem paulo poſt ſummam in eundem uſum attribuit Elvira de Monte nigro, mulier hæc etiam nobilitatis & pietatis laude plurimum florens. Utriuſque tamen liberalitatem ita ſuperavit Catharina de la Cerda Comitiſſa de Lemos, ut demum anno ejuſdem ſæculi vigeſimo ſeptimo fundati collegii titulum abſtulerit. Nam cum vir ejus Comes Lemoſius regnum Neapolitanum adminiſtraret eo tempore, cum ſodalitii, de quo ſupra dictum eſt, fundamenta fuerunt jacta, ut probaverat ipſa tunc majorem in modum illam inſtitutionem, ita multo magis nunc probabat inſtitutionem collegii, quod populo Neapolitano primum, tum ſuis etiam Hiſpanis magnas afferre commoditates intelligebat: atque inde mota eſt ut ſummam pecuniæ non exiguam, quam habebat Neapoli ſepoſitam, operi perficiendo tranſcriberet. Quibus ſubſidiis brevi Xaverianum domicilium ad juſti collegii magnitudinem adolevit.

19. Quæ mox convertitur in collegium.

Hoc interea anno aliud inchoari collegium placuit in ſuburbio celebri ejuſdem urbis, quod Chiajam vocant. Cœperat ibi a noſtris excoli genus rude ac frequens piſcatorum. Cum ad audiendum divinum verbum cives quoque non inculti convenirent, viſum eſt eo in loco collegium inſtitui poſſe ſub invocatione S. Joſephi. Ædes in hunc uſum tradidit ſtatim, ſortem idoneam partim tradidit, partim promiſit Julius Cæſar Guadagnus, honeſtus ex ordine ſcribarum civis, quem propterea Mutius Chiajenſis collegii fundatorem uſitato diplomate appellavit. Verum haud multo poſt accidit, ut fundator repentina rerum converſione fortunis fere omnibus everſus, ad ſummum inopiæ redigeretur. Re cognita, Mutius æquum cenſuit, ut illi ſua beneficia Societas, ac viciſſim ille Societati acceptos ab ea titulos reſignaret. Sed non propterea collegium eſt diſſolutum. Simul ac Guadagnus fundatoris titulo ſe abdicavit, ſucceſſit in ejus locum P. Scipio Coſſus, qui cum haud ita pridem ex opulenta familia trangreſſus eſſet in Societatem, patrimonium ſuum collegio eidem ſtabiliendo addixit. Coſſi beneficentiæ ac liberalitati libet opponere vecordiam alterius, cujus tamen nomini juſtis de cauſis parcimus. Is ante aliquot annos mira precum aſſiduitate, multiſque conſtantiæ documentis pervicerat, ut in Societatem vel invitis parentibus reciperetur. Adſcriptus inter tirones, ſtudio religioſæ perfectionis eminuerat. Manſerat idem ardor litteris operanti. Quin hoc medio tempore parentem cum amiſiſſet, ejuſque hæreditatem creviſſet, prædium ſatis amplum, relicti patrimonii caput, ultro collegio Neapolitano donaverat. Cum ſubito viſus de contentione diſciplinæ haud parum remittere. Captare quæcunque poſſet commoda, nugando tempus conterere, non ſilentii, non modeſtiæ leges cuſtodire. Poſtremo, neſcio quas obortas ſibi religiones obtendens, ſcribit ad Præpoſitum Generalem, ſibi ut prædii donationem remittat, quam rebus non bene perſpectis ajebat, ac parum prudenter factam. Id cum haud ægre impetraſſet, ſtatim per alias litteras miſſionem petit, & adeo quidem enixe, ac pervicaciter, ut invitum retinere viſum non ſit. Solutus ergo eſt voti religione. At vix annum vixerat apud ſe, cum pœnas turpiter facti perſolvit. Quadam hujus anni die, dum ſuum illud prædium inviſit, jurgari cœpit cum vicino propter duos ſtipites, quos ſibi furto ſublatos contendebat. Ille verborum

20. Collegium S. Joſephi inchoatur Neapoli.

21. Infelix exitus juvenis a Societate dilapſi.

Digitized by Google

rum contumeliam non ferens, tormento quod apud ſe habebat exprompto, jurgantem in ipſo loco trajecit glande plumbea, ex quo vulnere miſer paucis diebus interiit.

22. Acta ſociorum Neapoli in magna annonæ caritate.

Per hæc noſtris rei bene gerendæ materiam amplam exhibuit dira calamitas urbis Neapolitanæ. Civitatem premebat ſumma annonæ caritas, non tam anni ſterilitate, quam incuria magiſtratuum, qui ſerius quam oportuit convehendum curaverant triticum ex Apulia. Malo remedium præſens non inveniebatur. Clauſo enim tempeſtatibus mari, corruptiſque aſſiduitate imbrium terreſtribus itineribus, annona jam inferri non poterat ea copia, quam populus frequentiſſimus abſumebat. Audiebantur propterea vulgi minaces voces, ac turbulentæ. Omnia ad ſeditionem ſpectabant. Re ipſa proletarii, quadam die Cardinalem Proregem magno agmine inſecuti, parum abfuit quin in ſuo ſedentem curru lapidibus opprimerent. In hoc ſtatu rerum ſane difficili Patres, ad avertendas cœleſtes iras, propulſandumque periculum civitatis, ſupplicationem publicam indixere. Supplicationi interfuere quotquot erant de Societate Neapoli, cum ſodalitatibus ad domicilia ſingula pertinentibus. Interfuit civitas propemodum univerſa, omneſque uno agmine civium ordines proceſſere ſub ſuis ſignis, ſublimem præferente crucem Præpoſito Provinciali Carolo Sangro. Inter eundum, aliqui nudatos humeros flagris diverberabant, omnes ſanctorum invocationes cantu ſupplici decurrebant. Deducta eſt multitudo ex æde Profeſſorum ad primariam urbis baſilicam: ubi cum ſederet in throno pontificali Archiepiſcopus Cardinalis, ejus rogatu P. Carolus Maſtrillus orator acer ac vehemens, ad concionem progreſſus, brevi, ſed apta oratione ita peroravit, ut gemitus, & clamores ingentes excitaverit. Nondum hæc agi deſierant, cum civitas fructum cepit pietatis ſuæ, ac tanto quidem gratiorem, quanto minus expectatum. Nam cum priore nocte uſque ad meridiem pluvia large inundaſſet, eo nihilominus ipſo die frumentatores magnam tritici vim in urbem invexerunt. Hoc vero magis viſum Patribus novos addere populo ſtimulos, ut inſiſteret precibus, & iram Numinis propitiare pergeret. Decernitur, ut per aliquot continenter dies in æde Profeſſorum publice proponatur ſacra hoſtia: ut ante illam noſtri aſſidue venerabundi conſiſtant: ut mittantur per compita concionatores, qui plebem male feriatam ad orandum contrahant. Et quia precibus magnum momentum addunt eleemoſinæ cum jejunio conjunctæ, ſummo quoque ſociorum conſenſu acceptum eſt conſilium Præpoſiti Provincialis, ut donec laxaretur annona, noſtris aliquid de quotidiano victu in communi detraheretur, quo egeſtati pauperum ſubveniri largius poſſet. Hæc ſub anni initium acta, pie creditum eſt, civitati plurimum profuiſſe. At paulo poſt nuncius de Ignatio Xaverioque cœleſtium cultu donatis mœrorem præteritæ calamitatis omnino deterſit. Aliæ indicuntur ſtatim ſupplicationes, alia eduntur ſpectacula; non mœroris tamen, ſed gratulationis & lætitiæ plena. Delatæ ſunt per urbem Divorum effigies ea pompa, cui nihil neque ad ſplendorem, neque ad pietatem addi poterat: certante cum populo nobilitate, cunctiſque in id civium ordinibus conſpirantibus, ut celebritatem facerent quam ornatiſſimam. Pari ferme ſtudio in reliquis regni urbibus novi ſanctorum honores celebrati fuerunt. Verum Aquilæ in Veſtinis atrox eventus lætitiam publicam diſturbavit, & in tragœdiam vertit. Convenerat cuncta nobilitas, ut Beatorum ſigna in triumphali curru conſtituta equeſtri pompa circumduceret per celebriores urbis vias. Pompæ curam ordinandæ ſuſceperat Joannes Aloyſius Pica, vir, cum generis claritate, tum prudentiæ fama ſuæ civitatis facile princeps. Et jam ex ejus præſcripto equites in ordines diſtributi ingredi cœperant. Dum magiſtri partes exequitur accurate Pica, dum hunc veluti pro imperio admonet ut acceleret, illum ut contineat gradum; monentem unus quidam reſponſo repulit contumaci, ac poſt aliqua ultro citroque aſperius dicta, ferro appetiit. Eum Pica diſtricto ferro ſtrenue repellebat. Ecce autem in Picam impetum faciunt alii duo: quibus impar cum eſſet unus, gravi accepto vulnere, ex equo pro-

23. Lætitiæ ſigna ob Ignatium & Xaverium Sanctorum cultu donatos.

24. Atrox eventus in urbe Aquila.

la-

Digitized by Google

lapſus eſt, illatuſque continuo in proximam collegii ædem, inter manus noſtrorum expiatis conſcientiæ maculis expiravit. Ob talis viri tam acerbum interitum, cuncta ſigna lætitiæ ſunt intermiſſa. Noſtris vero caſum per ſe ſatis gravem, graviorem fecit occaſio.

25. Mors & elogium P. Guillelmi Leveſquii.

At enim graviſſima in primis, ac multum detrimentoſa provinciæ acciderunt domeſtica quædam funera, de quibus aliquid curſim hoc loco attingendum. Præcipuo elatus eſt luctu in domo Profeſſorum Neapolitana P. Guillelmus Leveſquius, gente Normandus. Is olim ex Gallia non migraſſet Conſtantinopolim, dubium eſt utrum utiliora in ea miſſione geſſerit inter Chriſtianos, an atrociora a Mahometanis fuerit paſſus. Præter alia crudeliter in eum, & inhumaniter facta, conſtat exitiale illi toxicum a barbaris propinatum fuiſſe. Inde moleſtam contraxit paralyſim, qua miſſionem laborioſiſſimam abrumpere coactus eſt. Delatus Neapolim, ibi reliquam vitam poſuit, minore quidem ſuo incommodo, ſed non minore proximorum utilitate, cui potiſſimum in tribunali pœnitentiæ ſerviit uſque ad extremum. Vir quippe magna opinione ſanctitatis, atque prudentiæ, multorum conſcientias moderabatur, ac totos ſæpe dies audiendis confeſſionibus tranſigebat. Modeſtiam ipſius, charitatemque mirari nemo ſatis poterat. Venerationem homini conciliabant morborum curationes, quas identidem ſupra naturæ ordinem faciebat: in quibus tamen illum adhibere liquorem ſolebat, qui e ſacris oſſibus S. Nicolai Barienſis ſcatet. Vulgo ferebatur mortuos aliquot ad vitam revocaſſe, atque unum nominatim Muſſiponti in Lotharingia, quod narratum videas licet in vita S. Nicolai per P. Antonium Beatillum ſcripta. Sed Leveſquii præſertim celebrabantur crebra vaticinia, prædictioneſque propheticæ, quas eventus nunquam fefellit. Ut alia in hoc genere prætream, cum ante annos quatuor de ſuo ipſe obitu ſermonem intuliſſet, eo prorſus die ſe moriturum dixit, qui dies inuſitatam, ac porro ſummam Societati lætitiam eſſet allaturus. Alias ſe quidem, inquit, nihil cupere avidius, quam ut B. P. Ignatium videret inter ſanctos adſcriptum: ſed non viſurum niſi de cœlo: tunc autem viſurum, uti ſperabat, cum maxime hæc lætitia inter cœlites ageretur: tunc ſe novi acceſſionem honoris optimo parenti ſuo coram gratulaturum. Hæc ſæpius, nec obſcure dicta exitus affirmavit adeo exacte, ut quo prorſus die, ac forte ipſiſſima hora, qua Ignatius Romæ Pontificis maximi voce Sanctus appellabatur, ipſe Neapoli expiraverit. Oblit igitur IV. Idus Martias, annum agens ætatis ſexageſimum quintum, ab inita Societate trigeſimum ſecundum.

26. Mors & elogium P. Claudii Seripandi.

Leveſquium ſecuti ſunt Patres Claudius Seripandus, & Franciſcus Maſtrillus, viri illi etiam excellenti virtute, & annalium memoria digniſſimi. Seripandus ortus prænobili ſtirpe, ac paternorum oppidorum in Samnio & Salentinis hæres, blandam ſæculi felicitatem aſpexit tanquam infidum & æſtuoſum mare, in quo multi miſerum ſalutis æternæ naufragium faciunt. Portum itaque quæſivit in Societate, ac Neapolim, ubi tirocinium poneret, recta contendit, inſciis parentibus. Neapolitanus Provincialis, haud ignarus quanta ob eam rem tempeſtas eſſet excitanda, filium parentibus, licet contra pugnantem & obteſtantem, reddidit ad dies quindecim, tentandum atque explorandum; ea tamen lege, ne durius eum acciperent, neve alio quopiam amandarent. Ubi adoleſcens in parentum fuit poteſtate, nihil ab his omiſſum ut mentem teneram averterent. Eam diu noctuque quatere non ceſſarunt, adeo ut ad mediam uſque noctem procella ſæpe non intermiſſa deſæviret. Cum nihil neque precibus, neque lacrymis impetraretur a fortiſſimo adoleſcente, includitur in cubiculum ſine lumine, ſine lecto, ſine cibo: detrahuntur miſello veſtes: certa mors, aut æternus carcer denunciatur. Lætus beata ſorte Claudius Deo ingentes agebat gratias, quod talia ipſius cauſa pateretur. At poſt paulo effugium opera fratris nactus, evolat in domum probationis denuo, utque iterum recipiatur impetrat. Sic procella ſuperata, in optato portu placide conquievit. Provincialis enim de parentibus modeſte conqueſtus, quod contra conditio-

Digitized by Google

tiones acceptas filium tam male habuiſſent, evicit ad extremum ne diutius piis ejus votis obſiſterent. Ab his initiis profecta P. Claudii Seripandi virtus majora in dies incrementa cepit. Ingenium, quo valebat acerrimo, eruditione tam multa, tam varia perpolivit, ut quidquid legiſſet aliquando, id in promptu haberet, ac velut in numerato. Italiæ urbes ampliſſimas frugiferis concionibus erudivit. Panormi, & Neapoli ſacras litteras diu explanavit, quodque docebat verbo, re præſtabat. Aſſiduum & internecinum gerebat ſecum ipſe bellum, neque arma religioſæ mortificationis, flagellum, tunicam cilicinam, jejunium, unquam deponebat. Sabbatis ſingulis, & pridie feſtorum B. Virginis, nihil fere ſumebat cibi, fruſto panis, & aquæ ſcypho ſub veſperam contentus. Obiit Neapoli eadem ſanctitatis opinione qua vixerat, IV. Nonas Novembris. P. Franciſcus Maſtrillus claris ortus natalibus Nolæ, & liberaliter educatus, poſt exactam cum innocentiæ laude adoleſcentiam, Romæ publicam tractabat rem, magna apud omnes fama integritatis, & pari apud Clementem VIII. Pontificem gratia: cum pertæſus rerum humanarum Societatem elegit, ubi ſe totum divino obſequio devoveret. Qua mente ad nos venit, eadem perſtitit uſque ad obitum. Indicam peregrinationem initio flagitaverat. Ejus obtinendæ ſpe dejectus, labores Indicis pares exantlavit Neapoli, perrexitque uſque ad extremum ſpiritum opus evangelicum facere, licet valetudine parum firma. Ille pauperibus in tribunali pœnitentiæ quotidie adeſſe, ille apud virgines Deo ſacras ſæpiſſime concionari, ille ſemel intra hebdomadam fidei rudimentis imbuere plebeculam infimam: atque interim celebri præeſſe ſodalitio, quod Neapoli ad augendum cultum Euchariſtiæ S. Parens Ignatius inſtituit. Acerbiſſimis podagræ doloribus diu cruciatus, moleſtiam ut plurimum occultabat ſilentio; niſi quod interdum audiebatur, cum ultro ſe Deo feriendum offerret in hac vita, ne feriretur in altera. Ad extrema deductus, adeo non timuit mori, ut imo mortis nuncium gratulabundus exceperit, ſeque beatum dixerit, cui liceret in ſtatu religionis vitam claudere. Adſtabat lectulo germanus ejus frater fletu madidus. Flentem conſpicatus Franciſcus, bono eſſe animo juſſit, monuitque ne gaudium migrationis ſuæ lacrymis funeſtaret. Fuerat in omni vita B. Virginis cliens & cultor eximius. Ejuſdem moriens aſpectum optabat flagrantiſſime, in eaque expectatione noviſſimum agonem ingreſſus, animam Deo reddidit pridie Cal. Julii. Tribus, quos hactenus laudavi, Patribus merito eſt accenſendus P. Philippus Firraus Coſentinus, de quo multa ſunt in litteris provinciæ Neapolitanæ. Celebratur potiſſimum ejus adhuc adoleſcentis generoſa & excelſa mens, qua opulentum patrimonium fratri natu minori tranſcripſit, ut paupertatem evangelicam ſectaretur in Societate. Cunctis apud nos claruit virtutibus, ſed miro præſertim ſtudio erga Virginem Beatiſſimam, præter quam nihil amare, cogitare, loqui videbatur. Illum propterea moderatores Lauretum tranſmiſerant, futurum inter celeberrimi illius templi adminiſtros audiendis peregrinorum confeſſionibus deſtinatos, victurumque ibi jucundiſſime, quippe prope ædem olim Deiparæ hoſpitio conſecratam. At poſt menſes viginti circiter, omnes miniſterii ſacri partes egregie implentem Virgo beatiſſima ex domo ſua terrena ad cœleſtem, ut opinari fas eſt, evocavit v. Cal Januarias, cum annum vitæ decurreret quadrageſimum octavum.

27. Mors & elogium P. Franciſci Maſtrilli.

28. Mors & elogium P. Philippi Firrai.

Jacturam quoque non levem fecit provincia Sicula in P. Cæſare Coſſo Meſſanenſi, in quo uno exemplar omnium fere virtutum amiſſum eſt. Ex juriſprudentiæ palæſtra, in qua magna cum laude verſabatur, venerat in Societatem Coſſus natu jam grandior, relicto honorum curſu, & ſpe ingentium opum abrupta. Qualis ab ipſo tirocinio prodiret, vel inde colligi ſatis poteſt, quod biennio poſt, homo adhuc a ſæculo recens, tironibus inſtituendis fuit admotus, graviſſimumque illud munus ita geſſit, ut partam de ſe opinionem multis partibus ſuperaret. Ad alias deinde præfecturas traductus eſt, in quibus cum prudentiam probaret ſuam, & eximia quadam gubernandi ſcientia commendaretur, hujus rei gratia Aquaviva Generalis dignum duxit, quem ad

29. Res Siciliæ. Obitus & elogium P. Cæſaris Coſſi.

Digitized by Google

profeſſionem quatuor votorum admitteret. Duo præcipue Coſſus ſibi curanda ſtatuerat in imperio. Alterum, ut in cuſtodia domeſticæ diſciplinæ præiret exemplo omnibus. Alterum, ut ſuos ſola duceret charitate, eorumque proſpiceret, non modo incolumitati, verum etiam, quantum fas eſſet, commodis, & quieti: poteſtatis vero gladium vagina nunquam educeret, niſi coactus. Senſerat, unum quemdam ex fratribus rei domeſticæ adjutoribus minus inſtructum eſſe ab interioribus indumentis. Induſium ipſe ſibi detraxit, ut eum tegeret. Erga ſe uſque ad ſævitiem auſterus, ſomnum carpebat admodum brevem, ferreo flagro corpus quotidie cruentabat, cibo veſcebatur parciſſimo, eoque certis diebus incocto. Tot ſponte ſuſceptis afflictationibus acceſſit incommodum cæcitatis, quam calamitatem toto biennio pertulit, ac tanta quidem oris animique tranquillitate, unum ut doleret, quod abſtinere ſacrificio cogeretur. Sed quia acceptus erat Deo, neceſſe fuit ut illum quoque, quemadmodum olim Tobiam, hæc probaret tentatio, quæ tamen non fuit perpetua: Panniculo enim, qui ſe pupillis offuderat, manu periti reducto, videndi facultatem recepit jam ſenior, & ad immolandi conſuetudinem rediit tanto libentius, quanto illam ægrius intermiſerat. Obiit VII. Idus Novembres, anno ætatis ſeptuageſimo ſexto, poſt initam Societatem trigeſimo ſexto. Vir ſemper laudati nominis, & hoc etiam bene de Societate meritus, quod in ipſo aditu tirocinii domui Profeſſorum Meſſanenſi mille quingentos aureos de ſuo patrimonio donavit. Mortui funus honeſtavit præſentia ſua Senatus, & univerſa nobilitas Meſſanenſis. Virtutes laudatione publica celebratæ ſunt ſuper menſam. Corpus plumbeo incluſum loculo, quod paucorum apud nos eſt, & ſeorſum a cæteris humatum. Multa Coſſi invocato nomine, aut ejus reliquiarum contactu divinitus contigiſſe teſtantur litteræ, in quibus eſt, puellam cæcam, admoto oculis ejus induſio, lucem illico aſpexiſſe.

30. Inſigne beneficium Angeli Tutelaris erga quemdam adoleſcentem Meſſanæ.

Tradunt eædem litteræ de quodam adoleſcente inter Meſſanenſes non ignobili, quem præceps furor in certum interitum rapiebat, niſi miſeratus ejus vicem cœleſtis cuſtos, meliorem illi mentem injeciſſet. Rem per ſe ſcitu dignam, & excitandæ erga tutelares Angelos religioni in primis idoneam, nefas ſilentio tegere. Proceſſerat miſer extra urbem ſolus, & neſcio quibus ſtimulantibus intemperiis, locum quærebat ab hominum aſpectu remotum, ubi vitam & angores uno ictu finiret, deliberatum habens demittere ſe in cuſpidem obverſi enſis, quo procul dubio trajiceretur. Dum properat, ecce tibi ex adverſo occurrit venuſtiſſimæ formæ juvenis, ipſumque placide contuetur. Hæſit aſpectu primo adoleſcens: tum vero maxime, cum ſuo ſe compellari ſenſit nomine, ac moneri ne porro progrederetur. *Quin age*, inquit: *adi mecum in templum Societatis Jeſu. Ibi remedium invenies ægritudini tuæ multo opportunius, quam quod male volutas animo. Fac onera conſcientiæ deponas apud Sacerdotem, & tranquillitatem priſtinam recuperabis.* Hic mirari magis adoleſcens, ac ſecum reputare, unde nam innotuiſſent ignoto juveni ſua conſilia penitiſſimo incluſa ſinu, & nulli mortalium indicata? Divinum aliquid ſubeſſe non dubitans, dat illi ſe comitem viæ, quæ erat ad ædem noſtram expeditiſſima. Toto viæ ſpatio cœleſtis comes de divinis rebus ſermonem conſeruit, ea præſertim ſubjiciens, quæ admiſſorum criminum memoriam & deteſtationem excitarent. Perrexit illi non nihil in aurem demittere tunc etiam, cum in ſacram ædem ventum eſt. Quare Sacerdos, e tribunali pœnitentiæ adoleſcentem conſpicatus quaſi cum aliquo colloquentem, cum præter ipſum appareret nemo, fatuum judicavit. Verum ubi peccata confitentem audivit, totamque edoctus eſt rei uti geſta fuerat ſeriem, non fatuum, ſed felicem plane, fortunatumque appellavit, qui Angeli tutelaris præſenti ope, ac præſidio ſingulari, fuiſſet ex utroque interitu corporis animæque ereptus. Beneficii memorem juſſit eſſe, & impetrata venia divulgandi ad publicam utilitatem facti, lætum dimiſit. Quæ dum agebantur, ne de Angelo dubium eſſet, ignotus ille juvenis repente videri deſierat.

So-

Digitized by Google

31. Res Provinciæ Venetæ. Mors Raynutii Parmæ ducis, ejusque liberalitas in Societatem.

Sociis interea provinciæ Venetæ mœrorem ingentem aſperſit obitus Raynutii Farneſii, Parmæ ac Placentiæ ducis, viri belli ac pacis artibus clariſſimi, in quo noſtri ereptum ſibi patronum fautoremque rerum ſuarum amantiſſimum doluerunt. Farneſiorum Principum notiſſima eſt erga noſtrum ordinem benevolentia. Initio ducto a Paulo III. Pontifice, qui Societati naſcenti dedit ut inter religioſos ordines cenſeretur, diceres in fovenda ornandaque Societate certaſſe homines ejus familiæ omnes. Raynutius, de quo modo loquimur, nulli de ſua gente in hoc ſtudio conceſſit. Quibus documentis ſuam erga nos voluntatem optimus Princeps exprompſerit, longum eſſet per partes exequi. Id, nobis etiam tacentibus, diſerte loquuntur collegium nobilium adoleſcentium, & omnium diſciplinarum academia, quæ duo cum inſtituiſſet Parmæ, eadem curæ noſtrorum commiſſa voluit: primum quidem in univerſum, alterum vero ex parte maxima, ita nimirum ut, exceptis juris & medicinæ magiſtris, reliqui profeſſores peterentur de Societate. His non contentus Princeps munificentiſſimus, teſtamentum hoc anno condens, proventus ab avo ſuo Octavio collegio Parmenſi attributos auxit in tantum, ut alendæ familiæ capitum omnino centum abunde eſſent; nec pro tam inſigni beneficentia aliam impoſuit legem, niſi ut collegii Patribus adderetur certus juvenum numerus ex iis, qui philoſophiæ ac theologiæ ſtudiis operantur. Scio equidem, tam opulentæ doti multum poſt ipſius mortem fuiſſe detractum: verumtamen per eum non ſtetit, ne perpetuo integra ſervaretur. Quid memorem munera vere regia, quibus miſſionem Sinenſem juvit? Quid crebras pecuniarum largitiones aut noſtris, aut noſtrorum deprecatione aliis factas? Vivere deſiit III. Nonas Martii, cum paulo ante ſignaſſet ſyngraphan, qua mille aureos collegio Parmenſi donabat. Hoc actorum ejus noviſſimum fuit: mox enim oppreſſus copia phlegmatis defecit, morte quidem repentina, ſed non improviſa, quippe ſolitus ab annis pluribus conſcientiam quothebdomadis confeſſione purgare, & divina ſumere. Sunt deinde alia benevole erga nos ac benigne facta, ſi res ipſas inſpicias, leviora, ſi animum viri ac dignitatem, haud minus ſpectabilia, quæ non committam ut obblivione deleantur. Illud quantum eſt, quod cum noſtros ad colloquium admittebat, exuere principem quodammodo videbatur: adeo ſe illis facilem ac familiarem præbebat! Sæpe ex ducali ſuo palatio in collegium adventabat quaſi privatus, diemque ſolidum apud noſtros ponebat, illum deinde diem affirmans ſibi ex omnibus fuiſſe jucundiſſimum. Sæpiſſime ex aula in collegium afferebantur xenia, & exquiſitiora quædam edulia, Principis benevoli, ac de nobis perpetuo cogitantis indicia non minus certa, quam grata. Sed inſignis in hoc genere ad memoriam temporum fuit annus ſæculi decimus quartus. Eo anno cum obtinuiſſet Raynutius, ut triennalia provinciæ comitia celebrarentur Parmæ, nullum benignitatis genus adverſus Patres, qui ad ea convenerant, prætermiſit. Præter magnam pecuniæ ſummam ad ipſos alendos collegio miſſam, præter utenſilia illorum in uſus omnia ſuis impenſis parata, templum Societatis, in quo per eos dies conciones ſacræ, aliæque litterariæ exercitationes habendæ erant, inſignibus ex aula ſua periſtromatis ornari juſſit. Prior ipſe, humanitate plane ſingulari, ſalutatum Patres venit in collegium: nec minori honoris ſignificatione excepit venientes ad ſe; Societatis in laudem, deque amore erga illam ſuo multa coram teſtatus, quæ deinde toto congregationis tempore quotidianis ferme beneficiis luculentius oſtendit. Ante quam Parma diſcederent, diem condixit Patribus, quo ſecum omnes in aula epularentur. Cumque eidem convivio adhibendos cenſuiſſet urbis Epiſcopum, & nobiliſſimum inter Romanos dynaſtas virum Appium de Comitibus Poli ducem, ſic accumbere convivas voluit, ut primus poſt Epiſcopum locus occuparetur a Viſitatore, ſecundus a Provinciali, ipſe tertius conſideret, poſt eum Poli dux, ac reliqui deinde Patres eodem ordine, quo in conventu ſederant. Epularum magnificentiam ſupervacaneum eſſet exponere. Comitatem benignitatemque Principis vel ex eo æſtimare licebit, quod prior ipſe bibens fauſta omnia com-

32. Documenta quædam benevolentiæ nobis ab eodem exhibita.

Digitized by Google

precatus eſt Societati, & Præpoſito Generali. Remotis menſis, earum ornamenta omnia, & quidquid intacti ſuperfuit, deferri juſſit in collegium per triginta bajulos, qui ter minimum ultro citroque commearunt. Addidit pro numero Patrum capſulas totidem, foris eleganter depictas, intus multiplici varietate xeniorum refertas, quibus apophoretis ſinguli donarentur. Poſtremo Patres rebus ad iter omnibus inſtructos, ſuaque humanitate captos, ac plane devinctos dimiſit. Sed quæ ſunt hujus anni proſequamur.

33. Fundatur collegium Ravennatenſe.

Petrus Artenghus, nobilis inter Ravennates civis, hoc anno moriens, bonorum ſuorum hæredem ex aſſe reliquerat noſtram Societatem ea lege, ut collegium Ravennæ conderetur intra triennium. Erant proventus hæreditatis operi perficiendo impares: eaque propter Provincialis P. Marius Garzonius, metuens ne collegium male fundatum cito ruinam duceret, moras interponebat. Eas ut præciderent urbis Sapientes (id nomen ſupremo Ravennatenſium magiſtratui) certam pecuniæ ſummam conductis e populo ludimagiſtris tribui ſolitam, tanquam partem dotis collegio, cujus erant appetentiſſimi, aſſignaverunt. Quo ſubſidio cum videretur ſtare collegium poſſe, venere Patres Ravennam, inſtantibus civibus, eorumque vota promoventibus Cardinalibus Alexandro Urſino Æmiliæ Legato, & Aloyſio Cappono Ravennæ Archiepiſcopo: quibus adnitentibus, nonnullæ aliæ difficultates complanatæ fuerunt. Nam cum Artenghus noſtri juris ignarus ſupremis tabulis edixiſſet, ut noſtri, adita hæreditatis poſſeſſione, quina ſingulis diebus ſacra pro ipſo facerent; Urſinus a Gregorio Pontifice impetravit, ut illis ſacris ſubſtituerentur ſuffragia fundatoribus collegiorum a nobis perſolvi ſolita, præter ea, quæ in collegiis exercentur ad publicam utilitatem, miniſteria. Et quia Patribus nec certa erat parata domus, nec ædes in qua res ſacras obirent; donec his ædificandis pecunia colligeretur, Cardinalis Capponus ſcholarum aulas noſtris Profeſſoribus in ſuo ſeminario permiſit, domum ei proximam ad habitandum accommodavit, trecentos demum aureos in ſumptus domeſtici inſtrumenti numeravit. Rebus ita compoſitis, doceri cœptum eſt hoc ipſo anno labente, & initium collegio Ravennatenſi factum, primo ejus rectore renunciato P. Nicolao Zucchio, qui jam ante habitabat apud legatum Cardinalem, eratque illi a confeſſionibus. Et res quidem ad menſes aliquot fæliciter proceſſere, probantibus operam Societatis civibus uſque adeo, ut magiſtratus nomine publico gratias egerint Rectori, gratulatique ſint Patribus, quod ſpem de ipſis conceptam non æquaſſent modo, verum etiam viciſſent. Verum hanc ſerenitatem fœda tempeſtas parumper obſcuravit anno ſequenti. Nonnulli nobis parum benevoli (qui ſi pauci ſunt in ampla civitate, non exiguo apponendum eſt lucro), boni publici obtentu Societatem in invidiam vocarunt; quaſi tenerior ætas longe minus nunc proficeret ſub diſciplina noſtrorum, quam cum civitatis judicio deligebantur publici ludimagiſtri. Viſitandum ajebant collegium Societatis, retinendum jus, quo civitas inſpicere identidem ſcholas publicas conſueverat. Convocantur magiſtratus, tres deliguntur cenſores, & in collegium immittuntur, ut de ſcholarum ſtatu cognoſcant. Eos rector excepit quidem humaniter & benevole, verumtamen ab aditu ſcholarum excluſit, negans eam rem ferre ſe poſſe, quæ eſſet ab inſtituto noſtro alieniſſima. Efferati inſpectores, concitant populum, jactant probra in Societatem. Nihil factum eſt propius, quam ut collegium diſſolveretur. Alii conducti jam fuerant profeſſores, noſtris ſubſtituendi. Jam Præpoſitus Generalis rectori mandaverat, ut remiſſa civitati penſione pro ludimagiſtris aſſignata, ſcholas occluderet. Verum juſſa ne faceret rector, Sapientes interceſſere. Perſpecta enim puerorum apud nos diſcentium pietate, modeſtia, & optima in litteris inſtitutione, facile intellexerunt, accuſatam temere ab invidis Societatem fuiſſe; datiſque ad Mutium cum magna Patrum commendatione litteris, conſilium ejus valida deprecatione inverterunt. Populus poſt hæc tanto cariorem habuit Societatem, quanto iniquius vexatam fuiſſe cognovit. Aloyſius vero Capponus Cardinalis Archiepiſcopus, Romani

34. Excitatur contra illud procella, & componitur.

ſe-

Digitized by Google

seminarii memor, ubi educatus olim fuerat, & Societatis curam in adolescentum institutione perspexerat, aliquanto post seminarium quoque suum, & puerorum lectissimum numerum nobis tradidit erudiendum.

35. Ortus & progressus collegii Faventini.

Eodem tempore collegium Faventinum, quod undecim ante annis ortum erat, lento, sed felici progressu adolescebat. Condi illud jusserat nobilis civis Alexander Pasius, ratus Deo gratum in primis, & patriæ utilem hunc usum divitiarum suarum fore. Liberos enim habebat nullos, quemque decreverat fortunarum suarum hæredem scribere, frater uxoris suæ Alexander Paganellus, ipso nequidquam repugnante, paupertatem apud nos profiteri maluerat. Denos jam annos exegerant nostri Faventiæ, tanta omnium approbatione, ut urbis Episcopus Emilius Valentius Cardinalis, in relatione de statu suæ diœceseos ad Pontificem missa, præcipue laudaverit operam Societatis. At ædem sacram nondum ibi habebamus, nisi male materiatam ac ruinosam, angustam præterea, denique a domicilio media via disjunctam. His de causis visum Mutio collegium ad tempus dimitti, ut proventus in ædificium novi templi impenderentur. Egre ferebant cives absentiam Patrum: cum tamen justa videretur absentiæ causa, permiserant circa dimidium anni præteriti ut abirent omnes, excepto uno ad curam ædificii relicto. Obiit inter hæc fundatoris vidua Maximilla Paganella; ejusque obitu cum rediisset ad collegium hæreditatis pars tertia, cujus illa fructu utebatur, novus urbis Episcopus Julius Monterentius, Senioresque (idest summi Faventinorum magistratus) rogarunt vehementer Præpositum Generalem, ut saltem Sacerdotem alterum, & ludimagistrum collegio redderet. Æqua postulantibus morem geri Mutius jussit. Nec civitas tam promptam obsequendi voluntatem indonatam reliquit. Cum enim penes ipsam esset arbitrium pensionis annuæ trecentorum circiter aureorum, quæ in usus pios eroganda erat, eam per quinquennium cives templo Societatis ædificando addixere.

36. Res Provinciæ Austriacæ. Recuperatur collegium Tyrnaviense.

Dum sic provinciæ Italicæ, ut dictum est, augebantur, Austriaca lætiores in dies fructus ex benevolentia Cæsaris capiebat. Illud in primis lætum, quod pace tandem composita cum Bethlemio Gabore, pacatisque Hungaris heterodoxis, tertio receptum est collegium Tyrnavienſe in Pannonia. Nam quamquam Cæsar ob temporum difficultates coactus est pacem non modicis jacturis redimere; quod tamen perduelles postulabant, ne Patribus Societatis liceret esse in Hungaria, id constantissime repulit. Ita sexto post mense quam Gabor nostros expulerat Tyrnavia, eosdem legati Cæsaris in possessionem sui collegii restituerunt. Redeuntes excepit universa civitas ea lætitia, quam æstimare promptum est ex mœrore, quo abeuntes dimiserat. Nullum gratulationis argumentum est prætermissum. Et quia in veteri domicilio milites Gaboriani, præter nudos parietes, nihil reliqui fecerant, Patrum inopiæ liberaliter subvenerunt Archiepiscopus Strigonienſis, civiumque non pauci. At ecce tibi paulo post nova repente trepidatio. Firmata pace, poscebat in matrimonium Gabor filiam Ferdinandi Cæsaris. Cum non impetraret, efferatus repulsa barbarus iterum arma movet, iterum cum infesto milite Hungariam ingreditur, occupatisque primo impetu urbibus montanæ regionis, postremo etiam Tyrnavia potitur. Actum videbatur de collegio Societatis. Rector in tam præsenti discrimine, dimissa propere Viennam familia reliqua, quinque tantummodo Sacerdotes retinuerat secum, ne suam rem abdicare sponte videretur, expectabatque per momenta singula, quo victoris ferocia prorumperet. Verum hac irruptione Gabor Societatem magis conterruit, quam afflixerit. Nostrorum sane neminem violavit. Quin post bimensem, metu Cæsarianorum coactus se recipere in Daciam, duos secum abduxit Patres, ut sacrorum ministerio recrearent catholicos sibi stipendia facientes, eosdemque sub initium anni proximi remisit incolumes. Nec post hæc Hungariam amplius invasit. Multo nocentiores experta est Societas milites, quos eodem tempore Gabor immiserat in Moraviam. Copiæ nimirum ex omni hæreticorum colluvione concretæ, furaces, im-

37. Occupatur denuo Tyrnavia a Gabore, sed collegio incolumi.

38. Nostrorum damna & labores in Moravia Bohemiaque.

Digitized by Google

impiæ, & in omnem prædandi licentiam effusæ, dum regionem igni ferroque vastant, nullam occasionem vexandæ Societatis neglexerunt. Præter damna fortunarum collegio Olomucensi illata, procuratorem collegii P. Joannem Urbanum graviter sauciarunt, cum eoque repertum Fr. Vitum Visman crudeliter interfecerunt. Cæterum in Moravia Bohemiaque nostri, post tot belli clades intrepidi, & in omnes unde exciderant sedes recepti, eodem quo antea studio reducendis ad Ecclesiam hæreticis insudabant. Plusquam millenos semestri spatio lucrati sunt Patres collegii Novodomensis. Olomucenses ab Episcopo circummissi, civitates duas cum aliquot pagis ab hæresi vindicarunt: latiusque progressus esset eorum labor, nisi inopia Parochorum coacti fuissent functionem ejus muneris in se recipere. Qua in re præverterunt nostri mandata Romanæ Congregationis de propaganda fide, quæ cum audisset de mira Sacerdotum paucitate, qua Moravia pariter ac Bohemia laborabant, significavit Præposito Generali, rem gratam sibi facturos homines Societatis, si in illis regionibus curias pastoribus destitutas susciperent administrandas. Nihil moræ futurum respondit Mutius, ne sacræ Congregationis jussa fierent. Sed cum ea de re scripsisset ad P. Joannem Argentum provinciæ visitatorem, responsum accepit, factum ultro esse quod Cardinales mandabant: ac præterea institutas esse per Bohemiam Moraviamque missiones quindecim, ad curanda rei catholicæ vulnera, & belli vestigia abolenda.

39. Nostri in illis provinciis Parochos agunt.

Præter antiqua domicilia de hostium manibus recuperata, aliis de novo Societas aucta est in provincia Austriaca. Judemburgi, quæ urbs sita prope amnem Muram olim erat inter Stiriæ maximas, par nobile conjugum Balthassar Baro de Tonhausen, & Ursula ab Hollenegg, collegium nobis communi sumptu fundaturi, pecuniam congruam, & certos in hunc usum redditus addixerant. Reliqua erat deliberatio de loco, ubi collegium poneretur. Commodum accidit ut Patribus Augustinianis, absumpto flammis cœnobio, solum supereſſet templum, cum quibusdam monasterii parietinis. Hæc illi cum parati essent justo pretio divendere, cum iisdem transegerunt fundatores, emptoque fundo, Societatem in ejus possessionem anno exeunte induxerunt. Vertebat idem annus, cum Adolphus comes ab Althan, ejusque conjux Elisabetha Stotzingia, vix dum ad fastigium perducto collegio Crembsensi, adjecere animum ad aliud constituendum Iglaviæ. Urbs ea est in parte Moraviæ soli occidenti obversa, qua Austriam, & Bohemiam attingit. Pii quos dixi conjuges, cum statuissent collegium Societatis ibi condere, datis communibus ad Mutium litteris, censum idoneum obtulere, recepto in se onere curandi proprio ære ne quid in ea civitate Societas desideraret, sed socios alere posset amplius triginta. Quo tanta illorum munificentia spectaret, referam propriis ipsorum verbis, quæ sunt epistolæ postrema: „ Societati (inquiunt) nullam imponimus obligationem, præter eam quam præscribunt ejus constitutiones, juventutem scilicet ut „ instituat, & sese consuetis ministeriis in salutem proximorum impendat. Omnia ad majorem Dei gloriam, quam nobis in hoc opere, & in omni vita „ actionibusque nostris propositam habemus „. Non potuit Mutius tam pia vota differre, planeque libens donationem admisit. Tamen non nisi tertio post anno fundatores Societatem Iglaviæ constitutam viderunt, postquam tertium ei collegium collocaverant Znoymæ, pariter in Moravia. Quid tam promptam illorum voluntatem retardaverit, incertum. Suspicor, civitatem adhuc hæresi pertinaciter adhærentem, admittendæ Societati contumacius repugnasse.

40. Fundatur collegium Judemburgi.

41. Primordia collegii Iglavienſis.

Gitzini quoque collegium est conditum cum opima dote: sed dubitavit aliquandiu Societas utrum illud admitteret. Est Gitzinum in territorio Regino-Hradecensi oppidum magnitudinis non pigendæ. Loci ditionem, sive hæreditario jure, sive Cæsaris beneficio obtinuerat Comes Albertus Walsteinius, inclytus ille & notissimus belli dux, qui elatus deinde favente fortuna, vocatus est in suspicionem affectati Bohemiæ regni, produsque a nonnullis conjurationis suæ conscius, manu sicarii confossus est. Is Gitzini possessionem adeptus, pri-

42. Gitzini collegium exhibetur Societati.

Digitized by Google

primam curarum intendit ad reparandum ibi catholicæ religionis cultum, ſub prioribus dominis fere ex toto collapſum. Ut autem optimæ mentis cogitata perficeret, conſilium cepit excitandi collegium Societatis, cui geminum parabat adjungere ſeminarium, alterum inſtituendis nobilium liberis, alterum in quo ad Sacerdotium adoleſcerent centum ejuſdem regionis pueri in tenui fortuna nati. His perficiendis rebus cenſum offerebat amplum, vel æſtimatione, vel numerato ſolvendum, ut Societas mallet. Aptas præterea ædes, ſupellectilem tum ſacram, tum domeſticam, quæcunque demum uſui ſunt prolixe pollicebatur; nec pro tam munifica in nos liberalitate amplius ſibi poſtulabat, quam quæ collegiorum fundatoribus tribui ſolent. Nemo hactenus in ea provincia, ſecundum Auſtriacos principes, nobiſcum egerat liberalius. Nihilominus Provinciali Præpoſito P. Romero rem mature diſcutienti perſuaderi non poterat, eſſe e re divina, ut Societas illam donationem acciperet. Dubitandi cauſa ipſe locus, quippe non regia civitas, ſed baronalis, ut vocant, & privatæ familiæ obnoxia. Uſu enim ipſo conſtabat, collegia in iſtiuſmodi oppidis toparcharum poſita, nunquam eſſe ſatis firma: cum ſæpe catholico domino ſuccedat hæreticus, aliaque multa enaſcantur incommoda, quibus implicata Societas parum admodum poſſit ad ſalutem animarum proficere. Re ad Mutium delata, cenſebat ipſe remittendum eſſe Wallſteinio cum magna gratiarum actione beneficium. Et jam in eam ſententiam perſcripſerat P. Argento viſitatori. Verum is reputans, cujus periculi ſit viro potenti, ac benefacere volenti obſiſtere, priuſquam imperata faceret, graviſſimos quoſque Patres in conſilium ad deliberandum adhibuit. Viſum omnibus, quod tam ſplendide offerebatur, minime reſpuendum. Nam præter offenſionem viri totâ Bohemia clariſſimi, quæ difficile vitaretur, Gitzini, tum propter loci naturam, tum propter incolarum accolarumque frequentiam, majorem copiam noſtris hominibus utiliter laborandi fore, quam pro ratione privati municipii. Hæc per litteras edoctus Generalis, negotium omne permiſit arbitrio Argenti, qui de conſilio Ferdinandi Cæſaris collegium recepit. Ita ſub finem anni labentis ſedem Gitzini poſuerunt aliqui Patres, omnium præſide P. Valentino Coronio, qui nuper collegii Pragenſis adminiſtratione perfunctus fuerat. Urbem ingreſſis commiſſa eſt ædes curialis, pulſo Parocho lutherano. Collegii tamen nomen novo domicilio non acceſſit, niſi poſt biennium.

43. Dubitatur apud nos an ſit admittendum.

44. Vincit ſententia quæ admitti cenſet.

At principum Auſtriacorum quanto erat major poteſtas, tanto profuſiorem hoc tempore beneficentiam experti ſumus. Carolus Auſtriacus, frater Ferdinandi Cæſaris, Epiſcopus Uratislavienſis, quo tempore ardebat bellum Bohemicum pulſus epiſcopatu ſuo, variiſque periculis agitatus, voverat ſe collegium Societatis daturum Niſſæ, ſi ſuam in ſedem reſtitueretur. Reſtitutus eſt poſt Friderici Palatini cladem, de qua dictum eſt alibi, & votum hoc anno exſolvit. Eſt Niſſa Sileſiæ civitas, ad fluvium cognominem ſita, populo frequens, negotiatione dives, artibus exculta. In hac urbe domicilium cum haberent Crucigeri, qui crucem rubeam cum ſtella ejuſdem coloris pro inſignibus gerunt, eos Epiſcopus alio tranſtulit, ipſorum vero ædes tradidit Societati, addita dote non exigua. Præter hæc, duodecim alumnos e clero ſumendos, quibus alendis ipſe neceſſarios ſumptus ſuppeditabat, curæ Societatis ac diſciplinæ commendavit. Glacii, quod pariter nobile eſt oppidum in Sileſia, ante bellicos tumultus florebat collegium Societatis: ſed illud omnino diſſipaverant perduelles, ædibus ſolo æquatis, eccleſia partim diruta, partim in equile commutata, fundis frugiferis vaſtatis penitus, atque conſumptis. Reſtitutum ex parte eſt liberalitate ejuſdem Caroli Auſtriaci. Sed quod Princeps optimus moliebatur præterea, ut collegium iſtud fundaret ex integro, perficere eſt prohibitus immatura morte. Idem parabat nova Societatis collegia inſtituere Uratislaviæ, & Glogoviæ, quæ tamen ob eandem cauſam aliis perficienda reliquit. Carolo non concedebat neque ſtudio religionis, neque in noſtrum ordinem benevolentia Leopoldus ejus frater, Epiſcopus Paſſavienſis. Fundaverat jam

45. Fundatur collegium Niſſenſe.

46. Reſtituitur ex parte collegium Glacenſe.

47. Reſidentia Traunkirchenſis inſtituitur.

Digitized by Google

jam collegium Societatis Paſſaviæ. Eidem ut neceſſariam dotem conficeret, addixit hoc anno monaſterium Traunkirchenſe, a conſecratis Chriſto virginibus ordinis S. Benedicti deſertum Lutheri tempore. Donationi conſenſit Pontifex Gregorius XV., atque exinde in oppido Traunkirco conſederunt e noſtris quinque ut in reſidentia ſtabili, quæ collegio Paſſavienſi fuit attributa. Sed utrumque fratrem, Carolum, ac Leopoldum, ut opum magnitudine, ſic & munificentia longiſſime ſuperavit Ferdinandus II. Imperator, quem Societatis noſtræ parentem amantiſſimum appellare non dubitamus. Ut ea tantum beneficia commemorem, quæ pertinent ad tempus præſens, hoc ille anno collegium Pragenſe auxit cenſu annuo non exili. Zagrabienſi male dotato, certam pecuniæ vim ex ejus provinciæ vectigalibus quotannis pendi juſſit. Olomucenſe a perduellibus multa paſſum levavit plurimum, translata in ejus dominium toparchia ſatis ſplendida, & opulenta. Eidem reſtituendum curavit domicilium alumnorum eccleſiaſticorum, quod hæretici in monetæ cudendæ officinam converterant. Brunenſem probationis domum pene de novo fundavit, aſſignato in ejus dotem pago, & oppido, cum annuis utriuſque fructibus. Collegio Leobienſi ſubſidium annuum attribuit ex vectigali fodinis impoſito. Huc demum ſpectant ampliſſima jura & privilegia, quæ noſtris academiis Pragenſi, & Viennenſi contulit. Verum ut collegium Viennenſe Cæſaris beneficio coaluerit in academiam ejuſdem urbis, paulo diligentius exequamur.

48. Ferdinandi Imperatoris beneficia erga Societatem.

Jam ante Ferdinandus I., hujus de quo ſcribimus Ferdinandi avus, idemque collegii noſtri Viennenſis fundator, duas theologicæ ſcientiæ cathedras Societati commiſerat in ſua Viennenſi academia, eaſque noſtri ita acceperant, ut ſimul alias totidem ejuſdem facultatis cathedras haberent apud ſe in ſuo collegio, præter philoſophicas, aliaſque. Poſt annos circiter quadraginta, ut frequentior eſſet theologorum ſchola academica, deſierant eam noſtri ſcientiam in ſuo collegio tradere. Quo permotus exemplo Melchior Kleſelius Viennenſis Epiſcopus, & academiæ Cancellarius, contendere cœpit ut occluderent ſimiliter ſcholas collegii philoſophicas, neque hanc facultatem alibi, quam in aulis academiæ docerent. Erat id non ſolum moleſtum Profeſſoribus, quibus bis in die itandum eſſet deinceps ab ædibus collegii ad academicas, verum etiam diſcipulorum inſtitutioni perincommodum. Tamen cum idem vellet Matthias Cæſar, idem Paulus V. Pontifex imperaret, coacta tunc quidem *fuit* Societas morem gerere. At non diuturnum fuit incommodum. Kleſelio paulo poſt libertate & opibus exuto, Matthia autem e vivis ſublato, iterum noſtri cum aſſenſu novi Cæſaris Ferdinandi II. ſcholas philoſophorum tranſtulerunt ex gymnaſio academico ad collegium ſuum. Pupugit ea res academicos. Cum mutare quod factum erat auctoritate principis nequirent, cœpere noſtros alumnos ab honoribus litterariis excludere, neminem donantes laurea, niſi apud eos philoſophiæ ſtudia confeciſſet, quo non paucos a noſtris ſcholis avertebant. Exorientem inter duo gymnaſia diſſeſſionem non æquo ferebat animo Ferdinandus. Multa ut eam tolleret agitanti, placuit denique collegium Societatis cum urbis academia conjungi, quod tamen ſalvis utriuſque juribus fieret. Conjunctionis formulam deſcripſit collegii noſtri rector P. Gulielmus Lamormainius: quam cum æque noſtri, ac Duumviri a Ferdinando delecti comprobaſſent, Cæſar edito decreto ratam habuit, datoque Duumviris negotio ut rem quamprimum exequendam curarent, ad Imperii concilium profectus eſt Ratiſponam. Summa decreti (ut alia levioris momenti prætéream) hæc erat. Donari Societati ædes gymnaſii archiducalis, ut novum ſibi collegium in illis poneret, futurum exinde membrum corporis academici. Ex quatuor quibus academia conſtaret facultatibus, duas deinceps futuras penes homines Societatis, theologiam ſcilicet, & quas artes vocant: theologiam tamen diviſam ut antea fore inter ipſos, alioſque Profeſſores: artes non niſi ab ipſis tradendas. Et quia lex eſt academiæ, ut ſexto quoque menſe ex ſingulis in orbem facultatibus eligatur communibus ſuffragiis univerſi gymnaſii rector; quoties hic aſſumendus erit

49. Offenſio Viennenſis academiæ contra ſcholas collegii noſtri.

50. Decernitur conjunctio collegii cum academia.

ex

Digitized by Google

ex artibus, rectorem collegii ipso jure, & absque ulla electione futurum gymnasii quoque rectorem. Denique decanum artium semper futurum de Societate, nec vero alium, quam quem ipsa libere designaret. Hæc duo postrema ideo sic constituebantur, quia artium magistri, ut dictum est, semper futuri erant ex nostris. Decretum ut promulgatum est, multæ statim audiri ex adverso querelæ. Academici, in cæteris consentientes, ferre pacate non poterant imminui sibi jus eligendi rectoris, & decani. Decreto itaque intercedere palam, appellare Cæsarem, parendi necessitatem deprecari. Cum Cæsar abesset Vienna, nec res ad rationes utriusque partis amice componi posset, interim Duumviri nostros in corpus academiæ cooptatos pronunciant, nemine omnium, quantum ad hoc, refragante; ædesque academicas Societati mancipio tradunt. In eas immigrarunt cum magna celebritate nostri professores IX. Cal. Decembris, eademque die theologi Societatis, itemque philosophi, & rhetoricæ, poeticæque magistri suas singuli cathedras occupaverunt, ac docere cœperunt. Classes grammaticorum aliquanto serius apertæ sunt, quia deerant adhuc iis accipiendis aulæ.

51. Decreto intercedunt academici, & quare.

Hæc acta Viennæ, nec expectato Præpositi Generalis responso. Rem quippe urgebat Cæsar, nec visitator Argentus dubitavit, quin Mutius rata esset habiturus omnia. Verum is cætera comprobans, quod de supremo academiæ magistratu decretum fuerat, id vero negavit probari a se posse. Plures occurrebant causæ, ob quas alienum putaret ab homine Societatis ejusmodi magistratum. Illa tamen præcipua, quod rector Viennensis academiæ ex privilegio Maximiliani Cæsaris in eo dignitatis gradu censetur constitutus, ut magnis æquari principibus videatur. Statis per annum temporibus prodire solet in publicum cum ingenti comitatu & pompa, & in æde urbis primaria sedens, secundum ab Imperatore locum obtinet. In hac porro tanta honoris luce spectari hominem religiosum, id Mutius a nostris moribus alienissimum existimabat. Quare Argento præcepit, ut muneri nimis splendido cederet in perpetuum nomine Societatis, videretque magis, an ejus impetrari loco posset, ut scholæ a nostris administrandæ, in iis quæ pertinent ad disciplinæ modum, eximerentur omnino a potestate externi rectoris. Jussa fecit Argentus. Cæsar, collaudata nostrorum modestia, cessionem admisit. At simul deliberare cœpit, si qua posset nostris suam docendi rationem integram liberamque præstare, sine cujusquam injuria. Apparebat id fieri nullo modo posse, nisi fixum maneret decretum antea factum, ut artium decanus semper esset de Societate. Magna quippe est in re scholastica ordinanda decani auctoritas, & scholarum quietem turbare, si velit, potest. Pugnabant contra academici, æquum non putantes se illius magistratus eligendi jure, & spe obtinendi spoliari. Post plures ea de re congressus, inventa demum concordiæ formula, quam nostri æque & academici pronis animis acceptarunt. Non unum est decani munus. Præter curam scholasticæ rei, judicia exercet, tum de controversiis juris, tum de criminibus scholasticorum. De hac forensi jurisdictione non admodum laborabat Societas: unum postulabat, ut liceret nostris libere scholas sibi commissas regere suo more. Visum ergo posse utrinque convenire, si relicto academicis jure eligendi per suas vices decani, qui judiciorum potestatem exerceret, reliqua cura rei scholasticæ permitteretur prodecano, quem Societatis Præpositi designassent. In hanc sententiam itum est summo utriusque partis consensu. Quo demum controversia est omnis composita, & novo Cæsaris decreto collegium Viennense in celeberrimam ejus urbis academiam denuo cooptatum. Hæc tota negotii, uti gestum est, series, hic exitus. Non ignoro equidem, asperiora quædam pendente adhuc causa contigisse. Sed ea ego consulto prætermisi, ne memoriam rerum odiosarum sine causa excitarem.

52. Academiæ præfecturam Mutius dimitti jubet.

53. Quo pacto controversia composita fuerit.

Finita cum academicis controversia, alia nobis supererat cum quibusdam cœnobitis fortasse gravior, de qua non dicerem, nisi res multorum usurpata sermonibus, & litteris tradita gravem Societati conflasset invidiam, cui propul-

54. Ferdinandus II. quoddam ædificium nobis attribuit Viennæ.

Digitized by Google

ſandæ ſatis, puto, erit totius negotii cauſas, & progreſſus evolvere. Domum alendis nobilium liberis ædificaverat Viennæ Maximilianus Imperator, ab illorum quos dixi cœnobitarum domo pariete tantum intermedio diſcretam. Scholam provincialem appellabant: quæ cum plures annos frequenti adoleſcentium convictu floruiſſet, Matthiæ temporibus ad ſummam paucitatem erat redacta. Ut minima ſui parte habitabatur amplum ædificium, facile tunc impetrarunt a Matthia finitimi cœnobitæ, ut certam ejus portionem in ſuos uſus decerperent, precario tamen utendam, redhibendamque Cæſari, ſimul ac ipſe, aut aliquis ſucceſſorum eam repoſceret. Incidit interea conjunctio collegii noſtri cum academia, de qua dictum eſt ſupra; per eamque occaſionem Ferdinandus Cæſar, præter ædes academicas, ſcholam quoque provincialem addixit Societati, omnem attribuens nobis adoleſcentium in ea conviventium curam. Donatio quantumvis juſta ægre fecit cœnobitis, qui viderent ad priores anguſtias cœnobii ſui ſibi eſſe redeundum. Ne tamen redire compellerentur, conſilium injerunt quale videmus interdum in bello uſurpari, nec ſine ſucceſſu. Antequam in novi fundi poſſeſſionem Societas induceretur, aliam ſcholæ provincialis partem occupaverunt, excitato propere muro, quo pars furtim intercepta a reliquo ædificii corpore diſcluderetur. Erat tunc Ratiſponæ Ferdinandus: rei nihilominus per litteras certior factus, miſit illico Duumviris academico negotio præfectis mandata, ut ſcholam omnem provincialem curarent Societati tradendam. Quibus juſſa facientibus, P. Gregorius Rumerus Provincialis eandem a delegato Cæſaris poſſidendam accepit, ejuſque claves rectori Lamormainio tradidit. Actum id pacate admodum, ac nullo ſtrepitu, poſtridie Nonas Februarii. At enim pars ædium, quam cœnobitæ occupaverant, erat nobis impervia, niſi paries intermedius diruereturVim facere non audente Lamormainio, rediit die poſtero cum cæmentariis miniſter Cæſaris, eumque ſe coram perrumpi juſſit. Hic vero vehemens oritur altercatio. In ipſo molimine accurritur ex toto cœnobio cum ingenti fremitu: tollitur inconditus clamor, vim iniquam fieri, monaſterii ſepta perfringi, violari ſacrum Deo locum. Talia vociferantibus miniſter jus, & mandata Cæſaris opponebat: nec mei eſt operis referre, ad quam verborum aſperitatem ventum ſit, animis utrinque irritatis. Quod ad rem pertinet, in illa acri concertatione noſtrorum nemo verbum fecit; niſi quod Lamormainius uni cœnobitarum ardentius eum inceſſenti modeſte reſpondit, Cæſaris negotium agi, non Societatis. Perrexit interim miniſter inceptum opus urgere, donec in conclavia omnia aditum patefecit, & totam domum noſtris utendam tradidit. Scio, de hoc negotio longe alia fuiſſe vulgata, tum Romæ, tum per univerſam late Germaniam. Rem ego ita retuli, ut exſtat in domeſticis monumentis, quæ tamen vera eſſe ipſe contentionis exitus perſuadet.

55. Ædificii partem intercipiunt aliqui cœnobitæ, ſed fruſtra.

56. Vim adhibentes vi coercentur a Cæſare.

Nam, ut cætera ejuſdem argumenti abſolvam, cœnobitæ poſt hæc aſſeribus, aliiſque repagulis aditum de quo lis erat denuo obſtruxerunt, ſcholam provincialem in fundo olim ſuo fuiſſe ædificatam contendentes. Proponebat Lamormainius, ad fovendam inter duos ordines charitatem, ut haberent illi quidem ædium partem, quam a Matthia accepiſſent; veruntamen alia nunquam ipſis conceſſa abſtinerent. Nunquam adduci potuerunt, ut tam æquas concordiæ leges admitterent. Ulterius ventum eſt. Imperator, ut diſſidium ex bono & æquo finiret, conceſſerat illis denique dimidium fere ſpatii de quo certabant: ſumptum præterea ad extruendas in eo cellas liberaliter erogabat, modo ut quieſcerent in poſterum. Non quieverunt. Auſi ſunt parietem, qui pro limite monaſterii ſtatuebatur, vix ædificari cœptum deturbare ſemel, iterum, ac tertio; nec vim abſtinuerunt, niſi cum ad muri cuſtodiam Cæſar manipulum baliſtariorum collocari juſſit. Tunc demum compreſſi nonnihil, mitigatique fuerunt. Quod tamen licuit, actionem adverſus nos inſtituerunt apud tribunal, quod excelſi regiminis vocant. Cum judices pronunciaſſent, petitoribus in illa cauſa actionem non eſſe contra nos, medius advenit Pontificis nuncius,

57. Imperator ſuam declarat eſſe cauſam Societatis.

ut

Digitized by Google

ut litem mutua partium conſenſione componeret. Id enimvero gratiſſimum fore ſibi profeſſus eſt Lamormainius: negavit tamen integrum eſſe Societati de ejuſmodi negotio tranſigere injuſſu Cæſaris, qui eam cauſam diceret, non Societatis eſſe, ſed ſuam. His auditis, adit Cæſarem Nuncius: rogat, ut cum bona ipſius venia liceat ſibi componere controverſiam inter Jeſuitas, & illos cœnobitas exortam. Cui Ferdinandus: *Quorſum huc*, inquit, *obtruduntur Jeſuitæ? Meum eſt negotium quod agitur: mecum bonis illis cœnobitis res eſt, ſiquidem convellere donationem a me factam ſtudent*. Quæ cum ſubirato ſimilis, & cum aliqua vocis contentione dixiſſet, ægre tulit Nuncius: nec dubitans ita locutum principem inſtinctu noſtrorum, multum contra nos querelarum fudit, & Romam uſque tranſmiſit. Hæſit interim huic alliſa vado cauſa, nec per annos viginti quinque ultra progreſſa eſt: manente in poſſeſſione tranquilla earum ædium Societate, & delectum in iis numerum adoleſcentum educante. At demum cœnobitæ aliam inierunt negotii conficiendi viam, & ſane planiorem brevioremque. Deſerta nimirum lite, & forenſi ſtrepitu, amice egerunt nobiſcum, ut illam domum dimitteremus. Se, ajebant, ad talem numerum exceſſiſſe, ut anguſtiſſime habitarent. Poſſe convictores in alium locum traduci, neque ſe dubitaturos domum illis aptam parare, & ſiquid intereſſet, numerato ſolvere. His conditionibus haud difficiles noſtri ſe præbuerunt; acceptaque in uſum ſeminarii domo idonea, & numeratæ pecuniæ florenis quinque mille, viciſſim illud ædificium cœnobitis poſcentibus dimiſerunt. Sed ad ordinem temporum redeamus.

58. Componitur lis poſt annos viginti quinque.

Provincia Poloniæ nihil nobis hoc anno magnopere memorandum exhibet, præter funus Patris Simonis Wiſocki, in quo virum de publica re optime meritum, & religioſarum virtutum exemplar numeris omnibus abſolutum deſideravit. Natus erat Wiſockus in oppido Ruſſiæ, cui Curzangio nomen, ex familia nobili & opulenta. A puero ad pietatem formatus, nequaquam deinde ſibi adulto perſuaderi paſſus eſt, ut militiam, quod conſanguinei valde ſuadebant, conſectaretur: ſed ubi primum per ætatem licuit, nemine omnium conſilii ſui præmonito, ſacris ordinibus ſe initiandum curavit. Nec ita multo poſt una cum Petro Scarga Canonico Leopolitano Romam venit, ipſius exemplo Societatem ſola ſibi fama tunc cognitam amplexurus. Romæ a B. Franciſco Borgia in tirocinium receptus, eo exacto humanis diviniſque litteris operam dedit, ac tandem Sacerdos inauguratus in patriam ad faciendam divini verbi ſementem rediit. Quæ ibi pro cultu divini nominis, & proximorum ſalute geſſerit, nullis explicari verbis poſſit. Exſtant etiam nunc Poſnaniæ, Lublini, Vilnæ, alibique noſocomia Wiſocki induſtria ſtudioque excitata: ut nihil de hominibus dicam prope innumeris, quos aut concionibus publicis, aut privatis alloquiis ab errore ad veritatem, a flagitiis ad pœnitentiam honeſtatemque vitæ traduxit. Profectus in Sveciam cum ſereniſſima Catharina Joanni Regi deſponſa, conſcientiam ejus rexit per annos continenter octo: ſimul aulam univerſam ſibi virtute modeſtiaque devinxit, inprimiſque ut regius princeps Sigiſmundus, qui fuit poſtea Poloniæ Rex hujus nominis tertius, catholice, ac pie inſtitueretur curavit. Nec vero in aula de ſpiritu aulico quidquam traxit: non ambitione inflatus, non opum aut commodorum illecebra tactus: a ſimulatione autem & aſſentatione alienus in tantum, ut ſiquid interdum in regina minus probaret, id illi ſine ambagibus, ac ſacerdotali prorſus libertate objectaret. Romam poſt hæc rediit, audiendis popularium ſuorum confeſſionibus deſtinatus in S. Petri: qua in urbe quidquid habebat vacui temporis utiliter collocans, libros plures, & varios, ſed pii argumenti omnes, Polonice vertit, ut patriam alienis opibus locupletaret quodammodo. Regreſſus demum in Poloniam, dum emeritam ſenectutem Cracoviæ non otioſus tranſigit, permoleſtis calculi & ſtranguriæ doloribus tentari cœpit, quibus toto biennio patientiſſime toleratis, finem vivendi ac patiendi fecit pridie Idus Junii, annos natus undeoctoginta. Elatus eſt incredibili civitatis concurſu, certaruntque e populo multi, ut ex

59. Res Poloniæ. Obitus & elogium P. Simonis Wiſocki.

Digitized by Google

ejus reliquiis aliquid ad venerandum decerperent. Sæpe Deum O. M. precatus fuerat, ſibi ut viventi contingeret B. P. Ignatium videre ſanctorum faſtis adſcriptum, idque paulo ante obitum divino munere eſt conſecutus.

60. Res Provinciæ Rhenanæ. Bellorum clades, & pericula.

Provinciam quæ Rheno aſſidet conflictaverunt hoc anno clades belli variæ, multumque periculoſæ. Nam poſtea quam ad Pragam debellatum eſt eo prælio, quo fuſum profligatumque exercitum Friderici Palatini vidimus, Erneſtus Manſfeldius dux proteſtantium qui contra Cæſarem arma ſumpſerant, accepta clade ferocior, magnas contraxit latronum verius quam militum copias, quibus ſuccinctus prædas ubique agere circa Rhenum, & pecunias civitatibus imperare non ceſſabat. Cum Spirenſem epiſcopatum, & proximam Bavariæ partem omni belli clade vaſtaſſet, tranſmiſſo Rheno pervaſit in Alſatiam, & Hagenoenſes aperire ſibi portas coegit. Aperuerunt: ea tamen lege, ut acceptis centum florenorum millibus, innoxius diſcederet cum exercitu. Ille conditionem admiſit: at homo nullius fidei, Hagenoa potitus, multo majorem exigere ſummam obtentu neſcio quo cœpit, quæ cum non ſtatim ſolveretur, urbem contra fidem pactorum occupavit, præſidio impoſito. Priuſquam hoſti ſe permitterent Hagenoenſes, rector collegii noſtri P. Henricus Roeſtius, reputans vetus Manſfeldii odium erga Societatem, & ferociam victoris timens, deſerendum cenſuerat domicilium: diſtributiſque clam per nobilium domos pleriſque ſociorum, ſacra ſupellectili partim occultata, partim apud amicos depoſita, unum reliquerat ad cuſtodiam rei domeſticæ famulum in collegio. Recepto Manſfeldio, effudit ſe in omnem partem impiorum militum furor. Non ſacris ædibus, non aris, non cœleſtium imaginibus parcitum. Latrociniis, ac ſacrilegiis miſcebantur omnia. Noſtri tamen præcipue quærebantur. Auditæ ſunt Manſfeldii ipſius voces, cum diceret, curæ ſibi fore, ut quotquot laterent in urbe Jeſuitæ, quamprimum prodirent in publicum. Nihil dubitans, quin latebrarum eſſet conſcius famulus, quem ad collegii cuſtodiam relictum dicebamus, eum prius ingentibus promiſſis tentat, expreſſurus indicium loci, tum quo deliteſcerent Patres, tum ubi rem ſacram, & cætera majoris pretii defodiſſent. Silentem interrogari per tormenta jubet. Cruciatus eſt dirum in modum, quæſtione ſæpius repetita: quod tamen ex eo quærebatur, exſculpi nullo modo potuit. Hinc famulo tam probatæ virtutis & fidei, quamdiu vixit, collegium Hagenoenſe neceſſaria ſubminiſtravit, hanc deberi viro mercedem putans, cujus ſilentio ſervati fuiſſent ab impiorum prædonum manibus ſacri calices pixideſque, & tam præſenti periculo Patres erepti. Nam ad Patres quod attinet, ſe ad necem quæri ſentientes, re cum paucis amicorum deliberata, fugæ conſilium ceperunt, & clam urbe egreſſi, alii alio incolumes evaſerunt. Quo tunc modo collegium Hagenoenſe diſſipatum eſt.

61. Deſeritur collegium Hagenoenſe. Mira fides cujuſdam famuli.

62. Fœdus principum proteſtantium contra Cæſarem.

Multo luctuoſior fuerat ſociorum Paderbornenſium clades, niſi eam intra paucos menſes melior fortuna reparaſſet. Poſt acciſas Friderici Palatini res in Bohemia, multi in Germania ex potentioribus proteſtantium conſenſerant in ſocietatem armorum, obtentu quidem ut Hiſpanos ex Germaniæ finibus pellerent, re tamen ipſa, ut bellum pro Palatino gererent contra Cæſarem. Fœderi ſe adjunxerant reges Angliæ, Sveciæ, & Daniæ. Porro Daniæ Rex exercitus fœderati dux renunciatus, cum ſuſcepiſſet belli adminiſtrandi curam, legaverat ſibi Chriſtianum e ducibus Brunſwicenſibus, qui de nomine epiſcopatus præter jus faſque occupati, vulgo dicebatur Alberſtadienſis. Primos belli impetus ſenſere Juliacenſes, quam tetrarchiam Alberſtadienſis, pulſis Hiſpanorum præſidiis, ex magna parte occupavit. Contracto deinde exercitu in territorium Paderbornenſe, omnia incendiis & rapinis fœdabat. Conterriti cives mittunt ad eum legatos, ut acceptis viginti quatuor millibus nummorum imperialium, agro & urbi parcat. Ille viribus ferox, elatuſque ſucceſſu rerum proſpero, non munera, non preces admittere, nullas audire conditiones velle: unum poſcere, ut præſidium quod habebant militum urbanorum dimitterent ſtatim, & duas equitum ſuorum turmas intra urbem reciperent. Quamvis dura

63. Duci proteſtantium deditur Paderborna.

hæc,

Digitized by Google

hæc, & indecora eſſent, tamen Paderbornenſes, ne vim extremam experirentur, neceſſitati ceſſerunt IV. Cal. Februarii, dearmatoque milite urbano, Alberſtadianos intra mœnia acceperunt. Ante illam diem, cum conditiones dedendæ urbis agitarentur, P. Hermannus Bavingus collegii noſtri rector ex ſociis, quos habebat circiter octoginta, pleroſque in tutum emiſerat. Quinque fuerunt Sacerdotes, quos manere cupientes cogere noluit ut exirent, ipſorum arbitrio permittens, ut ex præſenti rerum ſtatu conſilium caperent. Omnino illi manendum ſibi cenſuerunt, ne miſeræ civitati in rebus tam afflictis deeſſent. Milites Alberſtadiani, ſtatim atque in urbem recepti ſunt, occupata collegii noſtri janua, quinque ipſos Patres in unum conclave, tanquam in carcerem, contruſerunt, ac ne cui liceret inde pedem efferre, cuſtodiam appoſuerunt. Adeſt poſt biduum ipſe dux Chriſtianus, qui cum hoſpitium ſibi parari juſſiſſet in ædibus Jeſuitarum, putabatur velle cum ſuis hoſpitibus clementer agere. Opinionem iſtam confirmare viſus initio. Patres eximi cuſtodia ſtatim juſſit, tantum accepta a primoribus civitatis fidejuſſione, neminem noſtrorum urbe diſceſſurum injuſſu ſuo. Sed hanc qualemcunque clementiam immane quantum mox poſtulatorum acerbitate corruperit. Denunciat Patribus, niſi intra dies quatuordecim numeraverint ſibi nummorum imperialium viginti millia, collegium, omniaque ejus bona flammis abſumptum iri. Excuſare Patres inopiam ſuam, deeſſe ſibi facultatem inveniendæ pecuniæ dicere. Princeps immitis ad ſexdecim primo, deinde ad decem tantum millia deſcendit: veruntamen mortem, & morte atrociora eſt comminatus, ſi pergerent de hac ſumma minuenda amplius verbum facere. Oblata ſunt millia nummorum quatuor, partim ab amicis emendicata, partim mutuo ſumpta. Non acquievit. Coactus tertio poſt menſe Paderbornam relinquere Hiſpanorum metu, ſecum nihilominus vinctos detinuit Patres loco pignoris, & catenis onuſtos raptari poſt ſe juſſit in Eisfeldiam. Quod exemplum crudelitatis tantum terrorem incuſſit reliquis de Societate, ut quocunque ille adventaret cum exercitu, noſtri diffugerent. Cum ergo Eisfeldiam ſuo more populabundus percurreret, Heiligenſtadio, quod eſt regionis caput, dilapſi ſunt propere noſtri, & mox etiam Hildeſio Turingiæ oppido. Sic illa duo collegia Societatis deſerta, & militum direptionibus permiſſa, ab interitu proxime abfuerunt.

64. Ejus ſævities contra quinque ex noſtris.

65. Deſeruntur collegia Heiligenſtadianum, & Hildeſienſe.

Sed protegentibus bonam cauſam ſuperis, brevi libertatem vinctis, & exulibus reditum peperit inſignis Catholicorum victoria. Joannes Tillius, & Gonzalus a Corduba, ille Bojorum, hic Hiſpanorum dux, cognito hoſtium itinere, conjungunt vires, parati fugientes inſequi, atque acie certare. Conſederat Alberſtadienſis prope Hoeſtum, oppidum in ditione Moguntina, occupatiſque locis natura & manu munitis, tutum ſe ab incurſu hoſtium putabat. Eodem catholici duces caſtra transferunt. Atrox conſeritur pugna. Dux proteſtantium, poſt magnam ſuorum occidionem coactus terga dare, plenus cladis & ignominiæ fugatur. Capto omni bellico inſtrumento, quinque noſtris Sacerdotibus, de quibus ſupra dicebam, demuntur vincula. Quale odium Alberſtadienſis profiteretur contra Apoſtolicam ſedem, & noſtram Societatem, ex ipſis ejus vexillis colligere licuit. Duo præcipua inveta ſunt, quorum in altero depicta viſebatur tiara Pontificis de cœlo fulminibus impetita: in altero pilei clericales erant, cum adjecto lemmate: *Amicus Dei, Jeſuitarum inimicus.* Jam vero, dempto hoſtium metu, redierunt ad ſua domicilia noſtri, quæque haud ita pridem deſerta fuerant collegia Paderbornæ, Heiligenſtadii, & Hildeſii, iterum frequentari cœperunt. Paderbornenſe tam multum attriverant hoſtes, ut priſtinus alumnorum numerus ſuſtineri niſi longo poſt tempore non potuerit, exhauſta prorſus annona. In ea tamen calamitate ſolatio fuit, nihil periiſſe de domeſtica bibliotheca ſane nobili, & locuplete. Atque eam quidem aſportare decreverant ſcelerati prædones, jamque omnem librorum copiam in ciſtis compoſuerant: ſed coacti celeriter urbe excedere, in ea trepidatione ciſtas inopia vehiculorum reliquerunt. Noviſſime ſub initium Auguſti receptum

66. Exercitus proteſtantium profligatur.

67. Singulare odium Epiſcopi Alberſtadienſis erga nos.

68. Redeunt noſtri in ſua collegia.

eſt

Digitized by Google

69. Recuperatur etiam collegium Hagenoenſe.

eſt etiam collegium Hagenoenſe. Accedente enim cum infeſtis ſignis Leopoldo Archiduce, ſuum inde militem Mansfeldius deduxit. Rediere ſtatim Hagenoam quinque ſociorum: ſed ædes collegii adeo vaſtatas invenere, ut inutiles omnino ad habitandum eſſent. Dum illæ reficiuntur, noſtros hoſpitio excepit vir amantiſſimus Societatis Bartholomæus Biliſtein: cui benignitati accedente publica liberalitate Senatus, ſublevatæ celeriter ſunt rei domeſticæ anguſtiæ, & intra eundem annum ſuus collegio numerus reſtitutus.

70. Marchio Durlacenſis prælio vincitur a Cæſarianis.

Tot Cæſarianorum victoriæ, non modo priſtinas Societati ſedes reſtituerunt, ſed nova etiam domicilia, alioſque ad excolendum populos aperuerunt. Inter tetrarchas, qui pro Palatino conjuraverant contra Ferdinandum, præcipuas ſibi partes ſumpſerat Georgius Fridericus Marchio Durlacenſis. Hunc Tillius temere exultantem aſſecutus in agro Vimpinenſi ad Necarum amnem, commiſſo prælio fudit fugavitque, pluribus ex ejus exercitu interfectis, captis mille ac centum, impedimentis omnibus occupatis. Jam vero tam inſignis victoria Badenſem quam vocant marchiam catholicæ religioni ſimul, & Societati aperuit. Sed hujus rei narratio paulo altius eſt repetenda. Quæ Badenſis Marchia dicitur, regio eſt porrecta ad dexteram Rheni, inter Briſgoviam, ducatumque Wittembergenſem. Regionem ab antiquiſſimo tempore poſſidebat inclyta Badenſium familia, diviſam tamen inter duos ejuſdem familiæ ramos. Facta diviſio fuerat ante annos fere centum, quo tempore cum in duas propagines ſecta eſſet Badenſium principum domus, altera Badam obtinuit, aviti patrimonii caput, cum potiori parte provinciæ: alteri Durlacum oppidum cum parte reliqua ceſſit. His diu finibus imperitaverant principes Badenſes, & marchiones Durlacenſes: donec circa annum proximi ſæculi nonageſimum Erneſtus Fridericus Durlacenſis, hujus de quo modo diximus Georgii frater, tutor datus Eduardo Fortunato Badenſium principi adhuc impuberi, pupilli ditionem ſibi vindicavit. Deceſſit poſt paulo Erneſtus, & luctuoſo quidem, ſi vera narrant, funere. Ajunt enim, cum magnificam ſibi villam extrueret in quodam Divi Benedicti cœnobio (Gotſaviam appellabant incolæ), vidiſſe noctu adſtantem ſibi S. Benedictum cum ſuarum regularum libro, atque his ab eo vocibus fuiſſe increpitum: *Si hunc habere volebas locum, ejus regulam ſervare debueras*: quibus dictis, & ipſa cœleſtis viri ſpecie, addunt, magnis terroribus agitatum fuiſſe principem, nec multo poſt miſere extabuiſſe. Utcunque ſit, Erneſto lutherano ſucceſſit Georgius Fridericus, pariter Luthero addictus, tenuitque utramque Badenſis marchiæ ditionem uſque ad pugnam Vimpinenſem. Tunc utramque perdidit. Gulielmus autem, Eduardi Fortunati filius natu major, principatum ſibi ſucceſſionis jure debitum recuperavit. Potitus rerum Gulielmus, ut erat princeps eximie catholicus, nullam curarum habuit potiorem, quam ut reſtitueret in ſua provincia cultum catholicum, cujus nec veſtigium uſquam ſupererat. Omnia quippe Romanæ fidei monumenta ſuſtulerant Durlacenſes. Sacerdotes, & religioſos expulerant, aras & templa fœdaverant, omnia demum moverant, ut ibi ſola regnaret, & radices ageret ſuperſtitio Lutheri. Illud præ cæteris edixerant, ne quis liberos extra patriam mitteret erudiendos in ſcholis Societatis, neu quis ullum cum Jeſuitis commercium haberet. Ipſis cauponibus, ſi ultra unam noctem noſtris iter agentibus tectum præberent, gravem mulctam propoſuerant. Gulielmus ergo ut collapſam religionem repararet, contraria ſibi legenda putans veſtigia, primum omnium expetiit operam Societatis, duoſque ad ſe mitti curavit operarios e collegio Spirenſi. Miſſi ſunt Patres Philippus Zinnerus, & Martinus Frenaphelus, viri ſtrenui ambo, impigrique. Prior Badæ ſubſtitit, alter Etlingam profectus eſt. Utrobique autem, dejectis lutheranorum præconibus, ſtatim aggreſſi ſunt oppidanos, & proximos accolas inſtituere: quod cum naviter facerent, Deo propitio, fructum ingentem laboris & induſtriæ ſuæ ceperunt. Nulla fere abibat dies, qua non aliquos in gregem catholicorum reciperent. Etlingæ Frenaphelus ante finem anni ad ſacram Chriſti menſam admiſit amplius octingentos. Majorem nu-

71. Marchia Badenſis redit ad catholicum principem.

72. Gulielmus princeps Badenſis Societatem vocat.

73. Badæ, & Etlingæ noſtri laborant utiliter.

Digitized by Google

numerum poſt duos tantum menſes admiſerat Badæ Zinnerus. Sed amplior erat materies operis, quam cui ſufficerent operarii duntaxat duo. Submiſſi itaque ſunt alii tres, quos Princeps, licet in ſumma ærarii difficultate, de ſuo alendos ſuſcepit. Ac tunc primo noſtri Badæ in propriis ædibus collocati fuerunt, & ad religioſæ familiæ normam regi cœperunt: nam antea Zinnerum Princeps voluerat eſſe apud ſe, & ſuæ quotidie menſæ adhibuerat. Nec multo poſt, novo addito Sacerdote, initium eſt collegio factum, quod ſuo tempore ad juſtum ſtatum aſſurrexit. Pueros pietate & litteris noſtri informabant, civitatem concionibus excolebant, ad pagos & oppida circumpoſita excurrebant. Amplius quinque millia fuiſſe dicuntur, qui per eos hoc primo anno Badæ, & in proximo territorio catholicis ſe adjunxerunt. Sic ibi rem catholicam adminiſtrabant operarii Societatis.

74. Collocatur Badæ Societas in domicilio proprio.

Multo latiorem interea agendi campum habebant Patres in utroque Palatinatu. Huc circa Aprilem anni labentis venerat Fridericus ipſe comes Palatinus, ut paternum principatum, quo fuerat a Cæſare ſpoliatus, Batavorum auxilio recuperaret. At cum Tillio congreſſus, adverſam expertus fuerat belli fortunam, pulſus cum ignominia, coactuſque quidquid ad dexteram Rheni ripam obtinuerat victori permittere. Tillius, capta ſede palatinatus Heidelberga, ſecum in urbem invexit Patres Perſonum & Agricolam, caſtrenſes operarios, quos habuerat hactenus a ſacris confeſſionibus, & concionibus. His paulo poſt addi curavit ſociorum auxilia, traditiſque ad habitandum ædibus, quas tempore hibernorum habuerant pro hoſpitio, ſtationem Societatis ſtabilem Heidelbergæ conſtituit. Subjecta erat ſtatio rectori collegii Spirenſis. Familiam fovebat & adjuvabat Maximilianus Bavariæ dux, alimenta illi præbens e ſuo ærario. Multos ſane operarios requirebat urbis frequentia, & amplitudo. Pauci, ſed egregii, inſtar multorum erant. Teneros adoleſcentes litteris, & vera fidei doctriua imbuebant, omnium ærumnas qua poterant ope ſublevabant. Anno uno adultorum manum haud exiguam ad catholicas partes traxerunt. Mirabantur Heidelbergenſes modeſtiam charitatemque noſtrorum, & in eorum vitam curioſius inquirentes, falſa eſſe profitebantur quæ de tota Jeſuitarum natione a ſuis doctoribus audire conſueverant. Paderbornæ interim, pulſo uti diximus, Alberſtadienſi, Ferdinandus a Bavaria Archiepiſcopus Colonienſis diem præſtituerat, intra quam proteſtantes aut religionem, aut ſolum mutarent, noſtriſque negotium dederat, ut eos errorem dedocerent. Rem ſtrenue agentibus operariis Societatis, ex omni lutheranorum multitudine novem tantum inventi, qui mallent patriam, quam ſuperſtitionem deſerere. Cæteri meliora ſuadentibus paruerunt. Atque ita demum Paderbornenſes, bonorum omnium incredibili gaudio, ab hæretica labe liberati penitus, purgatique fuerunt. Verum inter hæc Bambergæ, inter adoleſcentes Societatis ſcholas frequentare ſolitos, deprehenſi quatuor, qui per ſyngraphas proprio conſcriptas ſanguine diabolo ſe mancipaverant, crebroque ejus congreſſu, & flagitioſa conſuetudine utebantur. Longum eſſet dicere, qua miſeri fraude in tantum ſcelus inducti, quibus modis comperti, quæ demum confeſſi fuerint. Quod ſcire intereſt, intra collegium per aliquot continenter dies excepti fuerunt omnes, adjutique præſidiis, quæ mali gravitas poſtulabat. Cum autem votum emiſiſſent, ſe quotannis natalitia B. Parentis Ignatii ſacrorum perceptione celebraturos, ſuum ſinguli chyrographum, quod diabolo nefarie tradiderant, recuperarunt. Ignatii beneficio juvat Xaverii beneficium adjungere. P. Joannes Falconius, operarius magni in Germania nominis, ex collegio Aſchaffemburgico per totam late ditionem Moguntinam aſſidue cum miniſterio evangelico excurrebat. Dum circa ægrotos milites ſui prope ſecurus laborat, læthalem contraxit tabem, qua paulatim conſumptus, & ad extrema deductus eſt. Jacebat ſexto jam die deſtitutus omni ſenſu, inter vitæ mortiſque confinia: cum repente in cœleſti lumine Xaverium videt cum P. Petro Cremerio, quo olim tirocinii magiſtro uſus fuerat. Agnoſcit amicos vultus, miratur, lætatur. Illi viciſsim ægrotum ſolantur, & in

75. Statio Societatis collocatur Heidelbergæ.

76. Paderbornæ hæreſis omnino extinguitur.

77. Quatuor adoleſcentes a diaboli ſervitute vindicantur.

78. P. Joannes Falconius e gravi morbo divinitus convaleſcit.

Digitized by Google

& in spem vitæ longioris humanissimis verbis erigunt. Visi veritatem affirmavit eventus. Quod enim nemo sperabat, convaluit brevi Falconius, & ex ipso mortis limine revocatus ad labores pristinos rediit.

79. P. Joannes Sandæus ab hæreticis mactatur.

At P. Joannes Sandæus, mortem martyrio simillimam consecutus, multo occubuit felicius, quam ille convaluerit. Vehebatur rheda cum Bartholomæo Rainoldo minoris ordinis clerico, & forte ad ministranda Tillianis militibus sacra properabat e collegio Spirensi. Cum insonuit e proximo clangor buccinæ, index copiarum appropinquantium, ac momento post in conspectu fuit agmen Mansfeldianorum circiter mille. Dum nostri fugam circumspiciunt, & abjunctos vehiculo equos parant conscendere, accurrunt infesti milites. Rainoldum propere dilapsum dumeta texerunt. Sandæus cum ab eo diversus fugeret, errore viæ incerto in hostes incurrit, qui mactandum clamantes Jesuitam, continuo glandibus plumbeis explosis oculum illi excutiunt, pertundunt humerum, denique perruptis visceribus exanimem sternunt. Odio vel Romani sacerdotii, vel Societatis sæviisse latrones improbos, argumento fuit, quod cæterorum qui una ibant neminem violarunt, sed exacto a singulis pretio, omnes incolumes dimiserunt. Jacuit Sandæi cadaver in loco ubi ceciderat biduo insepultum, & indumentis exutum. Conquisitum postea jussu Tillii, illatum est in proximum oppidum Webstadium ad sepulturam. Oppidani vero, memores se Societatis opera ad catholicam fidem rediisse, illatum cum ingenti honore exceperunt, & in æde oppidi primaria ante aram principem tumularunt, elogio inscripto, quod viri nomen, genus, & mortem ab hæreticis illatam indicaret. Erat Sandæus patria Harlemiensis. Cæsus est pridie Cal. Apriles, ætatis anno quadragesimo, susceptæ Societatis undecimo. Oppressus pariter ab hæreticis per idem tempus fuit P. Arnoldus Boecopus Gheldriensis. Moguntiam petebat, cum ab hæreticorum manipulo interceptus est. Satis illis visum causæ cur periret, quod Sacerdos catholicus, quod e Societate Jesu esset. Dum de modo inferendæ necis deliberant, contruditur in ergastulum. Subiit interea improbos pudor, ac metus famæ, si hominem innoxium, indicta causa, palam supplicio afficerent. Satius putaverunt, ad invidiam declinandam, rem veneno agere. Poculum læthali temperatum succo porrigunt cœnanti, ac nihil suspicanti. Mox illum emittunt carcere, beneficium imputantes, quod libertate ac vita donaretur, mille cruces, ut ajebant, promeritus. Eductus custodia Coloniam venit Arnoldus, ubi glisçente ad præcordia toxico, afflictus lecto, dira vi torminum excruciatus occubuit XII. Cal. Martias, annum ætatis decurrens trigesimum octavum. Hæc dabant subinde hæretici documenta animi erga nos sui. Quibus addendum postremo loco collegii Colonienſis incendium, cujus etiam auctores fuisse hæreticos multis persuasum est. Ingenti sane damno Societatis conflagravit ex parte maxima illud domicilium, & sacra ædes, cum insigni bibliotheca, quæ genere librorum, & numero in pretio erat. Nec defuerunt humanæ fraudis indicia. Illud vehementissimum, quod nocte concubia tribus simul locis inter se longe disjunctis ædificium flammam concepit. Sed jam relicta provincia Rhenana, stilum transferamus in Flandrobelgicam.

80. Tumulatur cum honore Webstadii.

81. P. Arnoldus Boecopus veneno interficitur.

82. Incendium collegii Colonienſis.

83. Res Flandro-belgicæ. Militibus lue contactis nostri famulantur.

Exclusus Galliæ finibus Mansfeldius, dum pergit in Bataviam, a Gonzalo de Corduba cæsus profligatusque fuerat in campis Floriacensibus, quo prælio amissa magna copiarum parte, vix ipse vivus aufugerat. Fœda post hæc lues, quam Mansfeldianam vulgo nominabant, grassari cœperat per castra victricia. Cum passim milites prosternerentur, per plures urbes distributi sunt greges tabidorum, quibus capiendis vix locus inveniebatur. Lovanii, Mechliniæ, ac Bruxellis referta erant publica nosocomia, patebantque in iis quasi palæstræ totidem charitatis, & patientiæ, in quibus nostri se plurimum exercuerunt. Ac Mechliniæ quidem, dum illo christianæ charitatis officio perfunguntur, intra spatium unius mensis vitam profuderunt quatuor de Societate, quorum nomina silentio tegi non debent. Fuerunt ii Patres Philippus Proost, Robertus Gaillart, Joannes Wiringus, & Jacobus Seriants, viri omnes ab hoc ultimo vitæ

84. Eo in officio moritur P. Jo. Wiringus cum aliis tribus Mechiniæ.

actu

Digitized by Google

actu satis laudati. Sed etiamsi demas tam glorioſæ mortis commendationem, præcipuam Wiringus laudem ab anteacta vita promeretur. Per annos aliquot fuerat Catholicorum paſtor in Friſia. Detectus ab hæretico magiſtratu, conjectuſque in carcerem, jacuit ferro vinctus menſes omnino ſeptem, quo tempore tantam habuit apud catholicos opinionem virtutis, ut paſſim ſanctus audiret. Argumento ſit, quod, cum denique fuit dimiſſus, vir quidam nobilis magno pretio coemit compedes, in quibus hæſerat, ut eos inter res ſacras & pretioſiſſimas ſervaret. Natus erat Lovanii ante annos quinquaginta ſex. Obiit v. Nonas Octobres. Plus interea laboris ex eadem cauſa noſtris oblatum eſt Antuerpiæ. Bergas ad Zomam obſidione cinxerat ſupremus regiarum copiarum dux Spinula, ſed ingraveſcentibus in exercitu peſtilentibus febribus, coactus fuerat poſt tres menſes obſidionem dimittere, & ægros milites per vicinas urbes diſtribuere. Pars multo maxima Antuerpiam deducta eſt, ubi erectum fuerat regio ſumptu militare noſocomium. In eo languentes numerabantur ad quatuor millia circiter. Cum militum alii atque alii contagione inficerentur in dies ſingulos, nec tantam multitudinem noſocomium quod dixi caperet, ad uſum ægrorum paratum eſt ergaſtulum adoleſcentium, & ſtraminea caſa finitima: quibus etiam oppletis domibus, alii in mercatorum periſtyliis, alii paſſim in porticibus, lociſque publicis jacuerunt. Ad omnium opem ſe ſtatim effudit charitas Societatis. Erant in principe noſocomio, præter Italos, Hiſpanos, Belgaſque, non pauci Angli, Germani, & Scoti, qui licet ſecta heterodoxi, ſtipendia merebant Regi Catholico. Omnium animos ita ſibi devinxerunt obſequio noſtri, ut prope in parentum loco amarentur. Hæretici, opinionem de tota Jeſuitarum gente præceptam damnantes, eorum congreſſum avide expetebant, accedentes amice compellabant, cum magnis grati animi ſignificationibus ſuſcipiebant. Fuerunt centum ſupra triginta, qui negantes deeſſe poſſe fidei veritatem, quibus tanta inerat veritas charitatis, hac una cauſa moti ſunt, ut ſe catholicis aggregarent. Jam quanti ſteterint hujuſmodi fruges, explicare quis poſſit? In eo quod dixi ergaſtulo humi decumbebant ægrorum plerique, humanis præſidiis omnino deſtituti: deerant enim qui quantavis mercede iis curandis ſuam locare operam vellent, propter intolerandum loci pædorem & ſordes. Non medici, non Parochi pedem illuc inferebant. Soli aderant diu noctuque noſtri, ſoli remedia corporis animæque ſingulis miniſtrabant, nec ullum eſt tam humile & abjectum miniſterii genus, quod ſuis ipſi manibus non præſtarent, faſtidiente licet ſtomacho, & nauſeante. Hinc morbo tentati fere omnes: extincti quatuor, videlicet David Taclſmans, & Georgius Vanderlacnen ſacerdotes, Franciſcus Vanderbos, & Franciſcus Speremaker rei domeſticæ adjutores. Iſtorum poſterior vix ad opus erat aggreſſus, cum ipſa odoris diritate corruit ſemianimis, & domum reportatus occubuit.

85. Ægrotis curandis ſe devovent Patres Antuerpienſes.

86. Ejus procurationis fructus, & incommoda.

87. Pia mors quatuor ſociorum Antuerpiæ.

Interim inſidiabatur Antuerpiæ Mauritius Princeps Arauſienſis, occaſionem captans occupandæ dolo urbis, in qua per exploratores cognoverat plures inveniri milites ægrotos, quam præſidiarios. Conſilia demum componit adeo ſolerter, atque apte, ut ſucceſſus expeditionis videretur impediri humana ope non poſſe. Parat naves & arma: tempus agendæ rei conſtituit ad III. Nonas Decembres. Latebant hæc Ambroſium Spinulam regii exercitus ducem ſupremum, & belli adminiſtratorem in Belgio. Hinc urbi imparatæ, & ſecuræ majus certiuſque periculum. Sed bene quod pridie ejus diei Spinula, inſtinctu neſcio quo, in ſuum, & totius exercitus patronum elegerat S. Franciſcum Xaverium, adhibito ad eam rem ſolemni ritu, & cæremoniarum ſplendido apparatu. Urbem ſibi commiſſam ſolus defendit Xaverius, ſolus inſtans periculum propulſavit. Hoſtes ſilentio noctis Dordraco Antuerpiam petebant navibus diverſæ magnitudinis, ut vulgatum eſt, amplius mille. Cum ſubito coorta aquilonis vis totam claſſem disjecit. Navigia quaſſata ſunt omnia, confracta plura, non pauca cum vectoribus abſorpta. Dux ipſe Mauritius vix tandem præſidio tabulæ evaſit in littus. Utque appareret, immiſſum de cœlo infortunium fuiſſe,

88. Periculum ab inopino Batavorum incurſu.

89. Propulſantur Batavi ope S. Franciſci Xaverii.

Digitized by Google

conglaciavit paulo post oceanus repentina vi frigoris: naves autem male multatas gelu ita constrinxit, ut agi nullo modo possent. Eodem tempore terrestria circum itinera glacie constrata sunt; non ejus tamen firmitatis glacie, quæ resisteret calcantium equorum ungulis, rotisque plaustrorum graviora vehentium onera, sed exili admodum ac fragili; quod impedimento fuit, ne subsidia peditum equitumque cum bellico instrumento Breda submitterentur. Hoc igitur modo, nemine præsidiariorum arma expediente, servata est arx orthodoxæ religionis in Belgio, nec ferme unus omnium fuit, qui præsentem Xaverii opem in tam fortunato eventu non agnosceret.

90. Societas in Belgio fœderato proscribitur.

Dum hæc ibi geruntur, in altera Belgii parte fœderatis ordinibus subjecta, gravius quam unquam antea exagitari cœpit religio: proposito autem novo contra catholicos Sacerdotes edicto, multo inclementius de nostris decretum est, quam de cæteris. Jubebantur alii tantummodo profiteri nomen apud publicos magistratus, & celebrandis catholicorum cœtibus abstinere. At hominibus Societatis tota interdicebatur fœderatorum ditione, cunctisque serio denunciabatur, ut intra sex dies solum verterent, pœnis propositis gravioribus, si post diem sextum in ullo Batavorum loco deprehensi fuissent. Mulctæ constituebantur eorum hospitibus ac receptatoribus, fiebatque omnibus potestas quemcunque nostrorum nacti essent comprehendendi. Demum eodem edicto sanciebatur, ut trecentis florenis multaretur quicunque ad Jesuitas litteras mitteret, aut ab iisdem missas reciperet. Quæ fuerit tantæ contra nos acerbitatis causa,

91. Proscriptionis quæ fuerit causa.

non satis habeo compertum. Nam proditiones regnorum, & regum cædes, crimina olim nobis objecta, ab aliis perpetrata, palam diluerat in Senatu Batavico Mauritius Princeps Arausicanus, cujus summa erat apud ordines fœderatos auctoritas, diserteque affirmaverat, constare sibi, procul esse a moribus Societatis ejusmodi scelera, quæ ipsi per meram calumniam appingi solerent. Verius ergo sit suspicari, ab sectæ magistris edictum illud atrox fabricatum fuisse. Sane illi Societatem aversabantur præcipue, tum quia graves acceperant hactenus ab ea clades, tum quia graviores timebant in posterum, videbantque nunquam se quietos fore, quamdiu cum ejusmodi hostibus congrediendum esset. Ad præcidenda itaque certamina plerumque sibi probrosa, semper molesta, credibile est, tandiu eos institisse inflammare contra nos magistratus, donec edictum quod modo diximus extorserunt. Cæterum nemo e nostris propterea locum deseruit. Tantum cavebant ne se darent in publicum, cœperuntque posthac adesse catholicis, non remissius, sed cautius.

92. Res Provinciæ Lugdunensis. Novum templum dedicatur Lugduni.

Ex Belgio progredimur in Galliam, & a provincia Lugdunensi rerum scribendarum initium sumimus. In ipsa urbe Lugduno Antistes Simon Dionysius Marquemontius novum Societatis templum, cujus ante quinque annos primum lapidem consecraverat, uni ac trino Deo dedicavit, incredibili totius urbis celebritate, & lætitia. Et erat sane cur civitas Lugdunensis tantam ædificii molem ad culmen eductam sibi gratularetur: multum enim de suo ad opus perficiendum contulerat. Præter pensiones in annos singulos persolutas, largita nuper fuerat in eundem usum duodecim aureorum millia de congiario nescio quo, regis munificentia sibi donato. Quædam præterea, dum extrueretur, acciderant supra communem ordinem, quæ præcipuam templo religionem conciliabant. Erat jam opus pene perfectum, cum unus nostrorum, ausus ascendere in summum tabulatum prope fornicem, fallente vestigio decidit in pavimentum. Ex tam præcipiti casu omnino debuerat in frusta comminui. Ne leviter quidem allisus est, sed statim in pedes surrexit incolumis. Admirationem omnium cumulavit, quod asseres ex eodem tabulato in alterius caput delapsi, nihil illum læserunt. Mirabile id, sed forte mirabilius quod subjicio. Educta ad fastigium templi facie, tollebatur machina prægrande saxum vertici superimponendum, spectante e subjecta via hominum innumera multitudine. Ecce autem, ut ad summam altitudinem evectum est, rumpitur victa pondere trabs unde pendebat. Mirum dictu! Moles pendentis lapidis, divina regente manu, delata est supra paratam

93. Quædam supra naturæ usum eveniunt circa illud.

Digitized by Google

tam baſim, in eaque conſedit tam apte, tam congruenter, ut nihil præterea fuerit quod in ea aptanda facerent cæmentarii: trabs vero contrita in terram ita decidit, ut læſerit neminem. Dedicato, uti diximus, novo templo, accidit ut Lugduno tranſiret Rex Ludovicus, regiam victis hæreticis, & pacato regno repetens. Triumphalem illico pompam paraverunt cives, quæ Regem deceret, eumque victorem. At Rex vere Chriſtianiſſimus, reputans, quo die erat in urbem ingreſſurus agi feſtum Virginis ſine labe conceptæ, nec fas exiſtimans obſequii ſui cauſa averti populum a religionibus ejus diei, præmiſſis adventus ſui nunciis, omnia vetuit lætitiæ publicæ ſigna. Ut vero ſpectaculum civitati daret multo præſtantius, mane ſummo urbem ingreſſus cum regia conjuge, recta contendit in primariam baſilicam, ubi poſt uſitata religionis officia, de ſacra menſa percepit: mirante populo pietatem principis, eamque cæteris ejus laudibus præferente. Poſt meridiem Rex in novo templo Societatis concionem haberi juſſit a P. Gaſpare Seguirano, quo utebatur a confeſſionibus, ad eumque audiendum venit cum regina. Poſtremo precibus veſpertinis interfuit inſigni pietatis modeſtiæque exemplo, quod in oculis frequentiſſimæ urbis exhibitum, mirum ut omnes affecerit.

94. Pietatis exemplum a Ludovico Rege exhibitum.

Circa labores Patrum Lugdunenſium multa ſunt in litteris hujus anni, ex quibus pauca curſim delibo. Lugduni e grege Calvini ad Eccleſiam traductos invenio triginta quinque, atque unum nominatim bello egregium, qui jamdiu arcem munitiſſimam tenebat pro ſecta. Is errorem dedoctus a noſtris, & ad ſaniora conſilia revocatus, arcem ultro reddidit regi, ipſique & Eccleſiæ ſacramentum novæ fidei dixit. Pari laboratum eſt fructu in aliis provinciæ locis. Ex collegio Avenionenſi duodecim operarii in evangelicas expeditiones miſſi, præter uſitatiorem ejuſmodi laboris fructum, Calviniſtas ſexdecim Montilii, Bagnolii centum ab hæreſi ad veritatem traxerunt. Pontiſalii (nobile id oppidum eſt apud Sequanos) ſtatio erat Societatis collegio Biſuntino obnoxia. Stationem iſtam non æquo ferebant animo aliqui oppidanorum, & ſæpe antea de pellendis Patribus conſilia agitaverant. Hoc anno tanta facta eſt animorum inclinatio erga ipſos, ut cogitarent de ſtatione in formam juſti collegii redigenda, nihilque timerent magis, quam ne noſtri abirent. Sacerdotes quatuor ad incolas vallium alpinarum profecti ſunt ex collegio Ebredunenſi, eorumque opera expiati quam plurimi, pax inter diſſidentes compoſita, ſacræ ædes, quas vel temporum, vel hæreticorum injuria diruerat, refectæ, & ornatæ fuerunt: reducti demum ad catholicam veritatem non pauci, quos non tam animi pravitas, quam hæreticorum improbitas & fraudulentia corruperat. Ebreduni e ſecta Calvini redierunt ad Eccleſiam octo, quo in numero admirationi præſertim fuit femina nobilis, mira hactenus pertinacia, & pluſquam muliebri vanitate. Qua valebat loquacitate, profitebatur ſæpe, nullius ſe catholici doctrinam pertimeſcere, eoque placebat ſibi plurimum, & apud ſuos in pretio erat. Tamen auſa cum noſtro Sacerdote ſermonem ſerere de religione, ſubmiſit ultro faſces; neque ſolum vanitatem ſectæ, quod facillimum erat, agnovit, verum etiam damnavit. Cabelii calvinianos viginti duos expugnarunt eodem anno operarii collegii Viennenſis, ac præter cæteros anum pervicaciſſimam annorum octoginta, quæ ſupremum ægrotans, in ipſo vicinæ mortis diſcrimine errorem mordicus defenſabat. Non ſunt hoc loco prætereunda illuſtriora quædam exempla virtutum, quibus eodem tempore Mariana ſodalitia claruerunt. Plenus erat ager Avenionenſis hominibus calamitoſis, quos ſtipendia meritos rex, bello confecto, exauctoraverat. Eos magiſtratus arcebant moenibus, quippe morbis & egeſtate oppletos, ne contagione inficerent civitatem. Ne inopia perirent, effectum eſt miſericordia ſodalium Avenionenſium. Unus villam ſuam ſuburbanam attribuit, ut in uſum publici noſocomii verteretur. Alter, licet haud multum locuples, quamdiu vis illa morbi deſæviit, ſingulos quotidie aureos in eorum ſubſidium erogavit. Nec taecendus alter, qui mortui cadaver e via publica ſublatum humeris detulit ad ſacram ædem,

95. Hæretici ad Eccleſiam reducti Lugduni.

96. Res geſtæ ſociorum in variis provinciæ locis.

97. Marianæ ſodalitates virtutum exemplis illuſtratæ.

Digitized by Google

chriſtiano ritu ſepeliendum. Biſuntii unus quidam fortuito caſu abreptus flumine, in eo prope erat ut mergeretur, ſpectantibus e ripa pluribus, nemine audente propter periculi magnitudinem opem ferre. Sodalis Marianus, ſecum reputans eſſe ſe in clientela divinæ Matris, conjecit ſe in amnem medium, perque obſtantes undarum moles magna vi lacertorum natans, miſerum jam pene fluctibus obrutum ab interitu vindicavit. Camberii adoleſcentes aliquot e minori Virginis ſodalitio, die quadam egreſſi urbe, quatuor conſpexerant viros diſtrictis inter ſe enſibus ferociter digladiantes. Accurrunt propere, dirempturi ſi qua poſſent pugnam. Jam tres humi jacebant ſaucii. Eos pii ſodales tollentes humeris in urbem deportaverunt. Unus inter brachia geſtantium, piaſque eorum cohortationes expiravit. Reliqui duo cognatis traditi, curatique vixerunt. Factum multis laudibus civitas celebravit, nec dubitarunt magiſtratus noſtris hominibus gratias agere, pro certo ſumentes, fruges tam maturæ virtutis in tali ætate non niſi ex cultura Societatis adoleviſſe.

98. Lætitiæ ſigna ob Ignatium & Xaverium ſanctis adſcriptos.

Per idem tempus, ut in aliis pleriſque provinciis, ſic etiam in Lugdunenſi eximio populorum ſtudio celebrabatur lætitia Societatis, ob honores ſanctorum nuper Ignatio, & Franciſco Xaverio decretos. Non eſt hujus operis perſequi diligentius, quæ in ſingulis civitatibus acta ſunt. Ut tamen aliqua curſim attingam, Dolæ ſupplicationes in illorum honorem indictæ fuerunt, tanta omnium ordinum voluntate, ut Senatores duo pene decrepiti, iidemque podagra laborantes, nec morbum excuſaverint, nec ætatem, ne ſupplicatum irent una cum Senatu reliquo, & civitate. Ebreduni tum cives, tum Canonici, ut auguſtiori pompa celebraretur gaudium tam inſigne Societatis, multa de ſuo contulerunt. Anguſtior erat eo tempore collegii Ebredunenſis ædes, & ſacræ ſupellectilis parum locuples. Canonici primarium urbis templum cum omni inſtrumento nobis per illos dies permiſerunt. Neque hoc contenti, præſentiam quoque ſuam, & vocis miniſterium ubicunque opus fuit præſtiterunt. Quin, inſtituta ſupplicatione, procedere voluerunt uno agmine ſinguli cum noſtrorum ſingulis, & noſtris quidem honoratiorem locum fruſtra repugnantibus reliquerunt. At Camberii B. Pater Ignatius diem ſuis honoribus lætum mirabili beneficio lætiorem fecit. Jacebat podagræ doloribus oppreſſus Senator nobilis, dum forte civitas, ob conceſſum nuper Ignatio & Franciſco Xaverio ſanctorum nomen & cultum, lætitia publica perſtrepebat. Jacenti, omneſque ſe in partes ob doloris acerbitatem volventi, venit in mentem Ignatii. Hunc audierat olim murali tormento ictum graviſſimos dolores pertuliſſe fracta tibia, iiſque ope Principis Apoſtolorum fuiſſe divinitus liberatum. Rogat ergo Ignatium, ut quam ipſe opem in pari calamitate accepiſſet a patrono ſuo S. Petro, eandem ſibi nunc clienti ſuo, ac ſupplici afferat. Vix precem expleverat, jamque moleſtiam nullam ſentiebat. Graviori tum cruciatu, tum etiam periculo erepta eſt mulier quædam Grajaci apud Sequanos. Mortuum in utero fœtum retinebat a tribus diebus, nec ejus extrahendi ſpes erat, niſi ſecto utero. Aderant chirurgi, & ad diram ſectionem accingebant. Quo illa animo, quo vultu ferrum depromptum jam, expeditumque reſpectaret, facile eſt conjecturam facere. Inter hæc miſeræ oblata neſcio quo caſu eſt Ignatii effigies papyro impreſſa. Arripuit illam mulier, admovit ſibi magna fiducia: invocato autem ſemel atque iterum nomine Ignatii, levi conatu exanime onus effudit. Mitto hujus generis alia. Tantum addo notabile ſeveritatis exemplum, quo B. idem Ignatius dicacitatem coercuit obtrectatoris ſui, ut ſcias beatum virum neque invocari fruſtra, neque impune violari. Orgileti, quod Sequanorum oppidum eſt non ignobile, vir profeſſione religioſus cum apud amicum accumberet in frequenti convivio, ut forte illatus eſt ſermo de miraculis, quibus Beatus Pater Ignatius in dies magis inclareſcebat, ſalſe ſubridens, nec ſine contemptu: *Magnum*, inquit, *narratis mihi ſanctum, qui dentium dolores mitiget*. Offendit convivas procacitas joci. At nugator cito pœnas intemperantis linguæ dedit. Intra paucos dies corripitur acri dolore dentium, quo ſenſim ingraveſcen-

99. Beneficia quædam a S. Ignatio impetrata.

100. S. Ignatii obtrectator pœnas dicacitatis luit.

Digitized by Google

ſcente, nulla arte juvari potuit, ne ex illa acerbitate moreretur.

101. Obitus & elogium P. Petri Biardi.

Ex omnibus qui hoc anno vivere in provincia Lugdunenſi deſierunt, luctu maximo elatus eſt Avenione P. Petrus Biardus Gratianopolitanus. Religionis propagandæ ſtudio navigaverat ad barbaros Canadenſes, fueratque inter primos ejus terræ cultores, ut in quinta parte narratum eſt. Inde pulſus ab hæreticis Anglis, & redire in Galliam coactus, totum ſe impendit juvandis popularibus ſuis, quorum ut ſaluti conſuleret, nihil ſibi reliqui ad laborem diligentiamque faciebat. Ejus tamen induſtriam experti maxime ſunt Parodienſes in præfectura Carolitana, quam civitatem per uſitata ordinis miniſteria diu coluit. Noviſſime regionis præfectus Marchio Ragnius, juſſus a rege copias in Campaniam ducere contra Erneſtum Mansfeldium Galliæ finibus imminentem, Biardum ſibi adſciverat comitem expeditionis, & ſacrorum miniſtrum. Per eam occaſionem neſcias, utrum ſpectata magis ſit apoſtolici viri charitas, an patientia. Magna erat in caſtris inopia commeatuum. Diaria militibus præbebantur adeo maligne, ut nonnulli fame perirent. Biardus cibaria, & demenſum ſuum, ac ſiquid præterea pecuniolæ a ditioribus emendicando corrogaſſet, inter egentiſſimos militum partiebatur, ſe ipſum fraudans diurno victu, ut aliis benigne faceret. Avenionem conceſſerat denique, ut attritas tot laboribus vires paucorum dierum otio reficeret. Verum quaſi divinans, inſtare ſibi omnium laborum & vitæ finem, totum illud tempus impendit excolendo piis commentationibus animo inter tirones, ſeque ad primam tirocinii formam ſenex emeritus ita compoſuit, ut nullam omitteret earum exercitationum, quibus ad ſui mundique contemptum erudiri ſolent novitii. His intentum, nihilque jam præter cœleſtia cogitantem mors oppreſſit, xv. Cal. Decembris. Biardi jacturam plures ſuppleverunt egregii juvenes eidem tirocinio additi. Unus tamen memorandus ex cunctis, quem nobis humana major providentia ſervavit. Societati dederat nomen adoleſcens, parente non ſolum invito, verum etiam inconſulto. Is ut rei certior eſt factus per litteras, dolore perditus, ocyus venire Avenionem ex oppido ſuo ſtatuit, ut filium ad ſe quocunque modo reciperet. Hac mente ſe dat in viam, equo inſidens familiari. In itinere ſemel, iterum, & adhuc tertio dejicitur equo, quo ſemper mitiſſimo uſus fuerat. Enimvero mirum id homini accidere. Cogitare ſecum, forte iter illud ſuum, & itineris cauſam Deo non probari. Hæſit paululum ea cogitatione defixus. Demum ita plane eſſe intelligens, conſilium mutavit, & filio bene precatus domum reverſus eſt. Idem annus novum provinciæ Lugdunenſi collegium dedit ad Aquas Sextias. Poſtulaverat Societatem civitas ante annos ferme quadraginta: ſed quæ erat tunc paucitas ſociorum, licet de conditionibus excitandi collegii tranſactum jam eſſet, dilata in aliud tempus fuerant ejus vota. Interea orti ſunt civiles Galliæ tumultus. Secutum haud multo poſt exilium Societatis, quo non ſolum res eſt omnis intermiſſa penitus, & abrupta, verum etiam alienati plurimum a rebus noſtris Aquenſium animi. Mutatis demum temporibus, revixit in eorum pleriſque vetus collegii deſiderium. Negotium haud difficulter conficiendum videbatur. Erant quippe conſules egregie animati, favebat Rex, provinciæ adminiſtrator Carolus a Lotharingia dux Guiſiæ nihil optabat impenſius. Verum obſtabat ſuprema curia (Parlamentum Galli vocant), noſtrorumque adverſariorum precibus & conſiliis cedens, vetabat ne ad eam rem deliberandam coiret conſilium civitatis. Rebus ita ſe habentibus, moram omnem disjecit benignitas regis. Comperto enim Societati adverſari admodum paucos, annuit petitioni civium clariſſimorum, a quibus libellum acceperat ſupplicem, ut hominibus Societatis donaret cum ſuo cenſu gymnaſium Borbonium, quod Aquis Sextiis conditum ab Henrico magno fuerat; idque regio diplomate fieri quamprimum juſſit. At ecce tibi nova contra nos, nec opinata malevolorum molimina, Non audentes decreto regis palam obſiſtere, ejus ſaltem ut beneficium ex parte corrumperent conabantur. Agebatur de conditionibus, quibus tradendum eſſet Societati gymnaſium Borbonium. Illi multa nobis imponi curarunt ab inſtituti no-

102. Novitius memorabili eventu Societati ſervatur.

103. Aquis Sextiis collegium conſtituitur.

104. Gravis imponitur conditio, ſed mox abrogatur.

Digitized by Google

nostri rationibus abhorrentia, atque illud inter alia, ne in toto eo Galliæ tractu, qui Provinciæ nomine designatur, liceret nobis aliud habere unquam domicilium, præter Aquense. Erat id temporis provinciæ Lugdunensis præses P. Joannes Forerius, qui tametsi intelligeret gravissimam conditionem esse, tamen contra hiscere non est ausus, satis habens collegium recipere ea cautione, si Præpositus Generalis acta probasset. At Mutius adeo non probavit, ut dimitti mallet collegium Aquense, quam cum ejusmodi conditione retineri. Nam cur prohiberi Societatem, ne aliis quoque provinciæ civitatibus, si quando illæ vellent, copiam sui faceret? In hanc sententiam rescripserat ad Provincialem. Verumtamen Rex, ut integrum nobis fructum beneficentiæ suæ præstaret, novas confici jussit pactorum tabulas, molesta conditione omissa penitus, & abrogata. Sic immissi in possessionem gymnasii Borboniani Patres, novum Aquis Sextiis collegium hoc ipso anno exeunte aperuerunt.

105. Res Tolosanæ. P. Hervæus Malvesius ab hereticis interficitur.

In provincia Tolosana duo desiderati sunt operarii insignes, & annalium memoria digni, P. Hervæus Malvesius, & P. Joannes Lagarde, ambo ab malevolis, non eodem tamen modo, perempti. Malvesius militibus regiis obsidentibus Montalbanum subvenerat anno superiore, eique rara felicitate lues, quæ late in castris grassabatur, etsi nullum ministerii genus prætermittenti pepercerat. Missus inde Cleracum, Aquitaniæ oppidum perduellibus haud ita pridem ereptum, militibus civibusque sacra ministrabat: cum accidit subita gregalium proditione, ut reciperentur denuo intra mœnia rebelles. Dum clamor tota urbe personat, dum omnes ad arma consternantur, Malvesius accurrere huc illuc, regios ad agendum fortiter cohortari, saucios cadentesque a peccatis absolvere. Agnitus est ab irruentium perduellium globo Sacerdos Societatis. Nec mora: trajicitur prius glande ignea, mox acinace in caput alte demisso, Jesum ac Mariam ingeminans, interficitur. Fuerat exempli semper recti vir, pluribusque virtutibus, sed alienæ præsertim salutis studio, & contemptu sui spectabatur. Incidit ejus mors in IX. Cal. Martias. Natus erat in diœcesi Petrocoricensi ante annos sexaginta quatuor, quorum triginta quinque confecerat in Societate. Ejus corpus post plures menses incorruptum, & recenti adhuc aspersum sanguine inventum est. Lagardius patria Tullensis, versabatur in regia classe, qua dux Guisius Xantonicam oram ab incursionibus Rupellensium tuebatur, epibatisque & nautis aderat ministerio sacrorum. Vidit casu nefarium præstigiatorem noctu circulos, aliasque maleficii formas describentem, nec continere se potuit quin arriperet hominem in ipso compertum scelere, & ejiciendum navi curaret. Ille cum ejiceretur, accessit ad Lagardium propius, ac nescio quid ignoti carminis in aurem insusurrans, eidem pestem afflavit exitialem, unde vertigo subita, febris, tremor, animique defectio. Milites classiarii, quibus cara Lagardii vita, & præsentia utilis, cum nulla esset in navi curationis facultas, exponendum curaverunt in oram proximam, collatis de suo pecuniis, ut curari posset pro loco non incommode. Decubuit ad plures dies Lagardius in humili prope littus spelunca, donec delatus in vicinam insulam ad ostia Ligeris, apud Parochum S. Riani pie decessit XVIII. Cal. Septembris, anno ætatis vigesimo septimo, ab inita Societate undecimo. Multiplici florebat scientia, sed ea nihil inflatus, de se ac rebus suis humillime sentiebat. Duos annos versatus in sacris expeditionibus, toto hoc tempore socio provectioris ætatis pene pro famulo fuerat. Adeo malorum patiens, ut quæcunque acciderent, non animum, non vultum mutaret. In obsidione Tonnensi plures continenter noctes exegerat omnino insomnes, paratus accurrere quocunque militum usus poscceret, nec visus unquam fuerat tot incommodis molestia affici.

106. Mors & elogium P. Jacobi Lagarde.

107. Res Parisienses. Obitus & elogium P. Antonii Gaudier.

Pacatiorem egerat vitam, & communiorem vitæ exitum habuit Parisiis P. Antonius Gaudier, ab annis ferme quinquaginta natus Castroterii, in oppido diœceseos Suessionensis. Vir moris integerrimi erat, & theologiæ quam vocant mysticam scientissimus, ut plures ejus libri testantur. Adhuc adolescens annorum septendecim, cum videret totam late Galliam civilis incendio belli misere con-

Digitized by Google

conflagrantem, quietem pietatis & ſtudiorum altricem quæſivit in Societate. Juvenem præſtanti ingenio, ac liberaliter educatum libentiſſime admiſerunt noſtri moderatores: veruntamen mox ob incommodam valetudinem e tirocinio dimiſerunt, quippe ordini futurum, ut videbatur, oneri magis quam uſui. Ille profectus in Belgium, non ſolum ut denuo inter noſtros cooptaretur obtinuit, verum etiam quot vixit exinde in Societate annos triginta tres, utiliter admodum ac fructuoſe tranſegit: ordini adeo non gravis, ut vix alius eſſet, cui graviſſima quæque miniſteria committi tutius poſſent. Ac magnam quidem vitæ partem inſumpſit inter Belgas, nunc in ſacris paginis explicandis, nunc in adminiſtrando collegio Leodienſi occupatus. At anno labentis ſæculi decimoquarto rediit in ſuam Galliam, ac moralem theologiam tradidit in Muſſipontano collegio prius, deinde in Flexienſi, præfecturam interea inter domeſticos gerens earum rerum, quæ ad conſcientiam pertinent. Poſtremo Lutetiam accitus, Sacerdotum noſtrorum, qui tertio probantur anno, inſtitutioni præficitur: cujus muneris dum partes omnes ac numeros egregie implet, morte eſt interceptus poſtridie Idus Aprilis. Orandi uſu aſſiduo P. Gaudier miram in rebus cœleſtibus intelligentiam erat adeptus, cujus luculenta videre licet indicia in ejus operibus, fovendæ excitandæque pietati utiliſſimis. Idem in diſcernendis animorum affectionibus multis, & variis, ſumme perſpicax. Idem in fraudibus mali dæmonis detegendis diſſipandiſque ſolertia pluſquam humana præditus. Cujus præſertim rei cauſa factum exiſtimo, ut illum inferni ſpiritus inſectarentur inexpiabili odio, & horrendis ſepe ſpectris inceſſerent, quæ tamen ille exemplo magni Antonii, cujus gerebat nomen, ut puerorum terriculamenta contemnebat. Olim Leodio cum iter faceret Luxemburgum, quamquam plana erat via, ac nullis ſalebris impedita, una cum equo prolapſus repente eſt tam præcipiti caſu, ut crus fregerit. Eodem momento temporis Leodii mulier energumena cachinnos ingentes tollere in templo palam, exilire gaudio, prope amentiam lætari viſa. Coactus per ſolemnia Eccleſiæ carmina malus dæmon effari, quid iſtud eſſet lætitiæ tam inuſitatæ, tam ſubitæ? *Nunc*, inquit, *tibiam ſibi male confregit rector Jeſuitarum, nec per me ſtetit, quin cervicem quoque frangeret*. Societatis leges omnes ſervabat exacte uſque ad ultimos apices. Religioſam vocationem tanti faciebat, ut quoad vixit magno ſemper in metu fuerit, ne quo ſuo merito ab ea excideret. Illud itaque in morbo extremo ſibi præcipue eſt gratulatus, quod jam ſperare certo poſſet ſe moriturum in Societate: quamquam, addidit, nunc etiam timenda mihi ſunt occulta Dei judicia. Pridie quam expiraret, circumfuſos lectulo Patres ſupremum alloquens, ea de ſe dixit, quæ cunctis lacrymas excuſſerunt, & novos ad pietatem ſtimulos ſubjecerunt.

108. Quanto illum odio dæmones inſectarentur.

Provinciæ Aquitanæ duo collegia hic annus peperit, primum Pali in Bearnia, alterum Engoliſmæ. Bearnienſe debuit Societas munificentiæ Ludovici Regis, qui cum totus in eo eſſet, ut poſt pacatam provinciam hæreticos ſibi jam ſubjectos Eccleſiæ etiam auctoritati ſubjiceret, id ſe non alio facilius modo conſecuturum exiſtimavit, quam ſi Societatis coloniam in eam regionem deduxiſſet. Acceſſere vota catholicorum id ipſum enixe per libellos ſupplices flagitantium. Rex igitur ſub initium anni Bleſiæ, ubi tunc erat, diploma confecit de collocandis in Bearnia hominibus Societatis. Eo diplomate, præfatus valde ſe cupere Bearnienſes hæreſeos vinculis expediri, eaque propter conſilium cepiſſe conſtituendi apud eos collegium virorum religione doctrinaque præſtantium, ad ejuſmodi uſum, ſubjiciebat, viſos ſibi præ cæteris deligendos homines Societatis Jeſu, quippe quos ſciret, ob integritatem copiamque doctrinæ, ac ſtudium religionis amplificandæ, futuros conſiliorum ſuorum per quam idoneos adminiſtros. Tanto verborum honori reſpondit munificentia factorum. Collegium dotavit amplo cenſu, regium appellari juſſit, voluitque eſſe eodem jure, quo Flexienſe a patre ſuo Henrico magno fundatum. Quod ad locum attinet, permiſerat Societatis arbitrio, in qua potiſſimum Bearniæ urbe collocari domici-

109. Res Aquitaniæ. Fundatur collegium Palenſe.

Digitized by Google

cilium placeret. Noſtri Palum oppidis cæteris prætulere, provinciæ caput ſcilicet, & Henrici magni natalibus illuſtratum. Pali ergo P. Petrus Cotonus præpoſitus provincialis collegium aperuit, treſque ſtatim ludos litterarios teneriori ætati dedit. Collegium Engoliſmenſe non ſine multiplici noſtrorum moleſtia fundatum eſt. Aberat Engoliſma Epiſcopus ejus urbis, dum civitas cum P. Cotono agebat de inducenda propediem in ſuam urbem Societate: ſignificaverat tamen per litteras, placere vehementer ſibi quod de collegio inſtituendo tranſactum erat. Tantum admonuerat magiſtratum urbanum, ne id antea fieret, quam ipſe Pariſiis, ubi tunc degebat, Engoliſmam rediiſſet. Poſt aliquot menſes civitas, longam eſſe moram videns, nec extrahendam ulterius putans rem civibus optatiſſimam, & regis auctoritate confectam, vocavit ad ſe Patres, & in domicilii poſſeſſionem immiſit, non expectato Epiſcopi adventu. Erat hic a Societate non alienus. Factum nihilominus ferens indigniſſime, reverſus Engoliſmam noſtros excedere quamprimum juſſit, cenſuris notandos, niſi juſſa facerent. Abire parantibus vi reſiſtebat civitas, & invitos detinebat. Jus exilii, ajebant, penes regem duntaxat eſſe: veniſſe eos voluntate regis, non debere niſi ejuſdem juſſu diſcedere. Rurſum Epiſcopus minas cenſurarum intentat, ac reipſa locum non deſerentes uſu ſacrorum prohibet. Noſtri remedio juris utendum rati, appellant Archiepiſcopum Burdigalenſem Cardinalem de Surdis. Is reſciſſa, quatenus opus eſſet, ſententia Epiſcopi, vetat ne quid amplius in ea cauſa moveatur, inconſulto ſe. Viciſſim Epiſcopus ad Senatum Pariſienſem provocat ex formula, quam vocant *ab abuſu*, atque interim noſtros contumaciæ damnatos anathemate ferit, ſubjiciens eidem pœnæ, ſi qui eorum commercio uterentur. In hoc rerum ſtatu Engoliſmam venit Cardinalis Surdiſius metropolita, juſſiſque omnibus negotio abſtinere, cauſæ cognitionem inſtituit, dicta partibus die, qua apud ſe convenirent. At idem mox, poſita perſona judicis, negotium citra fori contentionem tractare aggreditur. Cum nullam noſtri recuſarent ex conditionibus quas ille proponebat, brevi negotium ex æquo & bono confectum eſt. Concordiæ leges fuerunt tres: prima, ut noſtri per aliquot dies ſcholas occluderent: altera, ut eas recludendi veniam peterent ab Epiſcopo: poſtrema, ut eundem in collegium venientem honorifica oratione exciperent, ac ſalutarent. His addi poſtulabat Epiſcopus, ut urbe, ad quantulumcunque tempus excederent, proponebatque, ut digreſſi paululum ad cœnobium Capuccinorum extra urbem, ibi rei ſacræ intereſſent, ac ſtatim per aliam portam regrederentur. At adverſus hanc conditionem civitas interceſſit adeo vehementer, ut res prope ſeditionem venerit. Quocunque nimirum nomine velaretur profectio illa Patrum, exilii ſpeciem præferre: nec ſe paſſuros, inquiebant, Epiſcopum uſurpare jus eos exilio multandi, qui regis auctoritate fuiſſent intra urbem recepti. Hac ergo conditione omiſſa, cæteris autem, uti convenerat, ſine mora completis, ſtetit collegium Engoliſmenſe, & ſcholæ iterum cum bona Præſulis venia patuerunt.

110. Primordia collegii Engoliſmenſis ab Epiſcopo turbantur.

111. Componuntur omnia interventu Cardinalis Surdiſii.

Idem annus provinciam Campaniæ novo collegio auxit Divoduri, quam antiquiſſimam urbem Metas uſitatiore vocabulo vulgus nominat. Collegium iſtud ad exſtirpandam Calvini hæreſim inceptaverant ante annos circiter quinquaginta Carolus a Lotharingia, & Ludovicus a Guiſia, germani fratres, ambo Romanæ Eccleſiæ Cardinales: ſed quæ tunc erat hæreticorum potentia, coacti fuerant opus intermittere; quodque Metis non licebat, perfecerant feliciter Muſſiponti. Annis poſt illud tempus evolutis decem, rem eandem aggreſſus pro viribus Antonius Furnerius Metenſis Epiſcopi ſuffraganeus, fortuna uſus fuerat paulo meliore, inductis reipſa Metas operariis Societatis, qui quidem per annum integrum ea in urbe manſerunt. Quod tamen optabatur, ut ſtabilem haberent ac perpetuam ſedem, id ne tunc quidem confici potuit, repugnante hæreticorum factione, adhuc numero viribuſque prævalida. Tentata denuo, & prope ad exitum perducta fuerat res poſt annos pariter decem. Cum enim ſummus Pontifex quoddam ſuppreſſiſſet illius urbis cœnobium, Epiſcopus Me-

113. Res Campaniæ, Collegium Metenſe ſæpius diſturbatum.

Digitized by Google

Metenſis, Ducis Lotharingiæ filius, impetraverat a Pontifice, ut cœnobii ædes & cenſus ad collegium nobis conſtituendum tranſcriberentur. Sed quo tempore decretum iſtud conficiebatur Romæ, prodiit illud Pariſienſe, quo Societati tota Gallia interdicebatur: quodque noſtro ordini deſtinabatur cœnobium, aliorum adminiſtrationi commiſſum fuit. Revixit eadem Metenſium deliberatio ſimul ac poſtliminio reſtituta fuit Societas ab Henrico magno. Principem rogaverunt ſtatim per libellos ſupplices, ſibi ut liceret tradere urbis ſuæ gymnaſium hominibus Societatis. Sed quamquam illis reſponderet ad vota rex clementiſſimus, ſimul tamen admonuit amice noſtros, ut cunctarentur paululum domicilii illius poſſeſſionem adire, donec hæreticorum odia deferbuiſſent. Fluxere poſt hæc anni ſexdecim. Cum nihil hæretici hoc præterito tempore de ſua erga nos acerbitate remiſiſſent, non ideo cunctandum ultra cenſuit Henricus Borbonius ejuſdem Regis Henrici filius, cui delata nuper Metenſis inſula. Spretis eorum interceſſionibus & querelis, faciendum omnino ſibi ſtatuit, ut res tandiu prorogata aliquando tandem perficeretur, atque hoc ipſo anno ad IX. Cal. Maji gymnaſium urbanum Societati commiſit, dimiſſis qui illud hactenus adminiſtraverant profeſſoribus. Factum non ſolum probavit Rex Ludovicus, verum etiam, ne qua ſuboriri poſſet dubitatio de jure poſſeſſionis, eam denuo noſtris a regio præſide tradi juſſit. Quo id animo acceperint Calvinianorum duces, pronum eſt intelligere. Dejecti ſpe arcendæ Societatis ab urbe, arcendos ſaltem gregales ſuos ab omni commercio Societatis curarunt, eoque conſilio novum ipſi gymnaſium aperuerunt. Sed nihil magnopere profuit. Gymnaſium iſtud rex intra paucos menſes occludi juſſit, unde impoſita pleriſque neceſſitas ſuos mittendi liberos ad ſcholas Societatis. Succeſſu temporis Calviniani, cum viderent ſuos filios ſatis feliciter inſtitui ſub diſciplina noſtrorum, ſenſim miniſtrorum ſuorum voces aſpernari cœperunt, nulloque eorum reſpectu adulti ipſi ſe noſtris hominibus docendos præbuerunt. Ante exitum hujus anni ſexaginta ad Eccleſiam redierunt.

113. Nunc demum decernitur, & perficitur.

Dum hæc agebantur Metis, Mansfeldius, de quo dictum eſt ſupra, prædatorium exercitum illum ſuum per Campaniæ fines ductabat in Belgium. In itinere cum militum permulti, vel inopia ſtipendiorum, vel tædio militiæ, ſigna deſererent, eos per agros & ſilvas vagos, rerumque omnium egenos ruſtici inclementer exagitare cœperunt, & plures ſubinde interficiebant. Rumor hujus rei allatus ad Patres collegii Carolopolitani, movit ipſorum charitatem ut miſeris opem ferrent. Ad eos igitur perquirendos egreſſi, non ſolum pagos proximos, ſed etiam ſilvas, ſaltuumque latebras circumcurſarunt. Labor ſine fructu non fuit. Quidam inventi in ſuo jacentes ſanguine, & miſerabiliter interempti: plures enecti fame, nonnulli prope mortem ægrotantes. Cunctis, pro ſuo cujuſque ſtatu, benigne factum. Mortuorum corpora humi condita, inopes cibo refecti, morientes ſacrorum miniſterio recreati. Quo miſericordiæ exemplo magis, quam Patrum ſuaſionibus victi ex illo numero duodecim, hæreſim abjecerunt. Per idem tempus Muſſiponti diem clauſit extremum Joannes Dominæus, patria Victoriacenſis, profeſſione ſcholaſticus, ætate juvenis annorum undeviginti. Annorum paucitatem optimus juvenis magnitudine virtutum in tantum amplificaverat, ut miram haberet apud omnes domeſticos ſanctimoniæ opinionem. Hanc porro proxime poſt ejus mortem ſingularis eventus comprobavit. Verſabatur in eodem collegio juvenis, certis de cauſis dimittendus propediem a Societate. Nequidquam miſer adhibuerat preces & lacrymas, ut retineretur. Deliberata res erat, nec ſententiam moderatores mutabant. Ille jacentem in feretro Dominæum videns, accurrit animi motu neſcio quo percitus, eumque arcte complexus: *Te ſaltem*, exclamat, *exorabilem ego inveniam hodie: ades o bone, & tecum me prius trahe, quam hinc abire compellar*. Mirum dictu! Eadem die acri corripitur dolore viſcerum, nec multo poſt, quod tantopere concupierat ut in Societate moreretur, obtinuit. In idem fere tempus incurrit mors P. Joannis Gentilii, cujus viri tanto fuit

114. Socii Caropolitani miſericordiam calamitoſis impendunt.

115. Mors Joannis Dominæi ſcholaſtici memorabili eventu illuſtratur.

Digitized by Google

116. Mors & elogium P. Joannis Gentilii.

jactura comploratior, quanto pretiosior vita omnium judicio habebatur. Dudum antea, cum esset Lugdunensis provinciæ præpositus, tantam sibi pepererat apud summos infimosque auctoritatem & gratiam, ut cum Societas ex Parisiensis Senatus consulto pellebatur, uni illi potestas fieret permanendi, si vellet, in Gallia: quod tamen beneficium Gentilius non admisit, multo calamitosius ratus carere sodalium optatissimorum convictu, quam cum illis pariter exulare. Omni virtutum genere spectabatur, sed miro præsertim, ac nunquam intermisso animarum studio. Obiit Divione eadem sanctimoniæ fama qua vixerat, annos natus septuaginta, quorum tres supra quinquaginta exegerat in Societate.

117. Ingressus in Societatem Caroli a Lotharingia.

Has sociorum jacturas ut mitius Societas ferret, effecit Carolus a Lotharingia ad nos eodem anno transgressus. Vir enim illa generis amplitudine, & cunctos fere Europæ principes affinitate contingens, Virdunensis item Episcopus, & quod vulgo increbuerat, in Cardinalium numerum proxime cooptandus, haud sane mediocre nostro ordini decus & ornamentum attulit. Educatus fuerat ab ineunte ætate Carolus ad bellicam laudem familiæ hæreditariam. Tamen adulto persuaserat Henricus patruus Virdunensis Antistes, ut sacram in ecclesia militiam sequi mallet, quam profanam in castris, eundemque sibi successorem dari impetraverat in Virdunensi episcopatu, quo in nepotem translato, deliberatum habebat Societatem amplecti. Nihil non egit Henricus apud Romanum Pontificem, ut liceret sibi post dimissum episcopatum ad nos transire, sed frustra. Negatam patruo potestatem impetravit per quam feliciter Carolus, cum ecclesiam illam administrasset jam fere quinquennium. Sed talis ineundi consilii quæ occasio fuerit, operæ pretium est cognoscere. Solemne erat Carolo spiritualibus, ut loquimur, exercitiis vacare quotannis octo vel decem dies in secessu pio. Hujus tamen consuetudinis quodam quasi horrore perfusus hoc anno, imperare sibi non poterat, ut abruptis suo more reliquis negotiis, notam peteret solitudinem, licet ad eam se interne pelli sentiret. Ter quaterve Nancejum hac mente venerat, ut sacrarum exercitationum moderatorem exquireret e collegio Societatis: semper redierat re infecta, ac ne verbo quidem de illa facto. Id cum animo suo reputans, facile intellexit vir prudens, tantam animi inconstantiam aliunde oriri non posse, quam a malo dæmone: ac forte, ajebat, magnum aliquid est quod dæmon tantopere conatur intervertere. Quo magis obnitendum contra existimans, adhibitis ultra usitatum modum precibus, victoriam de se demum retulit, petiitque e nostris aliquem, quo duce consuetis B. Ignatii commentationibus exerceretur. Petenti datus est P. Joannes Fagotius, vir consilii singularis, & sæpe in hujusmodi ministerio cum laude versatus. Vix primos dies exegerat Carolus in pio secessu, cum rerum divinarum sensu perfundi cœpit insolito, atque adeo suavi, ut lacrymas præ mentis dulcedine cohibere non posset. Animi suavitatem excepit desiderium vehemens vitæ sanctioris, cum certa deliberatione obsequendi in rebus omnibus divinæ voluntati, quoties sibi innotesceret. Nihil amplius confectum per illos dies. De mutando vitæ statu nihil tunc quidem deliberatum. Virdunum reversus, totum se addixit Carolus implendis quam diligentissime posset officii sui partibus, *Factus*, ut ait Apostolus, *forma gregis ex animo*. Accidit paulo post, ut in collegio Societatis Virdunensi scenæ committeretur Alexius ex domo paterna profugus, cujus generis dramata passim edi solent a pueris apud nos litteris operantibus. Pio & jucundo spectaculo cum interesset Episcopus, novo repente, & inusitato pietatis ardore succenditur. Oculis licet in scenam defixis, pervolutat animo excellens illud christianæ virtutis exemplum, quod aspectui subjiciebatur: exardescit imitandi studio: demum voto se obstringit, in religiosa septa transiturum, si modo votum probaret arbiter conscientiæ suæ P. Fagotius, si Pontifex maximus pateretur. Ut audivit de voto nec opinato Fagotius, hæsit paululum incertus quid consulenti responderet. Mox ab hæsitatione se colligens: Mihi quidem, inquit, ista quam suscepisti mens manifestis in-

118. Ut vocatus fuerit ad genus vitæ sanctioris.

119. Qua occasione amplecti Societatem decreverit.

Digitized by Google

indiciis videtur a Deo injecta. Ea vox homini nihil præter Deum intuenti omnem momento dubitationem exemit. Reliqua erat deliberatio de religiosa familia, cui se potissimum applicaret. Sed in hac re non fuit diu immorandum. De se enim affirmabat Carolus, quibus stimulis ad religionem se ferri senserat, iisdem semper & unice ad Societatem fuisse propulsum.

120. Facultatem impetrat dimittendi episcopatum.

Misso ergo Nancejum Fagotio, qui Lotharingiæ ducem arrepti consilii certiorem faceret, datisque per tabellarium litteris ad Ludovicum Galliarum Regem, sibi ut liceret cum bona ejus venia Virdunenses insulas transmittere Francisco fratri suo natu minori, hominem sibi fidum legavit Romam, ut rei exequendæ veniam a Pontifice exoraret. Dux difficilem se præbuit initio, multaque per aliquot dies molitus est, ut eum a proposito dimoveret. At Gregorius Pontifex, quod plane mirum, ejus confestim annuit precibus, nec audito, ut moris est, Purpuratorum consilio. Quin eidem per litteras amantissimas valde est gratulatus, quod induxisset animum splendorem aulæ cum paupertate Christi commutare, idque laudavit nominatim, quod Deo militare constituisset in Societate Jesu. His acceptis litteris, Carolus dimisit illico opima, quibus instructus erat, sacerdotia, & testamentum condidit, cui subscribens exclamasse fertur: *Utinam hoc puncto temporis ampliſſimas Eccleſiæ dignitates, atque adeo regnum opulentiſſimum poſſiderem! Quam libenter omnia dimitterem Chriſti gratia!* Post hæc perfunctus omnibus quæ agenda erant Nancej, Virdunum perrexit, clero plebique suæ supremum vale dicturus. Præcesserat ejus adventum fama secuturæ mox perpetuæ separationis, nec est dictu facile quantus ob eam rem mœror occupasset amantissimam pastoris sui civitatem. Tali exceptus est omnium comploratione, tot pulsatus querelis, ut ipse professus deinde sit, si qua re a proposito flecti posset, hac una maxime potuisse.

121. Romam venit, & recipitur inter tirones.

Sed tandem victor omnium, quibus ejus constantia tentabatur, Romam magnis itineribus venit. A porta urbis recta contendit ad Mutium, ejusque pedibus advolutus, ut se postridie tironibus aggregaret, suppliciter potiit. Prius tamen quam vestem mutaret, adiit Pontificem maximum, tum officii causa, tum præsertim ut ei gratias persolveret pro facta sibi potestate abdicandi episcopatus. Venientem excepit Gregorius, ut talem virum decuit, perhonorifice: ac post multa ultro citroque jactata, affirmavit, deliberatum sibi fuisse eum propediem legere in Cardinalium senatum, nisi ipse raro virtutis exemplo paupertatem Christi purpuræ, & cunctis humanis opibus prætulisset. Gratias egit pro tam benevola erga se voluntate Carolus, precatusque Pontificem, ut sibi novum vitæ cursum ingredienti bene precaretur, regressus est ad S. Andreæ, eademque die inter tirones est cooptatus. Oblatam Societatis tunicam tam cupide arripuit, toties, ac tam suaviter exosculatus est, ut Patribus, qui circumfusi aderant, multum lacrymarum excusserit. Nec vero de hoc animi ardore remisit aliquando. Annis aliquot præterlapsis audierat ex amici cujusdam litteris, rumorem increbuisse in aula Lotharingica, se minus tranquille vivere in Societate, ac suppœnitere jam consilii sui. Rescripsit ad eundem libere, non modo falsa esse quæ jactabantur, sed præterea se, si nondum esset in Societatem receptus, nec recipi aliter posset, quam usque ad Japones peregrinando, nihil dubitaturum sortem hanc optatissimam usque in Japoniam per sexcenta vitæ pericula quæsitum ire. Addidit, nec recusaturum se remigum ministerio addici, ut Societatis veste donaretur. Adeo de suo statu judicium non mutaverat. Sed de rebus Gallicis satis multa. Ad Hispanicas convertamur.

122. Ejus præclari sensus de religiosa vocatione.

123. Res Bæticæ. Carmonæ collegium conditur.

Provinciæ Bæticæ collegium additur Carmonense, quodque admireris, collegium condi jubet is, a quo nonnihil impedimenti metuebatur. Urbs est Carmona ditionis Hispalensis, minoris illa quidem quam olim amplitudinis, tamen nunc etiam nobilis, & satis culta. Censum alendæ justæ familiæ constituerat ibi ante biennium Petrus de Hojos honestissimus civis, nihil amplius nobis injungens oneris, nisi ut intra annum proxime secuturum aperirentur Carmonæ gymnasia latinitatis. Cum obstare ejus menti videretur edictum recens, ne in tota Hi-

Digitized by Google

ſpalenſi præfectura novum ullius ordinis domicilium conderetur injuſſu regis, eamque ob cauſam noſtri rem protraherent, citatur præter ſpem a regio Senatu Præpoſitus provincialis Franciſcus Alamanus ad dicendam cauſam, cur intra tempus a fundatore præfinitum magiſtros latinitatis non dediſſet Carmonenſibus? Ille, qui nihil mallet, ſine mora collegium Carmonæ poſuit, & ludum litterarium aperuit. Sub idem tempus magiſtros litterarum obtinuit etiam Anticaria, nobilis civitas regni Granatenſis. Philippus Martinus Alvarez ante annos novem ſine liberis moriens, teſtamento condito erigi juſſerat Societatis collegium Anticariæ, in quo Profeſſores alerentur tres, duo latinitatis, tertius philoſophiæ: ſic tamen hæredem ſcripſerat Societatem, ut quamdiu viveret ipſius uxor Aloyſia de Medina, penes eam bonorum uſusfructus eſſet. Non tulit Aloyſia publicum, ut ajebat, civitatis beneficium ampliari uſque ad ſuum *obitum*: ſed tradita jam tum Societati bonorum parte, collocandam Anticariæ *curavit* ſedem ſtabilem ſociorum, meruitque aſſiduitate & magnitudine *beneficiorum*, ut inchoati collegii mater appellaretur. Quod tamen rogabat, ut in eo duæ grammaticorum claſſes aperirentur, perdiu a Præpoſito Generali impetrare non potuit. Cauſam repulſæ dederant Canonici, ſcriptis ad Mutium communibus litteris, quibus ſignificabant, magiſtrum a ſe conductum docere annum jam vigeſimum quartum, nec fas videri, illo ſuperſtite, ac docere pergente, alias inſtituere ſcholas, unde veteri profeſſori quæſtus periret. In eandem ſententiam ipſe ad Mutium perſcripſerat ludimagiſter, addens, eſſe ſibi parentem anum, ſororem viduam, neptes innuptas duas; nec aliud inopi familiæ præſidium ſuppetere, præter mercedes menſtruas, quæ ſibi a diſcipulis penderentur. Moverant hæc ſane Mutium, eoque obfirmaverat de ſcholis, illo vivo, nihil conſtituere. At Aloyſiam angebant querelæ civium ſubinde occinentium, vix non inutilem eſſe Societatem Anticariæ, *niſi* teneram ætatem inſtituendam ſuſciperet; pueros ex ludo publico non plus litterarum, quam vitiorum referre: plures civium eſſe, qui mallent ſuos liberos adoleſcere ſine litteris, quam illic erudiri. Accedebant aliorum malignæ voces, & amarulentæ. Præclaram enim vero amicam Jeſuitarum, & collegii parentem, quæ ita merita de Societate, & eo nata loco, minus poſſet apud Præpoſitum Generalem, quam pædagogus, homo trioboli. Quibus nonnihil exacerbata mulier, ita nunc ſcripſit ad Mutium, ut viſum non ſit ejus petitionem ultra repellere. Datæ itaque ſunt hoc anno collegio Anticarienſi ſcholæ, eaſque regius Senatus ratas eſſe ac firmas juſſit. Et quia præterito tempore Canonici abſtulerant a rege diploma, ne quis præter illum veterem ludimagiſtrum doceret litteras Anticariæ, ipſis ſuum diploma obtendentibus reſpondit Senatus, eo non comprehendi ſcholas Societatis. Eodem anno Gonzalus de Ocampo Canonicus Hiſpalenſis, & mox Limanus in Peruvia Archiepiſcopus inauguratus, inſigniter amplificandum curabat collegium a ſe conditum Hiſpali ſub invocatione B. Virginis ſine labe conceptæ. Edixerat olim ut in eo collegio, præter aliquot de Societate, alerentur externi juvenes omnino viginti, ſacræ militiæ deſtinati. Jam vero expertus per decem annos, quam præſtantes ex illo ſeminario prodiiſſent Sacerdotes, quantaque inde utilitas, non ſolum in civitatem, verum etiam in pagos & oppida circumpoſita promanaſſet; quo major eſſet alumnorum numerus, cenſum antea conſtitutum auxit novo proventu, & novas ad habitandum ædes cum apto templo extrui juſſit.

124. Ortus Collegii Anticarienſis.

125. Cur illi negatæ aliquandiu ſcholæ.

126. Quæ nunc concedantur.

127. Collegium Conceptionis Hiſpalenſe amplificatur.

Interea vero opus multo excellentius Matriti Philippus Rex moliebatur. Conſilium ceperat erigendi gymnaſium, in quo omne genus bonarum artium explicaretur, ne iis quidem exceptis, quæ pertinent ad vitam aulicam, remque militarem, & nauticam. Utque Societatem plurimi faciebat, hanc unam elegerat, cui tantæ molis negotium imponeretur. Quam ſerio ageret princeps munificentiſſimus, juvat colligere ex ipſius litteris ad Mutium datis pridie Nonas Novembres. Iis litteris rex, deliberatum ſibi eſſe ajebat domicilium omnium diſciplinarum condere in urbe ſua Matritenſi. Cogitanti vero quam mul-

128. Res Toletanæ. Rex offert Societati gymnaſium omnium diſciplinarum Matriti.

Digitized by Google

multi eſſent in Societate viri egregii, & quam prompta illi voluntate Deo ſibique inſervirent, viſum eſſe novi gymnaſii adminiſtrationem omnem Societati permittere. Excitandum proinde ædificium, quod ſe auctore dignum eſſet, & imperialis collegii ædibus adjunctum iri, quo commodius uni eidemque rectori ſubjici poſſet. Tum pluribus Mutium ad opus ſtrenue capeſſendum cohortatus, his verbis ſua manu exaratis claudebat epiſtolam: *Valde cupio opus hoc eſſe per quam magnificum: ac propterea tibi etiam atque etiam mando, ut in eo me pro viribus adjuves.* Mutius, tametſi perhonorificum videret eſſe Societati conſilium regis, eique pro tam benevola voluntate gratias prolixe ageret, rem tamen ſuo more, non ex prima duntaxat ſpecie, ſed ex natura totius negotii reputans, adduci omnino non potuit ut oblato beneficio uteretur. Nam, præterquam quod erant in illo genere diſciplinarum aliquæ ab inſtitutis hominum religioſorum alienæ, & quas minime omnium decere exiſtimabat homines Societatis, præter inquam hæc, non ſatis probabat rationem a regiis miniſtris initam ad conſtituendos cenſus tam grandi operi neceſſarios. Dum enim parcere volunt ærario regis, redditus novi gymnaſii ex parte maxima locandos cenſebant in mercimoniis indicis, in monopolio librorum, in mulctis depeculatorum, aliiſque hujus generis vectigalibus, partim incertis, partim odioſis, & quibus non poſſet honeſte Societas uti. His ergo de cauſis, quas Comiti Olivario fuſe explicandas curavit, diſerte negavit Mutius poſſe ſe pati, ut ejuſmodi gymnaſii adminiſtrationem Societas reciperet: nec vero ejus conſtantia regem, etſi præconcepti operis cupidine ſumme flagrantem, offendit. Res tunc dilata quem deinde habuerit exitum, memorabimus ſuo loco. Interim cœpta eſt ædificatio regiæ baſilicæ, quam regis amita Maria Auguſta addi collegio imperiali a ſe fundato juſſerat ſupremis tabulis. Cæremonias, quibus ex inſtituto Eccleſiæ ſolent initia templorum dedicari, auguſtiores fecit præſentia ſua Rex, lauta magnatum turba ſtipatus. Preces ſuper primum fundamenti lapidem peregit Patriarcha Indiarum, præſentibus regii ſacelli ſacerdotibus, & ſymphoniacis. Nihil denique neque ad ſplendorem, neque ad dignitatem factum eſt reliqui. Poſtridie vero quam hæc acta ſunt, nuncius venit ab urbe Roma, Ignatium, & Franciſcum Xaverium rite relatos fuiſſe inter ſanctos, quo nihil accidere Hiſpanis optatius poterat. Celebritas itaque ſuperioris diei præludium fuit quodammodo aliarum multo illuſtriorum, quibus, cum Matritenſes, tum ubique locorum Hiſpani ſuis quondam popularibus, nunc patronis, novos honores gratulari inſtituerunt.

129. Oblatum reſpuit Mutius, & quare.

130. Ibidem inchoatur templum collegii imperialis.

Verumtamen cæteris Hiſpaniæ populis, ſi non pomparum magnificentia, certe ſtudii magnitudine præceſſerunt in provincia Caſtellana Varduli, ſive, ut nunc appellantur, Guipuzcoani, & Navarræi, quorum primi Ignatio, alteri Xaverio cive gloriantur. Nil opus eſt explicare per partes, quas lætitiæ ſignificationes utrique ediderint. Sed præteriri non debent novæ documenta pietatis, qua ſuum quique civem venerari cœperunt. Navarræi, ſecuti exemplum eccleſiæ Pampilonenſis, Xaverio ſeſe in perpetuum clientes jurejurando devoverunt. Longius provecta eſt pietas Vardulorum adverſus Ignatium. Accepto nuncio novæ qua inſignitus fuerat dignitatis, præter publica gaudii ſigna, quibus cæteros Hiſpaniæ populos anteverterunt, in communi gentis conſilio Toloſæ habito multa ad ipſius cultum amplificandum decreverunt. Illud primo ſancitum, ut in omnibus provinciæ oppidis altaria erigerentur in honorem Ignatii. Deinde, ut ejus imago in prætorio cujuslibet urbis collocaretur, & palam affixa ſervaretur. Præterea, ut in poſterum omnes de Societate, utpote civis ſui tam illuſtris filii, civitate donarentur. Poſtremo provinciæ ſuæ patronum elegerunt S. Ignatium, diem ejus anniverſarium inter feriatos habendum cenſuerunt, ſtatueruntque rogandum eſſe Pontificem maximum, ut hoc decretum juberet ratum ac firmum eſſe. His nequaquam contenti, egerunt cum Mutio per litteras, ut Societati acquirendas curaret ædes Loyolæas in territorio Azpeitienſi poſitas, ac B. P. Ignatii natalibus conſeeratas. Stimulis quantum ad hoc Mu-

131. Res Castellanæ. In Navarra & Guipuzcoa, cultus SS. Ignatii & Xaverii amplificatur.

132. Ædes Loyolæ diu a Societate expetitæ.

Digitized by Google

Mutius non indigebat. Vix accepto clavo Societatis, eam curam habuerat inter præcipuas: sed quamquam omnia conaretur, voti tam justi potens nunquam est factus, ob causas nunc indicandas. Domum, de qua sermo est, possidebat jure hæreditatis femina nobilissima Magdalena Ognes Borgia, vidua toparchæ Fontisaldaniæ. Nata erat pia mulier ex Joanne filio S. Francisci Borgiæ, & ex filia fratris S. Parentis Ignatii: cujus duplicis agnationis vinculo innexa Societati, eam prope ut matrem diligebat, ornaveratque jam multis & maximis beneficiis. Novissime, ut cumulum beneficentiæ imponeret, etsi adhuc in spe vitæ longioris, testamentum condiderat, & bonorum omnium, de quibus jubendi potestas ipsi erat, hæredem scripserat Societatem. At enim de ædibus Loyolæis statuere pro arbitrio non poterat. Computabantur quippe in sortem hæreditatis commissæ fidei majoris natu familiæ Loyolensis, de qua Magdalenæ nefas erat diminuere sine permissu regis. Itum ergo est ad *regem*: sed dum res in regio consilio disceptatur, aliisque ex aliis suborientibus *causis* protrahitur, decessit mulier optima re infecta: qui vero creverunt hæreditatem, per annos amplius quinquaginta nunquam adduci potuerunt, ut ejus rei gratiam facerent Societati. At tandem anno ejusdem sæculi octogesimo secundo, regnante Carolo II. sub tutela reginæ matris Mariæ Annæ Austriacæ, Theresia Henriquez de Velasco, uxor Ludovici Marchionis de Alcagnizes, ad quam Loyolææ familiæ jura devenerant, ut reginæ gratificaretur, domum illam, avitæ hæreditatis partem, permisit arbitrio regis: qui non modo eam tradidit Societati, verum etiam collegium addidit splendidissimum, de quo alius erit dicendi locus. Cæterum, etiamsi domus illa in Societatis potestate non esset, jam ab annis pluribus cubiculum, in quo B. Pater dum curaretur ex celebri suo vulnere, mentem ad cœlestia converterat, mutatum fuerat in sacellum, & magna populi frequentia celebrabatur. Hoc vero anno incredibiles ad illud facti concursus. A die Ignatii anniversaria usque ad octavam, tanta hominum multitudo confluxit ad percipiendum in eo plenariæ, ut loquimur, indulgentiæ beneficium, ut intro pervadere difficillimum præ turba esset. Aderant, præter operarios aliquot Societatis, plurimi variorum ordinum Sacerdotes audiendis confessionibus occupati. Omnes testati sunt postea, nunquam se alibi tantam pœnitentiam criminum, totque animi vere dolentis indicia deprehendisse. Quarum rerum fama permotus Mutius, impetravit a Gregorio Pontifice, ut eandem indulgentiæ formulam singulis deinceps annis pro eodem tempore ac loco valere juberet.

133. Non acquiruntur, nisi tempore Caroli II. Regis.

134. Concursus facti ad cubiculum S. Ignatii hoc anno.

135. Testimonium dæmonis de SS. Ignatio, & Francisco Xaverio.

Dum sic ibi colitur Ignatius, Flavionaviæ (portus est in ora maris Cantabrici, quem modo Santanderum appellant) malus ipse dæmon, vellet nollet, coactus est tum de ipso, tum de Francisco Xaverio verum & honorificum testimonium dicere. Mulier genere rusticano, sed notæ probitatis, ab annis fere viginti energumena, duris identidem ac miseris modis exercebatur a vexatore diabolo, maxime vero per dies anni sacratiores, quos illa dies solebat religiose transigere. Malum possessorem excutere aggressus P. Petrus Escuderus, post adhibita incassum solemnia exorcismorum carmina, mulieris fronti admovet chirographum nescio quod Ignatii, & Xaverii epistolam: simul diabolo fugam per utriusque nomen & sanctitatem indicit. Stridere ad hæc improbus, ac terrifico ululatu vociferari; amoveret infesta monumenta hominum, quorum nec nomen ferre posset: esse eos sibi plus nimio notos, & supra modum invisos: *Quantas*, ajebat, *ab his clades accepi! Quot mihi animas ex ipsis unguibus eripuerunt!* Addidit, si nossent homines quem illi locum dignitatis obtineant inter superos, multo studiosiores in eorum cultu fore. Nec tacuit de sua in nostrum ordinem malevolentia, conquestus palam inimicissimos sibi esse homines Societatis, se vero pro viribus conari, ut mortalium plerosque ab eorum commercio averteret. Quæ & similia locutus, spumas agens abscessit, relicta inter oppidanos opinione ingenti, tum de Ignatio & Xaverio, tum etiam de Societate. Idem paulo post Escuderus, cum alio Sacerdote egressus e colle-

Digitized by Google

legio Santanderensi ut opus evangelicum faceret, intraverat ad oppidum haud satis celebre in valle, quam Cabuernigensem vocant. Vix exorsus erat ad populum verba facere, cum mulier e conferta turba clamorem insanum tollere, & obstrepere dicenti cœpit. Vulgo putabant eam furere, & sic affici vitio cordis. Concionator, subesse aliquid gravius suspicans, pro potestate sacerdotali nescio quid tacite præcepit dæmoni, exploraturus utrum vere amens, ut putabatur, an energumena esset. Fecit imperata mulier: sed mox ululare ferocius & insanire, donec eluctata sex mulierum robustissimarum manus, templum omne terrore ac metu complevit. Urgebat exorcismis dæmonem Escuderus, ut mulierem missam faceret. Hæc contra torvis illum oculis, & minaci vultu contuens, rogitabat, quin tandem abiret in malam rem cum suo sodali, sineretque incolas ejus loci res suas agere? Tum sermone ad circumfusam multitudinem converso: Equidem, inquit, cur hic otiosi consideatis non intelligo: quid demum relaturi domum, nisi inania concionatoris verba, & meras fabulas? Sive hæc revera loqueretur infernus spiritus ore mulieris, sive mulier dæmonem imitaretur, mirum ut oratio perculerit universos. Facile sibi persua ferunt oppidani, magnum aliquod bonum esse, quod tam ægre haberet malorum omnium artificem. Hinc semen divini verbi pronioribus animis exceperunt, tantoque pietatis ardore incaluerunt, ut magnitudo fructus in illo oppido spem Patrum excesserit. Tamen, ut hoc obiter notem, mulier a malo spiritu liberari non potuit. Inter hæc novum provinciæ domicilium succrevit in regno Legionensi. Petrus Toledus, vir æque pius ac nobilis, sedem Societati certam cum apto censu paraverat villæ Franchæ, in oppido suæ ditionis, urgebatque Præpositum provincialem Melchiorrem de Pedrosa, ut in ejus possessionem mitteret exiguam manum sociorum. Id ne fieret, obstabat regis decretum recens, ne qua usquam religiosorum familia sedem de novo conderet per decem annos, nisi permissu supremi Senatus, qui quidem in ea re haud facilem postulantibus se præbebat. Tamen viro tali gratificari studens Provincialis, tres eo misit Sacerdotes tanquam in evangelicam expeditionem, & ut meros longioris temporis hospites: quibus usitata Societatis ministeria cum magna civium utilitate obeuntibus, post septem annos jus domicilii concessum est. Itaque, etsi aliquanto serius constitutum fuerit collegium villæ Franchæ, hunc tamen annum institutionis suæ primum numerat.

136. Conatur dæmon sacræ missionis fructum intervertere.

137. Inchoatur collegium villæ Franchæ.

Idem annus in provincia Aragonienſi natalis collegii Vicensis fuit. Vicum appellant nunc indigenæ urbem Cataloniæ nobilem, Ausam antiquis dictam. Assumptus fuerat ad insulas Ausenses Andreas Gustrozius, vir amantissimus Societatis, qui primo bonis artibus apud nos eruditus, deinde monachum apud Hieronymianos professus, benevolentiam semel erga nos haustam nunquam deposuerat. Unum dolere solebat identidem, quod receptus olim in Societatem, ab ea tamen ineunda fuisset matris consiliis abductus. Idem nunc deliberatum habens collegium Societatis Vici ponere, cum nondum præstare posset sortem operi perficiendo necessariam, impetravit a provinciali Petro Gilo, ut interim tres quatuorve socios tanquam in statione collocaret Vici, quibus ipse domum, & sacram ædem, ac demum cætera de quibus convenerat mancipio dedit. Tum summam quam pactus erat æquis pensionibus persolvens, effecit intra annos tres, ut existeret collegium numeris omnibus absolutum. Circa idem tempus agebatur, ut etiam Dertusæ Societas domicilium figeret. Nam cum per autumnum anni superioris eo advenissent nostrorum duo, & usitata Societatis ministeria strenue per dies aliquot obiissent, tantam excitaverant, non modo opinionem, verum etiam cupiditatem sui, ut civitas quocunque fortunarum dispendio evocandam ad se Societatem putaret. Res ut facilius conficeretur, civium locupletissimi chirographo spondebant, se alendis in perpetuum quinque vel sex nostri ordinis viris necessaria præbituros. Sed dum responsa Præpositi Generalis expectantur, coacti Dertusani sumptum ingentem facere in suo prima-

138. Res Aragonienses. Collegii Vicensis initia.

139. Agitur de collocanda Societate Dertusæ, sed sine effectu.

Digitized by Google

mario templo, quod vetustate dirutum de novo extruendum erat, nobis promissa præstare non potuerunt.

140. Res Sardiniæ. Seminarium Calaritanum Societati committitur.

Calari in Sardinia conficitur hoc anno seminarium pro adolescentibus Ecclesiæ addictis; & Societati committitur. Ejus erigendi consilium inierant ante octo annos Archiepiscopus Franciscus de Esquival, & Magistratus urbis, (Juratos appellant), egerantque cum nostris ut ejusdem administrationem reciperent. Nostri tunc paucitatem excusantes suam, oblatam procurationem cum magna gratiarum actione declinaverant. At nunc cum essent aucti numero, instante iterum Archiepiscopo & Magistratu, illam sub certis conditionibus admiserunt. Conductis itaque ædibus pro numero alumnorum, quos gratis educari placebat, x. Cal. Februarii excipiuntur ad convivendum sub disciplina Societatis delecti adolescentes. Iis deinde plures aggregati fuerunt ex nobilioribus regni familiis convictores, cum hoc tamen ut stipendium pro alimentis solverent. Vectigal alumnis sustentandis pro majori parte collatum est a civitate: quod deerat, Rex & Archiepiscopus expleverunt. Quod dum ita seminarium ibi constituitur, in Sassaritano nonnihil turbarum fuit ob causam modo explicandam. Seminarium istud ab octo annis fundaverat Antonius Canopolus Archiepiscopus Oristani, jusseratque inter alumnos perpetuo recipi saltem tres ex archidiœcesi Oristanensi, quos Archiepiscopus designasset. Eam tamen addiderat legem, ut non reciperentur, nisi essent jam per inferiores disciplinas cum laude traducti, & spem minime dubiam facerent, superioribus quoque addiscendis idoneos fore: quod solius rectoris arbitrio judicandum permittebat. Legem suam inviolate servaverat fundator seminarii Canopolus. At novus Archiepiscopus Oristani Laurentius Nictus, æquum existimans, a se delectos haberi pro idoneis, proindeque sine ulteriori cujuspiam disquisitione recipi in seminarium; vix inito pontificatu misit adolescentes duos cum litteris ad rectorem, ut prætermisso omni alio experimento eos statim admitteret, quippe judicio suo satis probatos. Plenus tunc erat pro vectigalium ratione numerus alumnorum. Quare ambo remissi sunt Oristanum. At per eam occasionem rector modeste commonefecit Præsulem, potestatem judicandi de puerorum, qui recipiendi essent, litteratura ad se unice pertinere. Pupugit ea res Archiepiscopum. Illatam sibi injuriam ratus, acriores scripsit ad rectorem litteras, misitque alios duos, qui similiter fuerunt repulsi. Hoc magis Archiepiscopus excandescere. Purgante licet factum rectore, non verborum officio tantum, sed etiam rationibus honestissimis, minime placabatur. Tamen sive edoctus causæ veritatem, sive rectoris obsequio delinitus, ab incepto destitit, perrexitque rector in probandis rejiciendisque seminarii candidatis uti jure suo.

141. Rector seminarii Saffaritani jus suum tuetur.

142. Res Lusitaniæ. Commissarius bullæ cruciatæ rem tentat a nostris moribus alienam.

Graviores interea nobis controversiæ fuerunt in Lusitania cum Pontificio ministro, quem bullæ cruciatæ Commissarium nuncupant. Ampla est ejus potestas muneris, qua frætus qui hoc anno erat in magistratu, quædam aggressus est a nostris rationibus alieniissima. Ea nunc ego paucis expediam, a re momenti levioris initium ducens. Commissarii est pendentibus certam stipem distribuere diplomata quædam privilegiorum, quæ avidissime a populo exquiruntur. Hæc porro diplomata ut distribui possent commodius, constituerat Commissarius mensam ponere in templo nostro Ulyssiponensi, cum arcula, in qua collata pecunia servaretur. Reclamabant vehementer nostri, & legem domesticam excipiebant, ne qua ejusmodi arcularum habeatur in templis Societatis. Ille nostram legem nihili faciens, regium nomen & auctoritatem interponebat. Quod enim pro bulla solvitur, transit in ærarium regis, impenditurque ornandis classibus adversus hostes christianorum. Verumtamen Rex, ad quem delata causæ cognitio, legem ab illo contemptam jussit sartam tectamque servari.

143. Patrocinium suscipit falsæ opinionis circa usum bullæ.

Fraudatus exitu consilii sui, eoque nobis infensior Commissarius, rem incepit multo graviorem, sed pari eventu. Inter privilegia bullæ cruciatæ illud est sane maximum, ut cuique liceat sibi legere de legitimis pœnitentiæ ministris quem

Digitized by Google

quem maluerit, per eumque poſſit abſolvi ab omni genere criminum, eorum etiam, quæ Romani Pontifices in univerſa Eccleſia, & Epiſcopi in ſuis ſinguli dioeceſibus ſibi cognoſcenda reſervaverint. Jam ergo ejuſmodi privilegio contendebat Commiſſarius, frui poſſe, ac porro debere etiam religioſos: eorum autem præpoſitos in communi deterrebat, ne ſibi ſubjectis eſſent impedimento, quominus hac parte Pontificiæ conceſſionis uterentur. Non deerant ſane apud nos, qui Commiſſario in hac re conſentirent. Etſi enim multo ante Gregorius XIII. diſerte conſtituiſſet, nullis omnino privilegiis noſtros uti poſſe injuſſu Præpoſiti Generalis, & recentius Paulus V. declaraſſet, hominibus Societatis ad eligendum pro arbitrio confeſſarium nequaquam ſuffragari bullam cruciatæ; quia tamen bulla hæc ſingulis inſtaurari luſtris, ac veluti de novo concedi ſolet, contendebant aliqui, ſuperiorum Pontificum decretis minime circumſcribi novam, eamque ampliſſimam conceſſionem in bulla contentam, neque huic per quæcunque anteriora ſtatuta derogari exiſtimabant. His rebus cognitis Mutius, ne paucorum opinio paulatim invaleſceret, & in mores induceretur, decretum abſtulit a Gregorio Pontifice, ne cui noſtrorum obtentu bullæ cruciatæ jus eſſet ad pœnitentiæ miniſterium aliis uti Sacerdotibus, quam quos deſignaſſent præpoſiti Societatis: qua deinde lege ſucceſſor Gregorii Urbanus teneri voluit omnes omnium ordinum religioſos.

144. Decretum Gregorii Pontificis contra illam.

Luſitanæ Societati plures deceſſerunt hoc anno viri poſteritatis memoria digniſſimi. Primum non immerito ſibi locum vindicat P. Ægidius de Abreu, patria Campomajorenſis. Exceptus in Societatem anno labentis ſæculi undecimo, poſt confecta ſtudia graviora in Japoniam navigabat, eo tractus animarum ſtudio, & cupiditate martyrii. Dum tranſit per Javam inſulam, quam novam Bataviam vocant, capitur ab hæreticis ad fretum Sincapuræ, & Jacatram trahitur, urbem Batavici prætoris ſedem, ac totius orientis emporium celeberrimum. Ibi, licet nullius compertus criminis, niſi quod Sacerdos Romanus eſſet, in arcem conjicitur, compedibus oneratur, biennium integrum ſqualore carceris, fame, ac ſiti maceratur. Moleſtias iſtas, aliaſque a militibus indignitates Abreus mira conſtantia perferebat. Et quia laxius cuſtodiebatur interdum, occaſionem captans exercendæ charitatis, catholicos una vinctos audiebat pro confeſſione, piis colloquiis recreabat, æternæ vitæ præſidiis muniebat, cuſtodibus vel non ſentientibus, vel conniventibus. Auſus demum eſt ipſos cohortari Batavos cuſtodes ſuos, ut veritatem catholicam amplecterentur: verum id illi capitale fuit. Efferati hæretici, quod homulus in ſua poteſtate poſitus, ac vilis, ut ajebant, Papiſta tantum auderet, irruunt in eum ferociter, ac fuſtibus dire contuſum mactant. Ita occubuit vir præclarus, nactus inter Europæos beatam pro Chriſto necem, quam inter Japones quæſitum ibat. Quo potiſſimum die necatus fuerit, mihi eſt in obſcuro. Ex aliis, quos eodem anno Luſitania deſideravit, laudatos præcipue invenio PP. Chriſtophorum Goveam, Amatorem Rebellum, & Antonium Vaſconcellium. Govea patria Portuenſis, præter plures alios magiſtratus laudabiliter obitos, præfuerat provinciæ univerſæ: Braſilienſem vero cum inſpectoris poteſtate adminiſtraverat, tanta laude ſapientiæ & probitatis, ut Claudius Generalis edixerit in perpetuum ejus provinciæ rectoribus, ne quid ex omnibus ab illo conſtitutis mutatum vellent. Obiit Ulyſſipone in domo profeſſorum, Idibus Februariis, annos natus amplius octoginta, non tamen canitie, quam religioſis virtutibus venerabilior. Ejus parens Henricus Nunius S. Franciſcum Borgiam exceperat domi ſuæ, in qua factum deinde eſt collegii Portuenſis initium. Rebellus prima litterarum rudimenta tradiderat Regi Sebaſtiano, cumque aulam pro ratione ſui muneris tandiu frequentaſſet, tamen inde integrum extulerat ſtudium religioſæ paupertatis, & candorem animi nullis fucatum artibus aulicorum. Vixit in Societate annos ſexaginta quatuor, quo toto tempore conteſtabantur Patrum graviſſimi, nunquam ſibi viſum iratum, aut de quopiam conquerentem auditum. Natus erat in dioeceſi Portuenſi. Occubuit ad Nonas Maji in collegio Ulyſſiponenſi.

145. Necatur ab hæreticis P. Ægidius de Abreu.

146. Mors & elogium P. Chriſtophori Govea.

147. Et P. Amatoris Rebelli.

Digitized by Google

148. Et P. Antonii Vasconcellii.

Vasconcellius vitam religiosissime actam, & per plures præfecturas egregie traductam clausit Eboræ III. Idus quintiles, Ætate cum esset jam devexa, & podagra impeditus, nec posset per usitata Societatis ministeria servire rei publicæ, totum se ad scribendum contulit. Edidit autem duo volumina de Angelo tutelari, ac de regno regibusque Lusitaniæ commentarios omnium judicio laudatos. Hactenus de rebus Europæ.

149. Res Goanæ. Nostrorum expeditio in Armutiam cum regia classe.

In Asiam properanti occurrunt statim duæ insignes expeditiones ab urbe Goa susceptæ, terrestris altera ad proximum regnum Idalcanis, altera navalis in Armutiam. Ut de hac posteriore dicere incipiam, compertum fuerat Goæ, percussisse arcanum inter se fœdus Persas & Anglos per ea loca negotiantes; fœderis vero leges esse, ut hi maritimis copiis, illi terrestribus adorirentur Lusitanos, eosque conjunctis viribus pellerent ex arcibus, quibus Armutiam, & ostia sinus Persici occupabant. Hæc ut audita Goæ, raptim paratur classis militibus & armis instructa, & mittitur in Armutiam, ut in rebus dubiis præsidio sit. Classi, prius quam vela faceret, impositi fuerant duo Sacerdotes Societatis, tum ut classiariis & nautis sacrorum ministri essent in itinere, tum ut exscensione facta illum regionis tractum excolerent. Quamdiu navigatum est, non facile dixerim quam feliciter laboraverint nostri, quam promptos ad pietatis officia, & obsequentes habuerint omnes. At non eadem agendi facultas fuit apud Armutianos. Templo, ubi sua ministeria exercerent, nescio quorum æmulatione caruerunt, tecto etiam carituri, nisi hospitium illis benigne præbuissent sodales a misericordia nuncupati. Nihilominus aggressi ad populum verba facere in foro, & in compitis, colonis probati sunt usque adeo, ut aliqui potentiorum de Patribus perpetuo retinendis deliberarent. Verum inter hæc Persæ, inita, uti dixi, belli societate cum Anglis, eorumque navalibus adjuti copiis, omnia disturbaverunt. Primo impetu potiti castello Lusitanorum, quod situm erat in proxima Kesemi insula, atque inde magnis viribus in Armutiam egressi, prædas egerunt, agros & oppida ferro flammaque vastaverunt, postremo arcem præmunitam, in qua rei summa versabatur, obsidione cinxerunt. Arcem milites pariter & coloni tuendam susceperant magno animo. Tamen, prævalentibus numero & ferocia hostibus, post dies ferme septuaginta deditionem fecerunt. Hoc medio tempore, cæteris sacrorum ministris fuga dissipatis, soli propugnatoribus adstiterunt duo, quos dixi, Patres Societatis: quoties vero conserta est cum hostibus manus, magno illis solatio fuerunt. Discurrebant per ordines militum: pugnantibus animum addebant voce: fovebant curabantque saucios. Quod si muniendus esset locus, ipsi terram moliri ante omnes, comportare aggerem, primas laboris & periculi partes sumere, adversus famem, & sitim, & vigilias, cæteraque longæ obsidionis incommoda animo & corpore peræque invicti: ut mirum fuerit, tamdiu ambos incolumes tot inter labores, & sexcenta mortis pericula perstitisse.

150. Exiguntur Armutia Lusitani, Nostri rem fortiter gerunt.

151. Quæ regio sit regnum Idalcanis.

Paris laboris lætiorem exitum habuere qui in regnum Idalcanis profecti sunt. Est illud unum ex amplioribus, in quæ divisum haud ita pridem fuerat imperium Decanense, cum satrapæ, ejecto legitimo principe, alii alias peramplæ regionis partes invaserunt, & totidem sibi regna constituerunt. Nomen sumpsit ab Idalcane, filio & hærede illius, qui primus provinciæ tyrannidem occupavit. Situm est prope montes Gates, quorum perpetuo jugo ab aquilone in austrum porrecto bifariam dividitur Indica Chersonesus, iisque clauditur ab oriente. Finitimos habet Malabares a meridie, a septentrione Cambajam: alluitur oceano ab occasu. Incolæ partim idololatræ, partim de secta Mahometis: hi vero, propterea quod eandem superstitionem sequitur Rex, opibus præstant. Porro Goensibus, aliisque Lusitanorum coloniis multum incommodabat propinquitas Idalcanensium, cum alias ob causas, tum ob eam maxime, quod transfugis patens ibi semper erat, tutumque perfugium, quoties aut servi sævitiam dominorum pertimescerent, aut fontes effugere legum severitatem vellent. Ita deinde in illa barbarie vivebant christiani, quippe omni religio-

nis

Digitized by Google

nis cultu deſtituti, ut non raro eorum inter quos verſabantur ſuperſtitionibus, moribuſque conſuescerent. Hæc reputantes Patres Goani, ante annos quatuordecim par ſociorum in regnum Idalcanenſe miſerant cum legato proregis Indici, ut ſi Rex, quod ſperabatur, poteſtatem manendi faceret intra regni fines, ad uſum chriſtianorum domicilium ſibi, atque ædem ſacram pararent. Rex Idalcanenſis, indolis haud quaquam pravæ juvenis, noſtrorum preces initio acceperat non invitus. Sed ubi ad rem ipſam ventum eſt, aulicis, quorum conſiliis regebatur, diverſa ſuadentibus, ſpem fefellit. Æquum ſibi videri dixit, paribus inter ſe conditionibus uti Chriſtianos, & Mahometanos: ſe proinde libenter Patrum poſtulata facturum, ſi viciſſim Indiarum prorex pateretur, Mahometis antiſtites ædem habere Goæ, ubi ſuum cultum exercerent impune. Quo reſponſo admoniti Patres, nihil ſpei reliquum eſſe in regno Idalcanis, re infecta redierunt. Poſt illud tempus negotium chriſtianorum ibi miſere pereuntium pene pro deſperato habebatur. Tamen hoc anno reſumi cum placuiſſet, iterum ſunt miſſi duo, qui proximam regni oram legentes, cognoſcerent de chriſtianorum ſtatu, iiſque opitulandi aliquam rationem inirent. Profecti illi ſunt in veſte Societatis, ſine regis commeatu, ſine viarum duce, divino tantum fræti præſidio: quodque fidem prope ſuperat, vicos omnes & oppida maritimæ oræ, adverſante nemine perluſtrarunt. Inventos ubique chriſtianos ante omnia liberarunt metu, ne per vim abducerentur. Tum eoſdem cohortati, ne oblatam expiationis copiam præterlabi ſinerent, pleroſque obſequentes ac dociles habuerunt. Poſtremo cum ex ipſorum narratione comperiſſent, intra fines regni paſſim vagari chriſtianorum capita fere viginti millia, eorumque plurimos in Luſitanorum ditionem reverſuros, ſi liceret impune, Goam cum magno fructu, & majori ſpe redierunt. Irrita non fuit ſpes. Ut innotuerunt Goæ quæ per eos geſta, quæque comperta fuerant, mirifice incenſi ſunt ejuſdem miſſionis ſtudio ſodalium animi. Decernitur ſtatim, ut exeunte Aprili prioribus adjungantur alii duo Sacerdotes, & in eandem expeditionem exeant. Exierunt pariter, progreſſique in interiora regionis, uſque Viſaporum ad ipſam regni ſedem pervaſerunt. Rex de novis hoſpitibus perſcrutatus, ut accepit ejuſdem eſſe familiæ, cujus ante quatuordecim annos duo ad ſe venerant, nec aliud eis eſſe propoſitum, quam ut chriſtianorum ſaluti conſulerent, id enim vero gratum ſibi eſſe teſtatus, ut in regno ſuo conſiſterent permiſit, & liberi commeatus litteras petentibus benigne conceſſit. Qua re plurimum recreati Patres, operi manum admoverunt liberius, alacriuſque. Chriſtianos locis omnibus perquirebant: hos ad fidem, illos ad pœnitentiam hortabantur: nec vero ſurdis canebant. Auditi ſecundiſſimis auribus animiſque, brevi tempore plurimos transfugarum cum Deo conciliarunt, non nullos etiam interpoſita fide publica Goam adduxerunt.

152. Vetera noſtrorum incepta in illo regno, atque irrita.

Haud ſegnius interim in ipſa urbe Goa deſudabant reliqui ſocii, ut ſequiora hominum exempla delerentur. Mitto cætera eorum quam ſimillima, quæ in his annalibus ſæpius occurrunt. Unum præterire non debeo, quod recens in perniciem morum invectum, noſtrorum opera extinctum eſt. Tranſgreſſæ Goam feminæ mahometanorum plurimæ, ad corrumpendos juventutis mores nequitiæ ludum aperuerant non minus exitialem, quam publicum, incluſerantque in eadem flagitiorum officina ingenuos adoleſcentes, ut ex ejus ætatis flore nefarium quæſtum facerent. Sedebant ipſæ pro foribus cum ornatu meretricio, tranſeuntibus inſidiabantur, juventutem incautam omni blanditiarum genere ad libidinem prolectabant. Res erat plena dedecoris, & periculi. Exarſit, ut negotii gravitas poſtulabat, ſtudium noſtrorum Patrum, nec ante conquievit, quam a magiſtratu pulſæ fuerunt nocentes feminæ, & exhauſta penitus illa civitatis ſentina. Eodem anno tres ethnici ex ipſis pene orci faucibus vindicati, cœloque tranſcripti memorantur. Damnatis monetario crimine parabatur Goæ rogus, nec tamen flecti poterant ullo modo, ut Chriſti fidem ſuſciperent. Actum omnino de miſeris erat, niſi eorum pervicaciam ſuperaſſet con-

153. Ibi nunc duo Patres fructuoſa miſſione funguntur.

154. Adjunguntur illis alii duo, & rem utiliter gerunt.

155. Goæ publica peccandi occaſio ſublata.

156. Tres ethnici proxime ante mortem baptizati.

Digitized by Google

constantia nostri Sacerdotis, qui nullo repellentium fastidio victus, tandiu institit rogare ac monere, donec omnes pariter ferociam posuerunt, fidemque & baptismum susceperunt. Producti ad pyram, supplicii atrocitatem tali mentis habitu subierunt, ut vulgo crediti sint inter flammas, non tam vitam, quam mortalitatem exuisse. His juvat attexere quod de ingenuo quodam adolescente litteræ tradunt. Benaulini, qui vicus est frequens in peninsula Salsettana, decumbebat egregia fama juvenis, gravi morbo conflictatus. Ut se proxime moriturum sensit, Societatis Sacerdotem vocari propere ad se jussit, apud quem noxas totius anteactæ vitæ deponeret. Erat annorum circiter viginti. Cum vitam omnem a prima usque pueritia retexuisset, Sacerdos in *ejus actis nihil* reperit noxæ gravioris. Quam in tam lubrica ætate innocentiam pro merito demiratus, quæsivit ex eo, quasnam præsertim artes, quod præsidium ad sui custodiam adhibuisset? Cui ille: *Hoc*, inquit, *si quid id est, totum debeo Societati, a qua primam institutionem accepi*. Perrexitque recensere quæ puer a Patribus didicisset, præsertim de cultu Virginis, utque eam quotidiano obsequio sibi propitiare consuevisset. Inter hæc, licet animam ægre traheret, visus repente hilari vultu renidere, quasi novum aliquod spectaculum objiceretur. Percunctante Sacerdote, quid rei esset? *En*, inquit, *adstat Angelus tutelaris*. Nec ultra locutus, extremum spiritum duxit. Sed ad res Æthiopicas aggrediamur.

157. Pretiosa mors juvenis innocentissimi.

158. Acta in Æthiopia, Imperator ob vanas suspiciones irascitur Cela-Christo.

Initio anni trepidatum non nihil est inter catholicos in Æthiopia. Nam cum tota ferme religionis spes niteretur concordia Imperatoris, ejusque fratris Cela-Christi, hanc vaferrimi quidam hæreticorum ut abrumperent, Seltanum falsis suspicionibus impleverant, quasi vero Cela-Christus res novas moliretur regni cupidine, & obtentu belli contra Galas gerendi, ad regiam opprimendam accederet cum exercitu. Id mortalium nequissimi adeo persuaserant principi, ut jam fratri, tanquam hosti manifesto, cum infestis legionibus obviam iret, cladem innoxio, & nihil tale metuenti illaturus. Primos furentis impetus continuit P. Antonius Fernandez, cujus voce admonitus Imperator, nihil temere in re tanti momenti festinanterque suscipiendum, quievit, donec, revulsis penitus ex animo suspicionum aculeis, recepit fratrem in gratiam denuo, & quod erat optandum maxime, cum illo vires & arma conjunxit. Nihil accidere commodius poterat, cum publicæ tranquillitati, tum causæ catholicæ, *quam* ut fraternæ acies unum in exercitum coalescerent. Adversarii post hæc ferociam abjicere, pene rebus suis desperare. Imperator contra, animo viribusque auctus, religionis negotium agere confidentius. Convenerant apud aulam primores omnium provinciarum. Eos die quadam Seltanus in communi alloquens, sermonem induxit de controversiis fidei, professusque palam duas esse in Christo naturas integras atque perfectas, sabbati vero ferias christianis minime servandas esse: *Siquis*, adjecit, *in posterum aliam sequi volet credendi regulam, quisquis ille sit, pedem in regiam ne inferat. Illos ego honoribus cumulabo, qui mecum de religione consenserint*. Hæc dicenti acclamatum a cunctis. Nec sane parum valuit, præsertim apud nobiles, tam aperta principis denunciatio. Eadem die multi catholicum dogma privatim amplexi sunt, inter quos Diesmach-Bucous, vir opum maximarum, & Za-Selasse cognomento Moconus, frater Imperatoris: quos ideo singillatim nomino, quod cum antea catholicam veritatem acriter infectati fuissent, eorum inopinata transitio multis errorum magistris persuasit, ut mallent vera discere, quam falsa docere. Unum modo ad lætitiæ cumulum deerat, ut Imperator, non solum credendi regula, verum etiam sacrorum societate se cum Ecclesia Romana conjungeret. Seltanus enim, licet cætera orthodoxus, nondum hactenus apud nostros Sacerdotes conscientiam expiaverat, nec Christi corpus acceperat ritu catholico, prohibitus, ut ipse ajebat, justis & gravibus causis, reipsa suis duntaxat vitiis & libidinibus, quibus matrimonii leges tanquam fræna cupiditatis abhorrebat. Respexerat ille quidem se ante quatuor annos, ut suo loco dictum est: sed mox mala victus consue-

159. Eo mox in gratiam recepto, rem catholicam tueri pergit.

160. De sacra mensa participat ritu catholico.

Digitized by Google

ſuetudine ad priſtinam intemperantiam redierat. Tamen hoc anno, divina impellente gratia, ceſſit Fernandii ſuaſionibus, non ultra protrahendam rem æternæ ſaluti adeo neceſſariam oſtendentis. Signa moturus adverſus Galas, miſit prius Gorgoram ad P. Paezium mandata, ut properaret ad hoſtium fines, ubi caſtra facere conſtituerat. Affuit ad condictum locum Paezius: quo cum pariter adveniſſet Imperator, accidens ad ipſius genua, expiandum ſe præbuit, & ſuperioris vitæ crimina multo cum fletu confeſſus eſt. Tum deterſis conſcientiæ maculis, proceſſit ad Chriſti menſam, & ſacram Euchariſtiam ſumpſit, ſpectante orthodoxorum innumera multitudine, & præ lætitia ubertim collacrymante, quod eo primum die Imperator eſſet, non ſolum re, ſed etiam hominum opinione catholicus. Namque ita arbitrabantur Æthiopes, tunc denique quempiam catholicum fieri, cum Chriſti corpus de manu catholici Sacerdotis acciperet.

161. Mors & elogium P. Petri Paezii.

Ejus gaudii pars præcipua contigit Patri Paezio, qui proinde, quaſi votorum ſuorum ſummam conſecutus, nihilque habens præterea quod in hac vita ſibi exoptandum putaret, auditus eſt cum illud Simeonis carmen uſurparet: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*: ac reipſa poſt duos menſes finem vivendi fecit, circa XII. Cal. Junias, annum agens ætatis duodeſexageſimum. Moriendi cauſas contraxiſſe creditur in illa ipſa, de qua modo dicebamus, profectione ad exercitum. Perrexit enim ea ætate ſenex perincommodo decem dierum itinere, per loca ſole torrida, & quia feriæ eſuriales agebantur, uſque ad occaſum ſolis jejunus, more Æthiopico. Iter vero idem relegentem adeo defecerunt vires, ut ſimul ac Gorgoram attigit, commi:tere ſe lecto coactus fuerit, ex quo amplius non ſurrexit. Natus erat Paezius loco nobili Olmedæ in oppido Toletanæ diœceſeos. Indiæ deſtinatus, datuſque P. Antonio Monſerrato comes expeditionis Æthiopicæ, captus in itinere a prædonibus Arabicis, & in ſervitutem abductus fuit. Diram captivitatem ad ſeptennium produxit, partim incluſus ergaſtulo tenebricoſo ac fœdo, partim in triremi miniſterio remigum addictus, ſemper catena conſtrictus, immaniterque vexatus. Pretio demum redemptus a prorege Indiarum, & reductus Goam, cum primum licuit denuo ſe dedit in viam, fruſtraque Turcis omnes Æthiopiæ aditus obtinentibus, poſt longam & incommodam peregrinationem, in Æthiopiam penetravit, ubi manſit deinde annos ipſos undeviginti. Quot labores hoc tempore exanthlaverit pro animarum ſalute, quot quantoſque perceperit laborum fructus, ſatis ut arbitror colligi poteſt ex iis, quæ ſparſim a nobis indicata ſunt ſuis locis. At quibus virtutum exemplis eluxerit, quam effuſa in cunctos benevolentia fuerit, quanta floruerit humanarum divinarumque rerum ſcientia, nullis conſequi verbis poſſim. Documento fuerunt ipſi Æthiopes, qui præterlapſis temporibus Romanam fidem & Alcoranum juxta habere ſoliti, poſt auditum Paezium adeo mutati ſunt animis, ut doctrinam ejus quamplurimi amplecterentur, omnes ejus mores laudarent, amicitiam ambirent. Ita cum in Æthiopia pauciſſimos inveniſſet profeſſione catholicos, moriens reliquit ad multa millia, atque inter alios Imperatorem cum tota aula, præcipuiſque tum civilium, tum militarium rerum præfectis: ut jam pars orthodoxorum, ſi non numero, opibus certe ac dignitate potior eſſet. Mortuum, tanquam communem parentem, plerique luxerunt. At Imperator tantum inde traxit ſenſum acerbitatis, ut toto die nec cibum, nec ullum animi aut corporis levamentum admiſerit. Id ſane ipſe de ſe ſcripſit P. Fernandio, a quo nuncium de Paezii morte acceperat, diſerte affirmans, nihil ſibi tam diro nuncio triſtius in omni vita accidiſſe. Idem anno proximo, ad P. Ludovicum Cardoſum præpoſitum provinciæ Goanæ ſcribens, Paezium nominabat virtutis perfectiſſimum exemplar, & ſolem Æthiopiæ præfulgidum, fugandis errorum tenebris natum: *Cujus defectu ſolis*, addit, *talis lætitiam noſtram oppreſſit luctus, qualem olim fuiſſe crediderim Alexandriæ extincto Beato Marco, aut Romæ, duobus Apoſtolorum Principibus de medio ſublatis*. Hæc princeps amantiſſimus, apud quem multo fuit diuturnior

162. Dolor Imperatoris ex ejus funere.

Pae-

Digitized by Google

Paezii recordatio, quam cariſſimorum quorumcunque capitum eſſe ſoleat. Poſt illud tempus, quoties Gorgoranam ædem ingrederetur, poſt cultum Deo redditum, ſuper Paezii tumulum proſterni ſolebat in faciem, tum ut magiſtro olim ſuo honorem exhiberet, tum ut ejus acerbiſſimum deſiderium quo poterat modo leniret.

163. Inſignis præſtigiatoris ſupplicium.

Tali ſublato viro, non propterea, quod erat metuendum, fidei progreſſus eſt retardatus. Subierunt in ejus locum ſodales pari ardore ſtudioque: atque ubi cæteri ceſſarent, cunctas operarii apoſtolici partes implebat egregie Cela-Chriſtus, & eo quidem fructuoſius, quo validius. Exemplo ſit ſupplicium, quod de inſigni quodam præſtigiatore ſumpſit. Verſabatur inter Agaos circulator improbus, tanta apud vulgus fama, ut eum indigenæ paſſim divinis honoribus venerarentur. Multi miſerabiliter decepti filios ſuos parvulos immolabant idolo, quod inſtar numinis circumferebat. Latebat tamen plerumque perfidus, nec ſe dabat in publicum, niſi inter rudes, aut ſibi fidos. At ſuæ illum latebræ non ſatis texerunt vigilantiæ proregis. Hominem æque vanum ac noxium Cela-Chriſtus perquiri diligenter juſſit per ſuos ſatellites, qui inventum multis vulneribus confoderunt, & obtruncarunt. Repertum cum eo fuerat ſignum idoli informe, ac luridum. Prorex illud palam expoſuit multitudini, ut viderent cujuſmodi monſtro cariſſimos natos ſacrificare conſueviſſent. Nemo antea audebat oculorum aciem in illud intendere: namque ita erat omnibus perſuaſum, reos fore ſacrilegii, ſi tale numen vel unico obtutu violaſſent. At nunc, comperto quam miſere ſibi fuiſſet illuſum, inane figmentum pedibus conculcare geſtiebant. Tandem male multatum igni tradiderunt. Eo Prorex non contentus, ſtruendam ſumpſit inter Agaos ædem ſanctiſſimo Jeſu nomini conſecratam, ſuiſque ipſe humeris in fundamentum novi ædificii lapides convectavit triginta tres, pro totidem nempe annis, quibus humanæ ſalutis Reparator inter homines vixit. Addidit templo domum idoneam, cum ingenti prædio, quod ſatis eſſet alendis pueris ſexaginta ex Agais & Galis, quorum ibi ſeminarium inſtitui voluit. Quippe vir prudens, & amplificandæ firmandæque in Æthiopia religioni ſedulo intentus, ſatis intelligens non poſſe ex Europa ſuppleri numerum miniſtrorum, qui in tanta populorum multitudine requirebantur, inſtituendos cenſebat ex ipſis indigenis quamplurimos, qui ſucceſſu temporis eadem miniſteria capeſſerent. Et vero, gliſcente in dies meſſe, operarii minuebantur. Vix dum effluxerat quintus poſt obitum Paezii menſis, cum ſubitus caſus Æthiopiæ ac vitæ abſtulit P. Antonium Franciſcum de Angelis, unum ex utiliſſimis illius agri cultoribus. Excurrerat, uti ſolebat identidem, e ſtatione Colelana ad Agaos. Inde redux, dum Nilum vadando trajicit, fluentis impetu provolutus rapiebatur, abſorbendus omnino, niſi advolaſſent celeriter comites, ac ſemimortuum in ulteriorem ripam extruſiſſent. Ita ſervatus utcunque eſt, ſed non diu. Ex illa undarum jactatione plus nimio debilitatum oppreſſit febris, & paucos poſt dies vix Colelam ingreſſum extinxit, XII. Cal. Novembres. Oriundus erat Florentia, natales habuerat Neapoli. Æthiopiæ datus, ſedem Colelæ fixerat in regno Gojamenſi, ubi quam multa præclare feliciterque geſſerit, quam lætas præſertim fruges ex Agaorum gente collegerit, in ſuperioribus libris ſparſim indicavimus. Addimus nunc, cæteris quoque Æthiopum plurimum profuiſſe Patrem de Angelis, translatis in gentis linguam utiliſſimis libris, qui cum legerentur paſſim, & toto imperio volitarent, multis viam agnoſcendæ veritatis commonſtraverunt. Virtutes omnes ac dotes, quibus inſtructos eſſe oportet Evangelii miniſtros, erant in eo ſummæ. Sui per omnia negligens, ac miro ſtudio divini nominis propagandi flagrans, nullum pro tam illuſtri cauſa laborem periculumve refugiebat. Erat idem moribus innocentiſſimis, & nativa oris hilaritate omnibus perjucundus.

164. Cela-Chriſtus puerorum ſeminarium excitat inter Agaos.

165. Obitus & elogium P. Antonii Franciſci de Angelis.

166. Latinus Patriarcha Æthiopiæ diu negatus.

Eo mortuo, reliqui erant ex noſtris in univerſa Æthiopia haud plures quatuor, ſane pauci, cum præſertim Fernandius, & Azevedus, ætate graves, & laboribus attriti, non viderentur magnitudinem oneris diutius toleraturi. Qua-

Digitized by Google

Quare litteris Goam, & Romam uſque miſſis, non ceſſabant expoſcere ſociorum auxilia, quæ ſubmiſſa videbimus paulo inferius. Inſtabat præterea Imperator, ut mitteretur aliquando tandem in Æthiopiam latinus Patriarcha, cujus præſentiam arbitrabatur magni ad ſummam rei momenti fore, dolebatque rem adeo neceſſariam, totque a ſe litteris expetitam, ſine cauſa differri. Sed Romæ ſatis juſta putabatur differendi cauſa mobilitas ipſa, levitaſque Æthiopum, qui cum antea Patriarcham Oviedum ſummis precibus petiiſſent, miſſum cum inſigni contemptu repulerant. Id merito verebatur Pontifex ne denuo fieret, propterea que paulo cunctantius ſibi in eo negotio agendum putabat. Præter hæc Paezius, reputans vires haud ſatis firmas Imperatoris, ſcripſerat ſæpe Romam ad Mutium, nullo modo mittendum Patriarcham, niſi cum valido Luſitanorum præſidio: ſecus, adventum ejus occaſionem fore ſeditionum, bellorumque civilium. Illum tamen reperio ab hac ſententia diſceſſiſſe paulo ante obitum, cum auctus præter modum erat numerus catholicorum. Tunc ſi veniret Patriarcha, licet ſine externo milite, fauſte utiliterque adventurum, & cum honore excipiendum ſcribebat. Duæ igitur potiſſimum cauſæ Romanum Pontificem retardaverant hactenus, ne audiret Imperatoris vota: primum gentis in commutanda religione inconſtantia: deinde infirma, & veluti precaria Imperatoris ipſius auctoritas, atque ex populi libidine factionibuſque ſuſpenſa, quibus rurſum objicere Patriarchæ dignitatem & caput pigebat. Sed nunc, rebus in Æthiopia commutatis, alia Romæ judicia. Nam cum Imperator, cæſis perduellibus, & pacato regno, ſatis ſibi firmaſſe vim imperii videretur, pars autem catholica magno cenſeretur numero, & viribus prævaleret; etiamſi Philippus Rex promiſſos Imperatori milites, (quippe Batavis difficili bello Indiam prementibus) dare non poſſet, viſum non ultra differre quod tanto ardore expoſcebatur, Decernitur itaque Romæ novus Æthiopum Patriarcha: cujus electio pro antiquo jure Regum Luſitaniæ cum ſpectaret ad Philippum Regem Catholicum, is fine anni deſignavit e noſtra Societate P. Alphonſum Mendez, virum inſigni religione, diviniſque & humanis litteris egregie excultum, qui tunc ſacros codices explanabat in Eborenſi academia. Deſignationem approbavit Pontifex Gregorius, miſſiſque apoſtolicis litteris, Alphonſum eundem Mendez Patriarcham Æthiopiæ renunciavit. Datus illi eſt adjutor, futuruſque ſucceſſor P. Jacobus Secus Covillanenſis, & Epiſcopi Nicæni titulo inſignitus; vir hic etiam theologica ſcientia clarus, & id temporis in collegio Romano librorum cenſor pro Luſitania. Deſignatus præterea qui Nicæni Epiſcopi locum, ſi quid illi accideret humanitus, impleret, P. Joannes a Rocha Ulyſſiponenſis, qui divinam ſcientiam tradebat Ulyſſipone in collegio Antoniano, iſque Epiſcopi Hierapolitani titulo conſecratus. Atque ita demum unus Patriarcha, & Epiſcopi duo Goam vela fecerunt cum aliis ſeptendecim de Societate, quorum magna pars in Æthiopiam mittebatur. Prius quam hæc agerentur, Mutius proficiſci juſſerat in Æthiopiam P. Emmanuelem de Almeida, tum ut gratias ageret Imperatori pro ſua in noſtrum ordinem beneficentia, tum ut ſocios ibi degentes cum extraordinaria inſpectoris poteſtate viſitaret. Goa ſolvit Almeida cum tribus ſociis, Emmanuele Barrada, Ludovico Caldeira, & Franciſco Carvallio. Sed quia Æthiopiam niſi poſt quindecim menſes non attigit, omiſſa tantiſper ejus navigatione, quæ reliqua ſunt hujus anni de provinciis Aſiaticis & Americanis exequi pergam.

167. Conceditur nunc, & eligitur P. Alphonſus Mendez.

168. Qui cum duobus Epiſcopis adjutoribus Goam petit.

169. In Æthiopiam ſolvit P. Emmanuel de Almeida cum ſociis tribus.

Dictum eſt alibi, Malabaricæ Societati reſtitutas aliquando tandem fuiſſe curias oræ Piſcariæ, & Travancoris, Jam ut ad eaſdem redeamus, dici vix poteſt, quam afflictæ utrobique inventæ fuerint ſacræ ædes, ac prope perditæ. Quæ mediterraneæ, partim æquatæ ſolo erant, partim ruinoſæ. Quæ propius mare, utcunque ſtabant: verum aliæ valvis, aliæ tectis nudatæ, omnes oppletæ ſordibus, & varii generis ſupellectili, quam noſtri multorum annorum ſtudio paraverant, ſpoliatæ, vix antiqui ſplendoris veſtigium retinebant. Prima noſtrorum cura fuit, ut ſarcirent collapſa templa: tum ut priora ornamenta re-

170. Res Malabaricæ. In ora Piſcariæ & Travancoris Eccleſiæ ſarciuntur.

reficerent, & speciem divinæ religionis ad nitorem pristinum revocarent, quem in usum primos ecclesiarum proventus contulerunt. Cæterum quanto amplius acceptum fuerat detrimenti in fide & moribus christianorum, tanto plus operæ & laboris in his reparandis impensum est: nec vero frustra. Effectum brevi ut indigenæ, non tantum nomine, sed etiam scientia fidei, & vitæ moribus christiani viderentur, ac porro essent. Per idem tempus in Ceylano numerabantur Ecclesiæ undeviginti, Societatis curæ commissæ. Præerant illis undecim delecti Sacerdotes, qui cunctas ministerii sui partes gnaviter obeuntes, non solum custodiebant, ut par erat, solerter creditos sibi greges, verum etiam novis subinde incrementis illos augebant. Intra hunc annum ethnicorum supra septingentos ad Christum adduxerunt. Præcipuo fructu consueta Societatis peragebant Patres collegii Columbensis, æque solliciti de fide inter ethnicos, ac de pietate inter christianos amplificanda. Eminebat studio divinæ gloriæ rector collegii P. Antonius Rubinus: in eam vero curam intento occasio oblata est, ubi quam verbo docebat charitatem & mansuetudinem, re etiam & exemplo persuaderet. Clericus Columbi erat famæ sequioris, ferebaturque eum mulierecula familiarius agere quam deceret. Accidit, ut in nostro templo spectaculum nescio quod sacrum ederetur a scholasticis. Spectatum cum venisset inter alios ille quem dixi clericus, consedit prope amiculam illam suam, non sine stomacho & offensione reliquæ multitudinis, tantam tali loco impudentiam non ferentis. Rei admonitus Rubinus, adit hominem, rogatque submissa voce, ut absistat paululum, & in aliam templi partem concedat. Paruit tunc quidem ille: at adversus monitorem, ut putabat, injuriosum exarsit, ac de ultione deliberavit. Occasionem captanti occurrit post paucos dies Rubinus, dum forte extra collegium progrediebatur. Insiliit in eum clericus incredibili immanitate: immotum silentemque omnibus verborum contumeliis appetiit, demum fuste graviter cecidit. Rubinus, mente atque ore peræque immotus, percussori improbo gratias egit haud minus comiter, quam si beneficium debuisset: quo patientiæ experimento visus proludere ad illud grande certamen, quo deinde in Japonia, ut suo loco narrabitur, de atrocissimo supplicio triumphavit.

171. Labores sociorum in Ceylano.

172. P. Antonii Rubini mansuetudo memorabilis.

173. Res Japonicæ. Crudescit persecutio ob adventum duorum religiosorum.

Et siquidem Japoniæ incidit mentio, fuit hic annus ex omnibus illi Ecclesiæ cruentissimus. Æram martyrum appellant, ob eorum qui supplicio fuerunt affecti numerum, & dignitatem. Quis turbo novam hanc tempestatem excitaverit, ego ita referam sine cujusquam injuria, ut alii ante me litteris tradidere. Nauclerus gente Japon, professione christianus, nomine Joachimus, Manila Japoniam repetens, vehendos acceperat Patres Petrum a Zunica Augustinianum, & Ludovicum Flores ex ordine Prædicatorum, mercatorum veste indutos, & avidos martyrii. Emensus feliciter maximam itineris partem, in piraticam Batavorum incidit prope Formosam insulam. Cum ab ea nec fuga, nec armis tueri se posset, nihil aliud pactus quam vectorum vitam, prædonibus se permisit. Batavi oneraria potiti, dum per eam prædabundi discurrunt, & omnia diripiunt, reperto in sarcinis duorum religiosorum instrumento sacrificali cum aliis instituti religiosi notis, nihil dubitarunt religiosos eos esse, & Japoniam petere in veste non sua, ut vigilantiam magistratuum fallerent. Læti præda portum Firandensem subeunt, & regulo significant, a se comprehensos adduci religiosos viros, ingens Imperatori munus. In terram expositi duo quos dixi religiosi, de se omnino negabant quod Batavi tanquam certum affirmabant: neque id tamen declinandæ necis studio, sed liberandi periculo navarchi Joachimi, cui certa pernicies imminebat, si constaret ab eo acceptos in navim fuisse viros religiosos. Dum custodiuntur, nec utrum vere religiosi essent, nec ne, ullo certo documento revinci potest, adest ab Imperatore mandatum, ut ex carcere Omurano tres diversorum ordinum religiosi adducantur Firandum, qui de duobus suspectis advenis recens in Japoniam advectis interrogentur. Lecti sunt ad hunc usum ex Dominicanis Franciscus Morales,

ex

Digitized by Google

ex familia S. Franciſci Petrus de Avila, Carolus Spinula de Societate. Producuntur in medium ſuſpecti mercatores. Quos ut vidit Spinula, diſerte negavit ſibi viſos aliquando vel cognitos, quippe qui annis viginti pedem e Japonia nunquam extuliſſet. Idem ferme affirmantibus cæteris, depulſum periculum videbatur. Tamen Zuniga, ut qui gravioribus premebatur indiciis, jurare cogitur, nec ſacerdotem ſe eſſe, nec religioſum. Id modo juraturum reſpondit, ſe chriſtianum eſſe. Inde ſuſpicio gravior. Nec interim levis offenſio apud neophytos, quaſi victus metu Sacerdos, necemque reformidans, verum prodere non auderet. Id inter ſe reputantes religioſi, quos ex carcere Omurenſi adductos dicebamus, copiam ſibi fieri poſtulant cum eo colloquendi remotis arbitris. Quo impetrato, homini nihil præter naucleri periculum metuenti ſignificant, ſequioris exempli fore, ſi diutius pergeret diſſimulare conditionem ſuam. Fateretur ergo quod erat libere: ſuam & naucleri cauſam Deo permitteret. Oratione permotus Zuniga, non ſolum de ſe ultro confeſſus eſt, verum etiam confeſſionem exceptam litteris proprio chirographo confirmavit, id unum precatus judices, ut Joachimum navicularium, vectoreſque, quorum duntaxat cauſa hactenus reticuiſſet, noxa eximendos curarent. Laudata eſt reſponſi fides & æquitas. Duplicantur Zunigæ vincula. Spinula cum ſuis comitibus Omuram remittitur.

174. Quæſtio Firandi inſtituta ad eos dignoſcendos.

175. Unius generoſa confeſſio.

Reſtabat Ludovicus Floreſius, de quo cum adhuc ambigeretur, & levia eſſent indicia, decretum eſt ut aſſervaretur in vinculis Firandi, negligentius tamen, ac tanquam in honeſta cuſtodia. Audivit hoc P. Didacus de Collado Floreſii in Japonia præpoſitus, ac verſare animo cœpit, ſi qua poſſet ſodalem ſuum periculo eripere. Eum milites adeo indulgenter & incurioſe ſervabant, ut poteſtatem ſubinde illi facerent ſpatiandi in proximo littore, intra certos tamen cancellos. Nihil accidere poterat opportunius ad conſilia Colladi. Naviculam, remiges, & neophytorum expeditam manum parat Nangaſachii. Tum captato tempore, quo Floreſium in littore inambulare norat, appellere jubet remiges ad oram Firandenſem, cui carcer imminebat, monetque ut perfractis primis repagulis, abripiant hominem incuſtoditum, imponant lembo, & velis remiſque fugiant. Se prope adfuturum ſpondet in alia navicula. Conſilium utcunque audax ſucceſſu non caruit initio. Floreſium abduxerant jam neophyti: ſed dum aufugiunt, quantumque niti remigando poſſunt, feſtinant terram capere; ecce tibi a tergo celox remigibus, & armato milite inſtructus fugacem lembum inſequitur, eumque celeriter aſſecutus, grandinem telorum in pavidos, & longe viribus inferiores effundit. Periculo exanimatus Floreſius, quieſcere jubet comites, & militibus in prædam cedit. Colladus haud procul in ſcalmo ſuæ molitionis exitum opperiebatur: ſed viſis quæ gerebantur, ſeque a ſatellitibus conſpectum ſentiens, ejecit ſe propere in littus, ubi ſilvæ latebris tectus perquirentium manus evaſit. Interea qui Floreſium exportabant neophyti, vix non fuſtibus confecti perierunt. Furentes milites alloquio placavit ipſe, unum ſe reum clamans, cujus cauſa cæteri deliquiſſent. Addidit, quod minime quærebatur, ſe religioſum & ſacerdotem eſſe. Milites plus multo quam ſperabant conſecuti, repetunt portum ovantes. Floreſius oneratur vinculis. Imperator de re tota confeſtim admonetur. Haud facile explicari poſſit, tyrannum ut irritaverit hic nuncius, qualeſque illi, ſatis jam perniciem chriſtianorum anhelanti, faces admoverit. Exclamat ira exæſtuans, patere aliquando tandem ſacerdotum Europæorum conſilia: effractis carceribus, nihil jam ſupereſſe, niſi ut occupent Japonicos portus, invadant regiam, ſeque de ſolio deturbent. Conrocuum Nangaſachii gubernatorem, qui tum forte aderat in aula, minaci oratione objurgatum, quaſi negligentia ſua anſam iſtis ſcelcribus daret, Nangaſachium jubet revolare, ac nulla interpoſita mora duos illos religioſos, cum navarcho Joachimo, vivos concremare: vectores, & nautas in eodem repertos navigio, ferro perimere: præterea mactare ac perdere viros omnes religioſos, quicunque Nangaſachii, vel Omuræ in vinculis eſſent: trucidare illo-

176. Alter ex fuga retrahitur in carcerem.

177. Imperatoris ob tentatam ab illo fugam incredibilis furor.

rum hoſpites & receptatores, hoſpitumque uxores, liberos, ac vicinos. Hoc fulmine centum & viginti capita paucis diebus ceciderunt.

178. Viri quindecim necantur Nangaſachii.

Conrocuus enim Nangaſachium reverſus, nihil diſtulit furibundi regis imperata facere. Primis beata ſors glorioſæ necis obtigit Ludovico Floreſio Dominicano, Petro Zunigæ Auguſtiniano, & Joachimo nauclero, quos Prætor vivos comburi juſſit XV. Cal. Septembris. Stetere medios inter ignes viri fortes duarum horarum ſpatio immoti, defixis in cœlum oculis, velut ſenſus omnis & doloris expertes. Eadem die Ferdinandus Civerez Hiſpanus, & alii undecim, partim nautæ, partim vectores, capite truncati fuerunt. Nondum plane compertum erat, quæ Rex gubernatori mandaſſet. Tantum vulgo increbuerat, illam quindecim martyrum cædem atrocioris crudelitatis initium fore. Auxit ſuſpicionem, quod eadem die curioſius moleſtiuſque quam unquam antea ſatellites irrumpere cœperunt diverſas chriſtianorum domos, ut religioſos, ſicubi laterent, inveſtigarent. Dux prædonum Petrus Antonius, chriſtiani ſacerdotii macula, labeſque Eccleſiæ Japonicæ, qui anno ante hunc tertio captus, & in Omuranum ergaſtulum ſacerdotii cauſa detruſus, ejurata fide, pejorem omni carcere libertatem mercatus fuerat. Vir æque impius & impudens gloriabatur, ſi quis religioſorum alicubi deliteſceret, hunc ſe certiſſime deprehenſurum. Nullum tamen hoc tempore deprehendit, licet noſtri chriſtianorum ædes eo circumirent diligentius, quo magis operam Sacerdotum tempus poſcebat. Quare Conrocuus, ludere ſe operam in aliis conquirendis dolens, & juſſa regis explere feſtinans, ſatis amplam ſæviendi materiam cenſuit religioſos viginti quatuor, chriſtianoſque unum & triginta, jam pridem vel religionis, vel religioſorum cauſa vinctos, tum eorum conjuges liberoſque, capita omnino quinquaginta quinque. Omnes barbarus capite damnavit: utque augeret terrorem, uno die ac loco ſupplicium de tot innocentibus ſumi juſſit. Die igitur præfinita, quæ fuit IV. Idus Septembres, educuntur ex ergaſtulo Omurano religioſi vigintiquatuor, quorum novem de Societate, reliqui ex aliis ordinibus. E noſtris duo Sacerdotes erant, Carolus Spinula, & Sebaſtianus Kimura: novitii ſeptem, Petrus Sampo, Gonzalus Fuſajus, Michael Xumpo, Antonius Chiunius, Thomas Acafoxius, Joannes Chungoquus, & Ludovicus Cavara. Tres iſtos poſtremos nuperrime juſſus fuerat a Provinciali Præpoſito P. Spinula in Societatem recipere, quippe dignos, & probatos ſatis in ipſo carcere. Proceſſit Nangaſachium verſus beata cohors, ex Omurano carcere in navim, e navi in equos ſarcinarios impoſita. Præibat tribunus militum cum armato agmine, ad vim, ſi qua pararetur, arcendam. Sequebantur vincti, quorum turmam ducebat Spinula. Unicuique reſtis innexa collo, & appoſitus lateri tortor, qui funis caput extremum manu teneret. Interjecti promiſcue milites concurrentem populum ſubmovebant. Claudebant agmen lecti centuriones cum expeditis equitibus. Fuit tamen qui, perrupto audacter cuſtodiarum ordine, acceſſit ad Kimuram, & obtentu neſcio quo, calceamenti partem gladiolo abſcidit, inter ſacra ſervandam. Viro nomen Leo, qui felicior ejus operis mercede quam fructu, haud multo poſt eodem mortis genere occubuit. Solent Japones, ſuperba & militaris natio, ut mortem contemnere videantur, illam excipere, non læto ſolum vultu, ſed cultu quoque corporis, & amictu quam ornatiſſimo. Hunc ſecuti morem, & multo quidem convenientius, quicunque pro Chriſti fide capitalem ſubibant pœnam, prodire conſueverant ad ſupplicium quam poſſent ſplendidiſſime veſtiti: eaque mente Spinula dederat operam, ut ſibi & Kimuræ conficerentur amicula duo linea, & candida, qui vulgo Sacerdotum in templis amictus eſt, cum ſacræ cærimoniæ quidpiam obeunt. Vexillum etiam curaverat elaborandum e panno pulcherrimo, in quo medio ſanctiſſimum Jeſu nomen cum prominentibus circum radiis depictum eſſet. Hoc manu geſtare labarum cogitabat cum Nangaſachium ingrederetur, hoc mediis in flammis ſublime præferre. At Conrocuus haud immerito veritus, ne triumphi ſpeciem id haberet, neve religioni chriſtianæ inde peteretur gloria, unde ipſe perniciem

179. Religioſi diligentius conquiruntur.

180. Damnantur religioſi viginti quatuor, ex quibus novem de Societate.

181. Procedunt ad necem tanquam ad triumphum.

& igno-

Digitized by Google

& ignominiam quærebat, oſtendi quidem Spinulæ vexillum, & quæ dixi indumenta paſſus eſt, iis tamen uti non eſt paſſus. Verum his etiam demptis, haud abſimile triumpho diceres illud Chriſti militum iter. Undique concurſus e vicinis civitatibus & pagis, læti undique clamores plaudentium, laudantium, bene precantium. Ipſæ lacrymæ, quas commiſeratio, gaudium, & admiratio eliciebant, pompæ non indecora pars erant. Monebant populum martyres, ut chriſtianam fidem ad extremum uſque ſpiritum retineret, neu frangi ſe ulla acerbitate temporum ſineret. Preces denique omnium flagitabant, quarum ope daretur ſibi facultas certandi fortiter, & vincendi.

182. Supplicii locus, & apparatus.

Collis eſt vicinus Nangaſachio, peninſulæ in morem procurrens in mare, quem multorum martyrum cædibus conſecratum chriſtiani novo nomine ſanctum appellabant. Cum placuiſſet hic locus ad ſumendum ſupplicium, convenerunt millia chriſtianorum facile triginta, præter infinitam advenarum, & indigenarum multitudinem. Chriſtianos adeſſe quamplurimos gaudebat Conrocuus, quo plures terrerentur. In colle ſummo, ubi modica planities aream patentem explicabat, viſebantur ſtipites quinque & viginti, ad quos alligandæ erant devotæ flammis victimæ. Populum ab hac planitie diſcludebat ſeptum e multiplici compactum palo: tum legio militum undique circumfuſa. In editiori quodam loco exſtabat inſtratum Sinenſi tapete tribunal, in eoque ſublimis cum corona judicum Suquendajudonus, cui prætor Conrocuus feralis tragœdiæ curam commiſerat. Non continuo admiſſi ſunt intra ſeptum Omurani pugiles: expectabantur enim e cuſtodiis Nangaſachienſibus chriſtiani unus & triginta, quorum plerique obtruncandi, quidam cremandi erant. Simul ac iſti ex adverſo venientes conſpecti ſunt, haud facile dixerim, ut omnium in ſe oculos traxerint, utque animos intuentium mixto miſerationis & gaudii ſenſu commoverint. Acceſſere lætabundi, eoque ornatu corporis, ut appareret, mortem illis triumphum eſſe, non pœnam. Lætiſſimus præſertim accidit utriuſque agminis occurſus, his atque illis invicem ſibi gratulantibus, quod nunc ſocii glorioſæ mortis, & mox perennis vitæ futuri eſſent. In patentem aream introducti ſunt univerſi, omnino quinque ſupra quinquaginta; quique rogo deſtinati erant, ad ſuum ſinguli ſtipitem a lictoribus adſtricti fuerunt. Solebant antea Japones, cum cremandus erat quiſpiam, uliginoſo luto funes perungere, ne flammis tam cito abſumerentur. At cum anno ſuperiore Chriſtianus quidam lenti cruciatus impatiens vincula concuſſiſſet, iiſque ſumma vi ruptis e media flamma ſemiuſtulatus exiliiſſet, exinde inſtitutum, ut chriſtiani deinceps alligarentur mollius remiſſiuſque, ut eſſet ſcilicet poteſtas erumpendi major, ſi quem animus in tormento deficeret. Id modo ſervari placuit: atque utinam effectu ſtratagema improbum caruiſſet. Proceſſit omnium primus Spinula, inſigni lætitia & gravitate, quamvis macie & pædore diuturni carceris horridus: complectenſque paratum ſibi ſtipitem, decenter adeo ac pie illum eſt deoſculatus, ut inter lacrymas gemituſque confuſæ multitudinis eruperit ipſorum ethnicorum clamor, tantam in tam acerba mortis expectatione conſtantiam admirantium. Ut paulum tumultus conquievit, attollens vocem, pſalmum *Laudate Dominum omnes gentes* inchoavit: quem ſecutus religioſorum chorus, præivit iis qui ſpectatores aderant chriſtianis. Sacro carmine recitato, idem Spinula oculos ad tribunal, cui proximus conſtiterat, vocemque convertens, Suquendajudonum, & aſſidentes illi judices in hunc modum eſt allocutus. „ Facile poteſtis intelligere ex ea, quam ad necem crudeliſſimam afferimus alacritate, utrum huc per ſexcenta pericula venerimus ad regna armis „
invadenda, ut neſcio qui dictitant, an potius ad commonſtrandam vobis æter- „
næ vitæ, ac regni cœleſtis viam. Peritura regna, opes caducas, honoreſque „
fluxos, & brevi interituros quærere non docet chriſtiana religio, ſed ſpernere: „
nec certe veſtra captamus bona, qui noſtra ſponte dimiſimus. Vos ipſos, ani- „
mas veſtras, & ſalutem quærimus, cujus nulla poſt hanc mortalem vitam ſpes, „
niſi Chriſti cultoribus eſt. Quos videtis ignes, illorum rudis pictura ſunt, „
„ qui-

183. Conveniunt in eundem locum chriſtiani unus & triginta pariter necandi.

184. Religioſi alligantur ad palos remiſſius, ut poſſint fugere.

185. Singularis fortitudo P. Caroli Spinulæ.

186. Ejuſdem oratio ad judices aſſidentes.

Digitized by Google

„ quibus torquebuntur quicunque falſa numina venerantur. Nos quamlibet acer-
„ bo, tamen brevi ſupplicio defungemur, æternis in cœlo gaudiis munerandi.
„ Cæterum nolite arbitrari, abſterrendos hoc noſtro tam horribili cruciatu præ-
„ cones divinæ legis. Novos illis ad bene de vobis merendum additis ſtimulos:
„ nec enim iis quidquam poteſt optatius evenire, quam pro Dei ſui gloria, pro
„ ſalute veſtra vitam profundere. Quod ſi quis tamen ex nobis non eandem re-
„ tinebit, quam reliquis adfore confido, magnitudinem animi, & firmitatem;
„ erit æquitatis veſtræ mortalis naturæ imbecillitati nonnihil ignoſcere. Neque
„ enim ex ære aut ferro conflata ſunt hæc corpora: veſtris quam ſimillima ſunt,
„ & ad omnem doloris ſenſum aptiſſima. Plus igitur apud vos valere debebit
„ multorum fortitudo & fides, quam paucorum, ſi qua erit, imbecillitas atque
perfidia. „ Cur hæc addiderit, poſtea compertum eſt. Ad chriſtianos deinde converſo vultu, illos acri oratione ad tuendam moribus & vita fidei ſanctiſſimæ dignitatem eſt cohortatus.

187. Triginta obtruncantur. Quadrimi pueri conſtantia admirabilis.

Dum ita loquebatur Carolus, applaudebant oculis, ac ridente vultu ſocii glorioſæ necis, quorum alii ſtabant revincti palis, quippe comburendi, alii capite plectendi genibus nitebantur. Ab his poſterioribus initium ſacrificii factum. Ora omnium ad ſe rapiebant pueri diverſæ ætatis, & unus maxime annorum quatuor, Ignatius nomine, olim a P. Carolo baptizatus. Ejus matrem Eliſabetham Fernandem conſpicatus Spinula, quæſivit ex ea, ubinam ſuus eſſet Ignatiolus? Interjecta enim lignorum ſtrues ne puſio cerneretur obſtabat. Quem mater ſublatum inter manus, & belliſſime veſtitum oſtentans: *En illum*, inquit, *mi Pater. Mori mecum gaudet. Ac libenter ego quidem duas res, quæ mihi cariſſimæ erant, Deo meo immolo, vitam, & filium.* Mox puerulum contuens: *En*, ait, *qui te filium Dei fecit, ac vitam dedit multo meliorem iſta, quæ modo eſt finienda. Huic te nate commenda, utque tibi benedicat precare.* Flexit genua puer, & complicatis manibus matri paruit. Quo ſpectaculo permota multitudo, lamentabile ſuſtulit murmur, & ſeditionis metum incuſſit. Quare, omni abrupta mora, lictores carnificinam ſunt aggreſſi. Tria quatuorve capita acinace immiti decuſſa ceciderunt ante pueruli pedes, nec ille tamen ſe commovit. Ventum erat ad matrem. Omnes puerum intueri, pro illo omnes trepidare. Ille deciſum, & ante ſe provolutum caræ parentis caput vidit immotus, omiſſiſque lacrymis ac planctu, velut intelligens ſuas jam partes eſſe, nudavit collum, & cerviculam crudeli ferro præcidendam obtulit.

188. Reliqui viginti quinque comburuntur.

Obtruncatis Chriſti militibus triginta, & eorum capitibus ante oculos aliorum in menſa collocatis ad terrorem, infertur ignis, & paratæ materiæ ſubjicitur, quæ momento flammam concepit. Diſtabant ab igne corpora palmos quinque & viginti, ut lentius torrerentur: ac ſiqua parte luculentior ſerperet flamma, coercebatur a lictoribus. Locus omnis circum incondito vocum, ac gemituum ſtrepitu perſonabat. Soli martyres taciti immotique, defixis in cœlum oculis, illuſtre ſui ſpectaculum Angelis hominibuſque exhibebant. Duas treſve horas tenuit crudele ſupplicium, in quo primus cecidit P. Carolus Spinula. Nam præter quam ſenex annorum duodeſexaginta, & multiplici morbo ærumnaque carceris debilitatus, ab igne aberat propius, unde evolans in veſtes favilla implicuit illis ignem, quo brevi conſumptus eſt. Cæteri proxime ſunt conſecuti, quemque vivi inſtiterant locum, exuſtis corporibus texerunt, inſigni laude fortitudinis, & magna religionis gloria. Ultimus jacuit Sebaſtianus Kimura, cum tres ipſas horas vim ignis, quo lentius, eo crudelius ſævientis pertuliſſet: coactus proinde cernere, quod graviorem illi forte dolorem inuſſit, ſpectaculum ſane triſte, ac luctuoſum.

189. Duo doloris impatientia a fide deficiunt.

Duo fuerunt religioſi, qui doloris impatientia abruptis vinculis, ex ipſo rogo ad judices evaſerunt ambuſti, Xacam & Amidam numina Japonum clamitantes, ac vitam pro perfidia rogantes. Sed qui conſtantiam tot fortiſſimorum pugilum laudaverant ethnici, levitatem iſtorum ſpreverunt, rurſumque vinctos flammis tradiderunt, in æternas poſt mortem conjiciendos. Cladem hanc longe ante proſpexerat Spinula, ac ſæpe mœrorem ſuum ſignifica-

Digitized by Google

caverat, ingemiſcere identidem, ac profiteri ſolitus, vereri ſe ne non omnes Omurani carceris hoſpites beatæ mortis coronam acciperent, neve quiſpiam glorioſæ diei ſerenitatem turpi defectione corrumperet. Id illos duos religioſos admonuerat nominatim, cum eos cerneret incommoda carceris ægrius quam viros fortes deceret ferre. Cum vero eoſdem vidiſſet olim in certo quodam negotio pertinacius a ſuo præſide diſſentire, blande objurgatis, & in pertinacia nihilominus hærentibus, infortunium, verus nimium vates, prænunciaverat. Japonem etiam narrant, ſolutis in rogo vinculis, fugam circumſpectaſſe: ſed viſa prope uxore, quæ fortiter ceciderat, retuliſſe confeſtim gradum, & erratum voluntaria piaſſe morte. Simul atque felices animas cœlum excepit, fit undique a chriſtianis impetus in vallum, quo area claudebatur, ad ſacra corpora diripienda. Reſiſtente circumfuſa militum manu, & vim minaciter prohibente, Leo Zacheſajemonus immiſcuit ſe militibus, & unius martyris manum ambuſtam ſurripuit. Sed in furto deprehenſus, piæ dedit audaciæ pœnas conjectus in carcerem, & paulo poſt cum uxore crudeliter interemptus. Toto triduo Prætor ſacra corpora cuſtodiri juſſit, duplicatis circa ſeptum excubiis, ne quis ad aliquid ſurripiendum accederet. Cognita mox chriſtianorum conſpiratione de avehendis per noctem corporibus, illa in ingentem rogum cum ſtipitibus, & reliquis ſupplicii inſtrumentis congeſſit, cinereſque cum ipſa humo ſanguine infecta in mare procul aſportandos curavit. Solum Mariæ Tocuanæ caput, quia conſanguinea prætoris erat, exemptum rogo, & chriſtianis donatum eſt. Sic omnis illa tragœdia acta eſt, in qua Societas actores novem numeravit. Ex iis combuſti fuerunt octo. Nono, quia defuit palus cui alligaretur, caput eſt amputatum. Supereſt jam ut de ſingulis aliquid diſtinctius referamus.

190. Chriſtianorum ardor ad reliquias martyrum diripiendas.

De P. Carolo Spinula ſupervacaneum eſſet hoc loco dicere: exſtat enim latine ſcripta ejus vita, & multorum teritur manibus. Summam tamen rerum ab eo geſtarum libet exhibere. Matriti ortus eſt Carolus anno MDLXIV., patre Octavio Spinula, clariſſimæ inter Genuenſes familiæ viro, Taſſaroli comite, & Cæſarei ſtabuli præfecto. Ætatem ineuntem egit Nolæ apud patruum Cardinalem Philippum Spinulam ejus urbis Antiſtitem, iiſque artibus egregie fuit excultus, quibus pueri nobiles informantur. Dum ſe comparat ad quamcunque fortunæ conditionem, quam aut patrui Cardinalis liberalitas, aut gratia patris apud Rodulphum Cæſarem aperiret, allata in Italiam fama de morte P. Rodulphi Aquavivæ, ab ethnicis in India cæſi, longe alias illi cogitationes injecit. Beatæ mortis genus mire percuſſit generoſum Caroli pectus, & ad æmulationem ſimilis gloriæ accendit. Hac ſpe inflammatus, Deo ſe dedicavit in Societate, cum nondum plane annum vigeſimum expleviſſet. Statim ejuſmodi vitæ rationem ingreſſus eſt, quæ martyrii candidato conveniret: ſtimulos ad virtutem, nec mediocre incitamentum addentibus B. Aloyſio Gonzaga, quo uſus eſt Neapoli familiariter, ac Ven. Bernardino Realino, quem Lupiis conſcientiæ arbitrum habuit. Defunctus ſtudiorum curriculo Mediolani, & ſacerdotio initiatus, adeundæ Japoniæ facultatem exoravit, perruptaque quæ fiebat a conſanguineis mora, contendit Ulyſſiponem, atque inde in Indiam cum ſeptem Societatis hominibus ſolvit. Emenſus magnam itineris difficillimi partem, dum prætervehitur promontorium bonæ ſpei, diffracto navis gubernaculo, cogitur Braſiliam petere, ubi menſes quinque conſedit. Quaſſata tot procellis navis, cum eſſet itineri Indico inhabilis, reportabatur in Luſitaniam. Ventis adverſantibus, ad portum, ut vocant, divitem depulſa eſt. Poſt aliquot menſium in hac inſula moram ſaluti plurimorum utilem, non auſi Patres navi priſtinæ ſe committere, duas alias commodius inſtructas conſcendunt; diviſi tamen ſic, ut una veheretur P. Spinula cum P. Hieronymo de Angelis, altera ſocii reliqui. Omnes pariter in Luſitaniam vela faciebant. At Carolus a ſociis tempeſtate divulſus, poſt ſexcenta pericula, capitur a prædonibus, & in Angliam defertur. Non ignorabat ille quanto tunc odio eſſet Anglis nomen Societatis, regnante Eliſabetha. Nihilominus palam ſe catholicum Sacerdotem, & alumnum So-

191. Elogium P. Caroli Spinulæ, ejuſque vitæ ſynopſis.

192. Ingreditur Societatem martyrii ſtudio.

193. Navigat in Japoniam, ſed defertur in Angliam.

Digitized by Google

Societatis profeſſus eſt, idque ipſi fuit innoxium. Delectatus nimirum ejus modeſtia, cæteriſque virtutibus præfectus Anglicæ navis, occultavit illum aliquandiu, liberaliter ac benigue habuit, denique liberum dimiſit. Rediit ergo in Luſitaniam; ſed, quæ prima ſe daret occaſio, denuo iter in Japoniam, quo ſua illum ferebant vota, facturus. „ Ulyſſiponem appulimus (ita de ſe ac P. Hieronymo de Angelis ſcribebat ad Præpoſitum Generalem) ſalvi, Deo propitio, & ad eamdem viam millies integrandam paratiſſimi. Uſu ipſo ac patientia occalluimus ad omnem maris atque hominum acerbitatem, & quæ videntur inexpertis horrida, mihi pene jam familiaria ſunt. Deo fretus confido fore, ut ſi omnia humana præſidia me deficiant, alæ defuturæ non ſint, quibus eo convolem, quo me a tot annis tam manifeſto numine vocari ſentio„.

194. Ejus litteræ ad Præpoſitum Generalem ex Luſitania.

Iterum ergo relinquit Europam, mare iterum ingreditur exeunte Martio anni, qui præterlapſi ſæculi erat ultimus, moratuſque paulum Goæ, Malacæ, & Macai, partim ut affectæ ſerviret valetudini, partim ut navigandi opportunitatem præſtolaretur, Japoniam aliquando tandem attigit anno labentis ſæculi ſecundo. Viginti annos exegit in Japonia: primos quidem in collegio Arimenſi, ubi ſeminarii juventutem per omnes virtutis chriſtianæ gradus deduxit: tum in vicino tractu (Ariæ nomen eſt), ubi centum ipſos pagos cum inſigni fructu excoluit. Inde accitus Meacum Japoniæ caput, ut domeſticæ in collegio diſciplinæ cuſtos, & rectoris adminiſter eſſet, injunctum munus per ſeptem annos geſſit, tanta charitatis & prudentiæ laude, ut poſt hæc Japonicæ provinciæ procurator fuerit conſtitutus, quod onus & ſummi erat momenti, & maximis difficultatibus laborabat. Poſtremo Vicarii Generalis partes egit pro P. Valentino Carvallio, qui Japonenſem adminiſtrabat epiſcopatum, donec, uti narratum eſt, comprehenſus, & in Omuranum carcerem detruſus, diuturnum, & ipſis prope crudelius flammis martyrium quatuor fere annis pertulit. Carcerem iſtum, ob anguſtiam fœtoremque, & reliqua quibus abundabat incommoda, inferos plerique vocitabant. Carolus ſuam probationis domum, ſuum paradiſum appellare conſuevit: adeo communibus omnium moleſtiis nihil infractus, ut eas voluntariis cruciatibus cumularet. Cilicio continenter utebatur: & quamvis demenſum dari vinctis ſolitum vix arcendæ morti ſatis eſſet, pluribus ipſe tamen diebus hebdomadæ arctiorem inediam tolerabat. His adde frequentes morbos, convulſiones, tormina, & acutas febres, quibus haud ſemel in ultimum vitæ diſcrimen adductus eſt. Adde iterum, quod diſſimulari non debet, animi ægritudinem ingentem, ac fere aſſiduam, ex perſpecta quorundam erga ſe, & Societatem malevolentia. Audiebat ſæpe palam ordinis ſui famam proſcindi: ſeri diſſidia, ſeditioneſque conciri videbat adverſus ſe. Quibus de rebus licet nunquam auditus fuerit conqueri, imo obtrectatoribus beneficia pro injuriis rependeret, ſcripſit tamen Præpoſito Provinciali, his multo ſe affici gravius, quam reliquis tam tetri carceris ærumnis. Tot inter moleſtias ſola reficiebatur divinarum rerum contemplatione, cui dabat operam aſſidue, ac tanta cœleſtium deliciarum ubertate, ut calamitates in deliciis haberet, nihilque omnium mallet, quam aut in eodem carcere contabeſcere uſque ad mortem, aut ad rogum perduci. Illis itaque blande ſuccenſebat, qui exilium, aut aliud ejuſmodi pœnæ genus quaſi miſerantes commemorarent. Omnibus contra lætitiis incedebat, ſi quis optatæ necis mentionem faceret. „ Renunciatum nobis eſt (ita ſcribebat ad rectorem collegii Nangaſachienſis), nos Octobri proximo vivos eſſe comburendos, idque ex ipſo Conrocuo auditum narrant. O me beatum, ſi ad palum ſemel alligatus, Chriſtique cauſa crematus animam hanc poſuero! Sentio equidem quam honore tanto ſim indignus. Nihil in me boni deprehendo, præter avidam patiendi pro Deo voluntatem. Illud enimvero angit me ac diſcruciat, quod vitam prorogari mihi videam, nullumque interea finem faciam offendendi Dei, quem de me tam bene meritum intelligo. Mortem lætus opperior, quæ meis modum peccatis imponat. „ In eandem fere ſententiam ad alios pleroſque amicorum ſcripſit, extremis epiſtolis

195. Ejuſdem miniſteria & labores in Japonia.

196. Peculiares ejus moleſtiæ in carcere Omurano.

197. Qua flagraret cupiditate martyrii,

Digitized by Google

lis ita ſubſcribens, exemplo Pauli Apoſtoli: *Carolus pro Chriſto vinctus*. Iiſdem litteris orabat impenſe omnes, ut agerent aſſiduis apud Deum precibus, ne ſibi gloria ſubeundæ pro Chriſto mortis negaretur.

198. Elogium P. Sebaſtiani Kimuræ.

Simillimum animi robur in P. Sebaſtiano Kimura ſpectatum eſt, tunc præſertim cum poſitus in extremo certamine, poſt tres immanis incendii horas genua leniter humi flexit, ac demiſſo capite victorem Deo ſpiritum reddidit. Ætatis annum agebat ſeptimum & quinquageſimum, ab inita Societate trigeſimum octavum. Nepos illius erat Kimuræ, quem S. Franciſcus Xaverius omnium primum in Japonia baptiſmo tinxit, illiuſque Leonardi conſobrinus, cujus triumphum ſupra in quinto hujus hiſtoriæ libro retulimus. Primus inter Japones fuit ſacerdotio initiatus, & Sacerdotum Japonum primus, qui glorioſa nece religionem illuſtraret. Firandi natus, vix annos undecim attigerat, cum Firandenſe templum Societatis frequentare cœpit, ejuſque ſe miniſterio totum devovit. Poſt quam acceſſit ætas matura litteris, illis operam in Bungenſi ſeminario dedit, annumque ingreſſus undevigeſimum, Deo ſe dicavit in Societate. Hauſerat a moribus ſuæ gentis, & inſtitutione domeſtica nobiles ac generoſos, quibus maxime Japones gloriantur, ſpiritus: ſed eos demiſſione modeſtiaque chriſtiana ita temperavit, ut eſſet erga omnes mirum in modum comis, affabilis, officioſus, & ad omnes moderatorum nutus promptiſſimus. Pauperrimo utebatur veſtitu, tantum ad religioſæ virtutis perfectionem addi exiſtimans, quantum ad paupertatis rigorem accederet. Sortitus a natura orationis genus amplum & ſplendidum, illud exercitatione diuturna ſic limaverat, ut magnam explicandis fidei myſteriis auctoritatem conciliaret. Neque tamen conciones accurabat ad pompam, ſed magis ad utilitatem & captum audientium accommodabat. Quidquid erat in evangelico labore aſperrimum, id ſubibat ultro præ cæteris, ut ſocios levaret oneris parte, aut illorum incolumitati conſuleret.

199. Indicantur aliqua de ſeptem novitiis. Ac primo de Thoma Acafoxio.

Inter ſeptem novitios Societatis, quos ſimul, & eadem cauſa interfectos vidimus, clarus erat, non ſolum genere, ſed etiam bellica virtute Thomas Acafoxius, quem cum P. Kimura captum docuimus libro ſuperiore. Cognita religionis chriſtianæ veritate, ac ſtatim ſuſcepta, nihil dubitavit ea dignitate vir totum ſe Patrum obſequio devovere, & in exilium pulſos Manilam uſque ſequi. Reverſus inde in Japoniam, ſatis magnam exhauſti per tot annos laboris mercedem rependi ſibi putabat, ſi admiſſus in Societatem, pro Chriſto moreretur. Utrumque feliciter eſt conſecutus, annos egreſſus quinquaginta. Pari conſtantia operam diu navaverat Patribus Joannes Chungoquus, oriundus Amanguccio. Ductus ad Gubernatorem Nangaſachii, rogabatur, num P. Carolum Spinulam ſacerdotem eſſe & religioſum ſciret? Amici, qui forte aderant, ut hominem periculo eximerent, id eum neſcire dixerunt. Ego vero, exclamat Joannes, probe ſcio: neque alia res ulla me illi adjunxit, quam quod veri Numinis legem docet. Ea vox capite fuit luenda. Vinculis cum Spinula conſtrictus, in iis hæſit fere quadriennium, donec beatæ mortis corona donatus eſt. In carcere virtutum documenta maximarum dedit, charitatis præſertim & patientiæ, quarum commendatione admiſſus fuit in Societatem. Ludovicus Cavara, Societati pariter additus in carcere, per eoſdem duriſſimæ captivitatis gradus aditum ſibi ad immortalitatem aperuit. Natus Ariæ, primam ætatem egerat inter nobiles ephebos Joannis Arimandoni regis Arimæ. Sed cum Michael Joannis filius a Chriſto deſciviſſet, ipſe fortunis & omnibus vitæ commodis exutus, Nangaſachium ſe contulit. Ibi paulum ab urbe ſecedens, abdidit ſe in tugurium, ubi cœleſtium rerum contemplationi deditus, adeuntes docebat ſalutis viam, & in vicinos identidem pagos procurrebat. Sæpe captus quaſi religioſus, ſæpe errore cognito eſt liberatus. Ad extremum vetitus a Gubernatore verba de lege Chriſti facere, ſe quidem in cæteris rebus obtemperaturum reſpondit: at facere non poſſe, quin legem chriſtianam rogantibus explicaret, quam non modo veram eſſe intelligeret, ſed etiam ad ſalutem omnino neceſſa-

200. De Joanne Chungoquo.

201. De Ludovico Cavara.

Digitized by Google

ſariam. Incenſus ira Conrocuus, illum in Omuranam cuſtodiam duci juſſit, ubi permotus noſtrorum exemplis, in eorum adſcribi numerum petiit, & impetravit. Annum agebat ætatis fere quadrageſimum. De reliquis quatuor tironibus multa libro ſuperiore memoravimus. Tamen quo flagrarent ardore fidei, novo argumento erunt litteræ, quas ex Omurano ergaſtulo in communi ſcripſerunt ad quemdam de Societate. „ Si noſtra nobis peccata (inquiunt) gloriam optatæ mortis invident, hoc ſaltem enixe rogamus Deum, ut nos in iſtis mori vinculis ærumniſque patiatur. Quod vincti propter Chriſtum ſumus, in ſummi beneficii loco ducimus, & acceptum Societati, beatiſque Ignatio & Franciſco Xaverio ferimus: ſimulque profitemur, non poſſe nos ipſis pares pro tanto merito gratias ſolvere. Sed neque poſſumus verbis conſequi, quantum eo quoque nomine debeamus P. Carolo Spinulæ, omnium noſtrum parenti magiſtroque amantiſſimo. Totam ætatem, imo ætates plurimas, in his vinculis læti lubenteſque, ſi viſum ita ſuperis fuerit, tranſigemus. „ Ex quibus litteris intelligi poteſt, quam virilis & adulta tironum illuſtrium virtus eſſet. Antonius Chiunius annum ætatis quinquageſimum expleverat. Gonzalus Fuſajus agebat quadrageſimum. Paulo ultra proceſſerat Petrus Sampo. Michael Xumpo tertium & trigeſimum decurrebat. Horum adſcribi numero non immerito poteſt Antonius Sanga, ejuſdem atque illi necis & coronæ particeps. Multo enim ante fuerat in Societatem admiſſus, ſed tirocinio finem imponere nequiverat, impeditus adverſa valetudine. Cæterum nihil fere Societatis amiſerat, præter veſtem. Religioſos quidem certe mores exacte retinebat. Fundendi pro Chriſto ſanguinis deſiderio incenſus, ultro ſe obtulit judicibus, & fidei ſuæ rationem reddidit. Quam admirati conſtantiam judices, pii voti compotem fecerunt. Inſtante morte ſcripſit ad provincialem Societatis, & quantum ſperabat boni, totum debere ſe noſtris hominibus profeſſus eſt, quorum in ſeminario fuiſſet educatus, inter tirones inſtitutus, confirmatus exemplis, precibus ſublevatus. Narrabat iiſdem litteris, ethnicos triginta duos a ſe fuiſſe baptizatos in carcere, & pleriſque aliis viam recte vivendi commonſtratam. Hanc ſalutis alienæ curam Sanga hauſerat a majoribus, qui cum eſſent genere ſplendidiſſimi, chriſtianam fidem inter primos ſuſceperant, & ſuſceptam conſtantiſſime retinuerant.

202. Reliquorum litteræ communes ad unum de Societate.

203. De Antonio Sanga ſimiliter interempto.

Quæ hactenus de P. Carolo Spinula, cæteriſque fortiſſimis fidei defenſoribus narrata ſunt, non ſolum Japonicis noſtrorum litteris conſignata fuerunt, verum etiam excepta publicis monumentis, quæ annuente ſummo Pontifice Urbano VIII., tum Manilæ in Philippinis, tum Macai, & alibi fuere conſcripta. Quiddam in iis eſt de corporibus martyrum hoc loco non tacendum, quod Joannes de Soſa nobilis Luſitanus pro teſtimonio affirmavit. Nocte illa, quæ martyrum cædem eſt proxime conſecuta, atque eo prorſus in loco ubi jacebant ſacra corpora, perſpectam ſibi ingentem & inſolitam lucem, juratus dixit Joannes: hæſiſſe ſe aliquandiu miraculi novitate perculſum, ac Simoni Paez contubernali ſuo rem indicaſſe: accurriſſe illum, atque ambos ſimul duas circiter horas ſtetiſſe admiratione defixos. Addidit, idem ſpectaculum nocte proxima fuiſſe utrique conſpicuum. Lucem eandem e vicino mari proſpectam fuiſſe nautis, divulgatus Nangaſachio rumor confirmavit. At qui appoſiti fuerant cuſtodiendis cadaveribus excubitores, de prodigio interrogati, non id ſolum conteſtati ſunt, verum etiam erexiſſe ſe in pedes corpora interfectorum retulerunt, accenſas manu faces geſtantia; unumque in agmen collecta, collem illum omnem cantando obiiſſe: viſas ſibi cunctorum in manibus ardentes faces: Spinulæ vero facem præcipuo quodam ſplendore conſpicuam apparuiſſe. Hæc ubi vulgari cœpta, Conrocuus inviſum rumorem ægre ferens, minas graves ac terrorem injecit excubitoribus, ſi verbum amplius facerent de prodigio. Metuebat improbus, ne decus inde accederet religioni, & animus chriſtianis adderetur. Et vero quod verebatur accidit: neque enim celari diu tanta res potuit. Celebratum ubique eſt Chriſti nomen, tanto ethnicorum pavore, ut

204. Martyrum corpora mirisoſtentis illuſtrantur.

205. Religio amplificatur. Necantur pro fide multi.

Digitized by Google

ut eorum ferme tria millia intra paucos dies lucem veritatis aſpexerint. Hoc magis furere Imperator, & contra chriſtianum gregem ferro flammiſque graſſari. In regnum Omuranum maxime tempeſtas incubuit. Cum liberis parentes, cum amicis & conſanguineis amici & conſanguinei, puellæ cum ſponſis in ardentes rogos conjectæ ſunt, aut immitibus carnificum lanceis objectæ. Inveſtigati quoque illorum filii, qui ante aliquot annos ob religionis cauſam affecti ſupplicio fuerant, omneſque ſimiliter ad pœnam vocati. Integræ familiæ intra menſem unum, aut ferro, aut flammis abſumptæ perierunt. Qui relicti fuerant in carcere Omurano religioſi octo, tres nimirum Dominicani, & Franciſcani quinque, uno die combuſti.

206. Comprehenditur P. Camillus Conſtantius, & rogo damnatur.

Sed ne longius a rebus noſtris abeam, dicendum nunc de illuſtri certamine P. Camilli Conſtantii, quem inter nobiliſſimos Japonicæ Eccleſiæ heroes merito numeramus. Tranſierat Camillus ex inſula Iquinoxima in aliam proximam, Uquim dictam, ex eaque deſcenſionem facere in continentem tentabat: cum irrumpunt in navim ſtrictis enſibus, & clamore incondito milites, injiciunt nautis vectoribuſque vincula. Solum quærebant Conſtantium, aut certe præ cæteris: nec eum tamen vincire auſi ſunt, credo, prohibiti ſplendore neſcio quo majeſtatis, qui ejus in vultu plurimus emicabat. Volentem, ac ſponte ſequentem Firandum perduxerunt. Interrogatus, ut fit, a judicibus, pro religionis dignitate reſpondit. Sciſcitantibus, cur Imperatori obedire detrectaret? miſſum ſe ab Imperatore cœli dixit, juſſumque divinam legem Japonibus denunciare. Ob hanc vocem acriter objurgatus, in carcerem trahitur. Ut reſcivit Imperator, Sacerdotem quidem cremari vivum juſſit, cæteros autem cum eo captos obtruncari. Eſt e regione Firandi apricus & patens, interjecto maris anguſto freto, locus, quem Tabiram indigenæ vocant. Huc perductus Camillus, verba fecit ad confertam Japonum, Anglorum, & Batavorum multitudinem, ſumpto ex Evangelii vocibus argumento: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*. At dum pergit incredibili ardore, & vocis contentione diſſerere, tortores ignem paratæ materiæ admoverunt. Mixti fumo flammarum vortices dicentem oculis ſpectantium eripuerunt ſtatim: & nihilominus audiebantur concionantis liberæ voces & expeditæ, quibus Japonicarum ſectarum vanitatem deteſtari non ceſſabat. Ecce autem poſt paulo diſcedunt hinc inde flammæ, mediuſque inter illarum furentes globos conſpicitur Camillus orare tam placide, tam ſereno immotoque vultu, quam ſi ſolus ac liber in æde ſacra conſiſteret. Attonitis omnibus, derepente vocem intendit, ac pſalmum *Laudate Dominum omnes gentes* ſuaviſſime concinit. Eo exacto, vita ſimul cum voce defectus putabatur. Tamen, quaſi novas ab igne vires duceret, clamorem tollit denuo, ac modo Japonicis, modo latinis verbis, populum ad fidei virtutiſque conſtantiam adhortatur. Quæ locutus: *Oh me beatum*! exclamat: *Oh factum bene*! *Quam pulchre mihi eſt*! Mox, velut ſui præ lætitia vix compos, *ſanctus*, *ſanctus* ingeminat. Quibus vocibus quinquies iteratis, occubuit. Incidit ejus fortunata mors in XVII. Cal. Octobres, cum quinquageſimum ætatis annum peregiſſet, trigeſimum in Societate decurreret, & in miſſione Japonica decimum ſeptimum.

207. Mira ejus alacritas in ſupplicio.

Dederat illum vitæ ac Societati oppidum territorii Hieracenſis in ulteriori Calabria, quod Motham Bovalineam appellant. Egreſſum pueritia nobilis diſcendi ardor, & honeſta ambitio ad juris civilis ſcientiam penitus cognoſcendam impulit, cujus beneficio tueretur familiæ dignitatem. Sed eum Deus legis ſuæ doctorem deſtinaverat, quam olim in ultimis terræ plagis non ante ceſſaret prædicare, quam vivere. Prius quam Societatem ingrederetur, ignes vincere Japonicis ignibus multo periculoſiores didicerat. Degebat Neapoli adoleſcens cum ſodalibus, ætate & ſtudiorum communione ſimilibus, vita diſſimillimis. Ludi, otium, & quæ otium parit flagitia, illorum unicum erant negotium. Conſtantio contra, præter pietatem & litteras, nihil magnopere gratum, aut expetitum. Male habebat protervos adoleſcentes pudor, & modeſtia contubernalis ab eorum moribus tam alieni: & quoniam in ejus tranſgredi partes recuſabant,

208. Elogium Patris Conſtantii, ejuſque vitæ compendium.

209. Pudicitiæ exemplum ab eo adhuc adoleſcente editum.

Digitized by Google

cum in suas astu nefario pertrahere statuerunt. Tempus eligunt voluptati velut publico jure consecratum, bacchanalia; primisque se intendentibus tenebris, puellam, veneris turpe mancipium, immittunt in ejus cubiculum. Illa veluti casu, & nescio quem quæritans ingressa, veniam rogat, quod molesta interpellatrix advenerit: simul blande subridens, miratur quid sit, cur ipse, dum juventus omnis ludo paulisper & genio indulget, solus in museo cum libris rem habere pergat. Camillus nihil ad hæc: sed impulsam duriter deturbat e scalis præcipitem. Ad clamorem feminæ ingemiscentis famulus nequam, qui erat scelerati doli conscius, accurrit, & facto commotus: *Næ tu*, inquit, *here inclementer, pace tua dixerim, & inurbane feciſti, qui puellam innocentem sic extruseris.* Cui Camillus colaphos pro responso infringens, coegit improbum aliqua saltem vultus parte erubescere. Tum obserato cubiculi ostio, in genua procidit, gratias liberatori Deo agit, novam opem contra hujus generis insidias implorat.

210. De ejus laboribus in missione Japonica.

Quæ esset adolescentis vita & virtus, ex hoc facto æstimare satis licet. Societatem complexus ætatis anno vigesimo primo, missionem Sinicam diuturnis quæsitam votis duodecim post annos impetravit. Macaum delatus fuerat jam, parabatque Sinam ingredi, cum in Japoniam jubetur vela facere. Post quam novem annos exegerat in Japonia, indicto hominibus Societatis exilio, Macaum repetere coactus est. Hic totum se contulit ad cognoscendas penitus refellendasque Japonum, imo & Sinarum, & Siamensium sectas, quas ex ipsorum scriptis & monumentis eruere studuit, ejusque argumenti libros octodecim annis septem elaboravit. Nactus denuo occasionem revisendæ Japoniæ, quam solo corpore reliquerat, conjecit se in navim transformatus in militem. Sed cognitus a navarcho (nihil enim minus quam militem pietate modestiaque præferebat), ægre impetravit, ut clam ejiceretur in littus prope Nangasachium, unde celeri dilapsus fuga, varias regni Fingensis urbes, fidem ac pietatem late proferens, perlustravit. A Firandensibus evocatus, crebras, quibus hic Japoniæ tractus veluti conseritur, insulas diu noctuque permeavit, superstitionum tenebras, & inanium sectarum ludibria ubique dispulit. Illum tandem christiana mulier, pia magis quam cauta, nihil tale cogitans prodidit. Dum enim ad Christum trahere maritum suum idolis perdite addictum studet, indicavit illi de Constantio, eumque ut adiret suasit, expugnandum sperans, si talem semel virum audisset. At perfidus, spe præmii incensus, quo debebat indicio uti ad salutem suam, ad Sacerdotis perniciem uti maluit. Eum detulit ad judices, acceptisque navibus ac militibus, quo diximus modo comprehendit.

211. Augustinus Ota vix receptus in Societatem pro Christo moritur.

Constantio ad supplicium præiverant ejus hospites comitesque, viri omnino duodecim capite multati. At memorandus præcipue Augustinus Ota, singulari Numinis providentia consecutus, ut moreretur in Societate. Fuerat jamdiu Constantii in explicanda divina lege adjutor & comes, cum eoque nunc eodem in carcere detinebatur. Cum arderet nomen dare Societati, scripsit ad Provincialem ex ipso carcere, ut se voti compotem faceret enixe rogans. Provincialis negotium Constantio dedit, ut siquidem dignum putaret, inter socios adscriberet. At quod jure mirari liceat, cum aliæ omnes ejus epistolæ per quatuor fere menses ad Constantium scriptæ, aut amissæ fuissent, aut custodum vigilantia interceptæ, una hæc reddita illi est, atque eo prorsus die, qui diem Otæ supplicio destinatum proxime præcedebat. Pridie igitur quam carnifici præcidendum caput offerret, Ota in Societatem fuit receptus, ac vota emisit: postridie vero novitius unius diei christianam professionem sanguine obsignavit, VI. Idus Sextiles. Natus erat Ogicæ, regni Firandensis oppido. Puer in Bonziorum disciplinam traditus, in meliorem Christi scholam transierat adolescens. Matrimonii lege solutus obitu conjugis, perdiu templi Firandensis ædituum egerat, donec Patri Camillo peregrinationum comes additus, vinculorum quoque socius, & triumphalis mortis præcursor effectus est. Agebat annum ætatis circiter quinquagesimum. Cum Patre Constantio pariter captus fuerat Gaspar Cotenda, juvenis annorum viginti trium, ac nobilissimo ortus genere: cum-

Digitized by Google

eumque ipſius in opere evangelico comes ſtrenuus & adjutor fuiſſet, eidem præire ad coronam meruit, licet non eodem in loco. Traductus enim eſt, neſcio qua cauſa, Nangaſachium, ibique obtruncatus, Septembri menſe ineunte. Olim adoleſcenti voluntas fuerat ineundæ Societatis: ſed ejus vota tunc proſcriptio religioſorum fraudaverat. Nunc cum ſummis optaret votis, ut ſaltem in Societate moreretur, id exorare nullo modo potuit, una illa excluſus cauſa, quod ſe chriſtianum coram judicibus profeſſus, Dogicum etiam, ſeu catechiſten profiteri noluiſſet, atrocioris ſupplicii metu. Quo loco illud obiter, non tamen abs re, notatum volo, fuiſſe hunc in Japonia noſtrorum morem, ut nec in extremo vitæ mortiſque diſcrimine quemquam reciperent, niſi idem ſatis probatis eſſet moribus, & luculenta virtutis indicia prætuliſſet. Qui vero eſſent matrimonio juncti, eos, quidquid alii religioſi factitarent, omnino vetuerat Mutius Generalis admitti, etiamſi fidei cauſa morerentur.

212. Alter, licet pro Chriſto moriturus, excluditur a Societate.

213. Quo delecti reciperentur in Societatem Japones.

Ultimus ex noſtris eadem in arena fortiter feliciterque certavit hoc anno P. Petrus Paulus Navarrus, magnæ virtutis pugil, atque immortaliter memorandus. Quemadmodum fuerit comprehenſus, quid ante quam flammis dederetur pro animarum ſalute geſſerit, narrat ipſe in ſuis ad Rectorem Nangaſachienſis collegii litteris, unde hæc quæ ſubjicio magnam partem excerpta ſunt. Arimæ imperitabat Regulus mitis, annis & prudentia maturus, idem chriſtiano nomini non infenſus: qui quamvis plena omnia chriſtianorum eſſe non neſciret, connivebat tamen, & vivere quietos patiebatur, atque incolumes, modo nihil ſigni darent publice, unde ipſis ac ſibi damnum ab aula crearetur. Jactabat minas graves identidem, ſed conſulto, & irritas, ut Xoguno imponeret ſcilicet, & verba daret. Notum id Evangelii præconibus, qui proinde tecti ac taciti ejus indulgentia fruebantur. Dum urbes ac pagos in eo tractu obit impune Navarrus, Arimam fuit invitatus ab ejus loci chriſtianis. Eo ſe contulit ſtatim aviis itineribus, per noctem, habens in comitatu Petrum Sandajum, Dionyſium Fugiximam, & Clementem Chiugemonum, locorum gnaros, quorum duo priores erant jam in noſtrum ordinem cooptati. Ecce autem ex improviſo occurrit ignotus juvenis ex Arimandoni familia, religionis deſertor impius, & inter exploratores acerrimus: qui homines feſtinare concubia nocte, longeque a via militari cernens, ſuſpicatus quod erat, advolaverat. Defixis in Navarrum adverſa luna conſpicuum oculis, nihil dubitavit eſſe, quod vultus ipſe indicabat, Europæum. Tollit clamorem perfidus, intendit jugulo acinacem, & injecta manu ſequi jubet. Accurrerunt Navarri comites: ſed cum defendere ſe ac præceptorem ſuum poſſent, parere maluerunt, atque iniquo ſatelliti ultro ſe ducendos præbuerunt. Lætus præda juvenis ad aulam properat, mercedem flagitii ingentem ſperans. At ſua illum fefellit ſpes. Arimandonus, qui ſæpe nullos eſſe in ſuo regno ſacerdotes Xoguno affirmaſſet, unum eſſe repertum dolens, ſuccenſuit ſatelliti improbo, & de Navarro liberando aut occultando cogitavit: feciſſetque, ſi quo modo opprimi potuiſſet fama, quæ jam de illo capto percrebuerat. Timens ne a ſcelerato delatore, tanquam ſacerdotum chriſtianorum fautor, accuſaretur, Imperatorem facere de re tota certiorem, & ejus exquirere ſententiam feſtinavit: at ſimul ad amicum in aula potentem ſcripſit, ut negotium illud ſine ſua & Navarri moleſtia componendum curaret. Navarrum interea tranſtulit Ximabaram, millibus paſſuum ab Arima quindecim, tradiditque chriſtianis in libera cuſtodia ſervandum, accepta prius cautione de redhibendo, quoties illum repoſceret. Decem menſes Ximabaræ ſubſtitit Navarrus; quo toto tempore dici vix poteſt, quam crebri ad eum concurſus, non chriſtianorum modo, ſed etiam ethnicorum fuerint facti. Omnes ille docendo diſputandoque erudiebat, omnium animos modeſtia & comitate ſibi conciliabat. Manavit ad Arimandonum rumor, nec ſibi temperare potuit, quin hominem, ut omnes prædicabant, divinum audiret. Illum ad ſe arceſſit Arimam, convocatoque domi ſuæ nobilium magno numero, venientem honore excipit ſingulari, ſummum præſertim dolorem de ipſius infortunio ſignificans. Negavit Navar-

214. Comprehenditur P. Petrus Paulus Navarrus in regno Arimenſi.

215. Regulus conatur Navarrum ſupplicio eximere.

216. Navarrus in libera cuſtodia detinetur.

varrus, infortunii loco habendam eſſe jacturam libertatis & vitæ pro tam illuſtri cauſa. Tum ingreſſus in ſermonem de religione, de variis ejus capitibus ita diſſeruit, ut frequens nobilitatis corona miraretur plurimum, Arimandonus dicentem ſæpe laudaret. Ventum erat ad calumnias & probra, quæ chriſtiano nomini Bonzii petulantes conabantur inurere. Contra hæc Navarrus apologiam protulit a ſe ante conſcriptam. Recitari totam juſſit Arimandonus, cujus ut quæque pars legebatur, annuebat ipſe cum magno aſſenſu, & commendatione ſcriptoris. Sed cum ad eum locum ſermo delapſus eſt, in quo refellebatur ethnicorum pervagata & exitialis opinio, religionem merum eſſe hamum, quo capti Japones in ditionem chriſtianorum principum redigerentur, vocem contendens: *Hic enim vero*, inquit, *hic omnis rei cardo vertitur. Hoc ipſum urit angitque Imperatorem. Videt quippe vicinas Philippinas hac arte ab Hiſpanis occupatas*. Nodum hunc ſane odioſum eadem felicitate ac cæteros Navarrus ſolvit. Quo facto, Princeps integram apologiam a librario ſuo deſcribi voluit, & Sacerdotem majori quam quo acceperat honore dimiſit. Nec interim deſtitit agere per amicos, quos habebat in aula prævalidos, ut chriſtianæ legis tam eximius doctor Macaum incolumis remitteretur.

217. Religionem defendit contra Bonziorum calumnias.

Ita omnino futurum ſperabat: cum perlatum eſt ab aula reſponſum, quo vivus cremari Navarrus cum captis ſimul chriſtianis jubebatur. Eo nuncio graviter vulneratus eſt regulus. Navarrus contra tam uberi ac liquida lætitia delibutus, ut eam nec continere ſinu, nec explicare ſatis poſſet. Omnes exinde ejus voces ac litteræ, vultus ipſe, atque oculi cœleſtem ardorem ſpirare, & incenſam martyrii cupiditatem. Lætitiæ cumulum addiderunt Calendæ Novembres, dies Sanctorum omnium honori ſacer, quo die adfuit ab Arimandono centurio capitalem ſententiam ferens totidem verbis conceptam. *Xogunus Japonum Imperator Patri pyram & necem irrogat, quia juſſus Japonia egredi, in ea remanſit, & vetitam a rege legem Chriſti prædicavit*. Triumphavit Sacerdos Chriſti amore ſuccenſus, quod ſibi denique liceret ſuo ſanguine doctrinam obſignare, quam per annos ſex & triginta Japonibus tradidiſſet, teſtatuſque palam eſt, nunquam ſe jucundiorem in vita nuncium accepiſſe. Ad ſupplicium proceſſit nudis pedibus, roſarium e collo ſuſpenſum geſtans. Ducebantur una Dionyſius, Petrus, & Clemens, quos cum eo captos demonſtravimus. B. Virginis litanias ipſe præcinebat, illi reſpondebant, tacito circum populo, & eorum alacritatem admirante. Ut in conſpectu fuit locus triumpho deſtinatus, prægrediens celeri gradu Navarrus, intra repagula prior ſubiit, complexuſque aſſignatum ſibi ſtipitem, genua flexit, & Numini gratias ingentes egit. Mox erigens ſeſe, ac vocem tollens, multitudini circumfuſæ noviſſima verba dixit, qualia res ac tempus ferebat. Dein oratione ad ſocios, qui ad ſuum quiſque palum alligabantur, converſa, novas illis ad necem fortiter excipiendam faces ſubdidit. Affuit demum Arimandonus feralis tragœdiæ moderator ac teſtis. Igni materiæ admoto, reluxit momento flamma, & correptum Navarri pallium, flante validius vento, diſſipavit, per aerem ambuſta fruſta diſpergens. Ipſe igneo circumvolutus turbine non ceſſabat alloqui, modo ſocios, modo populum; ſæpe oculos ad cœlum tollere, ſæpe Jeſum ac Mariam inclamare: donec ruptis igne vinculis, concidit in latus, & extremum ſpiritum edidit, altero & ſexageſimo ætatis anno, ab inita Societate quadrageſimo quarto. Proxime ſecuti ſunt Clemens Chiugemonus, Dionyſius Fugixima, & Petrus Sandajus. Hic annos numerabat tantum octodecim, Clemens octo & quadraginta, Dionyſius triginta octo: omnes Japones, ac duo poſteriores Societati adſcripti. Martyrum corpora, ad terrorem populo incutiendum, triduo inſepulta jacuerunt, cuſtodia circum excubante, ne quid a chriſtianis ſurriperetur. Poſt triduum, cum ea comburi denuo placuiſſet, & in cineres per æquor diſſipandos verti, integrum illæſumque, conſumptis licet veſtibus, repertum eſt Navarri cilicium, magna omnium admiratione, prodigii quidpiam ſubeſſe non immerito ſuſpicantium. Lainum, Calabriæ oppidum, Patri Navarro natale fuit. Religioſam amplexus vitam

218. Damnatur flammis, & ſententiam lætus excipit.

219. Progreditur ad rogum cum aliis tribus, quorum duo de Societate.

220. Comburitur cum ſociis, ejus tantum illæſo cilicio.

Digitized by Google

tam anno ætatis duodevigesimo, Japoniam post sexennium petiit. In ea triginta sex confecit annos gravissimis exercitos incommodis, quæ informari animo facilius possunt, quam verbis explicari. Creber illi maximusque labor in superandis montibus asperrimis, quorum acutis cautibus laceros sæpe pedes domum referebat. Nec minus laboriosa cautio in vitandis exploratoribus, quos ut effugeret, dies aliquando decem in fovea, tanquam in sepulchro, delituit. Alias rustici habitu, alias mendici hispido centone tectus, vel impositio humeris onere in bajulum transformatus, quærentes elusit. Ad ejusmodi ærumnas accedebant aliæ, quas ultro sibi met ipse imponebat. Quotidiana corporis verberatio, continuata per multos dies jejunia, horridum insuper cilicium, quod nunquam, ac ne combustus quidem deposuit. At in corpore debilitato vigebat animus, deliciisque cœlestibus pingueſcebat. Sacræ, quibus affluebat, voluptates in ejus vultum effundebant sese: in sermonem, in omnem agendi rationem defluebant sic, ut jucundissima omnibus accideret consuetudo ipsius, ac tanto cunctis utilior esset, quanto carior. Deiparam singulari colebat studio, gnarus per eam nobis eundum esse ad Deum, per quam Deus ad nos venit. Præter cætera, quibus ad instillandum neophytis amorem erga Dei Matrem utebatur, instituit vertere in Japonicum sermonem opus P. Antonii Spinelli, *Thronus Dei* inscriptum: cui labori cum subcisivas diei horas, & nocturnæ quietis partem daret, tandiu suppeditavit vita, donec operi manum ultimam imposuit. Illud P. Matthæo de Couros jam jam moriturus misit, a quo aliis traditum, nunc asservatur in tabulario Societatis.

221. Patris Navarri elogium.

Dum ibi quæ hactenus narrata sunt gerebantur, in reliqua Japonia vexabantur quidem acerbe christiani, sed citra sanguinem. Sataquedonus Imperatoris frater, Xembocum, & Aquitam, duas satis amplas provincias cum imperio obtinens, uxorem cætera carissimam extruserat domo, propterea quod animo christiana domesticum venerari idolum noluisset. Hoc viri principis exemplum secuti plures urbium præfecti, multos christianorum spoliarunt bonis, multos extra patriam cum ignominia expulerunt. Accessit nova sæviendi causa ex quadam maleficæ superstitionis forma, quæ per illam Japoniæ plagam grassari detecta est. Natio hominum scelerata, reipublicæ exitialis, & in seditiones ex instituto suo prona, hoc unum habebat cum Christi fide commune, quod Xacam & Amidam numina Japonum contemneret. Verumtamen, quasi in omnibus par esset nebulonum illorum, & christianorum causa, utrique similiter, velut hostes publici, ad pœnam conquirebantur. Aderat P. Didacus Carvallius, ejusque effectum opera ut christiani, aut suam magistratibus fidem & innocentiam probarent, aut perstarent contra molestias diræ infectationis immoti. In regno Voxuano Masamunes rex, deposita semel spe posse christianos metu pœnarum concuti, mitiores nocentioresque artes ad eos seducendos adhibebat: utque aberat hoc tempore gregis illius pastor P. Hieronymus de Angelis, cesserunt fraudibus haud sane pauci, quos nullus antea terror prostraverat. Multa cogor prætermittere, ne modum justæ narrationis excedam. Itaque nostrorum labores, peregrinationes, resque bene ac feliciter gestas non exequar diligentius. Tamen, ut quoddam existat quasi specimen, ex quo capi de reliquis conjectura possit, unum dico, totam hoc tam duro tempore Japoniam peragrasse operarios Societatis, nec forte locum fuisse, quem per mille insidiarum pericula, & difficultates itinerum non adierint. Quodque fidem pene superat, sæviente tam atrociter Imperatore ut Christi nomen extingueret, sola nostrorum industria Japonum amplius bis mille ad Christi signa transierunt. Et nihilominus redux in Europam Colladus ille, cujus supra meminimus, Matritensem primo, & mox Romanam aulam implevit rumoribus æque invidiosis, ac falsis, & Societatem multis criminibus oneravit. Otiari scilicet in Japonia Jesuitas, inclusosque domibus ditiorum nullam pauperum, nullam religionis curam gerere: eosdem turbas dissidiaque serere, aliis religiosorum ordinibus perpetuo obtrectare, ab eorum consuetudine fideles arcere. Quibus ut fidem conciliaret, chy-

222. Christianorum molestiæ in aliis Japoniæ partibus.

223. Nova christianorum odia propter quosdam maleficos.

224. Deficiunt a fide multi in regno Voxuano.

225. Nostrorum res gestæ per universam Japoniam.

226. Calumniæ contra nos in Europam illatæ.

Digitized by Google

chyrographum ſecum attulit odioſis ejuſmodi criminationibus refertum, & multorum manu confirmatum, itemque epiſtolam ad Pontificem maximum, venerabili viro Ludovico Sotelo ſuppoſitam, de qua alibi ſermo redibit. Purgarunt ſe noſtri apud utramque aulam ſimplici rerum narratione, cui plurimi in Japonia ſacerdotes, iique graviſſimi ſubſcripſerunt. Cognita autem veritate, Pontifex Urbanus VIII. accuſationes contempſit uſque adeo, ut litteris ad Japones Voxuanæ provinciæ datis, operarios Societatis multis & eximiis ornaverit laudibus, viroſque appellaverit, *cum doctrina, tum inſigni probitate præſtantes*. Non his verborum ſignificationibus ſe continuit Philippus Hiſpaniarum rex: ſed rogatus a Pontifice, ut religioni in Japonia periclitanti ſubveniret, decretum edidit, & ab eodem Pontifice confirmandum curavit, ne per annos quindecim alii ſacrorum miniſtri navigarent in Japoniam, præter miſſos a Societate: idque, ut ajebat, quia experimento conſtabat, ex quo alii mitti cœpiſſent, non eadem felicitate progredi rem chriſtianam in iis terris, qua ſoleret antea, cum ſola ibi Societas verſabatur. Non me latet, regis hoc decretum effectu caruiſſe. Sed ut inutile ad ſummam rei fuerit, ad Societatis defenſionem, & ad obſtruenda ora obloquentium non fuit inutile.

227. Contemnuntur, tum a Pontifice, tum a Rege Catholico.

228. Res Sinenses. Doctoris Pauli conſilium de revocandis in Sinam Patribus.

Progredimur ad res Sinicas, quæ quidem hoc tempore, non ut in Japonia cruentæ, procelloſæ tamen erant, & ſpem inter ac metum perpetuo fluctuantes. Occupaverant, ut ſupra diximus, Tartari magnam provinciæ Leaotuniæ partem. Cum deinde etiam urbem arcemque Quamſiquem totius provinciæ munitiſſimam expugnaſſent, hoc nuncio adeo conſternati ſunt Pekinenſes, ut novus Imperator Tienkius de regia relinquenda cogitaret. Aderat Pekini magnum illud chriſtianorum columen doctor Paulus: utque illi cura bellicæ ſupellectilis adornandæ incumbebat, ex præſentibus reipublicæ calamitatibus conſilium cepit, quod ſi ſucceſſum haberet, ſuſtineri poſſent impetus Tartarorum, ac forte, quod magis cordi erat, revocari ab exilio Patres quinquennio ante Macaum deportati. Propoſuit Imperatori, non alio erigi modo res tot belli cladibus afflictas facilius poſſe, quam ope Luſitanorum, ſi nimirum illi machinas bellicas, & peritos earum libratores Macao mitterent cum lecta militum manu. Pauli conſilium probavit vehementer Imperator. Conſtituitur ſtatim, ut præfectus provinciæ Cantonienſis expoſcat a Macaenſibus Luſitanis tormenta curulia, & machinarum libratores decem, cum aliquot centuriis militum veteranorum. Ac tum primum Sina, cæterarum nationum ſuperba illa contemptrix, viſa legationem mittere ad externos, ut ſuppetias ferrent imperio laboranti. Evocabantur eadem legatione homines Societatis, tum ut ſacra miniſtrarent Luſitanis, tum etiam ut bellicas machinas adjutarent: hanc enim artem tradit mathematica ſcientia, cujus arcana omnia noſtri callere dicebantur. Nihil poterat opportunius accidere noſtrorum votis. Cunctabantur tamen venire hoc nomine, ſibique cum armis & bello nihil eſſe rei profitebantur. Quibus doctor Paulus, rerum & aulæ gnarus: *Quieſcite*, inquiebat, *& vos revocari duntaxat ſinite. Accipiet Pekinum ut profani belli adminiſtros, ut ſanctioris militiæ duces retinebit*. His permoti rationibus, ad iter Sinicum ſe accinxerunt aliqui Patrum, cum quatuor machinis, & libratoribus decem, præter expeditos pedites fere ducentos. Verum tam præclara conſilia difflavit vexator ille chriſtiani nominis immaniſſimus Xinus, de quo multa a nobis in ſuperioribus libris dicta ſunt. Jacuerat improbus aliquandiu inglorius domi ſuæ: at nuper e domeſticis latebris fuerat amicorum præſidio eductus, tanquam homo ſtrenuus, conſilio manuque promptus, eoque aptus in paucis ad fulciendas imperii labantis ruinas. Accitus in aulam denuo, & inter Colaos, ſupremum regni conſilium, cooptatus, ut audivit quæ gerebantur, invehi palam cœpit in conſilium, ut ajebat, imprudens & periculoſum arceſſendi exteros, præſertim armatos. Ita autem diſſerebat: Si ea vis, & rei bellicæ ſcientia Luſitanis eſt, ut pauci expugnare Tartaros poſſint, quanto facilius expugnabunt Sinenſes ipſos, qui a Tartaris expugnantur! Quid vero attinet vocare domum hoſtem potentiorem, ut debiliorem ex-

229. Evocantur Macao Patres cum armis Luſitanorum.

230. Intercedit Xinus, & rem diſturbat.

Digitized by Google

extrudas? Quibus ſermonibus perterrefactus Imperator, Luſitanis gratias egit, nec aliud modo petens quam tormenta curulia, & libratores, reliquos jam iter ingreſſos aditu prohibuit. Non propterea Macai reſtiterunt Patres miſſioni Sinicæ deſtinati, Amiſſa occaſione veniendi palam & tuto, aliam occultiorem ſibi quæſiverunt viam PP. Franciſcus Furtadus, Joannes Terentius, Joannes Adamus Schallus, & Jacobus Rho, eluſaque portitorum & magiſtratuum vigilantia, alii poſt alios in Sinam irrepſerunt. Comes iis eſt additus frater Melchior Ribeirus, primus ex rei domeſticæ adjutoribus Europæis eas terras ingreſſus. Tormenta cum baliſtariis diverſo itinere ſunt devecta.

231. Socii quinque in Sinam occulte pervadunt.

Inter hæc chriſtiani Nankinenſes, apud quos ſedem propriam Societatis collocatam dicebamus anno præterito, ſuos cœtus identidem celebrabant, ac ſtatis diebus convenientes, colloquebantur invicem de divinis rebus, & varia pietatis officia ad ſublevandos ægros, vinctos, inopes, & calamitoſos inter ſe partiebantur. Illud erat præcipuum, ut conquirerent, & vitali aſpergerent aqua infantes, quos impiæ matres, ſive inopia, ſive educandi tædio exponebant. Plerique reperiebantur fame propemodum enecti, nonnulli a canibus jam ſemeſi. Hæc ſodalitia viſebat ſubinde ſacerdos aliquis Societatis, rem divinam ut faceret, ſodaleſque piis alloquiis & miniſterio ſacrorum recrearet. Rebus ita ſatis belle fluentibus Nankini, tam pios utileſque cœtus repentina clades diſjecit, coegitque noſtros penitioribus quam antea latebris occultari. Erupit latronum infamis globus in publicæ rei perniciem conjuratus. Pelinchiaii dicebantur homines perditi, qui ſumptis armis regionem pervolantes, factique publico metu, ac terrore belli Tartarici audaciores, cædibus, rapinis, incendiis, ſacrarum & profanarum ædium direptione graſſabantur. Oppida quinque deprædati, trucidatis hominum multis millibus, imminebant urbi regiæ, ac Tartaros ipſos immanitate vincebant. Ad hanc peſtem exterminandam advolavit illico armata edictis Imperatoris auctoritas Mandarinorum, qui provinciis præerant. Pulſi magnam partem, cæſi, diſſipati ſunt. Sed quia dicebantur clandeſtinos celebrare cœtus, in iiſque ſeſe mutuis adhortationibus ad invadendam rempublicam excitare, coitiones omnes & conventicula gravioribus conſtitutis pœnis vetita ſunt, Nankini præſertim, quæ civitas alter eſt Imperii velut oculus, ac tum propter Japoniæ vicinitatem, tum propter civium opes ac multitudinem, ſuſpicionibus erat præ cæteris obnoxia. Nullum quidem Imperator in edicto ſuo fecerat verbum de chriſtianis nominatim. Eos nihilominus aliqui ex magiſtratibus edicto comprehendi denunciaverunt, primique omnium Nankinenſes, clientes nimirum Xini, ejuſque conſiliorum fautores & conſcii. Hinc deprehenſi quicunque pias ſodalitates frequentabant chriſtiani, vim omnem ſuppliciorum pertulerunt. Una die Nankini quatuor ſupra triginta capti, & in judicium adducti ſunt, injecta collo catena. Interrogati per tormenta de ſociis ſuæ religionis, cruciatum admirabili conſtantia ſubierunt: ſed quamquam de ſe ſuiſque familiis ultro faterentur omnes, quemquam alium nemo indicavit. Fuit qui ſponte accurrit ubi quæſtio de illis exercebatur, nihilque territus tormentorum horrifico apparatu, chriſtianum ſe eſſe, ac porro fore profeſſus eſt: quem tamen Mandarinus judex, ſive miſeratione, ſive contemptu faceſſere actutum juſſit, & ſupplicio exemit. Cæterum alii triginta quatuor ad diverſa tribunalia raptati fuerunt, ac plagis toties, tamque immaniter multati, ut ad extremum reportandi fuerint in carcerem impoſiti tabulis, quippe ob corpora fœde lacerata defecti viribus, ac ſemivivi. Conjectis in carcerem additum fuit collare ligneum (Cangam Lulitani vocant), pœnæ genus apud Sinas non minus ignominia, quam moleſtia dirum. Triginta dies in vinculis hæſerunt: quo tempore unus ex eo numero verberum acerbitate confectus interiit. Andreas illi nomen; crucis amor fere idem, qui olim Apoſtolo cujus nomen gerebat. Tantus vero pietatis ardor, ut omnes & exemplis & verbis accenderet. Poſt ejectos ſcelere Xini Patres, iis qui remanſerant in Sina domum ſuam addixerat, quamquam haud dubius, necem pii hoſpitii mercedem fore, ſi reſciretur. Sed hanc ipſe mercedem votis omnibus

232. Inſignis pietas neophytorum Nankinenſium.

233. Nova tempeſtas contra neophytorum ſodalitates.

234. Chriſtiani vinculis verberibuſque mulctati.

235. Unius beata mors ex verberibus.

Digitized by Google

nibus ambiebat, hanc tandem suis virtutibus, ac mira præsertim erga omnes charitate promeruit.

236. Xinus persecutionem pristinam movet.

Apparebat, hæc contra christianos fieri Xini tantum gratia, & ad demerendum Colai tunc præpotentis animum. Nemo enim erat qui non probe intelligeret, tantum a Pelinchiaiis dissidere Christianos, quantum distat virtus a scelere, lux a tenebris: id quod doctor Paulus non minus copioso, quam eleganti volumine demonstravit. Re ipsa notatum est, illos duntaxat sævire instituisse judices, qui aut Xini essent satellites manifesti, aut ejus ope indigerent ad honores consequendos. Fuit ubi duo jus dicebant præfecti, alter e grege spadonum, alter honoratissimi generis. Hic adductos ad se christianos clementer excepit, dimisitque sine noxa. Ille reos pronunciavit, verberibus vinculisque subjecit. Pari assentandi studio calamum strinxerunt alii, & antiquas calumnias scriptis criminosissimis refricuerunt. Delati sunt ad Imperatorem libelli supplices contra christianos: conscripta in divinam legem edicta tetra & ignominiosa, jactatæ contra Mandarinos Patrum receptores minæ. Omnino id agebat per suos administros perfidus, ut veterem excitaret procellam, nec cessaturus videbatur, nisi quodam quasi turbine circumactum in omnes Imperii provincias effudisset. At sibi non defuerunt Mandarini christiani. Falsis criminationibus veras reposuerunt contra Xinum accusationes, & manifesta flagitia. Sexcenti adversus impurum nebulonem libelli sceleribus exploratis graves perlati sunt in aulam, perque omnium manus immissi, per omnes provincias dissipati. Agnovit denique hominem Imperator, & in illa innocentium clade triumphantem summa Colai dignitate, qua maxime nocebat, spoliavit. Ita nudus, infamis, ejectus aula, rursum in natales tenebras se abdidit, ubi biennio post luctuosam, & anteactæ similem vitæ mortem obiit. Observabant Sinæ nostrorum vultus, & gaudium interpretabantur, sublato tam potenti adversario. Nemini e nostris excidit læta vox: quod recti rerum æstimatores virtuti excelsæ adscripserunt. Sed ne nimis læta hæc essent, ecce tibi paulo post afferuntur Peckino amicorum litteræ ad Patres Nankinenses, ex quibus rescitum est, graviora ipsis ingruere. Missam ajebant Nankino ad regem christianæ religionis novam accusationem, detectos cultores, indicatos Patres, eorum fautores & hospites accusatos. Diversabantur id temporis socii partim Hamcei, partim Xam-hajæ, nonnulli etiam Kiatimi, in ædibus illustrium mandarinorum Michaelis, Pauli, & Leonis, quorum sæpe nomina in hac historia recurrunt. His rebus cognitis, visum Patri Emmanueli Diaz sociorum præsidi, iis in locis non ultra contistendum, ne tam claris hospitibus, si forte apud eos deprehenderentur, damno essent. Itaque in proximas amicorum villas Patres demigraverunt, & aliquandiu publico abstinuerunt. Sed elapso certo dierum spatio, nihil respondente ad accusationem Imperatore, aut illi oblatam non fuisse, aut non fuisse probatam putaverunt, proindeque suas in sedes tuto redierunt: procella autem exoriens brevi conquievit. In tam incerto rerum suarum statu pergebant magno animo Patres in fide continere christianos veteres, & subinde novos acquirere: caute tamen, & lente, ne præpostera festinatione præsentis operæ fructum, & spem futuræ perderent. Inventus sub anni finem Christi grex plus mille adultis auctus, qui numerus pro conditione temporum non exiguus.

237. Sed loco movetur denuo, & in ordinem redigitur.

239. Fructus hoc anno collecti in Sina.

Verum inter hæc damnum haud leve factum obitu fratris Sebastiani Fernandez, qui olim P. Matthæi Riccii itinerum comes, periculorum socius, laborum & meriti particeps, nunc eandem, ut sperare fas est, mercedem laborum est consecutus Hamcei, annos natus quinque & sexaginta, quorum duos & triginta in Societate transegerat. Vir in tradenda Christi doctrina assiduus, nulli pro salute animarum parcebat labori, nullas ærumnas recusabat. Sæpe in rebus adversis tolerandis dignum se probavit Ignatii militem, maxime vero in illa Nankinensi procella, quam libro hujus historiæ secundo fuse descripsimus. Quas tunc ab ethnicis contumelias, quos cruciatus, & quanta alacritate tulerit, ibi narratum est. Tamen ejusdem litteras e custodia, in qua detinebatur,

240. Obitus & elogium Fr. Sebastiani Fernandez.

238. Timoris novæ causæ nostros latere cogunt.

ad

Digitized by Google

ad P. Longobardum datas, non alienum erit hoc loco exſcribere: meram quippe pietatem ſpirant, & quam erecto eſſet inter graviſſimas moleſtias animo, ſatis indicant. „ Iſtas a me litteras, ait, habebit R. V., ut credo, ſperoque, ultimas. Nam hoc unum in votis mihi eſt, mori pro Chriſto, niſi mea me peccata tanto beneficio reddant indignum. Bono paratoque omnes animo ad ſupremum certamen ſumus. Cras, luna vigeſima ſecunda, producetur in jus Frater Joannes Fernandez, & a delectis cauſæ noſtræ cognitoribus interrogabitur. Idem mihi ſociiſque triduo poſt examen ſubeundum erit. Nihil reſtat, niſi ut hanc inutilem vitam illi reddam, qui divinam ſuam mihi redimendo beandoque dedit. Conſequi verbis non poſſum beneficia longe maxima, cœleſteſque delicias, quibus ergaſtuli hujus anguſtias benignum Numen emollit. Utinam gratias illius munificentiæ pares referre poſſem, qui tot bonis immerentem cumulat „. Sic ſuos ille ſenſus explicabat. Cum eſſet Fernandius patria Sinenſis, egregiam Sacerdotibus navabat operam, maxime cum illi apparere palam non audebant, ſævientibus inimicis. Tunc patrio & vultu, & ſermone tutus impune commeabat, & Macaum uſque excurrebat, ut inde annonam, vel quidpiam aliud ad uſum miſſionis peteret. Quanta floreret apud populares opinione probitatis, argumento eſt, quod illum ad uxores ſuas, & filias in lege divina erudiendas aſſidue adhibebant: quo in munere hominis religioſa modeſtia mire omnibus ſatisfaciebat. Atque hæc de rebus Sinicis.

241. Ejus litteræ ex carcere Nankinenſi.

In Cocincina ſemen divini verbi hoc anno germinavit adeo feliciter, ut ſpem Patrum prope ſuperaverit. Provinciam Cacianenſem triennium excoluerat labore multo, fructu pene nullo P. Franciſcus Pina. Expugnato demum uno, ſed inſigni ſuperſtitionis magiſtro, fructum præteriti laboris cepit uberrimum. Trecentos admodum adultos in Eccleſiæ ſepta, infantes plurimos in cœleſte regnum introduxit, & regionem ſuperſtitionibus inveteratis purgavit. Erat Faifone Mandarinus omnium quæ ibi vigebant ſectarum conſultiſſimus. Doctiorem nullum tuliſſe Cocincina ferebatur. Sæpe cum Pina congreſſus, ſæpe diſputando victus, hærebat nihilominus in errore pertinaciter. Conſumptis quæ ingenium & ſcientia ſuppeditabant, induxerat denique animum divinam profiteri legem, ſi eam in ſuis placitis conſtantem, ac minime variam inveniret. Hoc conſilio, nemine quid pararet monito, longum iter ingreditur in provinciam Pulicambenſem. Adit P. Buzomium, ignotum ignotus: interrogat eadem, quæ a Pina ſæpe quæſierat: omnia congruentia, nihil diſcrepans ac diverſum audit. Tantam utriuſque doctoris conſenſionem, nihil dubitavit homo ſagax, veritatis indicium eſſe. Reverſus itaque Faifonem, advolvit ſe ad Patris Pinæ pedes. Quid egerit, quid cogitarit renunciat: ſacro luſtrari fonte poſtulat. Joſeph a baptiſmo dictus, ſtatim idolorum ex patrono acerrimus adverſarius eſt factus, & popularium amplius quinquaginta ad Chriſtum ſola exempli auctoritate perpulit. Joſepho poſt hæc debuit Eccleſia Cacianenſis neophytum alium, inter regni proceres apprime clarum. Philoſophi cognomentum adeptus erat, ob ingenii perſpicaciam, & ratiocinandi ſubtilitatem. Magnis perfunctus in aula muneribus, ætate jam devexa privatum in otium receperat ſe, ubi rerum cœleſtium contemplationi, quantum fas ethnico eſt, totus vacabat. Ut mens ab omni terrena contage purgatior ad cernendam veritatem aſſurgeret, veſcebatur admodum parce, ac totum ſæpe triduum cibo abſtinebat. At miſer in eam devenerat ſuperbiam, ut omnia duceret infra ſe poſita, divinoſque honores affectaret. Syngraphas obſignabat, poſcentibuſque tribuebat, veluti certa contra morbos omnes amuleta. Ipſe, quaſi parta immortalitate lætus, mortalium vicem miſerabatur, quos carnis tarda moles ſerius ocyus ad ſepulchrum urgeret. Cum ſic inſaniret philoſophus, morbo corripitur gravi & periculoſo, quo mortalem ſe eſſe admonetur. De immortalitate vera ac beata ſollicitus, vocat ad ſe P. Pinam, de quo multa audierat a Joſepho Mandarino chriſtiano, utque ſaltem chriſtianus moriatur, erudiri, ac baptizari poſtulat. Petri nomen cum baptiſmo ſumpſerat: cum, ut ſors tulit, a morbo protinus perſanatur. Tum vero

242. Res Cocincinæ. Cujuſdam Mandarini converſio in provincia Cacianenſi.

243. Ejus exemplum ſequitur alter Mandarinus magni nominis.

Digitized by Google

cum Josepho studia conjunxit, ut Christo quam plurimos lucraretur. Cito se dedit occasio. Unus quidam Onsajorum fanum molis non exiguæ Pagodibus (sic illi sua vocant numina) extruebat, Josephus & Petrus, adhuc ethnici, certam pecuniæ summam in illum sumptum promiserant; at nunc christiani negabant quidquam sibi esse cum pagodibus. Unum esse cœli terræque conditorem Deum, cui divini honores deberentur. Si huic dicare ædificium vellet, se quod promiserant cum fide repræsentaturos: at pro templo idolorum daturos nihil. Miratus ille hominum, ut ajebat, inconstantiam, multa quæsivit de novo cultu, plura didicit, omnia probavit. Suscepto demum baptismo, & Emmanuelis nomine, ut erat popularium veluti pastor, multis ut idem facerent persuasit, ac templum quod diabolo struere cœperat, in veri Dei cultum absolvit. Pari Numinis beneficio oculos aperuerat veritati alter Onsajus, sed apertos ultro clausit, sibique misere illusit. Idolorum ædituus cum esset, & quæstuosum officium nollet dimittere, duas res maxime diversas speravit coagmentari simul posse, religionem veram, & superstitionem: Christum, & Belial: alterum ad spem futuræ felicitatis, alterum ad præsentium commodorum fructum. Hac fiducia, in illo quod curabat templo aram Christo reparatori posuit, ejusque effigiem cum cæteris idolorum formis populo adorandam proposuit: partim, ut putabat, christianus, partim ethnicus. Frustra illum erroris admonuit P. Pina. Suo sibi invento placebat in tantum miser, ut nec miraculo averti potuerit ab insania. Habitabat in proximo mulier multos enixa partus, quos omnes veneficia, malum ibi frequens, extinxerant. Peperit nunc denuo, & ad compescendam mali dæmonis vim, vicinum evocavit Onsajum. Is inutilia expertus in aliis infantibus amuleta idolorum, parvam attulit crucem, & puelli collo suspendit. Mirum dictu! Vixit illæsus & sospes puer. Mater virtutem Christi, & divinæ crucis agnoscens, christianam fidem suscepit. At avarus sacrificulus hæsit nihilominus in suo errore, & eo quidem miserabilius, quod errare perrexit libens volensque, utque habet illa divina vox: *Noluit intelligere ut bene ageret.*

244. Ambo quemdam Onsajum ad fidem pertrahunt.

245. Onsajus alter cognitam veritatem respuit.

246. Consuetudo apponendi dapes animabus mortuorum.

Cæterum nationi avariſſimæ Onsajorum multis rebus incommodavit P. Pina. Unam afferre in medium juvat. Mos erat in Cocincina erroris & inscitiæ plenus, ut certis anni diebus, justitio velut indicto, meris epulis indulgeretur. Tunc animabus etiam mortuorum apponebantur dapes, quibus refectæ longum iter facilius conficerent, donec locum sibi ad quietem assignatum attigissent. Cum objicerent illis nostri, animas ore ac stomacho carere, propterea que vesci dapibus appositis non posse; respondebant, confici ab animabus ciborum partem defæcatissimam, quodque in iis maxime delicatum, subtile, ac spiritali naturæ proximum esset: partem vero crassiorem relinqui, a sacerdotibus absumendam. Placebat hæc Onsajis philosophia, qui, ferculorum nidore illo ac succo subtilissimo famelicis animabus libentissime concesso, pinguibus esculentis se familiasque suas saginabant. Hinc major difficultas abrogandæ ridiculæ consuetudinis, quam pari studio & sacerdotes, & populus tuebantur, hic pietate in mortuos, illi sua utilitate ducti. Rationem excogitavit Pina, quæ satisfaceret multitudini, & religionem christianam commendaret. Institutum, ut dapes in mortuorum gratiam instrui solitæ pauperibus dividerentur: qua ex liberalitate fructum caperent mortui, si objissent christiani, vel saltem pauperum inopia levaretur, si ethnici decessissent. Novum institutum probavit vehementer populus, non ereptum sibi morem, sed mutatum gaudens, laudavitque rationem, quæ sic juvaret vivos æque ac mortuos, ut tamen sacerdotibus christianorum nihil prodesset. Soli urebantur Onsaji, & inventum diris omnibus devovebant. Fuit magnarum opum neophytus, qui parentalia ex veteri more facturus, præter distributa pauperibus fercula, amicorum ingentem numerum lauto convivio excepit, ne sumptui parcere per avaritiam videretur. Illato super mensam sermone de religione, vanam rem, ac plane stultam ajebat esse, animabus immortalibus terrenas dapes apponere. Hæc ut audita,

247. Tollitur a P. Pina, vel potius mutatur.

248. Inde ad Christum adducuntur viri triginta,

Digitized by Google

dita, ſtomachati graviter aliqui convivarum, proripuerunt ſeſe, ne malis, ut inquiebant, artibus Europæi doctoris de mente dejicerentur. At qui manſerunt viri circiter triginta, erudiri plenius uberiuſque petierunt, & auditis chriſtianorum inſtitutionibus, Chriſto ſe pariter adjunxerunt.

249. Progreſſus religionis in provincia Pulicambenſi.

Nuocmani interim in provincia Pulicambenſi P. Buzomius lætam neophytorum ſobolem ad omnia religionis officia informabat, & novis in dies incrementis augebat. Ducenti viginti quinque fuerunt, quos hoc anno chriſtianis addidit. In his Damianus quidam, antea magni Onſajus nominis, idolorum haud paulo acrior hoſtis habebatur, quam olim cultor fuiſſet. Vir ſacro fervens ardore, rapi ſe ſentiebat ad confringenda omnia falſorum numinum ſimulacra: feciſſetque quocunque ſuo periculo, niſi ſic animatum continuiſſet Buzomius, ne contra exiguam manum neophytorum tota ethnicorum multitudo concitaretur. Prohibere tamen non potuit, ne tale facinus inceptarent per ſummam improbitatem ipſi met Onſaji, ad conflandum ſcilicet chriſtianis odium inexpiabile, ſeditionemque concitandam. Templum erat noſtris ædibus vicinum, plurimis & ornatiſſimis inanium deorum ſtatuis celebre. Huc aliqui Onſajorum ſe inferunt noctu, ſternunt humi ſimulacra, confringunt, atque comminuunt, ſparſis temere per pavimentum capitibus, cruribus, brachiiſque, ut factum dedita opera videretur ad inferendam numinibus contumeliam. Mane ſummo, apertis templi foribus, apparuit fœda clades. Primi omnium debacchantur Onſaji cladis auctores. Rumorem diſſipant, facinus impium a Patribus deſignatum fuiſſe, ab eorum diſcipulis patratum. Ulciſcendam deorum injuriam, perdendos religionum antiquarum hoſtes, architectos novæ ſectæ penitus exterminandos. Colligunt deinde ſtatuarum informes reliquias: confuſa cruribus manibuſque capita deferunt ad Mandarinos, ac flebili vociferatione ſacrilegos numinum violatores ad pœnam depoſcunt. Cum idem clamitaret concitata plebecula, nihil propius faciendum videbatur, quam ut innoxii paſtores cum univerſo grege, tanquam furoris publici victimæ, mactarentur. Suadebant Patribus amici, ut certiſſimum exitium fuga, exilioque voluntario præverterent. Chriſtiani jam ſacras imagines, & cruces domi abſcondere: ſanctiſſimum Jeſu nomen, quod præfixum foribus habebant, deripere. At Buzomius, nihil inconſiderate movendum ratus, rei exitum opperiri. Præerat conventui Mandarinorum ſenior, cui notæ Bonziorum artes, quemque vulgi ludibria non facile caperent. Is tanto lentius feſtinandum judicans, quanto vehementius inſtabant accuſatores, eundum in jus pronunciavit, de re tota quæſtionem inſtituendam. Eo reſponſo refrixit paululum accuſatorum ardor, metu pœnæ ſubeunte. Senſit Buzomius, verſaque vice, relictas ab adverſariis accuſandi partes ſumpſit. Cacianum proficiſcitur, ubi regis filius imperabat. Dari ſibi judices poſcit, accuſatores ſuos calumniæ poſtulat. Princeps produci teſtes, interrogari, perveſtigari omnia diligenter jubet. Cauſa cognita, declaratum eſt, ſacrilegii neque conſcios, neque auctores extitiſſe Patres. Crimen omne conjectum in improbos ſacrificulos, qui ſuum in viros innocentes & probos odium explere, etiam cum deorum injuria, voluiſſent. Reliquum erat, ut ſontes pro modo culpæ plecterentur. Pœnam illis omnem eſt deprecatus Buzomius, ſatis habens ut quieſcerent. Qua perſpecta, & laudata moderatione, edixit Princeps ut liceret deinceps Patribus divinam legem ubilibet explicare, ac ne quis moleſtiam auderet illis faceſſere vetuit. Ita demum vertit in profectum chriſtianæ rei, quod adverſarii ad ejuſdem excidium paraverant. Sed jam relicta Aſia, ſtilum in Americam transferamus.

250. Calumnia contra Patres conficta, eorumque periculum.

251. Diſſipatur calumnia, Patres periculo liberantur.

Non multum hic immorabimur. Ex omnibus provinciis tantum attingemus Peruanam, ac Mexicanam, & ex omni rerum copia quædam ſolummodo exequemur funera, ſed plane memorabilia. Primo occurrit loco mors viri tota Peruvia nominatiſſimi, Patris Pauli Joſephi de Arriaga, quem conſtat hoc anno deceſſiſſe, ſed quo potiſſimum die, incertum. Ibat Arriaga in Hiſpaniam gravium procurator negotiorum, ſeque illi comitem adjunxerat P. Claudius

252. Res Peruanæ. Mors admiranda P. Pauli Joſephi de Arriaga.

Digitized by Google

Colinus a Mutio Romam evocatus. Vela fecerant ambo cum claſſe navium duodetriginta, quarum pars maxima negotiatorum, regiæ nonnullæ. Ac principio quidem proſpera navigatione uſi fuerant. At provectos in altum ex Havana tam ſæva oppreſſit tempeſtas, ut ex omni numero navium obrutæ fuerint decem, reliquæ diſſipatæ, & ad diverſos oceani portus actæ. Eo naufragio periiſſe tradunt, præter ingentem auri argentique, tum rudis, tum ſignati vim, hominum mille & quadringentos, in quibus fuere Colinus, & Arriaga. Sed hujus mors admodum admiranda. Ubi vidit ſævitiam maris ingraveſcere, ac diſcrimen ultimum imminere, prodiit nudatis humeris in mediam navim, horribilem in modum flagris ſe diverberans, ut omnes ad pœnitentiam criminum excitaret. Tum convectoribus rite ac celeriter expiatis, extulit Chriſti crucifixi ſignum in puppi ſumma, provolutuſque in genua, perſtitit duas circiter horas, partim precari Deum pro communi ſalute, partim ad ſocios apta tempori verba facere, donec repente defectus voce & viribus concidit. Accurrerunt aliqui ſtatim, opem laturi. At animam exhalaverat jam, æſtu charitatis, ut pie creditum eſt, conſumptus; ac paulo poſt navis, laxatis compagibus, demerſa eſt. Hæc deinde teſtati ſunt, qui procellam enatando ſuperarunt nautæ. Arriagam porro ſola charitate fuiſſe extinctum, credibile facit ardor ille pietatis ſummus, quo ferebatur in Deum. Præter cœleſtia, nihil magnopere cordi habebat. Qui eum intime norat P. Alvarus de Paz (eximius ille religioſæ perfectionis magiſter, quem nominare laudare eſt), affirmabat paſſim, communem modum excedere ſanctitatem Arriagæ; auditusque eſt ſæpe cum diceret, ſe, ſi fuiſſet ſuperſtes, enarraturum de illo res plane admirabiles, & humana fide majores. Sed ut inſignia fuerint, quæ unus novit, quæ in omnium verſata ſunt oculis, vulgaria non fuerunt. Precandi ſtudio magnam diei noctiſque partem in templo tranſigebat. Somnum carpebat breviſſimum, nunquam ſtrato, ſed vel altaris gradibus incumbens, vel ſcamno. Parciſſime victitabat, ſolitus plures intra hebdomadam dies ſolo pane ac frigida tolerare. Charitas illi erga proximos tanta, ut Indorum omnium haberetur quaſi commune perfugium. Multa creditur & loco & tempore remota divinitus præſenſiſſe: cujus rei in illa ipſa naufragii calamitate documentum dedit. Nam cum inter primos ad ejus pedes ſe abjeciſſet præfectus navis, ut peccata confiteretur, repulit illum Arriaga, facturum inquiens alio tempore ac loco commodius, eoque poſthabito, alios audire maluit. Quo hæc ſpectarent, poſtea cognitum eſt. Etenim præfectus fuit ex paucis, qui in terram incolumes evaſere. Natus erat Ocaniæ in diœceſi Toletana ante annos ferme ſexaginta.

253. Ejuſdem elogium.

Parem habebat opinionem virtutis Pater Joannes Sebaſtianus, Limæ extinctus XI. Cal. Junii, quo die ſe moriturum prædixerat. Darocæ ortus erat in Aragonia, domo nobili, & locuplete. Compluti ſtudiis operans, adeo morum gravitate & modeſtia ſpectabatur, ut paſſim apud æquales adoleſcentes ſenex audiret. Societatem ingreſſus eſt anno ætatis vigeſimo, exactoque magna cum laude tirocinio, theologiam audiit primo, nec multo poſt etiam docuit. Sed ut eminebat ſupra cæteras ejus dotes religioſa prudentia, ad gubernandum traductus eſt, & Ocanienſi collegio rector impoſitus. Hinc navigavit in Peruviam, ubi minoribus collegiis perdiu adminiſtratis, poſtremo univerſæ provinciæ ſemel atque iterum præfuit, verſatus in magiſtratu annos continenter quadraginta. In tam diuturno uſu imperandi nunquam cauſatus eſt occupationes publici muneris multas & varias, ne ad uſitata operariorum miniſteria deſcenderet. Nemo omnium, ſive in audiendis pœnitentibus, ſive in habendis concionibus illo frequentior. Cum provinciam ex officio obibat, ſimul atque ad aliquod oppidum acceſſiſſet, ſolebat oppidum circumire vicatim cum tintinnabulo, cogere in unum indigenas, docere, hortari ad pietatem omnes, demum confitentes audire. Oratoria laude plurimum excellebat. At qualis dicendi ardor! Quæ verborum flumina! In actis, quæ Limenſis Archiepiſcopus Ferdinandus Arias de Ugarte conficienda curavit de ſanctimonia ipſius, exſtant clarorum

254. Mors & elogium P. Joannis Sebaſtiani.

Digitized by Google

rum virorum teſtimonia, qui jurati dixerunt, viſum ſibi Sebaſtianum vel Gregorio, vel Chryſoſtomo comparabilem. Omnes conſentiunt, Peruvianorum apoſtolum ex vero nominatum fuiſſe. Limæ concionabatur ut plurimum in aperto foro prope tabernam argentariam. Accidit quadam die, ut ratiocinator in ſubducendis rationibus occupatus ægrius ferret obſtrepentem ejus vocem, ac ſecum tacitus quereretur. Muſſitanti inſonuit Sebaſtiani oratio ſolito commotior: *Qui in componendis pecuniarum rationibus dies noctesque occupamini, nunquam ne eas componetis, quas eſtis ſupremo judici reddituri!* Vix ea. Perculſus ille, attonituſque, eodem momento temporis vitæ propoſitum commutavit, poſtridie vero Societati ſe tradidit. Sed longum eſſet omnia ejuſdem generis perſequi. Tantam Sebaſtianus dicendi facultatem, non tam ingenio induſtriaque comparaverat, quam ex altioribus cauſis hauriebat. Senas quotidie horas, magnam partem nocturnæ quieti detractas, hærebat in rerum cœleſtium contemplatione defixus. Hinc illa verborum ac ſententiarum copia, qua ad dicendum de divinis rebus nunquam non inveniebatur paratus. Hinc etiam rerum omnium humanarum ſummus contemptus, & abdicatio. Paupertatem ita colebat, ut nec inter domeſticos adjutores quiſquam illo Provinciali eſſet egentior. Lectum villoſo arietis corio ſupplebat. Cucurbitarum capita ſole durata habebat loco lancium, idque in ea regione, ubi pro copia argenti etiam apud pleroſque religioſorum in uſu ſunt vaſa argentea. Patinis conveniebant dapes. Sæpe ad panem & aquam adhibebat nihil. Nonnunquam totum triduum unico pane toleravit. Flagris ſe quotidie crudeliter concidebat. Cilicio amiciebatur hiſpido, ac fere aſſiduo. Quaſi autem nimis vulgaria hæc eſſent, homo, cum in omnibus rebus, tum præſertim in ſe cruciando ſumme ingenioſus, laminas excogitavit ferreas, ac dentatas, quas calceis includebat identidem, ut ne imi quidem pedes expertes eſſent ſui cruciatus, nec gradum promovere ſine acerbiſſimo doloris ſenſu poſſent. Poſt hæc nemini mirum ſit, Sebaſtianum aut futura divinitus prævidiſſe, aut cordium occulta penetraſſe, aut inter orandum fuiſſe conſpectum in aere ſublimem, & cœleſti lumine circumfuſum: quæ ab aliis narrata ego prætereo, quippe non tam materiam admirationis colligens, quam exempli. Ejus funus omnes civitatis ordines honeſtaverunt, ſummis infimiſque certantibus, ut eum eximie colerent virum, quem vere ſanctum prædicabant. Vixit in Societate annos quinquaginta, ac præter incredibile deſiderium ſui, opus reliquit *De excellentiis & obligationibus ſtatus clericalis*, quod deinde typis editum eſt, cum hiſpanice, tum latine.

255. Res Mexicanæ. Mors & elogium P. Auguſtini Cani.

Provincia Mexicana duos item extulit excellenti virtute Patres, Auguſtinum Canum, & Nicolaum de Arnaya, de quibus ſingulis pauca noſtro more delibamus. Deceſſit P. Auguſtinus Canus VIII. Cal. Octobres Valliſoleti in provincia Mechoacana, dum maxime collegium illud cum eximia laude adminiſtrabat. Natus erat Mexici, parentibus genere opibuſque clariſſimis. Adoleſcens cum præſtaret ingenio plurimum, & ad amplam fortunam conniti non immerito poſſet, vanas mundi ſpes paupertati religioſæ poſthabuit, primuſque omnium fuiſſe dicitur ex ejus regni coloniis, qui Societatem ingrederetur. Humaniorum litterarum ſcientia habebatur totius provinciæ facile princeps, in ſeverioribus nulli ſecundus. Itaque rhetoricam primo docuit, deinde totis viginti annis ſacros bibliorum codices Mexici explanavit, fama adeo ſecunda, ut ei Præpoſitus Generalis ultro poteſtatem fecerit vulgandi lucubrationes ſuas, quas tamen ipſe ſuppreſſas maluit, ſtudio modeſtiæ, & humilitatis. Hanc virtutem colebat præ cæteris, idque aſſecutus videbatur, ut quanto erat omnium opinione major, tanto ſibi vilior appareret. Non eum claritas generis, non ſplendidæ cognationes, non potentiorum familiaritas, non fama doctrinæ aliquando quantulacunque aura ambitionis inflarunt. Par demiſſioni pietas, par religio. Ad aram faciens, binas minimum horas, ſæpe ternas perſtabat immotus, nec præ mentis dulcedine ſentiebat, quantum præfinitam temporis lineam tranſiliret. Decumbebat morti proximus: utque forte exiſtimabat vacare arbitris locum

in

Digitized by Google

in quo jacebat, exorſus cum Deipara familiare colloquium, ei gratias prolixe egit, cum pro aliis multis maximiſque beneficiis, tum pro eo nominatim, quod ſe ad illam uſque diem ſervaſſet pravæ expertem libidinis: quo raram caſtimoniæ laudem vel nolens prodidit. Agebat cum mortuus eſt annum ætatis ſeptuageſimum.

256. Obitus & elogium P. Nicolai de Arnaya.

P. Nicolaus de Arnaya, vir cunctis inſtructus animi ornamentis, ſed prudentia in primis, poſt minores alias præfecturas, provinciam univerſam per ſex annos cum approbatione omnium ſecundiſſima rexit. Mexicanam, atque Otomiticam linguam ita callebat, ut nemo magis. Ejus potiſſimum ſedulitate, & induſtria, natio Chichimecarum ferox, & diu contra Evangelii veritatem contumax, Societatem primo, & mox cœleſtem doctrinam recepit. Multa de Arnaya memoriæ prodita ſunt documenta virtutis, quæ longum eſſet percurrere: ſed unum inſigne præ cæteris, nec tacendum. Vir nobilis ediderat libellum neſcio quem odioſiſſimum, ſuppreſſo nomine auctoris. Videns poſtmodum oriri ob eam rem turbas, multorumque animos contra ſcriptorem ignotum concitari, reum libelli fecit Arnayam. Non ignorabat hic de vero auctore: tamen invidiam facti ferre tacitus maluit, quam eam cum infamia calumniatoris a ſe depellere. Id quod cum deinde reſcitum eſt (nam ipſe doli artifex conſcientiæ ſtimulis agitatus rem omnem coram idoneis teſtibus aperuit), mirati omnes ſunt generoſum viri ſilentium in tam juſta, ac prope neceſſaria cauſa loquendi. Deceſſit Mexici XI. Cal. Aprilis, annos natus ſexaginta quinque, quorum ſex ſupra quadraginta poſuerat in Societate. Erat natione Hiſpanus, patria Segovienſis. Debet illi poſteritas, præter alia ingenii monumenta, compendium meditationum Ludovici de Ponte, quod italice redditum prodiit Romæ hoc ipſo anno labente.

257. Mors & elogium P. Auguſtini de Quiros.

Duobus, quos hactenus laudavi, Patribus merito eſt adjungendus P. Auguſtinus de Quiros. Quamvis enim ad provinciam Mexicanam proprie non pertineret, in eam tamen venerat viſitator, & fors tulit ut eandem ſuo funere illuſtraret. Cæterum huc nuper delatus fuerat ex provincia Bætica. Luſtrationem autem vix inſtituerat, cum ſive ob navigationis incommoda, ſive ob cœli diverſitatem, lethali morbo correptus eſt, quo intra paucos dies conſumptus occubuit Idibus Decembris. Licet brevi admodum ſpatio verſatus Mexici, tantam ſibi jam conciliaverat domi foriſque benevolentiam, ſeu venerationem potius, ut ejus obitum fleverit civitas univerſa, omneſque ordines civitatis ut viro ſanctiſſimo parentaverint. Nimirum præclaræ dotes, tum quas a natura hauſerat, tum quas virtute & induſtria comparaverat, non paulatim explicabant ſeſe, ſed ſtatim in oculos intuentium incurrebant, & omnium ad ſe animos rapiebant. Nihil illo fingi poterat neque modeſtius, neque amabilius. Poſt minores aliquot præfecturas, totam rexerat provinciam Bæticam, pari commendatione prudentiæ, ac probitatis. In magiſtratu id curabat primum, ne quid labi ſineret ex religioſa diſciplina: deinde ut ſuorum neceſſitatibus commodiſque ſerviret, magiſtrorum præſertim, quibus pluſculum etiam quam cæteris indulgebat interdum, modo ne ſuo deeſſent muneri, quod erat ipſi ex omnibus longe graviſſimum. Nihil majoris momenti ſuſcipiebat, non ante Deo per pias preces conſulto. Precationis vero quotidianæ ſpatium, quod apud nos lege præſcribitur, ad plures horas quotidie producebat. Quam benignus erga alios, tam erga ſe auſterus, in victu & veſtitu deteriora ſemper ſumebat ſibi. Provincialis cum eſſet, ne certum quidem ac proprium habere unquam voluit pallium, ſed quod primo occurreret, eo cum opus erat utebatur, ſtudio paupertatis, quam virtutem inter cæteras eximie amabat, colebatque. Litteratura illi multiplex, & exquiſita. Præter quam quod græce & hebraice ſciebat egregie, multos continenter annos in ſacris litteris interpretandis poſuit, ejuſque argumenti commentarios edidit doctorum judicio laudatos. Natus erat loco nobili in eo Hiſpaniæ Bæticæ oppido, quod Illiturgium antiquis, nunc Andujar vulgo dicitur. Agebat cum mortuus eſt annum ætatis quinquageſimum ſextum, ab ingreſſu in Societatem quadrageſimum primum.

HI-

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ LIBER OCTAVUS

ANNUS CHR. 1623. SOC. 84.

ANno quem ingredimur ſæculi vigeſimo tertio, poſtridie Nonas Julii, gravem ordini noſtro mœrorem creavit obitus Gregorii XV., qui Pontifex cum eſſet erga nos egregie animatus, & ſæpe multis maximiſque Societatem ornaſſet beneficiis, optandum ſane nobis erat ut quam diutiſſime viveret, aut ſaltem ne tam brevi ſpatio regnaret. Ægrotanti adſtiterunt uſque ad extremum delecti e noſtris Patres. Cum vero Cardinales novendiale funus ſolemni ritu celebrarent, ad eos orationem luculentam de Gregorii laudibus habuit P. Famianus Strada, quo non alius fortaſſe tunc Romæ latina eloquentia præſtantior. Corpus poſt aliquot annos translatum eſt e baſilica Vaticana ad S. Ignatii, ubi commune ſepulchrum eſt familiæ Ludoviſiæ. Viſitur ibi nunc mauſoleum opere inſigni, quod poſtremis temporibus memor beneficiorum Societas, tum Gregorio ipſi Pontifici, tum ejus fratris filio Ludovico Cardinali Ludoviſio templi ejuſdem fundatori munifico poſuit. Utque uno velut obtutu admonearis de duobus maximis & immortalibus beneficiis, quæ illis debet Societas, inter utriuſque loculos e lecto marmore, & ſimulacra pulcherrima, legitur aureis litteris lemma: *Alter Ignatium aris, alter aras Ignatio*: quo non argute minus quam breviter indicatur, a patruo decretos fuiſſe Ignatio ſanctorum honores, a nepote templum iſtud auguſtæ molis excitatum fuiſſe. Cæterum Pontificis optimi deſiderium ex magna parte lenivit ſucceſſor Urbanus VIII., antea Mapheus Barberinus. Et propriæ fuerunt Societati cauſæ, cur hujus electionem viri ſibi maxime gratularetur. Educatus enim apud nos in collegio Romano, & politioribus litteris multum excultus, contractam a puero conſuetudinem cum noſtris hominibus nunquam deinde, licet annis & honoribus auctus, intermiſerat, & quantum præſtabat in poetica facultate, tantum delectabatur uſu commercioque noſtrorum, quorum in hoc genere judicium exquirebat ſæpe, & plurimi faciebat. Præcipua illi familiaritas cum P. Hieronymo Floravantio, tunc domus Profeſſorum moderatore: quem proinde vix Pontifex renunciatus arbitrum nominavit conſcientiæ ſuæ, & in ædes Pontificias tranſire juſſit, aſſigna-

1. RES ROMANÆ. Moritur Gregorius XV.

2. Ejus ſepulchrum in æde S. Ignatii.

3. Gregorio ſuccedit Urbanus VIII. Ejus erga Societatem benevolentia.

4. Adſciſcit ſibi a confeſſionibus P. Hieronymum Floravantium.

Digitized by Google

gnatis ad habitandum cubiculis, & pensione annua ad vivendum constituta. Metuebat Floravantius splendorem aulæ periculosum, nec facile inducebat animum, ut vellet extra ordinis disciplinam vivere. Tamen monitus id ita fieri oportere, morem gessit benevolo Pontifici, & in Vaticanum palatium immigravit. Ante quam hæc agerentur, magna fuerat Romæ caritas annonæ, quodque inde consequi solet, periculum ingens amplissimæ civitatis, vagantibus per urbem gregibus egenorum squalidis, seminudis, fame propemodum enectis, & ad opes ditiorum respicientibus. Vagam, & formidolosam multitudinem collegerat Gregorius Pontifex intra ædes palatii Lateranensis usque ad quingentos, & si quid amplius; omnemque illorum curam commiserat P. Petro Gravitæ, de quo a nobis alibi facta mentio. Provinciam difficilem non detrectavit vir apostolici spiritus. Sodales oratorii sui ad rem strenue eapessendam cohortatus, impositam procurationem suscepit. Adjutus autem a sodalibus opera, & pecuniæ subsidiis, totam illam ærumnosorum turbam non solum aluit, verum etiam novis indumentis texit, ad pietatem incitavit, nec ante dimisit, quam illato in urbem frumento, & laxata annonæ difficultate, civitas respiraret. At vir indefessus, dum opus adeo laboriosum exequitur, dum huc illucque solicitus cursitat, parum ac prope nihil abfuit, quin labori succumberet. Morienti vitæ spatium ampliarunt precibus oratorii sodales: qui dum Gravita afflictus morbo, jamque a medicis conclamatus jacebat, proposita palam incruenta hostia, supplicationem instituerunt horarum quadraginta, perstiteruntque fundendis pro ejus valetudine precibus, donec voti compotes effecti moderatorem suum incolumem receperunt. Ajunt, fuisse tunc e sodalitio duodecim optimi rectoris ac parentis sui studiosiores, qui præter adhibita in communi supplicia, voto se obstrinxerunt, profecturos peregrinantium ritu ad Virginem Lauretanam, si convalesceret: eosdemque, addunt, voti damnatos post Gravitam persanatum, ea se religione exsolvisse. Hæc Romæ.

5. Romæ P. Gravita in magna annonæ penuria pauperum curam gerit.

6. Gravi morbo corripitur. Vota sodalium oratorii pro salute ipsius.

Intra provinciæ Romanæ fines, ut alibi dictum est, continetur Hetruria. Jam vero in urbe nobili Hetruriæ (cujus nomen justas ob causas reticemus) collegium erat sacrarum virginum miserabili admodum conditione. Malorum dæmonum intemperiis vexari ferebatur ab annis pluribus, audiebanturque identidem nocturni strepitus & fragores, quibus miseræ virgines majorem in modum terrebantur. Exstabant etiam indicia minime dubia, sex minimum ex omni virginum numero ab infernis spiritibus possideri. Milo ut remedium adhiberet Antistes urbis, aliquos ad se mitti curavit Patres Societatis e collegio Florentino. Duo missi sunt idonei in paucis, & ejusmodi rerum apprime gnari, Antonius Barisonius, & Franciscus Bertolinus: qui tamen comperto parthenonis statu, & rebus omnibus exploratis, facile intellexerunt, malorum minimum illud esse, cui curando fuerant evocati. Discordes inter se virgines, & in factiones divisæ, capitales exercebant simultates inexpiabili odio, tantum consentientes in contemnenda auctoritate Episcopi, cujus imperiis præfracte resistebant. Hoc mali caput præcipuum, hoc ex cœnobio sacrarum virginum receptaculum furiarum fecerat. Animum non desponderunt Patres, nec tot sanari posse vulnera desperaverunt. Una præsertim res spem faciebat, magna apud virgines de rebus nostris opinio, magna existimatio Societatis: cujus causa, & jam antea sibi patronos elegerant beatos Ignatium, Franciscum Xaverium, & Aloysium Gonzagam, & nunc de nostrorum adventu lætitiam ingentem præferebant. Aggressi itaque ad opus, primum omnium curarunt, ut positis odiis moniales secum ipsæ in gratiam redirent: tum ut Episcopo suo se subjicerent. Quæ duo, tametsi multi laboris temporisque fuerint, Deo tamen cœpta secundante, feliciter successerunt. Redintegrata concordia pristina, & obedientia erga præsides rite sancita, malos dæmones usitatis Ecclesiæ carminibus exagitare cœperunt. Notatum est, improbos commoveri gravius ferociusque, quoties beatorum, quos dixi, Ignatii, Xaverii, & Aloysii nomina invocarentur. Hoc ergo magis nostri illorum opem implorare, reliquias adhibere: nec frustra.

7. Infelix status cujusdam Parthenonis in Hetruria.

8. Nostrorum opera virgines ab infestis spiritibus liberantur.

Om-

Digitized by Google

Omnes paulatim depulsi fugatique sunt, excepto uno supra cæteros pervicaci. Hunc ore virginis eloquentem interpellabat unus ex Patribus, atque effari palam jubebat, qua tandem arte posset ex illo corpore extrudi? Infremuit scelestus, multumque tergiversatus, ad extremum: *Cogor*, inquit, *eloqui quod proditum nollem. Si vera charitas reflorucrit, hic manere diutius non potero*. Quæ locutus, clamorem misit adeo horrendum, ut viciniam pene omnem tremefecerit. Aderant circumfusæ ac trepidæ virgines, eoque dicto commotæ denuo sibi invicem de præteritis injuriis satisfecerunt. Quod non ferens sator discordiæ diabolus, momento erupit, diffracto prius cum horrisono strepitu quodam scamno, & alia conclavis supellectili fœdum in modum subversa.

9. Res Neapolitanæ. Reflorescit magnæ utilitatis sodalitium in collegio Theatino.

Inter acta provinciæ Neapolitanæ memorabile in primis magnæ utilitatis sodalitium, quod olim Theati in collegio Societatis erectum, inde sensim dilapsum, hoc anno ad institutionis suæ formam est restitutum. Diversi civium ordines in sodalitium adlecti fuerunt, institutumque ut per singulas hebdomadas tres seorsum conventus celebrarentur, unus nobilium, opificum alter, tertius Presbyterorum. Convenientes suis diebus sodales, horæ saltem dimidium dabant meditationi piæ: tum vario pœnarum genere corpora afflictabant, moderante cœtum Sacerdote Societatis, & diversas exercitationes fovendæ pietati idoneas præscribente. Ut fructus operæ ad totam manaret civitatem, mos inductus, ut e sodalitio delecti aliqui mitterentur per dies festos ad diversas urbis regiones, & pueros otiantes cogerent ad catechesim: alii vero vinctis ægrotisque subsidia vitæ æternæ, & præsentium ærumnarum solatia providerent. Quæ cum exacte fierent, non est facile dictu quam multum, quam brevi profectum sit ad publicam utilitatem. Anno uno plura disjecta sunt aleatorum conventicula, plura vitiorum irritamenta de medio sublata. Neapoli interea pie decessit v. Cal. Septembres P. Innicus de Guevara, antea dux Bovinensium, & magnus, ut vocant, regni Siniscalchus, postea Societatis sacerdos tam excellenti virtute, ut generis summa claritas inter postrema ejus ornamenta censeretur. Adhuc junior matrimonio sibi junxerat Portiam Carafam, primariæ nobilitatis feminam. Cum ex ea plures suscepisset liberos, nihilque minus quam statum religiosum cogitaret, accidit ut concionantem audiret Paulum Tolosam, oratorem sui temporis eloquentissimum ex familia Theatinorum. Ejus voce, ac cœlesti præsertim gratia permotus, secessit in Garganum, montem cultu Michaelis Archangeli insignem, cum nostro Antonio Lisio, ut hoc duce & magistro rationes conscientiæ suæ recognosceret, & superioris vitæ noxas piaculari confessione purgaret. Totum se dehinc Deo & officiis pietatis dedidit, perrexitque uti consiliis Lisii, vitam agens a luxu & strepitu remotam: donec biennio post, solutus per uxoris obitum conjugii vinculo, animum ad Societatem adjecit. Compositis ergo, & ordinatis probe domesticis negotiis, S. Francisci Borgiæ exemplo Romam venit sacerdotio jam initiatus, & inter tirones adlectus est, anno labentis sæculi octavo, ætatis suæ quadragesimo quinto. Quamdiu deinde apud nos vixit, vario occupatus est genere ministeriorum, quæ omnia cum insigni prudentiæ & probitatis laude gessit. Sæpe etiam nostris præfuit, sæpe collegia rexit, ubique vestigia relinquens summarum virtutum luculenter impressa. Collegium Societatis satis commode dotatum erexerat Bovini, in oppido familiæ suæ primario: sed postmodum, nescio quibus de causis, dissolutum est. Guevaram, mense uno vix interlapso, subsecutus est P. Bernardus de Angelis, vir inclytæ famæ, de quo hæc memoriæ sunt prodita. Ex familia inter Neapolitanas illustri genitus, ortum habuit in quodam paternæ ditionis oppido prope Lupios. Hanc in urbem puer traductus cum fuisset, ut pietate & litteris imbueretur sub disciplina nostrorum, arbitro conscientiæ utens Ven. P. Bernardino Realino, facile incensus est religiosæ ac sanctæ vitæ desiderio. Itaque simul atque annum ætatis attigit duodevigesimum, intelligens nihil obfuturum ex parte parentum (erant illi insigniter pii, & in nostrum ordinem egregie animati) quominus Societati, si vellet, se adscriberet; licet filiorum natu maximus, &

10. Mors & elogium P. Innici de Guevara.

11. Obitus & elogium P. Bernardi de Angelis.

Digitized by Google

paternorum bonorum hæres, in eam ſe contulit, & ad ponendum religioſæ vitæ tirocinium Nolam contendit. Ab ipſo aditu Societatis, ut oſtenderet, nihil jam ſibi eſſe ex priori conditione reliquum, nomen ipſum mutavit, quique Cæſar antea dicebatur, appellari deinceps voluit Bernardus in obſequium melliflui doctoris, cujus eo tempore cultum Claudius Aquaviva pro viribus propagare ſtudebat. Nola poſt paulo tranſmiſſus eſt Romam, ubi manſit uſque ad obitum Aquavivæ. Namque hic hominum æquiſſimus æſtimator, Bernardi integritatem atque prudentiam probe perſpectam habens, multiplici miniſterio exercitum prius, probatumque ſibi demum ſumpſit a ſecretis, ut in adminiſtranda Societate, ferendaque curarum ingenti mole comitem, & adjutorem ſtrenuum haberet. Opinionem de ſe conceptam non fefellit Bernardus, ſed vicit potius. Totum ſe fingens ad ingenium magni illius præſidis, laborantem ſublevabat: quidquid ille ad augendam ordinis dignitatem ſuſciperet, conſilio promovebat. At ſubrogato in locum Aquavivæ Mutio Vitelleſcho, cauſatus affectam valetudinem, & vires longa animi contentione plus nimio attritas, ſuæ ſe provinciæ reſtituit, quodque reliquum erat vitæ tranſigendum ſibi ſtatuit Maſſæ, quippe in loco cœli ſalubris, ac minimæ celebritatis, ubi ſibi tantum vacare in poſterum, ac pietati poſſet. Ab eo receſſu bis duntaxat extulit pedem: ſemel quidem grati animi cauſa, ut in conventu provinciali, qui habebatur Neapoli, Realini moderatoris olim ſui cauſam ageret, eamque ad Pontificem maximum deferendum curaret: iterum imperio majorum, ut Neapoli curaretur commodius ab apoplexia, qua fuerat tactus. Sed hujus ſecundæ profectionis, quam juſta cauſa, tam infelix exitus fuit. Vix enim delatus Neapolim, vi morbi prævalente, paucis diebus interiit. Deceſſit VI. Cal. Octobres, annum decurrens ætatis ſexageſimum ſecundum, elatuſque eſt incredibili noſtrorum luctu, utpote vir exempli ſemper recti, idem rerum uſu valde limatus, & de communi re optime meritus.

12. Res Siciliæ. Inſignis arrogantia P. Honuphrii a Vermi, ejuſque iter in Hiſpaniam.

Longe diverſa tradunt monumenta provinciæ Siculæ de P. Honuphrio a Vermi Marſalenſi, qui inſigni tantum ambitione, ac vanitate id eſt aſſecutus, ut qualemcunque locum obtineat in annalibus Societatis. Obſcuriſſimo licet genere, eaque mediocritate doctrinæ, ut juratis æquiſſimorum judicum ſententiis excluſus fuerit a profeſſione quatuor votorum, irrepſerat tamen paulatim in amicitiam virorum principum, eorumque fultus præſidio, leges diſciplinamque domeſticam contemnebat. Præcipua illi familiaritas cum comite ab Elda Siculæ claſſis præfecto. Is ante annos tres cum moreretur, & aſſidentem ſibi Vermium cerneret, edixerat ſupremis tabulis, ut ipſi traderetur ſuum cadaver ad majorum tumulum deportandum in Hiſpaniam, rogaveratque Cardinalem de Auria Archiepiſcopum Panormitanum, & Franciſcum de Caſtro proregem, ut exequendi teſtamenti curam ſuſciperent. Eldam ut id juberet incitaverat ipſe Vermius, ſeu levitate quadam, ſive oſtentandi ſui cauſa in aula Matritenſi. Cum aliena videretur ab homine Societatis procuratio devehendi cadaveris, eam Præpoſitus provincialis in alium quemlibet ex externis transferendam curabat: ſed fruſtra. Nullo impetrari modo potuit ab Archiepiſcopo ac Prorege, ne voluntatem teſtatoris in hac parte implendam contenderent. His ergo auctoribus fautoribuſque, Vermius Matritum profectus eſt, moderatorum ingratiis. Ibi, ut erat in agendo liberior, facetus idem, ac nugax, facile ab aliquibus aulæ proceribus gratiam iniit, qua male abutens, Panormum rediit ſpiritu aulico inflatior multo quam abierat. Ad augendam hominis arrogantiam acceſſit apertus favor Philiberti principis a Sabaudia, qui cum proregi Caſtrio ſucceſſiſſet in adminiſtratione Siciliæ, eidem ſucceſſiſſe pariter in ornando fovendoque Vermio videbatur. Jam ergo homo vanus, elatus tam ſplendidis amicitiis, & obſequio populi, faſtidire domeſticam paupertatem, vix majores vereri, ſodales longe infra ſe poſitos ducere. Tum ſentiens quanta laboraret apud ſocios invidia, ac forte (quod in convictu familiare eſt) eo durius habitus domi, quo plus colebatur ab externis, denuo cogitare Matritum, ubi procul a con-

Digitized by Google

conſpectu ſodalium minorem habiturus eſſet invidiam, honoreſque expiſcari commodius poſſet. Veniam ut impetraret facilius, de itinere quod meditabatur ita ſcripſit ad Mutium, ut prætenderet tacitæ ambitioni majus obſequium Dei. Eſſe nimirum Matriti multos natione Italos: eorum autem intereſſe plurimum, ut exiſteret ibidem unus aliquis de Societate Italus, qui ipſorum confeſſiones audiret, & conſcientias moderaretur: ad ejuſmodi provinciam neminem ſociorum videri comparatiorem ſe, linguæ ac regionis gnaro. Quæ cum de ſe ſcriberet Vermius, eodem tempore venerunt ejuſdem ſententiæ litteræ ad Generalem, tum a Philiberto prorege, tum etiam a Comitiſſa de Lemos, matrona illa præpotenti, quæ olim ob ſuum Ferdinandum Mendozam multis gravibuſque moleſtiis affecerat Claudium Aquavivam, ut in quinta parte fuſe narratum eſt. Notavit Mutius, mire conſentire Proregis ac Lemoſiæ litteras in expoſcendo nominatim ad iter illud Hiſpanicum Vermio: quaſi vero præter ipſum nullus eſſet in Italia, cui negotium ejus generis committi poſſet. Senſit qua manu tales agerentur machinæ: magnoque opere dolens, voluiſſe hominem Societatis tam validis deprecationibus imponere ſibi neceſſitatem permittendi quod nollet, confirmato ad conſtantiam animo, poſtulata omnium peræque rejecit, ac ſolummodo repulſam excuſare conatus eſt, cum officio verborum, tum etiam rationibus quam potuit honeſtiſſimis. At nec rationibus acquievit Prorex Philibertus, nec ſibi verba dari paſſus eſt. Summa dignitate Princeps, & Regis Catholici conſobrinus, indigne ferens negari ſibi a Præpoſito Societatis rem, ut putabat, æquam, & in ipſius unice arbitrio poſitam, quod precibus non impetraverat, vi abſtulit. Cauſatur eſſe ſibi in aula Matritenſi negotium grave & arcanum, cujus procurationem ſoli commiſſam vellet amico ac familiari ſuo Vermio: nec tam rogans, quam imperans, Provincialem compellit, ut ipſum nulla interpoſita mora in Hiſpaniam dimittat. Ut Matritum attigit Vermius, videre licuit quo tandem ſpectaret ardens illud pro divina gloria, atque Italorum ſalute ſtudium, quod ſuis litteris explicaverat. Frequentare aulam ſtatim, curſare per miniſtrorum domos, captare procerum gratiam, ſe demum aulice magis quam religioſe gerere, non ſine rubore noſtrorum, eorumque omnium offenſione, quibus nota noſtri ordinis inſtituta. Ecce autem haud multo poſt Romam afferuntur ad Pontificem maximum litteræ ab Hiſpaniarum Regina, quibus litteris epiſcopatus Vermio petebatur. Hic enimvero ſe non continuit Mutius. Perculſus uti decuit rei gravitate, præcidendumque ratus in ipſo ortu pravum, nec antea apud nos auditum ambitionis exemplum, ſcribit ad rectorem collegii Matritenſis, ut ejiciat confeſtim e Societate P. Honuphrium a Vermi, hominem quippe ordini noxium, & ambitus manifeſtum. Quæ juſſa ne rector facere interceſſione cujuſquam aut gratia cunctaretur, id illi per obedientiæ religionem præcipiebat. At enim Mutii litteræ, neſcio qua fraude, interceptæ fuerunt. Urgebant interea Pontificem fautores Vermii ut negotium maturaret, id ſummo contendentes ſtudio, ne dimitti prius poſſet, quam reipſa epiſcopatum eſſet adeptus. Cum Pontifex moras necteret de induſtria, Vermius, qui videret declinari ultra non poſſe ignominiam ejectionis ſuæ, prævertere illam maluit petita ultro miſſione, quæ petenti continuo conceſſa eſt. Ita ſacramento Societatis exauctoratus, ſub finem anni labentis infulatum obtinuit ſacerdotium Scalæ in Brutiis. Sed in novo ſtatu, nec ingenium mutavit, nec fortunam. Namque, ut reliquam ejus vitam curſim expediam, ſemper poſt hæc inquies, & multis inviſus, capitales contraxit inimicitias, quarum metu dum ſe a ſede ſacerdotii ſui abſtinet, ſacrorum uſu privatus eſt a Pontifice, ac tandem inops, & exul miſere occubuit: documentum iis utile, qui ſe vehendos præbent fallaci vento fortunæ, & fœdo ambitu ad dignitates Eccleſiæ prorepunt. Sed ad ordinem temporum redeamus.

13. Iterum proficiſcitur in Hiſpaniam invitis moderatoribus.

14. Epiſcopatum ſibi quærens dimittitur a Societate.

15. Reliqua ejus vita infelix.

16. RES PROVINCIÆ AUSTRIACÆ. Erigitur Viennæ collegium Pazmanianum.

Provincia Auſtriaca novis domiciliorum acceſſionibus per hoc tempus augeri pergebat. Viennæ Petrus Pazmanius Archiepiſcopus Strigonienſis peculiare collegium pro regno Hungariæ inſtituit, Pazmanianum de conditoris nomine

Digitized by Google

appellatum, ut in eo litteris & pietate excolerentur adoleſcentes eccleſiaſticæ militiæ adſcripti, & Eccleſiæ utilem navare operam aliquando poſſent. Huic collegio certos etiam redditus aſſignavit Epiſcopus Nitrienſis Joannes Gubaſkoczius, in gratiam clericorum ſuæ dioeceſeos. Cujus deinde exemplum ſecutus Epiſcopus Jaurinenſis Nicolaus Dallos, nonnullos & ipſe fundos conſtituit, ut in eodem contubernio ſuæ pariter dioeceſis clerici diſciplina Societatis, & inſtitutione fruerentur. Quos Eccleſia fructus ex hoc Pazmaniano collegio perceperit, docent inſignes viri prope innumeri, præter plures Epiſcopos, & Archiepiſcopos, qui ex eodem ſubinde educti ſunt.

17. Dividitur provincia Bohemica ab Auſtriaca.

Sed jam provincia Auſtriaca ita creverat, ut propter numerum diſtantiamque domiciliorum ab uno Præpoſito adminiſtrari haud ſatis commode poſſet. Id reputans Mutius, detraxit illi domicilia Bohemiæ, Moraviæ, ac Sileſiæ, ex iiſque novam erexit provinciam, quam Bohemicam appellavit, dato rei exequendæ negotio Patri Joanni Argento, qui Viſitatoris ibi munus poteſtatemque exercebat. Nos itaque de utraque ſeparatim agemus in poſterum: atque intra fines Auſtriacæ nunc paululum immorantes, quæ ſunt hujus temporis breviter exequemur.

18. Res geſtæ ſociorum in Hungaria.

Initio anni cum quieviſſet, ut dictum eſt, inclementia Gaboris in Pannonia, regionem hanc percurrerunt ſacerdotes aliquot Societatis, tum ad redimendos captivos, tum ad ſananda quæ inflicta fuerant religioni triſtiſſimo illo bello vulnera. Miſerabilis plane erat regionis facies, quam Turcæ, ac Tartari, Hungari etiam perduelles, & hæretici deſolaverant. Trucidati fuerant ſenes captivi, qui victorem barbarum ſequi non poterant. Abſtracti ab uberibus matrum infantes, & canibus objecti, aut illiſi ſaxis, ſi vagitu querulo perſtreperent: mutire non auſis matribus, ne mactarentur pariter, ſi gemitum ederent. Budæ conſtiterunt Patres, atque ibi catholicis mercatoribus e Boſnia, viciniſque locis, ſacramenta miniſtrarunt, ſchiſmaticos ad Eccleſiæ auctoritatem ſinumque revocarunt. Præcipua pars laboris & fructus extitit in Chriſtianæ religionis deſertoribus ad Mahometanam impietatem tranſgreſſis, qui cohortatione Patrum & humanitate permoti, ad eos clam ventitabant, ſeque non ſine lacrymis profitebantur, externo tantum cultu ſuperſtitionem Turcicam amplexos eſſe, interne Chriſtianos. Inſtituti ſunt pro temporis anguſtiis, iidemque magno noſtris ad rem bene gerendam adjumento fuerunt: unus præ cæteris, quem impiæ defectionis dolor vehementius angebat. Is pueros puellaſque chriſtianas emebat a Turcis: mox levi pretio vendebat Patribus, ætatem teneram ſervituti & ſuperſtitioni ereptam gratulantibus.

19. Excurſio noſtrorum Conſtantinopolim.

Eodem anno Ferdinandus II. Cæſar, cum ad Imperatorem Turcarum legatum mitteret Jacobum Curtium, binos illi addidit e Societate ſacerdotes, Georgium Nagium, & Gaſparem Puklerum, ut detentis in ſervitute chriſtianis opem aliquam & ſolatium afferrent. Delati Conſtantinopolim Patres, partim pretio, partim comitate & modeſtia, aditum ſibi aperuerunt ad cuſtodias chriſtianorum, & poteſtatem faciendæ illic rei divinæ, ac miſeris ſacramenta miniſtrandi habuerunt. Educti vinculis fuere nonnulli, aliis eleemoſinæ diſtributæ, & promiſſa libertas, ad quam ipſis brevi repræſentandam opulenti mercatores, & pii, ſuam fidem & arcam non inviti obligarunt. Præter hæc orator Cæſaris diploma impetravit ab Imperatore, quo fiebat noſtris hominibus in imperio turcico degentibus liberrima poteſtas omnia Societatis munia exercendi: quo quidem nihil accidere nobis optatius, & ad religionis ſecuritatem præſtabilius poterat.

20. Res Germaniæ ſuperioris. Converſiones Hæreticorum, & unius præſertim apoſtatæ.

In ſuperiori Germania lætos, ſi uſpiam alibi, ſucceſſus res religionis habuerunt. Traducti ad Eccleſiam hæretici mille quadringenti & ſexaginta, quo ex numero Monachus fuit miſerabili admodum conditione. Floruerat olim probitatis laude inter ſuos: ſed cum ſemel Norimbergam divertiſſet ad cognatos heterodoxos, eorum captus fraudibus & blanditiis, catholicam religionem abjecerat, & uxorem duxerat. Agebat jam in ſacrilego pellicatu annum quadrageſimum, ſenio prope confectus, & multis attritus calamitatibus, inopia præſertim extrema, quam utcunque tolerabat Ambergæ forenſes cauſas actitando.

Mi-

Digitized by Google

Miſerati hominis vicem Patres Ambergenſes, non modo illum ex tam longo errore ad ſalutis æternæ viam reduxerunt, verum etiam veniam a Pontifice impetraverunt, ut ſolutus monaſticæ diſciplinæ legibus apud ſe viveret in habitu clericali: quo ille beneficio obſtrictus, magno deinceps uſui noſtris ad rem catholicam augendam fuit. Eodem anno Oettingæ muliercula flagitioſa, poſt peractam rite criminum confeſſionem, narrabat noſtro ſacerdoti, fuiſſe ſibi lapillum iis imbutum præſtigiis, ut poſſet cujuſcunque vellet animum incendere ad libidinem. Vere ne iſtud, an falſo diceret, nihil moror. Quod ad rem pertinet, magnopere ſe cupiiſſe, ajebat, eam peſtem afflare alicui de Societate, nunquam potuiſſe. Sæpe hoc animo occurriſſe de induſtria noſtris ſcholaſticis extra urbem ſpatiantibus: ſed cum illi ſemper præterirent demiſſis oculis, aut averſis, lapilli inutilem fuiſſe contra ipſos vim: ſe vero tam illuſtri modeſtiæ exemplo perculſam mutaſſe tandem conſilium, abjectoque maleficiorum inſtrumento, ad confitenda ſuperioris vitæ crimina properaſſe. Adeo multum valet illa quantumvis tacita modeſtiæ eloquentia, de qua olim ſodalem ſuum admonuit S. Franciſcus, cum diceret ſe ad concionandum exire, quoties in publicum egrediebatur. Haud minus fructuoſum genus orationis interdum eſt benignitas erga egenos, nemine eos non libenter audiente, quos benevolos ac liberales ſenſerit. Hoc orationis genere uſi Patres Ingolſtadienſes, annona ingraveſcente, pauperibus quotidie ſeptingentis, interdum etiam octingentis certam panis menſuram diſtribuerunt, quos cum eodem tempore piis cohortationibus ad confeſſionem piacularem allicerent, pleroſque dicto audientes habuerunt. In ſimili calamitate reſidentia Eberſpergenſis, præter ſtipem pauperibus large diſtributam, vili emendam propoſuit magnam frumenti copiam, unde civitas plurimum eſt recreata.

21. Modeſtia noſtrorum juvenum mulierem flagitioſam adducit ad pœnitentiam.

22. Noſtrorum liberalitas erga pauperes Ingolſtadii, & Eberſpergii.

Inter hæc collegium Ratisbonenſe periculum adiit grave non minus, quam inopinum, quod tametſi intra jacturam parietum tectorumque ſteterit, niſi tamen fuiſſet peculiari ope Numinis propulſatum ex parte, etiam hominibus cladem ingentem afferebat. Turris erat parum a collegio diſtans, alta pedes minimum ſexagita, cujus plurimæ contignationes totidem erant bellici pulveris receptacula. De cœlo tacta repente eſt: totuſque ille nitrati pulveris numerus momento flammam concipiens, & fragore horrendo prorumpens, turrim a fundamentis evulſam uſquequaque disjecit. Evolarunt in omnem partem vaſtæ ſaxorum moles inſtar grandinis. Civitas univerſa quaſi vehementi ac ſubito terræ motu contremuit. Vix fuit domus Ratisbonæ intacta omnino, & damni expers. Contrita paſſim tecta, vitrei feneſtrarum obices ubique diffracti. Hominum plerique aut afflicti impulſu violento aeris, aut intermicantis aſpectu flammæ terrefacti. Nonnulli vapore torrido fumi pene exanimati. Extincti duntaxat trés, nec multo plures ſauciati. Incidit atrox caſus in diem hebdomadæ quartam, quo die apud nos feriari ſolent ſcholæ: idque pueris gymnaſium frequentare ſolitis ſaluti fuit. Certa erat multorum clades, ſi pueri ſcholis interfuiſſent. Alios quippe torrentis fumi copia præfocari neceſſe erat, alios decidentium imbre lapidum opprimi, alios in ipſa trepidatione fugæ invicem collidi. Quod autem eo die vacaverint ſcholæ, effectum providentia Numinis plane ſingulari. Etſi enim id conſuetudo gymnaſii poſceret, tamen illa hebdomada nihil non egerant apud rectorem ſcholaſtici, ut vacationis beneficium utendum ſibi permitteret die proxime præcedente. Deprecatores adhibuerant viros nobiles, & amicos collegii, quibus non videbatur rector rem adeo levis momenti negaturus. Negavit tamen conſtanter, & ſervari morem juſſit, nec impetrare a ſe potuit ullo modo, ut in re tam exili virorum talium poſtulatis annueret: quod tunc quidem viſum duriter & illiberaliter factum, poſtridie vertit in commendationem divinæ providentiæ, quæ ſic incolumitati tot adoleſcentium proſpexiſſet. Quare die poſtero rector decantari publice hymnum euchariſticum, & debitas gratias Deo liberatori perſolvi juſſit. Auguſtæ Vindelicorum diem obiit P. Gregorius Roſeffus, patria Landishutanus, quem tametſi annis gravem, ac prope jam ſe-

23. Grave periculum collegii Ratisbonenſis ex eventu fortuito.

24. Vacant eo die ſcholæ, non ſine peculiari numinis providentia.

25. Obitus & elogium P. Gregorii Roſeffi.

Digitized by Google

ſenio inutilem, provincia inter cariſſimos habebat Patres, nec ſine luctu extulit. Præcipua viri laus in Evangelio, cujus explicandi miniſterium geſſit Auguſtæ per annos ipſos quadraginta: ea ſemper auditus approbatione, & fructu, ut Auguſtani redditum ſibi ſuum dictitarent apoſtolum, Petrum Caniſium. Roſeffi præſertim auctoritate fundatum eſt Auguſtæ collegium Societatis, ſumptum faciente prænobili Fuggerorum familia. Idem omnium primus collegium illud rexit aliquandiu: provinciam vero univerſam novem omnino annos adminiſtravit. Charitate erat inſigni, animo erecto, impigro, & ad labores apoſtolicos ſemper expedito. Nemo eum vidit aliquando otioſum. Quod rebus gerendis ſupererat temporis, aut contemplationi rerum cœleſtium, aut piis ſcribendis libris impendebat, quorum nonnullos edidit alieno nomine adverſus peſtilentes libellos Lucæ Oſiandri, præter alia quædam opuſcula doctorum judicio valde laudata. Poſtremo vitæ ſpatio acerbis conflictatus doloribus, aliud nihil Deum rogabat, niſi ut adderet fortitudinem, & dolores augeret. Demum anno ætatis ſuæ octogeſimo, ab inita Societate ſexageſimo tertio, ab hac mortali vita ſolutus eſt, & ſuaviſſimo quidem mortis genere. Idibus enim Majis, cum valeret ut qui maxime, monuit repente ſocium, ſibi ut quantocyus morituro pararet ſuprema. Inde in lectulum ſe recipiens, ſuſcepit rite ſacra, atque intra dimidium horæ oculos & vitam clauſit.

26. Res Rhenanæ. Mittuntur operarii in Daniam. Duo in itinere intercipiuntur.

De provincia Rhenana, ad quam modo transgredimur, nihil eſt in litteris hujus anni memorabilius excurſione quadam a noſtris in Sveciam facta, quam propterea a ſuis initiis narrandam ſumimus. Patres Henricus Schatchius, & Theophilus Olaus, par operariorum inſigne, juſſi fuerant in Daniam proficiſci cum aliis quibuſdam de Societate, ad ponendum, ſi qua fieri poſſet, ſacræ miſſionis initium. Id quippe negotii Mutio Generali dederat Gregorius XV., cui per quoſdam Dominicanæ familiæ Patres certa fuerat oblata ſpes reparandæ in illo regno religionis. At cum itineri ſe commiſiſſent, a Batavis intercepti, & in vincula conjecti, id modo unum ab hæreticis impetrare potuerunt, ut libertatem pretio redimerent. Præcluſam ſibi videntes Daniam, & nihilominus certi in provinciam non redire ſine aliquo ſuſcepti itineris fructu, animum ad provincias finitimas adjecere. Campum laboris ita partiti ſunt, ut Olaus excolendam ſumeret Lubecam, & Hamburgum: Schatchius Sveciam peteret. De priori nihil ultra memorabimus. Extinctus enim in ipſo novi operis apparatu, locum dedit Patri Andreæ Niſeno, qui nuſquam benevole acceptus, paulo poſt abiit in inferiorem Saxoniam ad colligendas fidei reliquias, quæ Magdeburgi, & Alberſtadii adhuc ſupererant. Schatchius difficillimo perfunctus itinere cum perveniſſet in Sveciam, primo Stocholmiæ in ipſa regni ſede occultus conſedit, remque non minus ſedulo quam caute gerens, nonnullos ad fidem catholicam traxit, ac præter alios virum inſigni nobilitate Georgium Urſinum, qui regi erat a ſecretis, & intime familiaris. Progreſſus inde Telgam, & in colloquium admiſſus a Zacharia Antſelio urbis conſule, huic ſimiliter, quippe docilis ingenii viro, perſuaſit, ut relicta Lutheri ſecta ad Eccleſiam tranſiret. Virorum talium converſio latere diu non potuit Guſtavum regem. Reſcivit ſtatim, & immane quantum exarſerit. Utrumque nulla mora contrudit in carcerem. Tum neſcio quibus indiciis ſubodoratus, unum aliquem in regno latere de noſtra Societate, hunc perquiri diligenter jubet. Cito inventus eſt, ſeu verius proditus. Producitur ad tribunal Schatchius, interrogatur, torquetur, cunctis demum artibus ſollicitatur, ut velit in partes Lutheri tranſire, ſed conatu irrito. Eadem expertus Rex cum duobus ejus diſcipulis, Urſino, & Antſelio, ubi ſenſit nec ſuaſione, nec quocunque cruciatu poſſe viros fortes a catholico cultu abſtrahi, omnes pariter capite plecti jubet: hos, propterea, quod patriam deſeruiſſent fidem: illum, quod auctor deſertionis, & hortator fraudulentus fuiſſet. Placuit uno omnes die interfici, eodemque ſupplicii genere, capite nimirum amputato. Producuntur igitur in ferale pegma fortiſſimi pugiles, affuſa ad ſpectaculum innumera populi multitudine, ac primi ſecuri

27. P. Henricus Schatchius deſertur in Sveciam, ac rem utiliter gerit.

28. Illum rex capite plecti jubet cum aliis duobus.

29. Qui mortem pie fortiterque excipiunt.

fe-

Digitized by Google

feriuntur Urſinus & Antſelius, quorum non alia audita vox, niſi bene ſibi ac feliciter evenire, quod in Eccleſia catholica morerentur. Quo die rapti ſunt ad ſupplicium, communes exaraverant litteras, tum ad Præpoſitum provinciæ Rhenanæ, tum ad Generalem Societatis, utrique gratias prolixe agentes, quod in Sveciam miſiſſent veræ fidei magiſtrum, cui ſe debere profitebantur quod veritatem amplexi eſſent, & in limine felicitatis ſempiternæ verſarentur. Reſtabat Schatchius: & jam pari conſtantia cervices carnifici præbebat. Cum adeſt anhelus ab aula nuncius, nequaquam hunc eſſe obtruncandum. Regem de advena mitius ſtatuere. Supremo ſupplicio liberatus tota exulet Svecia, & in proximas Germaniæ oras navigio evehatur, pœna capitis propoſita, ſi quo caſu in Sveciam redierit. Ita receptus in navim ſacerdos, & nauclero traditus, Lubecam defertur: lætus ille quidem beata ſorte duorum martyrum, at ſimul dolens, eandem ſibi palmam ex ipſis prope manibus ereptam fuiſſe. Reliquerat in vinculis Stocholmiæ præclarum adoleſcentem annorum ſexdecim, nomine Arnoldum Meſenium, parentibus natum orthodoxis, & paternæ fidei retinentiſſimum, eique novos ſæpe ſtimulos ad conſtantiam ſubjecerat. Diebus aliquot præterlapſis, quid illi factum ſit quærens ex advena Stocholmienſi, audit exſtimulatum ad defectionem adoleſcentem perſtitiſſe adverſus potentiſſimi regis blanditias omnes & minas, nulliſque machinis potuiſſe de ſententia depelli: hujus tandem rei cauſa damnatum, Romanam fidem abſciſſis cervicibus confirmaſſe. Quo magis gaviſus eſt, excurſionem illam ſuam Svecicam, ut non ceſſiſſet ex voto, fructum tamen habuiſſe non pœnitendum.

30. Schatchio pœna capitis mutatur in exilium.

31. De quodam adoleſcente religionis cauſa interempto.

Præter Olaum, & Schatchium, de quibus modo dicebamus, prodierant in expeditionem Danicam ex provincia Flandrobelgica quatuor ingentis animi operarii, Andreas Jodocus, Juſtus Viſcherus, Matthæus Colenus, & Ludovicus Carbonelius. Hi porro admoniti, duos qui præiverant Patres fuiſſe a Batavis comprehenſos, non deſiſtendum propterea ab incepto, nec retro flectenda veſtigia, ſed cautius aliquanto peragendum iter cenſuerunt. Jodocus omnium præſes navigavit Hamburgum cum Juſto Viſchero, juſſis duobus reliquis ſeorſum ſubſequi: relicto autem Altenæ ad ſolatium degentium ibi catholicorum Viſchero, ipſe porro in Daniam progreſſus eſt. Cum partem regionis maximam nullo propemodum fructu peragraſſet, jamque de ſucceſſu expeditionis deſperaret, affulſit ſubito læta ſpes rerum feliciter gerendarum. Erat Malmogii in Scania vir gente Germanus, profeſſione catholicus, Arnoldus Wiſveillerus nomine, notus aulæ, & apud regem gratioſus, qui anno præterito duos familiæ Dominicanæ Patres hoſpitio exceperat. Virum talem Jodocus conſiliis ſuis opportuniſſimum putans, adit illum fidenter: cujus rei cauſa venerit ipſe, aliique in Daniam venturi ſint Miſſionarii, docet. Rogat, ut ad negotium religionis præſtare aliquid pro ſuis viribus velit. Sua non fefellit Jodocum fiducia. Arnoldus in cauſa fidei optime animatus, nihil de ſe non promittit, quod ad ſecuritatem fructumque miſſionis pertineret. Patere ſuas ædes, non ipſi tantum, ſed cunctis in perpetuum Miſſionariis, qui ab Romano Pontifice ſubmitterentur. Se illis magiſtrum linguæ, ſe itinerum, & periculorum comitem fore: ſe denique nulla iiſdem re defuturum ad miſſionem cum fructu obeundam. Unam modo cautionem exigere, ut ſi forte ob eam cauſam fortunis exueretur, aut in exilium pelleretur, haberet tunc ab Apoſtolica ſede qualecunque ſubſidium, unde vitam tueri non incommode poſſet. Hæc prolixe ſpondebat Arnoldus, hæc ipſa Patribus Dominicanis prius ſpoponderat. Quæ promiſſa Jodocus haud parvi pendens, curavit ejuſdem chirographo confirmanda, ut Romam opportuno tempore tranſmitterentur, atque interim de re tota ſocios per litteras monuit. Digreſſus dehinc Hafniam, (Coppenhagen vulgo nominant) urbem regni primariam, periculum adiit opinione majus. Dum urbem amplam percurrit, dum more peregrinorum varia curioſius percunctatur, & ſermones diverſos de ſtatu regni, tum civili, tum ſacro cum indigenis ſerit, caſu factum eſt ut alloqueretur ingenuos quoſdam adoleſcentes, qui litteris operabantur. De-

32. Res Flandrobelgicæ. Quatuor e noſtris iter inſtituunt in Daniam.

33. P. Andreas Jodocus miſſionis Danicæ fundamenta ponit.

34. Ejuſdem grave periculum Hafniæ, & prompta fuga.

le-

Digitized by Google

lectatus eorum indole, ſermonem intulit de religione. Omnes ad veritatem flexibiles reperit: uni autem nominatim perſuaſit, ut relicta patria ſecum iret in Belgium. Res erat deliberata, condicta profectionis dies. At ea prorſus die, ac tum maxime cum adoleſcentem præſtolabatur, ut ſe cum illo daret in viam, audit ex improviſo, perquiri urbe tota Jeſuitam, quem certo conſtaret obambulaſſe Hafniam, & conatum eſſe quoſdam tenerioris ætatis ſcholaſticos ad Papiſmum trahere. His rumore ipſo cognitis, non ultra cunctandum ratus, maturavit fugam, ſeque proripuit in Belgium, ſecum auferens Arnoldi quam dixi ſyngrapham, veluti fructum induſtriæ ſuæ præcipuum, nec vero levem: magnam quippe in ea ſpem habebat repoſitam.

35. P. Juſtus Viſcherus cogitur Altena excedere,

Interea temporis qui Altenæ ſubſtiterat Juſtus Viſcherus, tertio jam menſe catholicis ſacra miniſtrabat in ipſorum templo, & divino verbo puſillum gregem paſcebat, nihil deterritus minaci denunciatione hæreticorum, qui catholicis ſuas exercere religiones vetabant. Tantum, ne qua ſacro loco injuria ab inſano populo fieret, præfigendam curaverat pro templi foribus tabulam aquila depicta ſpectandam, inſigne Cæſaris. Sed quid vereatur hæreticorum audacia? Quadam die, dum catholici fere centum cum Viſchero conſueta peragunt religionis officia, ecce tibi locum circumſiſtit ala equitum armatorum, qui primo inſigne Cæſareum repetitis minorum tormentorum ictibus impetunt per contemptum: tum delapſi equis, in ædem furentes irrumpunt, cœtum cum inſigni verborum contumelia diſſipant, nonnullos verberibus male multatos extrudunt. In eo tumultu Viſcherus, quod mirere, ne minimum quidem eſt violatus: quodque mirabilius, debuit beneficium Calviniſtæ prævalido, a quo tunc defenſus contra ſeditionem, mox etiam pecunia ac patrocinio adjutus eſt, ut Hamburgum tutus evaderet. Atque hunc habuit exitum Altenæ procuratio Viſcheri. Eodem tempore reliqui duo Patres, Colenus, & Carbonelius, in Daniam diverſis itineribus venerant, admonitique, ut ſupra dictum eſt, a Jodoco, Malmogii confederant apud Arnoldum illum, cujus domum cunctis addictam fuiſſe miſſionariis demonſtratum eſt. At poſt paucorum dierum moram, Carbonelio in Friſiam ad comparanda nova ſociorum auxilia digreſſo, dum maxime Colenus rationes varias promovendæ miſſionis init cum ſuo hoſpite, res accidit, quæ nihil fere ſpei reliquum fecit in Dania. Capitur ex improviſo, neſcio qua cauſa, Arnoldus. Per eam occaſionem immiſſi in ejus domum ſatellites, dum omnia ſcrutantur curioſius, inveniunt inſtrumentum ſacrificale, indicium vehemens latentis in eadem domo catholici ſacerdotis. Cum alius eſſet nullus, in quem cadere ſuſpicio poſſet, vincitur Colenus tanquam Romani ſacerdotii compertus, in cuſtodiam abripitur, nec multo poſt juſſu regis, qui agnoſcere illum de facie, ac per ſe ipſum interrogare cupiebat, Hafniam adducitur. Repertæ apud Arnoldum litteræ omnem præcidebant ſacerdoti modum diſſimulandi conditionem ſuam. Quærenti itaque Regi quis, unde eſſet, quidve petens veniſſet in Daniam? ad omnia reſpondit quod erat libere, ac ſine ambagibus: ut miraretur viri conſtantiam Rex, ac prope laudaret. Nihil tunc quidem conſtitutum eſt gravius. At die poſtero denunciatur Coleno, ut intra certum dierum numerum pedem efferat Dania, capitali pœna afficiendus, ſi poſt præfinitum temporis ſpatium fuiſſet intra regni fines deprehenſus. Quid faceret? Migrandum fuit ſine mora. Delatus Hamburgum, & ſuo periculo jam defunctus, angebatur vehementer de ſuo hoſpite Arnoldo, quem, uti dictum eſt, vinctum reliquerat, verebaturque ne bonis exutus in exilium abigeretur: quod ſi eveniret, concidérent omnino ſpes religionis in illo regno reſtituendæ. Dum ea cauſa trepidat, ac ſæpe de Arnoldo percunctatur, certior fit ſuſpendio necatum fuiſſe, ſive ob datum catholico ſacerdoti hoſpitium, ſive alio crimine, quod nunquam ſatis compertum eſt. Sed quæ demum fuerit cauſa, tali ſublato viro, a quo tota miſsio pendebat, nihil humanæ ſpei noſtris relinquebatur in Dania. Regreſsi itaque in ſuam provinciam, curam miſſionis illius in aliud tempus tranſtulerunt.

36. P. Matthæus Colenus vix in Daniam appulſus conjicitur in carcerem.

37. Interrogatur a rege, & ſolum vertere cogitur.

38. Ejus hoſpes ſuſpenditur: tota ſpes miſſionis concidit.

Eo-

Digitized by Google

39. Mors & elogium P. Leonardi Leſſii, eiuſque vitæ compendium.

Interea duo provinciæ Flandrobelgicæ deceſſerunt inſignes ad memoriam temporum viri, P. Leonardus Leſſius, & P. Thomas Saillius, de quibus modo ſingulis aliquid libandum eſt. Leſſius, clariſſimum inter ævi ſui theologos lumen, natus erat Brechtæ, in pervetuſto Brabantiæ oppido, parentibus loci primoribus. Litterarium ingreſſus a prima pueritia curſum, ita illum tenuit, ut æqualibus ingenio diligentiaque longe præcelleret. Emenſo Lovanii philoſophiæ ſtadio, annum ætatis agens decimum ſeptimum, noſtrorum modeſtia & pietate incitari ſe ſenſit ad amplectendam Societatem. Cunctantem parumper, & ſpes blandas non humilis fortunæ reſpectantem, Deus acribus ſtimulis, objectiſque die noctuque terroribus, & inteſtino conſcientiæ tumultu ita concuſſit, ut ante conquieſcere non potuerit, quam Societatem ingredi apud ſe ſtatueret. Compoſitis demum animi fluctibus, in eam tanquam in portum invectus eſt, ac partim Lovanii, partim Audomari tirocinium peregit. Hinc ſciendi illa cupiditas, qua ſemper flagraverat, quæque per totum biennium quaſi conſtricta & compreſſa fuerat, ruptis obicibus in omnem litteraturæ partem erupit. Duaci annos duntaxat viginti natus docebat philoſophiam, nimiſque anguſta hujus facultatis ſpatia querebatur. Quare in amœnos humaniorum litterarum campos excurrens, grammaticos, poetas, hiſtoricos, & oratores adiit, floreſque ac fructus uberrimos ab omnibus decerpſit, quos in omni vita quaſi recentes integroſque ſervavit. Mox eruditionis profanæ limites egreſſus, operam ſacris codicibus penitus intelligendis dedit, conſuluit ſanctos Patres, & juris utriuſque conſultos audivit. His ex fontibus profluxit deinde in ejus libros doctrina, quam multiplex, tam ſolida & exquiſita. Quantam haberet a natura facultatem ad iſtas opes comparandas, vel illud documento eſſe poteſt, quod græcarum litterarum prima elementa exorſus, poſt duos privati ſtudii menſes loqui jam commode poterat, ſuperatiſque nullo docente omnibus difficillimæ linguæ ſalebris, Ariſtotelem, & Dionyſium Areopagitam e græco ſermone in latinum convertit. Annis quatuor Duaci in tradenda philoſophia conſumptis, Romam venit, ut inchoata theologiæ ſtudia perpoliret. Tantum autem ingenii acumen, tantam ad hæc attulit indolem, ut vix biennio circumacto, cupide revocatus fuerit a ſuis Belgis, nec multo poſt theologiæ cathedram Lovanii magiſter egregius impleverit. At enim doctrina tam profunda, tam multiplex, Leſſii poſtrema laus fuit. Adeo religioſæ in eo virtutes eminuerunt. Solitudinem, qua rerum cœleſtium contemplatio delectatur, plurimum coluit. Totus cum Deo, & ſuis libris, raro admodum prodibat in publicum: negotia vero, quæ ad gloriam Numinis, aut proximorum utilitatem non ſpectarent, penitus negligebat. Romam ſecundo profectus ad Congregationem generalem ſeptimam, adduci nunquam potuit, ut tot illa artis & magnificentiæ miracula, quæ in urbe ſancta conſpiciuntur, quibuſque advenæ tantopere capiuntur, uno dignaretur obtutu. Mira illi mentis cum Deo conjunctio, ac fere aſſidua. Quaſi tota non ſufficeret ad orandum dies, magnam nocturni otii partem precando extrahebat. Inſignis porro erat orantis religio. Demiſſum ſuppliciter caput, junctæ manus, inflexa genua, totius corporis habitus ad modeſtiam pietatemque compoſitus, ut præſentem ſentire Deum, ac prope intueri videretur. Accidit in cœleſtium cogitatione defixo, ut nec ignem horribilem animadverteret, quo ejus cubiculum deflagrabat. Nuſquam tamen elucebat illuſtrius viri pietas, quam erga ſanctiſſimam Euchariſtiam. Ante quam ſacrificaret, religioni habebat epiſtolas reſignare, colloquium, niſi neceſſarium, admittere, imo e conclavi ſuo prodire, ne forte alienæ cogitationes obreperent. In ipſo ſacrificio, nunc dulcibus anhelans ſuſpiriis, nunc lacrymis colliqueſcens, totus ardebat: nec ex quo ſacris fuit initiatus, per annos tres ſupra quadraginta, diem prætermiſit, quo non particeps fieret Euchariſtici panis, alieno utens miniſterio, quoties adverſa valetudine prohiberetur rem divinam facere. Animi perturbationes, atque illam præſertim, quæ præſtantibus doctrina viris fallacis gloriæ lænocinio inſidiatur, ita ſubegerat, ut fateretur ſe non capere, qui fieri poſſet, ut quiſquam propriis

40. De eximia ejus litteratura.

41. De pietate, ac virtutibus religioſis.

42. Quanta eſſet humilitate, ac manſuetudine.

Digitized by Google

laudibus delectaretur. Ea auctoritate vir, cujus reſponſa tanquam oracula paſſim exquirebantur, nihil dubitabat in rebus dubiis conſilium ab aliis petere, & eorum ſententiæ velut rudiſſimus quiſpiam acquieſcere. De omnibus honorifice, de ſe minimum, aut demiſſe loquebatur. Cum abundaret fervida bile, nonnihil initio laboravit in iracundiæ primis motibus comprimendis. Sed in illos adeo ſeveram & aſſiduam exercuit quæſtionem, ut demum prorumpere non auderent. Quod ſi quid tamen in hoc genere excideret imprudenti, certa continuo pœna caſtigabat errorem, atque ea ferme, ut peculiari benevolentiæ ſignificatione illum proſequeretur, a quo fuerat laceſſitus. Affirmavit non nemo, ſe Leſſio bilem aliquando moviſſe de induſtria, ut ab eo neſcio quid beneficii facilius impetraret. Scitum eſt, quam acriter vehementerque adverſus ejus de divina gratia doctrinam inſurrexerint aliqui theologi. In ipſo ardore certaminis, dum maxime ab adverſariis impetebatur acerbius ferociuſque, nemo illum vidit animo, aut dejecto, aut perturbato. Sive ſua defenderet, ſive contraria refelleret, nihil ſibi unquam excidere paſſus eſt, non lingua, non calamo, quod dolentis indicium eſſet, aut iraſcentis. Eadem animi firmitate illas frænavit cupiditates, quæ corpori voluptatis illecebra blandiuntur. Quotidianis contra ſe flagellis, jejunio fere perpetuo, cilicio, & quæſitis ubique incommodis ſæviebat: dicere ſolitus, hoſtium nequiſſimo concedi quidquid corpori indulgetur. Multiplici laborans valetudine, vix alia parte ſanus erat, quam capite. Membra cætera pertinax lues, & maculoſa pruritu acerbiſſimo fodicabat. Hernia utrinque extuberabat. Continuus inteſtini dolor, & languor ſtomachi. Crebro colicis, crebrius calculorum doloribus cruciabatur: quæ omnia vel robuſtiſſimum hominem plane frangerent. Leſſius in tot malis, non modo alacer lætuſque perſtabat, verum etiam fomenta & levamenta reſpuere, cubare duriter, igne ſe abſtinere, nocte intempeſta ad orationem exilire, nullum denique finem ſui divexandi facere conſuevit. His artibus carnem ſic habuit obſequentem, ut fateretur, ne primos quidem ejus in malum impetus ſe experiri. Præter alia tuendæ caſtitatis præſidia, adhibuit patrocinium Reginæ virginum, quam coluit eximie, & nulla non die conatus eſt peculiari aliquo obſequio demereri. Quadriennio ante mortem tam diris acerbiſque laceratus eſt calculi doloribus, ut mortem quamlibet, vel in igne lento ſubeundam, duceret leviorem. Sedere, ſtare, jacere ſine cruciatu non poterat. Nunquam id poſtulavit ut levaretur dolor, ſed ut fortitudo & conſtantia augeretur. Obiit demum Lovanii XVIII. Cal. Februarias, annos natus undeſeptuaginta, quorum quinquaginta & unum exegerat in Societate. Plurima beneficia Leſſii invocato nomine impetrata, & miraculis quam ſimillima, pervagatam de illius ſanctimonia opinionem valde confirmarunt.

43. Quanta in ſummis doloribus patientia.

44. Obitus & elogium P. Thomæ Saillii, ejuſque vitæ compendium.

Leſſium poſtridie Nonas Martii ſecutus eſt Bruxellis P. Thomas Saillius, vir apoſtolici plane ſpiritus, ac Societati Belgicæ immortaliter memorandus, cujus eodem in loco finiri vitam contigit, ubi ante annos ſeptuaginta tres ortum habuerat. Venerat ad Societatem ætate jam doctrinaque provectior, ac dignitate eccleſiaſtica inſignitus. Cum enim verſaretur Duaci tunc, cum noſtri ab hæreticis perduellibus urbem deſerere coacti ſunt, motus Patrum tot inter injurias patientia ac manſuetudine, conſilium cepit iiſdem ſe adjungendi, idque ut tutius faceret, citiuſque, abdicato Atrebatenſis eccleſiæ canonicatu, patriam armorum fragore circumſonantem deſeruit, & Romam ad ponendum tirocinium contendit, vertente anno præteriti ſæculi octogeſimo. Tres ferme annos in urbe ſubſtiterat, cum Stephanus Bathoreus Poloniæ Rex petiit a Gregorio XIII. divini verbi præcones ſedulos, & induſtrios, qui pacem Polonos inter & Moſcos conciliarent, & Romanam religionem ſererent in Moſcovia. Ad eam expeditionem deſtinatus cum fuiſſet P. Antonius Poſſevinus, inter duodecim ejus ſocios haud poſtremus Saillius fuit. Sed dum charitati præter modum indulget, dum per inacceſſa Moſcoviæ nemora venator animarum impiger circumagitur, & modo in gelidis nivibus, modo in ſpeluncis pernoctat, morbum contraxit pe-

Digitized by Google

periculoſum, cui nullum fieri poſſe remedium præſentius viſum eſt, quam ſi natale cœlum reviſeret. Regreſſus in Belgium, valetudinem reparabat. Verum Alexander Farneſius Parmæ Dux, perſpecta viri pietate ac prudentia, eum conſcientiæ ſuæ arbitrum delegit, ſibique deinceps in omni bellica expeditione comitem, ac pene contubernalem eſſe juſſit. Novum ingreſſus ſtadium Saillius, totum ſe in milites duceſque partiri cœpit, nulli parcens labori, ut omnibus præſto eſſet. Timuit Alexander Parmenſis, ne par eſſe tot incommodis unus non poſſet. Itaque adjutores illi duodecim e Societate dandos curavit: inter quos Saillius curas varias officiaque diſtribuens, Miſſiones caſtrenſes inſtituit, quæ tantas poſtea utilitates Belgicis exercitibus attulere. Alexandro e vivis ſublato, perrexit nihilo ſecius navare caſtris operam, & in exercitu Regis Catholici religioſa ſtipendia facere, dux ipſe, & quaſi anima miſſionis, cujus diſciplinam, formam, varietatemque miniſteriorum ſapientiſſimis legibus ordinavit. Franciſcum de Mendoza legatum Regis ſecutus in Germaniam, Poloniamque, peracta legatione Bruxellas repetiit, ubi noſtris diu præfuit. Labore anniſque fractus cum eſſet, & honeſtam petere miſſionem a caſtris poſſet, non recuſavit Ambroſio Spinulæ exercitum adverſus Palatinum ducenti comitem ſe præbere, cum eoque ſeptuagenarius in Germaniam venit. Parta demum ex hoſte victoria, rediit in Belgium, ac biennio poſt cœlo maturus deceſſit. Vir plane inſigni pietate, quam ore ipſo ſpirare ferebatur. Fatebantur ſane multi, ſe uno ejus aſpectu inflammatos veternum languentis animi depuliſſe. Quod ore præferebat, hoc declarabat verbis, nec fere quiſquam ex ejus congreſſu, niſi melior diſcedebat. Venerabilis Euchariſtiæ cultum regiis in caſtris propagavit, inſtituta militari ſodalitate, cui ſummi duces nomen dederunt. Horum exemplo excitati manipulares, & crebrius exinde divina myſteria uſurparunt, & ſanctius. Haud minori ſtudio B. Virginem colebat ipſe, & coli ab omnibus tum privatim, tum publice cupiebat. Obtinuerat ab Alexandro Parmenſi, ut omnibus caſtrorum tubis perſonantibus, ter ſub auroram Virgo beatiſſima in cunctis militum contuberniis ſalutaretur. Ejuſdem imaginem in itineribus ante prima ſigna præferendam, & in ſtationibus defigendam curabat. Exilire virum optimum gaudio, ac triumphare cerneres, ſi quid a quoquam audiret honorifice de Maria prædicari: mœrere contra, deiici, aut excandeſcere, cum voces in ipſam contumelioſæ jactabantur. Gratam ſibi eſſe famuli ſui pietatem non dubiis ſæpe ſignis B. Virgo monſtravit. Illud ad memoriam inſigne, quod cum magnam vim ſanguinis, rupta pectoris vena, ejectaſſet, depoſituſque a medicis jaceret, voto ad Aſpricollenſem Virginem vix concepto, viſus ſibi eſt illam videre pro ſanitate ſua Filio ſupplicantem: neque ſolum convaluit tunc præter omnium ſpem, verum etiam vitam exinde in plures annos protulit multo quam antea vegetior, neque rei quidquam præterea cum medicis habuit. In ſexcentis quibus interfuit prœliis, in obſidionibus urbium, inter medios ignes, & ferream telorum grandinem, cadentibus hinc & inde quos adjutabat militibus, illæſus ipſe incolumiſque ſemper ſtetit, nullo vel leviter ictu violatus. Acceptum hoc referebat roſario prægrandi, quod quoties ad arma conclamatum erat, ab humero ad ſiniſtrum latus inſtar baltei producebat. Hac munitus lorica, per medias acies ac mortes impune volitabat. Jam de cæteris ejus virtutibus quid loquar? De ſe ita demiſſe ſentiebat, ut cum eſſet apud ſummos viros, & copiarum ductores gratioſiſſimus, ſe tamen nullius frugis hominem profiteretur, & noviſſimum ubique locum, viliſſimaſque occupationes captaret. Valetudinem non alia magis arte, quam abſtinentia, vel potius inedia tuebatur. Laborioſiſſimum vitæ genus voluntariis incommodis cumulabat. Ut alia præteream, crucem e ligno ſemipedalem, præacutis horrentem cuſpidibus, pectori applicatam gerebat, manuque ſubinde pectus tundens, eam carni duriter incutiebat. Militum communis quaſi patronus, aut pater, omnes excipiebat ſinu: ægris vero, aut vulneratis ad omne ſe obſequium demittebat. Non languentium pædor, non contagionis metus, non morientium multitudo virum aman-

45. Miſſiones caſtrenſes inſtituit.

46. Quanta ſolertia pietatem inter milites promoveret.

47. Beatæ Virginis præſentem opem experitur.

48. Nonnulla de ipſius virtutibus indicantur.

Digitized by Google

tiſſimum deterrebant, quominus inter illos aſſidue, ac libentiſſime verſaretur. Nihilo ſegnior Saillii charitas domi, quam militiæ. Plebis infimæ tuguria, olidas ac ſtramineas caſas, ſua eſſe palatia, ſuas delicias affirmabat. Si ſacerdos e collegio noctu ad quempiam pauperem ægrotum evocaretur, nullum ſibi in eo officio præferri patiebatur. Cum vires ad agendum neceſſarias morbus, aut ætas ingraveſcens invidebat, otium conſumebat utiliter ſcribendis pii argumenti libris, qui editi ab illo ſeptendecim numerantur. Obedientiæ cuſtos exactus, totum ſe fingebat flectebatque ad ſuperiorum nutus. Quidquid illi præciperent, vetarentve, Deus hoc præcipit, Deus id prohibet, inquiebat. Quem a teneris unguiculis florem caſtimoniæ coluerat, editoque voto B. Virgini obtulerat, hunc intuliſſe tumulo illibatum creditur. Ad hanc virtutem omnes hortabatur majorem in modum. Hanc etiam in aliis tueri, & ab injuria vindicare omni ope conabatur. Eo conſilio Bruxellis domum comparavit, in quam mulieres a turpi quæſtu abductæ, velut in portum e naufragio, reciperentur. Dorlanum Galliæ oppidum Farneſius vi expugnaverat, ac militibus diripiendum conceſſerat. Quid illi juris ſumpturi eſſent in feminas, promptum eſt conjecturam facere. Earum pudicitiæ proſpiciens Saillius, prælongum trahere funem per urbem cœpit, clamans, ut quæcunque ſalvum pudorem vellent, manu funem tenerent. Accurrerunt frequentes, eaſque omnes per ora militum Sacerdos inviolatas traduxit, nemine vel in tanta libidinis impunitate auſo vim illis inferre. Multa de Saillio ſupra naturæ uſum memorantur. Dæmonum

49. Quædam ſupra naturæ vires ab eo geſta.

inſidias, ſpectra, terricula non ſemel ſuperavit. Sæpe futura divino inſtinctu præſenſit, prænunciavitque; nec dubium quin ſuæ mortis diem certo præſciverit. Pridie enim ejus diei quo mortuus eſt, piam feminam alloquens, ſe cum illa ſupremum loqui, nec amplius locuturum aperte affirmavit. Poſtridie vero, dum in ſacello aulici gynecæi rem divinam peragit, myſteriis vix abſumptis, corruit repentina ictus apoplexia. Vi morbi paululum remittente, domum reportatus fuerat. At poſtea quam ſacro inunctus eſt oleo, defectione ſubita animam exhalavit. Mortui funus mirifico omnium ordinum mœrore, & concurſu celebratum eſt.

50. Fundatur collegium Hallenſe.

Vidit prius quam moreretur Saillius, quod maxime concupiverat, Societatem Hallæ exceptam, ac ſtabili domicilio donatam. Eſt Halla pervetus Hannoniæ oppidum prope Brabantiam. Colitur ibi ſumma totius Belgii religione ſimulacrum ligneum B. Virginis, quod ante annos ferme quingentos a B. Eliſabetha regina Hungariæ B. Mathildi donatum, & ab hac Hallenſibus teſtamento legatum dicitur. Monumentum religionis inſigne, cujus venerandi cauſa Halla votivis ex toto Belgio peregrinationibus frequentatur. Hallenſem Virginem Saillius cultu præcipuo proſequebatur, optabatque vehementer curam ejus ſacrarii committi Societati: id quod futurum ſperans aliquando, paraverat jam ornamentum ſacrificale, quo ibidem noſtri ſuo tempore uterentur. Rem eandem ſæpe perficiendam curaverant Antiſtites Cameracenſes (eſt enim Halla intra fines illius diœceſeos), tum ut peregrinorum eo concurrentium multitudini ſuppeteret ſacerdotum copia, tum etiam ut illius ſacelli dignitas & reverentia, quæ multis partibus erat imminuta, ad ſplendorem priſtinum revocaretur. Sed hæc conſilia turbaverant perdiu, cum aliæ ex aliis enatæ cauſæ, tum præſertim quæ noviſsime ſecuta erat defectio Belgarum a Philippo rege Catholico. Spes exequendæ rei, quæ concidiſſe videbatur, refloruit tandem anno ante hunc tertio, nunc vero ad maturitatem adducta eſt. Dux operis Archiepiſcopus Cameracenſis Henricus Vanderburchius, qui prius Hallæ ſedem temporariam de ſuo dedit operariis Societatis, & mox Alberto Archiduci perſuaſit, ut iiſdem tradi juberet templi de quo dicebam adminiſtrationem, quæ fuerat hactenus penes Magiſtratum urbanum. His juſsis reſtiterunt initio cives, nihilque non

51. Civitas initio adverſa, favet poſtmodum Societati.

moverunt, ut parendi neceſsitatem deprecarentur. Sed perſtante Principe ut facerent imperata, fecerunt quamvis inviti, ac templum illud ſuum nobis tradiderunt. Anni poſt hæc fluxerant tres. Quo tempore experti cives induſtriam

ſedu-

Digitized by Google

ſedulitatemque noſtrorum: mirati novum ſacelli nitorem, munditiem, & majeſtatem: ſuper omnia emendatione publica morum delectati; mutarunt animum uſque adeo, ut ad retinendos alendoſque perpetuo Patres multi penſionem annuam contribuerint. Symbolam inter alios ſuam contulit Antonius de Winghe, vir noſtro ordini addictiſſimus, ac Lætienſis cœnobii Archimandrita, cenſu apto conſtituto pro uno nominatim operario, qui evangelicis excurſionibus territorium urbis obiret. Quod ad juſtam collegii dotem deerat, ſuppletum eſt, partim ab Antiſtite Cameracenſi, partim a Pontifice maximo. Ille enim Hallenſi domicilio fundum attribuit, cujus fructus quadringentis florenis annuis æſtimabantur: hic quoddam ſacerdotium adſcripſit.

52. Comes Philippus Mansfeldius Eccleſiæ conciliatur.

Quod attinet ad labores ſociorum, fructum præcipuum tulit Antuerpiæ P. Gulielmus de Pretere, magni nominis operarius, uno ad catholicos adducto viro, ſed inſigni, & qui multorum inſtar videri debeat. Captus fuerat ab Hiſpanis in pugna Floriacenſi, contruſuſque in arcem Antuerpienſem ut cuſtodiretur, Comes Philippus Mansfeldius, princeps nobiliſſimus, qui ſub duce cognomine militabat adverſus Cæſarem. Accidit ut P. Gulielmum de controverſiis fidei differentem audiret. Nec mora. Divina colluſtratus gratia, felicem exclamavit captivitatem ſuam, in qua liceret ſibi vincula errorum, quibus miſere conſtrictus tenebatur, exuere. Videns quam longe aberraſſet hactenus a ſalutis æternæ via, veritatem amplecti ſtatuit: non prius tamen quam, ſoluto de quo convenerat pretio, libertatem recuperaſſet, ne cui forte videretur in eo conſilio aliud quidpiam ſecutus, quam ipſam fidei veritatem. Simul ergo ac liber emiſſus fuit ex arce, in ædibus collegii Antuerpienſis Eccleſiæ catholicæ ſacramentum dixit, cujus ſolemnem formulam peragens, tam uberes præ lætitia profudit lacrymas, ut præſentibus plurimas elicuerit. Aderat inter alios Saxo nobilis, ſecta lutheranus, ipſius Mansfeldii familiaris: iſque etiam, exemplo tam illuſtri pellectus, eodem loco ac tempore catholicum profeſſus eſt. Exinde Mansfeldius Regis Catholici ex captivo ſtipendiarius, & magno apud Iſabellam Regis amitam in honore habitus, inſigni morum probitate ſpectari, aulæ ſimul & caſtris exemplo vitæ integerrimæ prælucere: ut nihil minus quam inter militum, & hæreticorum licentiam educatus videretur. Minus illuſtrem genere, ſed majorem numero, & pro tempore lætiorem egerunt eodem anno prædam Patres Dunkerchani. Hujus oppidi duos ſupra viginti cives interceperant piratæ Batavi, ac per ſummam inclementiam ſuſpendio necaverant. Ut hoſtibus inhumanis par pari referret Iſabella Belgii gubernatrix, ut forte habebat in poteſtate Batavos plurimos bello captos, ex iis totidem in furcam tolli juſſit Dunkerchæ. Deliguntur itaque captivorum viginti duo, miſerabiles ultionis victimæ, ſolo belli jure mactandæ. Erant calviniani omnes, ingenio rudes, indole præferoces, quibus haud facile perſuaderi poterat, ut inflictam nullo ſuo merito pœnam patienter ferrent. Tamen non id ſolum miſeris perſuaſum a noſtris eſt, verum etiam, exceptis ex eo numero tribus, impetratum a reliquis, ut fidem catholicam amplecterentur, & vitæ noxas ſacramento pœnitentiæ expiarent. Eo non contenti aliqui, cum ad infelicem arborem ventum eſt, elata ex ipſis patibuli ſcalis voce, Deo gratias egerunt, quod vel per ejuſmodi caſum ad veritatem acceſſiſſent. Obſtupuit ad ſpectaculum civitas: Patrum charitatem induſtriamque laudavit: nec ulli dubium fuit, quin novi catholici, quos tantum cœleſtis gratia ſubegerat, ſupplicio illo perbrevi aditum ſibi ad ſalutem ſempiternam aperuiſſent. Per hæc Trajecti ad Moſam, ſæviente exitiali lue, prompta ægrorum obſequio fuit charitas Societatis, perieruntque in eo miniſterio plures ſociorum, quibus potior animarum, quam vitæ cura fuit. Nullius tamen tam invidenda mors accidit, quam ornatiſſimi cujuſdam juvenis, cui nomen Levino Wael. Hunc in ultimo vitæ mortiſque diſcrimine conſtitutum divina Mater aſpectu alloquioque recreaſſe dicitur, & ſpe optima vitæ melioris impleviſſe. Certe mœrentibus circum domeſticis, ipſe mortem lætus præter modum oppetiit. Hæc in parte Bel-

53. Batavi plures ad Eccleſiam adducti proxime ante ſupplicium.

54. Præclara mors Levini Wael in miniſterio ægrorum.

Digitized by Google

Belgii regi Hispaniarum subjecti. In provinciis fœderatis, etsi vigerent quæ supra dicebamus edicta contra nos proposita, haud minus tamen utiliter rem gesserunt nostri operarii. P. Joannes Riserius Ultrajecti hæreticos viginti ad Ecclesiam reduxit. Roterodami P. Joannes Reynerus Arminianorum lucratus est amplius quadraginta. Nec interim Hagæ Comitis Patribus Petro Maillartio, & Theodoro Zachio, licet custodirentur in vinculis, otium fuit. Vix abiit dies, qua die non aliquid ad salutem animarum præstarent. Empta enim conniventia custodum, patebat cunctis catholicis aditus carceris, quos illi confessionis causa subeuntes perpetuo audiebant, & expiabant.

55. Labores & res gestæ sociorum in Hollandia.

56. S. Ignatii insigne miraculum Trajecti ad Mosam.

Ante quam ad alia progrediamur, exponenda duo S. P. Ignatii miracula, quæ labentis anni memoriam plurimum illustraverunt. Trajecti ad Mosam graviter ægrotabat puer annorum octo. Pueri mater in templum Societatis cum venisset die Ignatii anniversaria, votivum accendit cereum ad ejus aram, & pro filii valetudine supplicavit. Mox regressa domum, filium ore læto renidentem, & omnino valentem reperit. Miranti, ac multa, uti fit, percunctanti narrabat puer, adstitisse sibi clara luce conspicuum Sanctum Ignatium: se vero ab eo jussum bene valere, momento convaluisse. Eadem die Silvæ ducis virgo quædam nobilis, dum in æde collegii nostri solemnibus ejus diei religionibus vacat, improviso correpta morbo, tantam ejectaverat ore copiam sanguinis, ut pondus æquare diceretur librarum duodecim. Domum reportata, putabatur quam mox decessura. Itaque extremis morientium præsidiis celeriter munitur. Erat illi soror virguncula admodum pia, quæ meliorem animo spem fovens, Ignatii opem tacita imploravit, votumque concepit, si sororem recepisset incolumem, se quotannis diem ejus natalitiam pridiano jejunio, & perceptione sacrorum celebraturam. Tum, perinde quasi rem haberet confectam, bono omnes animo esse jubet. Nequaquam morituram eo morbo sororem, sed intra eandem diem certissime persanandam. Diei paucæ supererant horæ. Cum ægra per momenta singula in deterius rueret, ac nihilominus soror semel dicta confirmaret mira constantia, domestici, quique aderat sacerdos Societatis, puellæ fiduciam mirabantur magis, quam laudarent. At sole jam fere occiduo, invalescente morbo, magnisque itineribus ægrota ad interitum properante, cum nihil minus puella certam eo die sororis valetudinem diceret, non continuit se ipsius pater, quin loquentem increparet, ac temeritatis argueret. Sacerdos ipse noster, videns tam certa expectatione miraculi nonnullos circumstantium offendi, secreto eam monuit, ne ita loqui pergeret, sed magis morienti sorori felicem exitum comprecaretur. Cui illa: *Equidem quod jubes faciam*, inquit: *quod tamen dixi, id omnino eventurum pro certo habeas*. Insonuit tandem ex vicina turri æris campani pulsus, quo exactum diei spatium indicabatur. Eo audito, conversus ad puellam proxime assidentem mœrore ac lacrymis oppletus pater: *En*, ait, *elapsa est dies. Etiamne tu spe vana duceris filia?* Negavit illa vanam esse spem: horam diei ultimam nondum auditam esse ex horologio, quo diem metiebantur Patres Societatis. Inter hæc commovere se paululum moribunda: mox crustulam concreti sanguinis excreare. Affirmante medico indicium id esse proximi transitus, omnes circa lectum in genua provoluti solemnes ejus temporis preces incipere. Vix cœperant, cum ægrota aperiens, ac placide circumflectens oculos: *Quorsum hæc?* clamat. *Vivo, & valeo*. Quæ dicenti pulsus arteriæ, color, vires cum integra valetudine redierunt. Ac momento post, quod omnes notarunt, e turri collegio nostro proximiore horæ signum increpuit. Non dicam quæ secuta domesticorum admiratio, quæ voluptas fuerit. Quod ad rem magis pertinet, miraculi tam certi exploratique fama toto late Belgio pervagata, novos clientes Ignatio, & novam nostris ædibus frequentiam addidit. Sed gradum faciamus in Gallobelgicam.

57. Aliud ejusdem miraculum Silvæ ducis.

58. Res Gallobelgicæ.

Grassabatur Leodii lues pestilens, multosque mortalium misere prosternebat. Dum languentibus inter alios opitulatur P. Perpetuus Martinius, eodem con-

Digitized by Google

contracto morbo diem obiit, IV. Idus Septembris, anno ætatis quinquagesimo quinto. Patria illi Dionantium, doctrina mediocri non major: sed quod doctrinæ deerat, religiosæ virtutis magnitudo compensabat. Sui, mundique contemptor eximius, nihil nisi cœlestia pensi habebat, quorum desiderio domesticos pariter & externos inflammabat. Ejus patientiam diuturnus calculi dolor exercuit, illustravitque: tum vero maxime, cum ad sectionem ventum est, in qua nec vocem misit ullam dolentis indicem, nec vultum contraxit. Quanti eum faceret civitas Leodiensis, vel inde fieri conjectura potest, quod, vulgata ejus morte, Curiones urbani in suis singuli ecclesiis mortuo justa persolverunt, eundemque mox illi honorem omnes simul in æde Societatis instauraverunt, operante ad aram ecclesiæ cathedralis Decano. Pari nostrorum luctu diem clausit in Tornacensi tironum domo Simon Taxillus, patria Leodiensis. Juvenis erat annorum viginti quatuor, quorum duos Ariæ impenderat tradendis humanioribus litteris, ac sextum in Societate decurrebat. Magnam cum Deo familiaritatem usu precandi assiduo contraxerat, nec quamquam affecta valetudine, & lenta consumptus tabe, de quotidiano orandi spatio unquam minuit, aut de ardore primo quidquam remisit. Ferabatur ejus familiare dictum, religiosum non decere nisi orantem mori. Pridie quam animam exhalaret, illi se visendam exhibuit divina Mater, & ad bene moriendum opem ac fiduciam præbuit. Itaque complorantibus cæteris, erectus ipse illud carmen suaviter modulabatur, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi*: atque hoc habitu mentis spiritum Creatori reddidit, XI. Cal. Januarias.

Obitus & elogium P. Perpetui Martinii.

59. Obitus & elogium Simonis Taxilli scholastici.

Per hæc binis provincia domiciliis augetur, Armenterienſi, & Athenſi. Oppidum est Armenteria in finibus Flandriæ & Artesiæ frequens, & amœnum. Lisa fluvio rigatur, qui navium patiens, & in Scaldim influens Gandavi, magnam incolis ad commercia facultatem præbet. Adjacet regio innumeris referta pagis, eoque usitatis nostri ordinis excursionibus apprime opportuna. Par id temporis opportunitati necessitas. Quippe Calvini lues vitiaverat sensim multorum animos, & mores fœde corruperat. Id reputans vir egregius, & indidem civis Petrus Barrius, unum aliquem Societatis operarium curaverat Armenteriam vocandum, qui oppidanos ad aliquot dies excoleret sacra missione. Adfuit, quo vix alius ea tempestate præstantior, P. Joannes Carlier, remque Deo bene juvante ita gessit, ut intra breve spatium mira facta fuerit morum commutatio. Hinc multorum, uti solet, studia erga Societatem incensa: quibusdam etiam injecta mens eam apud se stabili in sede collocandi. Res ut confieri posset facilius, Franciscus Grennus hortum donabat amplum cum parvis ædibus, recipiebatque, si quam stationem Societas habere inciperet Armenteriæ, eidem se sacram ædem de suo conditurum. Minime visa est contemnenda viri liberalitas; cum maxime provincia locum desideraret, ubi tertiæ probationis domum constitueret, & locus hic aptissimus videretur. Accepta ergo donatione, Præpositus Provincialis Florentius Montmorancius ædificium exiguæ molis in novo fundo cœpit extruere: ac vicissim Grennus, nihil differens promissi fidem implere, templi fundamenta jecit, favente cœptis Antistite Atrebatensi, intra cujus diœcesim est Armenteria, nec invito loci toparcha Comite Agamontio. Cæterum ea domus, ob copiarum tenuitatem, non nisi sexto post anno, qui fuit labentis sæculi vigesimus nonus, ad culmen educi potuit, eoque demum anno in usum tertiæ probationis haberi cœpit. Citius adolevit domicilium Athense, sed conditionem & statum simplicis residentiæ non excessit. Athi, quæ civitas est Hannoniæ parva, sed elegans & opulenta, natus erat honestus mercator, qui negotiabatur in Mexico: cumque multum pecuniæ congessisset, scripserat inde nuper ad suos cives, deliberatum sibi esse in natali solo domum Societatis ponere, quem in usum jam tum suas ædes Patribus offerebat. Re cognita, Henricus Vanderburchius Archiepiscopus Cameracensis, spe ductus collegii propediem excitandi, Athum induxit statim lectam nostrorum manum, cum hoc ut civitatem, & circumpositos pagos excolerent, iis-

60. Initia collegii Armenterienſis.

61. Athi residentia Societatis constituitur.

Digitized by Google

iisque alendis pensionem annuam de suo constituit, donec stabilem collegio dotem fundator Mexicanus præberet. Verum hic, quæ sors mercatorum est, quorum opes incertæ, & sexcentis periculis fere semper objectæ, post varios casus fortunis eversus, præstare quod promiserat nunquam potuit. Quæ causa fuit, ut solius Antistitis beneficentia steterit ad plures annos ea statio, donec Joannes Baptista de Florbecque ex nostra Societate opimam illi hæreditatem de suo patrimonio erogavit. Sed stilum in Angliam transferamus.

62. Res Anglicanæ. Domus tertiæ probationis Gandavi erigitur.

Ante quinquennium Mutius, ut alibi narratum est, socios missionis Anglicæ in quoddam quasi corpus conjunxerat Provinciæ inchoatæ, certo illis ac proprio constituto præside, quem Vice-Provincialem appellaverat. Gratissimum id acciderat multis ejus gentis catholicis, nobilibus præsertim, & laicis, qui viderent hoc modo Societatem in patria sua radices figere, ac perennare quodammodo fructus, qui ex ejus laboribus uberrimi percipiebantur. Hinc ditioribus injecta mens eandem domiciliis augendi, quibus multiplicatis sperabant fore aliquando, ut provinciam haberent instar cæterarum integram, & absolutam. Prior omnium Anna Arundelia (femina in primis locuples, ac vidua Philippi illius comitis Arundelii, qui catholicæ religionis accusatus, & in arce Londinensi capitis damnatus, illustre testimonium veritati dedit), cum inaudisset quæri a nostris locum exercendis qui tertium probationis obeunt annum sacerdotibus, idque modo unum ad rationem provinciæ desiderari, domum satis commode instructam coemit Gandavi, ac Societati Anglicanæ in eum quem dixi usum addixit, dotavitque. Eodem consilio alii ex proceribus pecunias obtulerunt, unde nova intra Angliam collegia, cujusmodi tandem in illa temporum atrocitate poterant, fundarentur. Quæ cum re ipsa exstarent, satis justus inveniebatur pro ratione provinciæ numerus domiciliorum, nullaque earum conditionum, quas provinciæ nomen & dignitas postulat, deesse videbatur.

63. Status Anglicæ Societatis hoc tempore.

Principio erat in agro Londinensi domus primæ probationis, qua carere provincia nulla debet, in eaque tirones sexdecim censebantur. Tum collegium S. Francisci Xaverii in Wallia, collegium B. Aloysii in comitatu Lancastriensi, collegium immaculatæ Conceptionis in comitatu Derbiensi, collegium SS. Apostolorum in Essexiensi. His adde residentias, ut loquimur, seu minora domicilia septem intra ipsam Angliam; nimirum Sancti Joannis, S. Michaelis, S. Dominici, S. Georgii, S. Mariæ, S. Thomæ Cantuariensis, & B. Stanislai. Extra Angliam alia erat tironibus assignata domus Leodii, certus scholasticorum numerus alebatur Lovanii, florebatque frequentissimum contubernium externorum adolescentum Audomari. Præter hæc, erecta nuper Gandavi fuerat, ut dictum est, domus tertiæ probationis, agebaturque, tum de transferendo Watenas Leodiensi tirocinio, tum de constituendo Leodii collegio maximo studiorum, ut anno proximo effectum demonstrabimus. Quæ cum ita se haberent, adesse jam tempus putabant multi catholicorum, quo Societas Anglicana provinciæ jure ac nomine donaretur: cum præsertim parta hoc tempore catholicæ rei tranquillitas, & quæ affulgebat meliorum temporum quasi certa spes, dubium omne eximeret, ne non stabilis futura esset novæ provinciæ institutio. Novissime P. Richardus Blondus Vice-Provincialis selectos quadraginta Patres Londinum vocaverat, ut deliberarent de re communi. Ii vero, cum alia multa, tum illud nominatim rogandum decreverant Præpositum Generalem, ut Angliæ Viceprovinciam vellet juberet in posterum Provinciam esse, elegerantque P. Henricum Silisdonium, qui Romam profectus Mutium doceret de negotiis in ea congregatione tractatis. Cum ergo adesset Silisdonius Romæ, eo per otium audito, æqua postulari vidit Mutius, proindeque rem multorum votis tantopere concupitam minime extrahendam putans, Anglicanam Vice-Provinciam justæ Provinciæ nomen & jus deinceps habere voluit, eique Richardum eundem Blondum Provincialem primum præfecit. Supra dixi, nonnullam hoc tempore quietem catholicis fuisse concessam. Auram hanc tranquillitatis afflaverant nuptiæ, quæ inter Carolum Wal-

64. Nova Angliæ provincia constituitur.

liæ

Digitized by Google

liæ Principem regni hæredem, & Mariam Auſtriacam Philippi IV. Regis Catholici ſororem, agitabantur. Nam cum Hiſpanus, pro innato ſuo erga religionem ſtudio, inter alia matrimonii pacta proponeret, ne leges contra catholicos latæ exercerentur, id omne Anglus earum nuptiarum percupidus pollicebatur. Reipſa deſierat jam obtrudi catholicis damnata illa juramenti formula, de qua dictum eſt alibi. Quin anno labente, Carolo in Hiſpaniam ad matrimonium rite contrahendum tranſgreſſo, Jacobus Rex laicos omnes, & ſacerdotes, qui cauſa religionis eſſent in vinculis, ſolvi juſſerat, vetueratque ne quis in poſterum catholicos, ac Jeſuitas nominatim ob ſimiles cauſas ad carceres vel tribunalia traheret. Quo edicto compreſſæ pauliſper lictorum avidæ manus, & ſeveri actiones fori intermiſſæ fuerunt, magno religionis emolumento: quæ quidem brevi in integrum reſtituenda videbatur, ſi pax fuiſſet diuturnior. Adeo multi in illa paucorum menſium malacia ad catholicum cultum rediere. At reſciſſo certis de cauſis nuptiali illo contractu, ſpes omnis inde concepta prorſus intercidit. Jacobus enim Britanniæ Rex contemptum ſe ab Hiſpanis putans, ad ingenium rediit, erupitque contra catholicos tempeſtas eo acerbior, quo fuerat ſerenitas hujus anni jucundior. Sed hæc erunt alterius loci.

65. Quies aliqua catholicis conceditur, & quare.

Interea Londini caſus æque inopinus, ac calamitoſus annum provinciæ natalem magnopere contriſtavit. Londinum ex Belgio venerat Pater Robertus Drureus (Betfordium alii vocant, nam utrumque homini cognomen fuit) vir multarum litterarum, & magni nominis concionator. Ad eum audiendum tanta frequentia concurrerunt catholici VII. Idus Novembris, ut in cubiculo haud ſatis amplo homines compingerentur ducenti & quinquaginta. Cum majus eſſet onus, quam carioſæ pavimenti trabes ferre poſſent, in medio orationis curſu ſubſidit repente pavimentum, corruitque tanto impetu, ut ſubjectam quoque contignationem in ruinam traxerit. Eo caſu, præter plures ſaucios, & varie multatos, extincti ſunt cum Betfordio catholici circiter nonaginta. Clades oppido miſerabilis ac luctuoſa, quæ tamen, quantum conjectare licuit, oppreſſis ſaluti fuit. Nam cum orator diſſeruiſſet de contritione, quam theologi charitate perfectam dicunt, multa adjecerat appoſite ad excitandam inter audientes vehementiſſimam contritionem, atque ita ferme perorandum ſuſceperat. *Hunc adire nos decet ſemper patentem miſericordiæ fontem: hoc, quod ſemper in promptu eſt, vulneribus noſtris remedium eſt adhibendum. Ne quæſo rem adeo ſalutarem procraſtinemus: nec enim quiſquam noſtrum novit, ſit ne victurus in craſtinum, & ſacerdotis copiam habiturus.* Quæ locutus, quaſi quod futurum erat animo præſentiret, præire verba cœpit ex formula contritionis perfectæ. Gemitibus omnia planctuque perſonabant, cum ſubito feriit aures crepitus diſſilientis tigni, cui pavimentum inſternebatur, totaque ſucclamante concione, & miſericordiam Numinis implorante, ea quam dixi ruina ſecuta eſt: ut non immerito ſperare liceat, qui ſic deceſſerunt, eos opportuno ad ſalutem tempore deceſſiſſe. Illud etiam evenit feliciter, ut adeſſet forte ſacerdos Benedictinus, qui collabentem turbam & vociferantem, ut in eo tumultu licuit, ſolemnibus verbis expiavit. Concioni interfuerant miniſtri duo calviniſtarum, quorum alter evaſit fracto duntaxat brachio, alter omnino incolumis. Ex iis unus ad catholicos confeſtim acceſſit. Alius, etſi cultum non mutaret, tamen illius eventus hiſtoriam mira æquitate ſcripſit, atque inter alia profeſſus eſt, minime dubitare ſe, quin catholici eo loco ac tempore feliciter obiiſſent. Ad ſtrepitum collapſæ domus accurſum undique eſt magno numero: non omnes tamen triſte ac ferale ſpectaculum æque commovit. Boni, & quicunque aliquo humanitatis ſenſu tangebantur, tot cives tam miſerabiliter interemptos doluerunt. Contra fæx plebeculæ, ac puritani, occaſione inde ſumpta, in religionem catholicam, tamquam manifeſtis a Deo indiciis reprobatam, multa impie ac contumelioſe jactarunt, atque infortunium maligne interpretantes, maledictis conviciiſque in mortuos

66. Memorabilis clades catholicorum ex fortuita ruina.

67. Spes de ſalute illorum ſempiterna.

68. Diverſa hominum judicia de caſu tam luctuoſo.

Digitized by Google

sævierunt. Par immanitas erga illos, qui vivi, aut semivivi potius ex ruderibus eruebantur. Fuere qui eos luto & lapidibus per summam inclementiam appeterent. Verum hæc ab inimicis utcunque tolerabilia. Multo angebantur gravius nostri sermonibus aliorum, qui orthodoxi & sacerdotes cum essent, audiebantur tamen de re ita differere, perinde quasi bene, ac divino plane consilio factum id esset, ad plectendam Betfordii temeritatem, qui sine venia Episcopi recens Angliæ dati ausus esset concionem habere.

69. Quomodo administraretur in Anglia religio ante hoc tempus.

Quo loco res ipsa me admonet, ut de celebri dissensione dicere incipiam, quæ sæculares in Anglia presbyteros, ac regulares aliquandiu in partes factionesque distraxit. Scio equidem, materiam agi invidiosam. Sed præter quam quod ratio historiæ postulat ne intacta prætereatur, moveor ad scribendum tot illis libellis, quibus ob eam causam nonnulli Societatem indignissime traduxerunt: nec plura tamen dicam, quam necesse sit ad judicandum, utrum in eo negotio Societas injuriam fecerit, an passa fuerit. Episcopis Romanæ communionis penitus absumptis in Anglia, censuerant Clemens VIII., & Paulus V. ob justas causas, nullum ibi exinde Episcopum esse constituendum, etiamsi sæpe Catholici dari sibi suæ religionis Antistitem petiissent, & sæpe legatos Romam hac una causa misissent. Religio administrabatur initio per Sacerdotes a summis Pontificibus submissos, qui Parochorum & pastorum vice fungebantur. Additus sub finem superioris sæculi Archipresbyter, qui clerum regeret; ita tamen, ut nihil posset majoris momenti statuere, nisi Roma prius consulta, & Cardinali Angliæ protectore. Jam quæ potestas in clerum sæcularem Archipresbytero erat concessa, eadem superioribus primariis regularium, & seminariorum præcipue rectoribus tribuebatur in suos, quippe quos & melius cognitos haberent, & in officio continere facilius possent. Viguit

70. Novus ibi Episcopus constituitur.

hæc regendi cleri ratio annos amplius viginti; donec anno proxime evoluto spes restituendæ in Anglia religionis, aut saltem persecutionis mitigandæ, quæ ob nuptias catholicæ uxoris cum regio hærede offerebatur, persuasit Romanæ curiæ, quamvis multum dissentientibus Cardinalibus rerum Anglicarum peritis, posse jam non incommode Episcopum ibi constitui, atque ita paulatim revocari in Angliam regiminis formam, qua in catholicis ubique regionibus clerus gubernari solet. Hoc consilio decretus est Romæ novus in Anglia Episcopus, delectusque ad eam dignitatem Gulielmus Bishopus doctor Sorbonicus, qui unus præ cæteris ab Anglicani cleri procuratoribus exposcebatur. Verum, ne Episcopis heterodoxis suspicionem afferret ea novitas, non Anglicæ ullius, sed Chalcedonensis ecclesiæ titulo Bishopus est insignitus, nec tradita illi auctoritas nisi delegata, qualis Vicariis Apostolicis tribui solet. Ipse autem in primis monitus, ut pedetentim ac moderate rem, quasi tentandi vadi causa, gereret. Consilium, etsi prudenter compositum, non successit. Bishopus mandatorum immemor multa moliri statim, ac designare

71. Qui offendit apud Regem, proscribitur, & moritur.

cœpit fidentius, quam turbida illa tempora paterentur, quæ mei non est instituti quærere. Quod ad rem pertinet, Rex, Pseudoepiscopi, Senatores, regnum prope universum contra illum consurrexit. Simul ergo ac notæ exortæ sunt offensiones inter Hispaniæ & Angliæ reges, & abscissa spes affinitatis inter illos prope contractæ, proponitur Londini edictum atrox, tum contra catholicos universe omnes, tum nominatim contra Chalcedonensem. Is, qui videret nonnullam in se fuisse causam cur catholici denuo vexarentur, publicam invidiam non ferens, & coactus mutare subinde latebras ne caperetur, partim his incommodis, partim mœrore confectus interiit, octavo post mense quam Angliam ingressus fuerat. Quæ ille tam brevi tempore, seu recte, seu perperam inceperit, nihil moror. Consilia quidem certe co-

72. Ejus parum æqua consilia adversus Societatem.

quebat contra nos, ac regulares omnes parum æqua, quæ perficere morte interveniente non potuit, sed successori, ut infra disseremus, reliquit. Quod ad nos attinet, vix in Angliam delatus Provinciali Blondo aperte denunciaverat, valde, ac juste queri Anglicanum clerum, quod Jesuitæ nationis semina-

Digitized by Google

minaria duo intercepiſſent, Romanum, & Hiſpanienſe: ſed curaturum ſe, pro viribus, ut ea dimittere compellerentur. Mitto alia, ne refricare ſine cauſa videar antiqua vulnera. Ut omnia paucis complectar, non alio propoſito in Angliam veniſſe Bishopus videbatur, nec forte alio fuerat a procuratoribus cleri expetitus, quam ut vexaret homines Societatis, eoſque loco cedere demum cogeret. Id ſane Mutio ex Anglia perſcripſerunt viri graviſſimi, & fidei prorſus incorruptæ. Auditum ſibi ajebant de clero non neminem cum gloriaretur, effecturum brevi Chalcedonenſem, ut quantum eſſet in Anglia Jeſuitarum, alio migraret. Id ipſum Jacobo regi non obſcure ſignificatum invenio. Nam cum de Bishopi adventu cognoviſſet, eaque cauſa vehementius commoveretur, placatus fuiſſe dicitur ſermone cujuſdam nobilis Belgæ, ceſſurum id affirmantis ad ipſius vota. Quippe per Epiſcopum Roma miſſum Jeſuitas certiſſime oppreſſum iri. Societatem ab eo, vel extrudendam penitus, vel certe clero ita ſubjiciendam, ut ſua miniſteria obire cum aliquo fructu non poſſet. Quibus rebus auditis, quieviſſe Regem ferunt, ac familiaribus affirmaſſe, demptam ſibi aliquando tandem eſſe de Jeſuitis ſollicitudinem: aliis enim curæ fore, vel quieſcente ſe, ne in Anglia diutius conſiſterent. Hæc qualiacunque videri poſſint, ideo attingenda cenſui, quod ad ea quæ deinceps narraturi ſumus lucem afferunt: tum etiam ut veræ intelligantur cauſæ tot illarum criminationum, quibus aliqui de clero nos apud Pontificem maximum onerare non ceſſabant, eo uſque progreſſi, ut palam conquererentur, graviora ſe a noſtris pati, quam ab hæreticis.

73. P. Jo: Percæus fidei cauſa vinctus plures ad fidem pertrahit.

Sed quo illi eſſent erga nos animo, nuſquam patuit luculentius, quam cum ſermonibus æque invidioſis ac falſis obterere famam P. Joannis Percæi conati ſunt. Rem ab aliis aliter traditam ego ita exſcribam, ut eſt in litteris fide dignis. Initio anni cuſtodiebatur in carcere Londinenſi, quem vocant novum, P. Joannes Percæus, cui & Fischero cognomen: utque ad eum cuſtodes facilem præbebant unicuique aditum, nunquam fere deerant, ſive hæretici, ſive catholici, quos piis detineret alloquiis, & rebus cœleſtibus erudiret. Nactus proinde rei bene gerendæ facultatem, & copioſam animarum meſſem, fruebatur ſuis vinculis ſic, ut oblata ſæpius occaſione fugiendi uti nunquam voluerit, ac tunc ſolum admiſerit libertatis beneficium, cum ultro cunctis catholicis vinctis, ut dicebamus, delatum eſt juſſu Regis. Præter alios plures, ab hæreſi liberaverat Percæus Vicecomitem Purbekium, virum nobilitate præcipua, fratrem Georgii ducis Bukingamii, cujus conſiliis Rex vel unice, vel præcipue regebatur. Vicecomes dehinc, quod pronum erat, matri ſuæ ſimiliter perſuaſerat, ut Percæo ſe permitteret inſtituendam. Ab eo autem errorem dedocta mulier minime pertinax, nullo negotio ad catholicos adducta fuerat. Graviſſime ferebat Rex hujus tranſitionem feminæ, matronæ ſcilicet tota Anglia ſpectatiſſimæ. Multa molitus, cum per ſe, tum per alios, ut eam ad priorem cultum retraheret, ubi ſenſit a ſuo præceptore ſic inſtitutam, ut nullis rationibus vinci poſſet, adeſſe Percæum jubet coram Bukingamia; ac de quibuſdam religionis capitibus concertare cum doctore Vitho, quo ipſe ſacrorum miniſtro utebatur, viro in paucis eloquenti & litterato. Diſputationi ut interſint certi arbitri, ac teſtes edicit. Periculum non declinavit Percæus, fretus bonitate cauſæ, & doctrina ſua, maxime vero gratiæ cœleſtis auxilio; quam ſibi eo loco defuturam non timebat. Die igitur præfinita, in ædes Bukingamiæ conventum eſt. Aderat ipſa cum Duce Georgio filio, de quo dictum eſt ſupra, itemque Pſeudoepiſcopus Lincolnienſis cum aliis quibuſdam paucis, ſed electis. Qua fortuna pugnatum hinc inde fuerit, conjecturam facere licet ex eventu. Acta diſputationis, quæ fuerant excepta litteris, juſſu Regis ſuppreſſa fuerunt. Bukingamia facta eſt catholicæ doctrinæ tenacior, & quem dixi Epiſcopus Lincolnienſis, quamvis heterodoxus, doctrinæ modeſtiæque teſtimonium Percæo dedit, ſatis bene defenſam ab eo dictitans malam cauſam. Ipſe Vithus aperte profeſſus eſt, rem ſibi fuiſſe cum valido adverſario, qui ſuas partes egregie

74. Diſputare cogitur de religione. Diſputationis quis fuerit exitus.

Digitized by Google

75. Calumniæ contra Percæum confictæ diluuntur,

tueri sciret. Et nihilominus, quia aliquanto post mulier, partim Regis auctoritate, partim filii precibus lacrymisque permota, externam fidei professionem deseruit, conspectaque semel est in sacello regio concioni hæreticorum interesse, & mysticam, quam vocant, cœnam sumere; quidam de clero catholici Societati aperte infensi ansam inde arripuere multa spargendi in vulgus, quæ Percæo infamiam inurerent. Hominem, ajebant, ab ingenio ac litteris inopem temere ausum esse certare cum præpotenti adversario, ab eoque turpiter superatum fuisse. Hinc præbitam Bukingamiæ occasionem ad hæresim relabendi. Quibus rumoribus, non Angliam modo, sed & Belgium, & Galliam, & quod maxime cordi erat, Romanam curiam impleverunt. Facili negotio calumnia depulsa est, contra quam ipsimet hæretici testimonium dixerunt. At nihil malignas voces æque compressit, ac ipsa Bukingamia. Etenim paulo post facti pœnitens, hæc suis verbis nunciari jussit Regi. Se quidem, ut ipsi gratificaretur, veræ religionis cultum externa specie deseruisse: at resipuisse jam Deo propitio: damnare vehementer impietatem suam, seu levitatem potius, nec ullis vel commodis, vel periculis tale quid admissuram in posterum. Dictis consenserunt facta. Aulam reliquit statim, secessitque in suburbanum, ut crimen violatæ religionis elueret confessione piaculari, & nova fidei catholicæ professione. Ibi Percæum apud se retinens, ejus ductu magnos in pietate progressus fecit, donec post annos decem vitam pie actam in ipsius manibus feliciter clausit. Sed a rebus Anglicis ad Gallicas progrediamur.

76. Res Franciæ. Gravis oritur disceptatio Biturici ob quasdam moniales.

In provincia Franciæ gravis in Societatem exarsit hoc anno invidia, cujus causæ paulo altius sunt repetendæ. Parthenones virginum Theresianarum haud ita pridem in Gallia fuerant constituti, eosque nuperrime Gregorius XV. curandos tradiderat Patri Berullo, Congregationis Presbyterorum oratorii Præposito generali, & duobus Parisiensis Academiæ doctoribus. Obsistebant Pontificio decreto Moniales Bituricenses, nec adduci poterant ullo pacto, ut aliis subesse vellent moderatoribus, quam quibus usæ fuerant hactenus: ne vero cogerentur, tuebantur se litteris Apostolicis, quas ajebant ab eodem Pontifice sibi concessas. Cum pertineret hujus cognitio causæ ad Cardinales Valletam, & a Rupefocaldia, quippe quibus Gregorius injunxerat, ut Presbyteris Oratorii subjicerent Theresianas, prædicti Cardinales, audita illarum virginum contumacia, Biturices ire jusserunt cum potestate judicis doctorem quendam Sorbonicum, ut de causa cognosceret. Is vero, ut erat ingenii paulo fervidioris, nullo respectu, nec Pontificii quod Moniales obtendebant privilegii, nec appellationis, quam ad sedem Apostolicam interponebant, omnes & singulas monasterii virgines anathemate feriit, & per libellos palam propositos populo vitandas denunciavit. Statim mota quæstio, magnisque hinc inde studiis agitata, an censuræ valerent. Negabant aperte plures, cum ibi, tum Parisiis theologi, & canonici juris consulti, minus legitime fecisse judicem delegatum contendentes. Aliter alii sentiebant. P. Ignatius Armandus Provincialis ab ipso controversiæ nascentis exordio vetuerat districte sociis, ne quam ejus contentionis partem attingerent. Sed quanquam illi parerent, dissidio impliciti sunt vel inviti. Nam quia neminem ob eam causam ab usu sacrorum arcebant Bituricibus, multique ex iis qui cum Theresianis communicaverant, palam ad mysteria admittebantur in templo Societatis; inde factum ut Berullani, quique ab eorum partibus stabant, quererentur passim Jesuitas favere monialibus, easque ad contumaciam confirmare. Negante id ita esse Provinciali, postulatum est ab ipso, ut siquidem vera diceret, socios Bituricenses pro imperio cogeret ad Moniales aperte damnandas. Hic ille pendens animi, multumque ambigens, tuto ne id imperari in tanta opinionum varietate posset, Theologos collegii Parisiensis in consilium adhibuit. Visa omnibus parum æqua postulatio. Unus, quo probatiorem faceret sententiam suam, atque omne Provinciali dubium eximeret, brevi scripto complexus rationes, ob quas censuræ prorsus irritæ viderentur, qui ita censerent, eos noxæ damnari

77. Controversiæ implicantur nostri, quamvis inviti.

Digitized by Google

nari non posse conficiebat. Quocirca Armandus, qua cœperat insistens, nihil sociis præfiniendum censuit in alterutram partem. Monuit tamen Patres Parisienses, ne suos ea de re sensus cum ullo externorum communicarent, in primisque ne scriptum illud in publicum ederent vetuit. Scriptum nihilominus, nescio cujus culpa, vel incuria, ad manus externorum venit, nec multo post typis vulgatum est. Id, tametsi auctore vel invito, vel inconsulto factum, vix credibile quam vehementer multorum animos concitaverit adversus Societatem. Fuere statim qui scriptum ipsum Romam transmitterent ad Pontificem maximum, aliquos nostrorum accusantes nominatim, quod de pontificia potestate iniquius sentirent, ac theses illi injuriosas publice tuendas suscepissent. Quis jam consequi verbis possit, quo doloris sensu Mutius Gregorium audiverit expostulantem, minui auctoritatem suam per homines ejus ordinis, quem ipse eximie diligeret, & usque ad illam diem tot tantisque beneficiis ornasset? Veniam precatus, curæ sibi fore dixit, ut si qui vere essent, quod vix credebat, tam projectæ temeritatis rei, ii non abirent impune. Atque illud quidem ægre Mutius sibi persuadebat, potuisse nostros contra pontificiam potestatem, non solum loqui liberius, verum etiam theses aliquas, ut accusatores nunciabant, defendere. Tamen cum affirmaretur a Pontifice, & nonnullam suspicionem moveret quam habebat ob oculos consultatio typis impressa, scripsit ad Armandum, ut quæstionem severissimam institueret, & siquidem vera inventirentur quorum duo tresve ex nostris fuerant accusati, eos gravissime plecteret. Armandum interea ipsum certa pœna damnabat, propterea quod Monialium Bituricensium causam in consilio Patrum deliberandam proposuisset. Pœnam Armandus, etsi nullius sibi culpæ conscius, obedienter subiit. At quæ de thesibus nunciata fuerant uti certa, comperit meras esse malevolorum calumnias, ad creandam Societati invidiam confictas, idque Romam perscripsit. Verum accidit perincommode, ut optimus Pontifex ante moreretur, quam Romam pervenirent documenta, quibus nostrorum innocentia nitebatur. Ad extremum, demigrantibus Theresianis ex urbe Bituricensi, molestiarum occasio sublata est: nisi quod resedit tamen in Archiepiscopo nonnihil offensionis, quia persuadere Patribus nunquam potuit ut pro concione dicerent, deliquisse eos graviter, qui sententiæ contra moniales pronunciatæ non paruissent. Atque hæc de provincia Parisiensi.

78. Accusantur apud Pontificem. Quid Mutius constituerit.

Tolosanæ dedit hic annus collegium Carcasonense. Est Carcaso urbs prænobilis Occitaniæ ad Atacem amnem, salubritate cœli, soli feracitate, frequentia & opulentia civium insignis. Cives, regnante adhuc Henrico magno, Societatem apud se collocandam decreverant. Sed eorum consiliis tunc obstiterat urbis Episcopus Christophorus Lestangius, nec vero alia causa, nisi quod rem incepissent se penitus inconsulto. Opus a se disturbatum tentaverat ipse postea: sed quamvis eo auctore primores urbis dedissent jam ad Præpositum generalem litteras, domum & censum offerentes, roganteque ut votis addictissimæ civitatis annueret, ne tunc quidem res ad exitum perduci potuerat, nec habeo dicere quid obstaret. Felicius tandem hoc anno manum operi admoverunt urbis consules. Viri enim Societatis cupientissimi primum omnium ne qua alicunde mora operi fieret, providerunt: cumque mox inter ipsos, & provinciæ præpositum P. Bartholomæum Jacquinotum convenisset, quibus vicissim conditionibus illi collegium traderent, hic reciperet; nulla interposita mora Carcasonem est missus cum lecta sociorum manu P. Joannes Forerius, & collegium publicatum. Nonnulli civium fuerant antea Societati iniquiores: sed intra paucos menses, nostrorum ministeriis delectati, adeo mentem mutarunt, ut collegium in loco beneficii longe maximi haberent.

79. Res Tolosanæ. Fundatur collegium Carcasonense.

Etiam provincia Campaniæ duobus collegiis aucta est, Senonensi, & Altissiodorensi, de quorum initiis aliquid hoc loco indicandum. Altissiodorum, olim Celtarum civitas, nunc Burgundionum, sita ad amnem Icaunam, notior est quam ut ejus antiquitatem, aut opulentiam exequi necesse sit. In hac

80. Res Campaniæ. Fundatur collegium Altissiodorense.

Digitized by Google

hac olim urbe agitatum fuerat de tradendo Societati gymnasio publico civitatis, eaque potissimum mente Episcopus Jacobus Amiotus suo ære gymnasii ædificium absolverat. Cum obiisset prius Episcopus, quam posset cogitata perficere, nec multo post, Societate toto regno exulare jussa, negotium abruptum penitus, desperatumque esset, nihilominus Altissiodorenses ad curam novi gymnasii magistros vocaverant nulli religiosorum familiæ addictos, ea mente, ut dimitti possent facilius, si quando, quod futurum sperabant, Societas in Galliam reverteretur. Revixerunt civium optimorum vetera illa erga nos studia, ubi primum postliminio fuimus revocati. Sed quamquam de tradendo nobis gymnasio suo deliberarent statim, collegium tamen ante hunc annum perficere non potuerunt. Moræ causa antiqui census angustia, qui minus erat ad collegii dotem idoneus. At nunc quod deerat Antistes urbis Franciscus de Donadieu, Canonici, & quam præsidialem vocant Curia, mira non solum liberalitate, verum etiam consensione suppleverunt. Miranda in primis accidit veterum professorum modestia, qui jussi ædes gymnasii, quas hactenus incoluerant, cum adnexo vectigali nobis tradere, adeo non repugnarunt, ut imo rem maturandam curaverint, aperte profitentes, potiorem sibi esse publicam utilitatem, quam suam. His prope similia fuerunt collegii Senonensis primordia. Robertus de la Menardiere, gente Northmannus, nec minus pietate quam genere insignis, post fundatum nobis Cadomi domicilium, adjecit animum ut idem Societati beneficium præstaret Senonibus, facile confectum iri negotium putans, si modo cives gymnasium, quod habebant pro ludimagistris annuo dotatum censu, nostris hominibus commissum vellent. Egit hac de re vehementer, cum apud cives, tum maxime apud urbis antistitem Cardinalem Perronum, auditusque ab utrisque est auribus secundissimis. Cives nihil moræ futurum spondebant ne gymnasium traderent, si tantum Rex Patribus Societatis jus domicilii indulgeret. Cardinalis, de cujus in nostrum ordinem benevolentia nihil attinet hoc loco dicere, cum forte ægrotaret, seque eo morbo moriturum persentisceret, misit e vestigio familiarem quemdam suum ad Regem, hanc unam ab eo mercedem petens tot officiorum suorum, ut Societati jus domicilii tribueret in urbe Senonensi. Annuit petitioni Rex nulla mora. Quod ut Cardinali nunciatum est, exclamasse dicitur: *Nunc libenter morior*. Ne tamen solo verborum officio rem provexisse videretur, confectis supremis tabulis, sex aureorum millia collegio mox futuro transcripsit. Lætus successu consiliorum suorum Robertus, id agebat, ut monasterium S. Columbæ, quod ipsi fuerat commendatum, in dotem collegii transferretur: sed nihil amplius impetrare potuit, quam ut civitas nostros homines in gymnasii publici possessionem immitteret. Idem favere Societati pergens usque ad extremum, meruit, non tam pecuniarum largitionibus, cæteroqui non exiguis, quam curis pro collegio susceptis, ut ejus fundator a Mutio appellaretur. Cæterum angustius habitabant in eo domicilio Patres, & perincommode. Vidit post aliquot annos rex Ludovicus XIII., cum forte Senones ex itinere divertisset; perspectaque rei necessitate, novum extrui ædificium regia liberalitate jussit. Diploma edidit ipso natali die S. P. Ignatii. Eo autem diplomate præfatus, transeunti sibi per urbem Senonensem nihil æque visum ad publicam utilitatem pertinere, ac domum Societatis, in qua juventus litteris bonisque moribus informaretur, eidem ex integro ædificandæ attribuit ad quinquennium quintam partem vectigalis, quod sibi ex vini portorio proveniebat. Quo subsidio ædificium satis elegans intra paucos annos ad culmen eductum est.

81. Ortus collegii Senonensis.

82. Quod a Ludovico XIII. postmodum ex integro ædificatur.

Inter hæc non nullam Mutio curam injiciebat ex eadem provincia P. Carolus le Nort, cujus levitas utili esse documento poterit nostris hominibus, ne suæ professionis unquam obliviscantur. Lenortium ad se invitaverat Henricus dux Lotharingiæ, nec dubitaverat Provincialis, ne non illius opera uti vellet in aliquo sacri ministerii genere, quod moribus & instituto Societatis congrueret. Hac persuasione concessum, audit paulo post, non Nan-

63. P. Caroli Lenortii mira levitas. Consilia Mutii circa illum.

Digitized by Google

Nancei in collegio, ſed in ſeceſſu neſcio quo prope Nancejum degere, & vaniſſimam artium factitare alchimiam. Doluit vehementer Præpoſitus (erat is P. Joannes Bouvetius) his nugis ab inſtituto noſtro alieniſſimis occupari hominem Societatis. Dum ſecum deliberat quid facto opus ſit, & caute rem tractat metu Principis, Lenortius neſcio quorum litteris ejuſdem noxæ defertur ad Præpoſitum generalem. Commotus indignitate rei Mutius, nec differendum malo remedium putans, ſcribit continuo ad Provincialem, moneat ſuis verbis Lenortium, ne quam operis alchimiſtici partem attingat, neu extra domicilium Societatis uſquam habitet. Quibus porro litteris id ita fieri Mutius jubebat, minime eſſe metuendum addidit, ne Dux ſereniſſimus ob eam cauſam offenderetur. Ea pietate prudentiaque principem facile intellecturum, agi rem exempli peſſimi, nec minus famæ, quam diſciplinæ Societatis periculoſam: nec vero poſtulaturum, ut ejus voluntatibus Societas obſecundet, niſi ſalvo officio, & intra præſcriptum inſtitutorum ſuorum. Hæc Mutius. At dum Provincialis mollius timidiuſqae exequitur imperata, ac rem trahit, Dux, cæteroqui noſtri ordinis amantiſſimus, curaverat ſibi jam litteras a Pontifice maximo, quibus Lenortio ab omni jure Societatis exempto permittebatur apud ipſum Ducem, quamdiu viveret, habitare. Nihil accidere Mutio poterat inopinatius. Jam ergo ſentiens, malum præter ſpem in deterius eſſe prolapſum, ſimul proſpiciens quantam labem ea novitas ordini eſſet illatura, quod unum expenſis omnibus potuit, poteſtatem Lenortio fecit ad alium ordinem tranſeundi, curavitque per idoneos viros, ut facta poteſtate uti vellet. Conſilium ſucceſſit ex ſententia. Lenortius in aliam religioſorum familiam immigravit, & inflictum Societati vulnus cicatricem utcunque duxit. Princeps autem, etſi ab initio commotior, ſecum deinde reputans aliud nihil in eo negotio actum eſſe, quam ne leges moreſque ordinis labefierent, priſtinam nobis benevolentiam reſtituit.

84. Qui ad alium ordinem tranſit.

Dum hæc in provincia Campaniæ gerebantur, Lugdunenſi plures deceſſerunt ſocii ad poſteritatis memoriam illuſtres, ac ſingulare elogium in hac hiſtoria promeriti. Primo elatus eſt loco Dolæ P. Valerius Reginaldus, vir inter ævi ſui theologos nominatiſſimus. Naſcentem exceperat Uſia, pagus diœceſis Biſuntinæ in comitatu Burgundico. Parentes ſortitus generis ruſticani, non ideo regendæ ſtivæ puer fuit admotus, ſed Lutetiam miſſus, ut ingenium, quod obtinuerat a natura acre ac vividum, ſtudiis liberalibus expoliret. Spem de ſe conceptam Valerius non fefellit. Poſt datam feliciter operam litteris humanioribus, tranſtulit ſe ad ſeveriores facultates, nactuſque magiſtros Joannem Marianam, & Joannem Maldonatum, miros eorum ductu progreſſus, præſertim in ſacris paginis interpretandis, fecit. Hinc, tametſi Societatem poſcenti obſtare videretur naturale quoddam impedimentum, eum tamen moderatores libentiſſime admiſerunt, prudenter rati de ſummo jure aliquid remittendum, ne juvene tantæ ſpei carerent. Paulo poſt tirocinium, collegii Burdigalenſis incunabula illuſtravit curſu philoſophico, quem deinde etiam Muſſiponti, ac Pariſiis peregit. At tandem ad moralem theologiam translatus, hanc ſcientiam viginti ipſos annos Dolæ tradidit, in qua quantum præſtaret, ſatis ejus indicant volumina ſæpius recuſa, & ubique a ſapientibus in pretio habita. Par in Reginaldo eruditioni pietas, par doctrinæ demiſſio animi. Ea fama vir, cujus viſendi ſtudio ex remotioribus ſæpe locis multi Dolam veniebant, quemque eruditiſſimi quique in conſilium adhibebant, de ſe ac rebus ſui adeo humiliter exiſtimabat, ut alieno nomine ſuos edi cuperet libros, ne Societatis famæ labem aſpergerent. Suis laudibus perinde offendebatur, ac alii contumeliis ſolent. Obſcuritatem natalium, quam religioſi celare facilius poſſunt, ipſe proferebat ultro, ſæpe ſe de poſt fœtantibus aſſumptum dictitans, alludenſque ad parentes ſuos conditione villicos. Erga Chriſtum patientem miro pietatis ſenſu afficiebatur. Nullus frequentior illi ſermo, nullum meditandi argumentum ſuavius, quam de Chriſti cruciatibus.

85. Res Lugdunenses. Obitus & elogium P. Valerii Reginaldi.

Quo-

Digitized by Google

Quoties ad januam vocaretur, prius in ſacram ædem paululum divertebat, & Chriſtum in altari latentem adorabat. In proximorum ſalute procuranda indefeſſus, audiendis confeſſionibus, opificum præſertim ac pauperum, ſemper præſto erat, neque hunc laborem devexo licet, & fatiſcente corpore unquam intermiſit. Vires cum ætate multum conſenuerant. Tamen ultra quatuor horas ſomnum non producebat, ne hieme quidem ſæviente. Bis aut ter intra hebdomadam flagro ſe concidebat. Mortis nuntium tam læto excepit animo, ac vultu, ut ille tantum moleſtus accideret, qui de valetudine recuperanda ſermonem inferret. Ita plenus cum eſſet optimæ ſpei, placide expiravit pridie Idus Martii, annum ætatis ſupergreſſus octogeſimum.

85. Obitus & elogium Patris Michaelis Coyſſardi.

Simillimus Reginaldo, ac geminus prope fuit eruditione ac virtute P. Michael Coyſſardus, gente Arvernus, patria Beſſanus, quod oppidum eſt Claramontanæ dioeceſeos. Hujus tamen viri eluxit præcipue ingenium in politioribus litteris, & maxime in poetica facultate, quam ut ad utilitatem non ſolum rei litterariæ, ſed etiam pietatis traduceret, multas concinnavit exquiſiti ſaporis, & pii argumenti cantiunculas ſermone vernaculo, quæ deinde in vulgus editæ cani paſſim cœperunt, aliiſque amatoriis & lubricis ſubrogatæ fuerunt. Præter hæc, ſcripſit alia quædam graviora, quæ recenſentur in noſtra bibliotheca. At ejus eruditionem longiſſime ſuperarunt, quæ potiſſima ſunt religioſi hominis ornamenta, demiſſio animi, patientia laborum, benignitas in agendo, cæteræque virtutes: quibus cum accederet ſingularis prudentia, collegiis adminiſtrandis fuit adhibitus, rexitque cum eximia laude Turnonenſe, Anicienſe, Biſuntinum, Viennenſe, & Lugdunenſe. Pro ſalute animarum nullum refugere laborem ſolitus, octonas ſæpe horas in audiendis confeſſionibus perſtabat jejunus, idque in extrema etiam ætate: ægrotos vero, noſocomia, carceres ita frequentabat, ut non alia libentius cauſa prodiret domo, nec alibi hilarior, alacriorque, quam in his charitatis officiis exercendis eſſet. Mortis recordatione, quæ pleriſque mortalibus creare mœrorem ſolet, recreabatur ipſe plurimum, & re ipſa mortem inſtantem excepit animo, non ſolum imperturbato, ſed etiam læto erectoque, quippe in certa ac dulci ſpe vitæ melioris. Lugduni elatus eſt IV. Idus Junii, poſt vitam ad annos uſque ſex ſupra ſeptuaginta productam. Mortuo habitus honor, qui vulgo ſolet viris ſanctitatis eximiæ. Certarunt e populo multi, ut capillos ejus & veſtes carperent, fueruntque qui dicerent, bene ſibi ac feliciter eveniſſe, quod Coyſſardi opem in rebus afflictis invocaſſent. Nihilo minorem habebat ſanctimoniæ

87. Mors & elogium P. Nicolai Pollieni.

opinionem qui eodem anno deceſſit Camberii P. Nicolaus Pollienus, gente Allobrox, de quo tamen pauca fuerunt litteris conſignata. Nos eorum ſpecimen damus. Sacerdos neſcio quis gravis & probus, morbo cum decumberet periculoſo, vocatum ad ſe Pollienum rogaverat, ſibi ut B. Virginem propitiaret, cujus ſtudioſiſſimum ſciebat eſſe. Facturum promiſerat Pollienus, cum libenter, tum etiam ſtudioſe. Die poſtero, dum ſolus in ſuo conclavi ſacerdos vigilat, ecce tibi ingreditur ex improviſo Virgo beatiſſima, ſequente pone Pollieno. Affatur ægrotum, objurgatque leniter quod ſe remiſſius, nec ut dignum erat coleret. Tum ad Pollienum converſa, accedere ad lectum propius, & manum ſacerdotalem admovere pectori jacentis jubet. Quo imperata faciente, momento eodem convaluit æger, ſpectaculi vero ſpecies evanuit. Magnum id ſane argumentum benevolentiæ, qua ſanctiſſima Dei Mater Pollienum complectebatur. Aliud eſt, ex quo licebit conjecturam facere, quanta eſſet illi cum ſuperis familiaritas. Camberio cum profecturi eſſent Anneſium duo Patres, Pollienus tunc leviter ægrotans, poſtea quam comprecatus eſt illis per uſitata verborum officia fauſtum itineris exitum, O vos felices, inquit, quibus licebit in ſuo præſentem tumulo venerari virum illum ſanctiſſimum, mihique cariſſimum, Franciſcum Saleſium! Hæc illi a me referatis velim. Languere clientem ejus lecto afflictum, nec vero de valetudine eſſe ſollicitum, ut qui ſatis jam diu ſuperque vixerit: ſed unum orare, ac porro velle, ut mori con-

Digitized by Google

contingat eodem die, quo ipſe olim eſt mortuus. Id ſi impetraverit, nunquam amplius illi moleſtum fore. Mirum dictu! Patribus mandata fideliter executis, Pollienus ipſa die ſanctis Innocentibus ſacra, quæ dies anniverſaria erat obitus S. Franciſci Saleſii, ſpiritum Creatori reddidit, annos natus ſexaginta duos. Atque hæc de Provinciis Gallicis.

88. Res Toletanæ. Obitus eſt elogium P. Didaci Daza.

Ex Hiſpanienſibus gravi affecta eſt dolore Toletana, ob jacturam capitis longe cariſſimi P. Didaci Daza. Et eo quidem acerbior accidit talis viri jactura, quod in medio vitæ ac laborum curſu, & procul a conſpectu ſodalium interiit. Nam cum navigaret in Britanniam una cum legato regis Didaco Hurtado de Mendoza, quo amiciſſimo utebatur, coorta fœda tempeſtate, quæ claſſem ad dies quindecim huc illucque jactavit, adeo debilitatus eſt navigationis incommodis, ut in ipſo itinere vitam cum morte commutarit, poſtridie Idus Octobris. Vir ſane dignus vita longiore, & ſiquidem ex rebus geſtis augurari gerendas liceat, futurus inter præcipua Societatis lumina, ſi diutius viveret. Olim delectus a Bernardo Sandovallio Archiepiſcopo Toletano, Cardinali, & fidei Quæſitore ſupremo, ut collato cum Joanne Pineda ſtudio indicem librorum expurgandorum conficeret, eo in opere ſedulitatem, eruditionem, & prudentiam ſuam probaverat majorem in modum. Philoſophiam Compluti, theologiam quæ de moribus eſt Placentiæ tradiderat, pari commendatione ingenii, atque doctrinæ. Tranſierat inde in Peruviam cum prorege Franciſco Borgia Squillacii principe, cui erat a confeſsionibus: cumque conſediſſet Limæ, in ordinandis Eccleſiæ negotiis operam diligentem poſuerat, Parochos aptos ad Indorum inſtitutionem deſignans, repullulantem alicubi ſuperſtitionem ſupprimens, controverſias, quæ ſubinde inter civiles & ſacros magiſtratus exoriebantur, conſilio, & auctoritate componens. Reverſus in Hiſpaniam, adſcitus fuerat Toleti ab Archiepiſcopo Cardinali in ſynodum diœceſanam, ut cum graviſſimis viris conſultaret de re communi, ac Cenſor fidei renunciatus. Ibidem theologiam docebat e noſtris primus, ſcribebatque in epiſtolam S. Jacobi commentarium, qui deinde in lucem eſt editus: cum ad iter illud Britannicum evocatus, ſpem de ſe conceptam abrupit interitu immaturo, annum agens ætatis quadrageſimum quartum. Ortum habuerat Colmenari, quod oppidum Tago alluitur haud procul Toleto.

89. Res Castellanæ. Obitus & elogium P. Franciſci Perez de Naxera.

Annum vitæ quartum ſupra centeſimum decurrebat Valliſoleti P. Franciſcus Perez de Naxera, Ledeſmæ in diœceſi Salmanticenſi natus. Eum nihilominus ſibi ereptum vehementer doluit provincia Caſtellana, virum quippe viribus nondum omnino attritis, & adhuc in tam provecta ætate, ſin minus laboribus, præſentia certe, & morum exemplo utilem. Ipſa obitus ſui die, quæ fuit pridie Cal. Martias, deſcenderat mane ſummo in templum, & Euchariſtiam, uti ſolebat quotidie, ſumpſerat: qua religione perfunctus, cum in ſuum ſe cubiculum recepiſſet, repentino defectu virium intra duas horas ex hac vita migravit. Priuſquam Societati daret nomen, regebat Perezius curialem eccleſiam S. Blaſii Salmanticæ, ac ſæpe a S. Thereſia adhibitus fuerat ad excipiendas monaſterii ſui confeſſiones. Ea jam tum florebat opinione virtutis, atque prudentiæ. Serius quam cæteri ſoleant ad noſtrum ordinem venit: annos tamen in eo poſuit quadraginta ſeptem omnino, nec parum hoc tempore, aut parvo fructu laboravit. Perdiu miſſiones difficillimas obiit ad montanos Galiciæ & Aſturiæ populos, ex iiſque lætiſſimas animarum fruges in Chriſti horrea convexit. Abdidit deinde ſe in ſcholam infimam latinitatis, pueroſque homo grandævus erudiendos ſuſcepit: quo in munere tam prudenti ratione ac methodo uſus eſt, ut ea docendi forma deinceps Oveti, Villægarſiæ, Compoſtellæ noſtris exemplo fuerit. Poſtremo Pinciam traductus, partem vitæ ultimam non otioſus exegit in domo Profeſſorum, curam ſodalitii cujuſdam gerens, biſque intra hebdomadam ſodales convocans, quos per omnia pietatis, ac pœnitentiæ præſertim officia exercebat. Erat jam annum centeſimum ſupergreſſus, cum conſpectus eſt agmen pœnitentium per celebriores urbis vias du-

Digitized by Google

ctare. Incedebant hi ſupplicantium ritu, ſeque flagris diverberabant. Ille crucem ingentem nudis pedibus, & funè per collum demiſſo præferebat: quæ ſpecies civitatem incredibiliter affecit, mirantibus cunctis in tam decrepita ſenectute tam robuſtæ pietatis exemplum. Perezio denique Pincia multum debuit, cum ob alia merita, tum præſertim quod cœtum ibi collegit ex pueris vagari per urbem ſolitis, iiſque aptam inſtitutionem, & cibaria providit. Opuſculum etiam ſcripſit inſtituendis pueris utiliſſimum, quod ſæpius deinde recuſum eſt. Præter Perezium, tres provincia deſideravit ſocios, eoſque lugubri ſibi ereptos interitu. Accidit Salmanticæ v. Cal. Sextiles, ut in parte neſcio qua urbis incendium repens excitaretur. Signo dato, ad reſtinguendam flammam celeriter accurrerunt ex collegio noſtro duodecim, plerique ex juventute delecti. Dum opus exequuntur ardentius, eoque præſertim, ubi plus laboris & periculi viſebatur, convolant, tabulatum quoddam cui forte inſtiterant, ſubita ruina corruens, tres eorum in ſubjectum ignem excuſſit. Duo interierunt ſtatim flammis exuſti. Tertius inde ſemianimis abſtractus, quatriduo poſt expiravit. Eodem caſu, ex reliqua quæ affluxerat multitudine, duodecim perierunt. Porro de tribus noſtris ita mortuis ſcribens collegii rector ad Mutium, præcipue laudabat Joannem Polancum, & Franciſcum a Coſta, quippe juvenes ingenio, litteris, atque indole ex omni æqualium numero præcellentes: quorum proinde obitu, addebat, videri ſibi collegium quaſi mancum, & multis partibus debilitatum.

90. Socii tres in incendio reſtinguendo pereunt Salmanticæ.

Par ſui deſiderium provinciæ Aragonienſi reliquit P. Michael Rodes, Gerundæ extinctus, quæ urbs illum ante annos ſexaginta novem in lucem ediderat. Vir inſigni pietate, & hoc etiam memorabilis, quod in ejus ad Societatem acceſſu impletum ferunt celebre vaticinium B. P. Ignatii, de quo hæc in monumentis invenio. Anno ante inſtitutam Societatem decimo quarto circiter, cum eſſet Barchinone Ignatius, & delectos ſibi ſocios adjungere inſtituiſſet, omnium primus ei ſe comitem obtulit Michael Rodes, hujus noſtri Michaelis pater, tunc ætate junior, & adhuc cælebs. Repulit illum Ignatius, quodque futurum erat inſtinctu pluſquam humano præſentiens: *Nequaquam te*, inquit, *ſed alium ex te naſciturum Michaelem Deus ordini per me condendo deſtinat, dabitque ſuo tempore. Ad te quod attinet, uxorem duces, forum teres, & patriæ utilem navabis operam*. Omnia uti prænunciata fuerant evenerunt. Ille juris prudentiam profeſſus, cauſidicus magni nominis, & in ſua civitate conſultiſſimus fuit. Michael vero noſter, ſtatim atque adolevit, admitti petiit in Societatem. Illud auget admirationem, quod repulſus neſcio quibus de cauſis adoleſcens a Provinciali, adjecerat jam animum ad Carthuſianos, ab iiſque ultro recipiebatur. Tamen tot inciderunt ex adverſo, tamque inopinati caſus, ut tandem, mutatis utrinque animis, in Societatem fuerit cooptatus. Inter nos cunctis eminuit virtutibus, quæ cadere in hominem religioſum poſſunt, pietate, charitate, prudentia, ſed odio præſertim ſui, & pia erga ſe ipſum crudelitate. Corpus cibi ſomnique parcitate quotidie affligebat. Sæpe ſibi flagra tam duriter incutiebat, ut exſtarent deinde verberum cruentæ notæ, atque horrentes vibices, quibus curandis aliquoties chirurgo opus fuit. Ejus ductu, & inſtitutione pietatem multi colebant: qui vero ejuſdem hortatu in religioſa ſepta transfugerunt, innumeri fuiſſe dicuntur. Illum mali dæmones horrendis ſæpe imaginibus inceſſebant, tum præſertim cum in precibus pernoctabat: at ſemper conatu irrito abſcedere cogebantur. Ex omni cœlitum numero amabat colebatque præcipuo ſtudio Rodeſius parentem ſuum Ignatium, atque hic viciſſim illum ſingulari benevolentia tuebatur. Documento ſit quod ſubnecto. Barchinone Gerundam redeuntem oppreſſerat nox in itinere. Multum adhuc ſupererat viæ. Intendebant ſe tenebræ. Circum mera ſolitudo, ac ſilentium. Ad hæc, cœlum horribili modo nymboſum. Rodeſius, ægre viam tenebris nigreſcentem carpens, & procellam ingruentem metuens, Ignatium ſupplex invocare. Nec mora. Facem modico intervallo præeuntem vi-

91. Res Aragonienses. Mors & elogium Patris Michaelis Rodes.

vidit (cujus manu geſtaretur, incertum), quem ſplendorem viæ ducem ſecutus, duas fere leucas Gerundam uſque confecit. Obiit vir præclarus XIII. Cal. Aprilis. Paulo ante quam expiraret, manus, pedes, os, oculoſque ita prorſus compoſuerat, ac ſi jaceret in feretro, eoque corporis habitu mortem appropinquantem excepit. Sed jam a luctu & funeribus ſtilum ad lætiora transferamus.

92. S. P. Ignatii imago Monebricenſis cœleſti manu, ut traditur, picta.

Lætiſſimum ſane Patribus Hiſpanæ Societatis hunc annum effecerunt initia novi cultus, quo Monebricæ illuſtrari cœpit mirifica illa S. P. Ignatii effigies, quæ nunc ſanctitate loci, ſignorum multitudine, & concurſu hominum, tota late celebratur Hiſpania. Ac merito quidem Patres ea re delectari plurimum debuerunt. Nam cum haberent antea Loyolæam domum in Cantabria, & ſpecum Minoreſſanam in Catalonia, anno de quo ſcribimus imaginem hanc quoque Monebricenſem, Ignatii cultu haud minus inſignem, habere cœperunt in Aragonia. Hujus narrationem rei nos a ſuis initiis exordientes, primum ut cœleſti manu depicta fuerit illa effigies, tum ex communi Monebricenſium perſuaſione, tum ex impreſſa quadam relatione Antonii de Andrada exponemus: deinde ut miraculis eadem inclareſcere cœperit, ordine expediemus. Primum ita traditur. Ante annos plurimos Rochus Villarius nobilis clericus Monebricenſis, cum eſſet Bilbili Canonicis Sancti Sepulchri adſcriptus, pictorem conduxerat, qui omnes religioſorum ordinum conditores ſibi depingeret ſingulis tabulis. Rem executus pictor, unum præterierat Ignatium, ſive oblivione, ſeu quod recens mortuum, nec dum cœleſtium catalogo adſcriptum, non putaret in eum numerum referendum. Tabulas poſt hæc longo diſpoſitas ordine ſimul recognoſcebant Villarius, & pictor: cum ecce tibi juvenis ignota facie, habitu peregrinus ſupervenit. Contemplatur attente imagines ſingulas, omnes probat majorem in modum. Verumtamen, ſermone ad Villarium converſo, deſiderari quiddam, inquit, in illa ſerie. Namque ubi auctor inſtitutæ nuper Societatis Jeſu Ignatius de Loyola, homo gente Hiſpanus, & de chriſtiana republica inſigniter meritus? Mirantibus illis, ac multa ſuper Ignatio rogitantibus, deſcripſit breviter ipſius os atque formam. Quin, ait, auderem prima illius lineamenta ducere, ſi tela, ac cætera pingendi inſtrumenta præberentur. Præbita ſunt nulla mora. Operi ſe hoſpes accinxit. Villarius & pictor loco ceſſerunt. Haud multo poſt, cum inſtaret prandendi hora, miſit Villarius qui juvenem peregrinum ex labore ad epulas evocaret. Nuſquam inventus eſt. Erat tamen effigies jam omnino perfecta, & ea quidem operis elegantia, quæ ſatis per ſe indicaret, plus forte quam humanum fuiſſe ejus auctorem. Ita pictam imaginem una cum cæteris, de quibus modo dicebamus, acceperat poſtmodum a Villario eccleſia Monebricenſis. Verum, facti memoria labentibus annis intermortua, pendebat hoc tempore ſacra effigies ſine cultu in eccleſiæ ſacrario, ubi ante annos ſexdecim cum aliis multis virorum illuſtrium imaginibus fuerat collocata. Et forte extinguebatur penitus rei tam memorabilis recordatio, niſi eam miracula ſane multa, & eximia excitaſſent. Quod uti geſtum ſit, nunc paucis evolvendum ſuſcipimus. Monebricæ, quod oppidum eſt haud ita magnum territorii Bilbilitani, conciones habebat per quadrageſimam jejuniorum P. Valerius Piquer, nihilque non agebat, ut cultum B. Parentis apud oppidanos amplificaret. Noviſſime cum ad eum veniſſent uno agmine loci ſacerdotes, ut felices fauſtaſque precarentur imminentes Paſchatis ferias; ſe vero, reſpondit, fauſtiſſimas habiturum, ſi modo impetraret, ut imago quam viderat S. Ignatii e ſacrario transferretur in ſacram ædem, & populi venerationi proponeretur. Accepta eſt ſecundiſſima omnium approbatione petitio. Die eadem Vicarius oppidi certam templi aram deſignavit ornavitque, clerum convocavit, indictaque ſupplicatione, ſuis ipſe manibus effigiem illam cum inſigni cæremonia in templum intulit, & in parato altari collocavit. Aderat cum hæc acta ſunt populi ingens numerus. Piquerus, occaſione inde ſumpta, de miraculis per Ignatium

93. Venerationi publicæ proponitur opera Patris Valerii Piquer.

Digitized by Google

94. Multis miraculis illustrari incipit.

sæpe patratis copiose dixit, nec frustra. Ejus oratione incensa præ cæteris est ad bene sperandum mulier, cui a duobus annis altera mamillarum horribili cancro putrescebat. Invocavit Ignatium supplex, ac momento eodem cancri omne vestigium absterſum est. Eidem cauterium ad curationem adhibitum tantum maligni humoris in tibiam contraxerat, ut nec unum promovere gradum posset, nec humi pedem figere, nisi adjuta. Nunc per totam ædem libere discurrebat. Dum ea miraculum magna voce, vix præ gaudii magnitudine sui compos, prædicat, alia ex adverso mulier clamorem tollit, se quoque Ignatii beneficium habere. Hæc brachium ex luxatione contractum gesserat decem mensibus, nullo ejus usu, ac ne motu quidem. Ignatio vix invocato, brachium quaquaversum movens, & capiti superimponens, certam miraculi fidem faciebat. Attonitis ad hæc omnibus, & præ gaudio collacrymantibus, placuit ære campano lætitiam publicam indicare. Exciti sono, non oppidani solum, sed etiam rustici, ad ædem frequentes accurrerunt. Ecce autem alia repente mulier vociferatur, se ope Ignatii visum recepisse. Et reipsa, facto periculo, videbat ut qui optime, quæ biennium integrum oculos ita vitiatos gesserat, neminem ut de facie internosceret. Iterum ergo pulsu æris, & lætis acclamationibus Ignatii nomen celebratur. Piquerus incalescere populi studia erga Ignatium videns, ac porro gaudens, ut secum attulerat forte nescio quid ex reliquiis B. Patris, procedit ad altare, atque illud avidæ multitudini pio libandum osculo præbet. Pietati osculantium vix fecerat satis, cum Philippus Gomez illum admonuit, ægrotare lethaliter uxorem suam, & proxime morituram a medico existimari. Ad eam proinde, nisi forte jam decessisset, reliquias Ignatii posse deferri. Placuit consilium. Itum est e vestigio ad ipsius ædes, ac reliquiarum particulam Piquerus attulit. Jacebat Bernarda Benedidia (id feminæ ægrotanti nomen) sensibus pene destituta, & ægre animam reciprocabat. Morbi plures, gravesque, plerique inveterati, quorum causa mulier ab annis quatuordecim toto erat oppido celebris, ac medicorum judicio insanabilis. Præter duos prægrandes scirrhos, qui, ut putabat medicus, in hepate & liene concreverant, pituita redundante præfocabatur interdum, eamque acerrimæ febres excipiebant. Stomachi debilitas tanta, ut toto jam sexennio nihil solidi cibi sumeret, quod non continuo rejectaret. Noviſſime ad eum statum devenerat, ut ea die, quæ erat xv. Cal. Maji, decessura putaretur. Tamen ea prorsus die ita convaluit, ac si nunquam ægrotasset. Simul atque ad eam sacrum pignus allatum est, Piquero ex solemni formula opem Ignatii implorante, sudare cœpit ubertim mulier: nec dum ille precem peregerat, cum velut e somno expergefacta, attollens oculos: *Valeo*, inquit: *Eja, afferte vestes: nam certum est hac ipsa hora surgere, templum adire, ac debitas Ignatio liberatori gratias persolvere*. Erat hora noctis secunda. Surrexit nihilominus, nullisque cohiberi neque precibus, neque suasionibus potuit, ne hora eadem suis pedibus veniret in sacram ædem, quæ adhuc ob populi concurrentis frequentiam patebat. Ut conspecta est in turba domesticorum valens Bernarda, ac vegeta, dici vix potest quæ hominum admiratio fuerit, quantumque lacrymarum mulieris aspectus expresserit iis, qui, non venturam eo die, sed deportandam in templum putaverant. Miraculi fama continuo Bilbilim delata, atque inde totam viciniam celeriter pervagata, multos Monebricam excivit. Hinc loci religio in dies augeri, eademque proportione miracula multiplicari. Duobus duntaxat mensibus, Aprili & Majo, tot ad imaginem Monebricensem patrata memorantur prodigia, ut eorum narratio in libellum justæ molis excreverit. Qui quidem libellus eodem anno, de quo scribimus, in lucem est editus, tum hispanice Matriti, tum latine Lovanii. Sed ad alia properemus.

95. Unum præ cæteris insigne miraculum.

95. Res Sardiniæ. Obitus, & elogium Fr. Francisci Hortulani.

Calari in Sardinia, post vitam innocentissime actam, pie moritur vir memoriæ apud nos semper recolendæ, Frater Franciscus Hortulanus, jacturam prosequentibus sociis mixto lacrymis gaudio, ut ferme usuvenit in eorum funere,

Digitized by Google

nere, quos cum Apoſtolo *bonum certamen certaſſe*, *curſum conſummaſſe* conſtat. Barchinone oriundus, Calari natus erat Hortulanus honeſtiſſimo genere, utque affirmabant ejus mater & obſtetrix, prima puelli vix in lucem editi vox fuerat nomen Mariæ. Societatem amplexus anno ætatis vigeſimo ſecundo, quamvis eſſet a litteris ſatis ad ſacerdotium inſtructus, inter domeſticos adjutores, quam inter clericos recipi maluit. Vix inito tirocinio, culinæ fuit addictus: humile autem miniſterium excellenti virtute, & magno rerum humanarum contemptu obiit. Ut alia præteream, licet eſſet Calari, ut in natali ſolo, multis civium cognitus, prodibat fere quotidie in publicum alba, & cannabina indutus veſte, ut mediaſtini ſolent, gradiebaturque hoc habitu per mediam urbem, ſive ut aquam, cujus copia domi non erat, ex fonte peteret, ſive ut aliud quidpiam ad uſum familiæ provideret. Translatus inde Saſſarim, ut tunc forte collegium extruebatur, ſuſcepit injunctam a majoribus procurationem fabricæ, neque eam tamen ut præfectus operarum, ſed quaſi unus ex ipſis exercuit, nullo unquam victus pudore, ne calcem lapideſque conveheret palam, & cæmenta ſtructoribus miniſtraret. Toto ſexennio Saſſari in hunc modum exacto, denuo revocatus eſt Calarim, ubi diu emptor cibariorum, coquus poſtmodum, mox ſtrator triclinii fuit. Poſtremo valetudinarii curam ſuſcepit, geſſitque quoad ſenio fatiſcentem moderatores uti vacatione muneris coegerunt. Intanto miniſteriorum numero, ac rerum gerendarum varietate, per annos amplius ſeptem ſupra quinquaginta, nemo unquam in Hortulano, vel iracundiæ, vel alterius perturbationis indicium vidit. Curator cum eſſet valetudinarii, ineptis, ut ſæpe fit, importuniſque ægrorum petitionibus, ſi modo curationis ratio pateretur, quocunque ſuo incommodo ſatisfaciebat. Durioribus ſæpe verbis exceptus, & hæc, ajebat, & his multo graviora debentur mihi. Fuit ex externis qui eum fuſte cecidit tam immaniter, ut humi proſtraverit. Ipſe, ut e lapſu ſurrexit, accidit ad percuſſoris genua, pro injuria gratias egit, ſi quid in eum peccaſſet imprudens, ſibi ut gratiam faceret rogavit. Paupertatem, ejuſque incommoda, tanquam unicas, & veras religioſorum delicias divitiaſque ſectabatur. Saſſari degens, ſæpe ad prædium duo millia paſſuum extra urbem ventitabat jejunus, atque inde ſole jam occiduo revertens domum, meris reficiebat ſe menſæ reliquiis, plerumque ſordeſcentibus, ſemper incomptis. Annos ipſos viginti pro cubiculo cavum habuit peranguſtum, & adeo humile, ut in eo ſtare non poſſet. Nec vero melius induebatur. Quæ eſſent in veſtiario deterrima, ea petebat ſibi, ægerrime ferens, ſi quando vetera mutare novis juberetur. Quod ad caſtimoniam pertinet, paucis ante obitum menſibus narrabat ipſe moderatori ſuo, conſtare adhuc ſibi eandem corporis integritatem, cum qua fuerat natus, idque Matri virgini referebat acceptum, quam a teneris unguiculis præcipua religione colere inſtituiſſet. Cæterum ad ejus doni cuſtodiam addidit etiam de ſuo ſtudium ſedulum, ac nunquam intermiſſum afflictandi corpus, ſenſuſque intra exactas modeſtiæ leges continendi. Addidit crebra jejunia, ac pias preces: addidit meditandi uſum aſſiduum, quo animus a terrenæ molis contagione quodammodo abſtrahebatur. Perpetuum illi cum ſuperis, ac familiare commercium. Magna viciſſim, nec uſitata ſuperorum benignitas erga illum. Sæpe Chriſti Domini, ſæpe divinæ Matris aſpectu, & alloquio dignabatur. Semel incenſus Euchariſtici panis deſiderio, cum deeſſet Sacerdos, illum cœleſti manu percepiſſe dicitur. Malorum dæmonum horrenda ſpecie inſultantium haud raro moleſtias diſpulit, minas irriſit. Multis arcana cordium retexit, pluribus futura ex vero prædixit. Beatum parentem Ignatium in album ſanctorum relatum iri, certo didicerat ab ipſomet, affirmabatque paſſim, eventurum id Societati gaudium vivo ſe: quo autem die decreta Romæ fuit ipſius conſecratio, eodem certiores fecit Patres Calaritanos. Sed in hoc genere nihil tota Sardinia illuſtrius, quam quod facto per Hortulanum indicio retecta ſunt plura ſanctorum Martyrum corpora, quæ tametſi conſtaret olim in diverſis regni partibus fuiſſe condita, ubi tamen laterent

27. Dona quædam ſupernaturalia ipſi conceſſa.

Digitized by Google

rent nulli compertum erat. Non eſt hujus operis omnium indicem texere. Ne tamen omnia præteream, B. martyr Antiochus Sulſcitanus, unus ex primis Sardorum patronis, erutus eſt poſt multa ſæcula ex loco, quem Hortulanus monſtravit. Martyr Reſtituta, mater Euſebii epiſcopi Vercellenſis, & alia item martyr, ſed virgo ſimul Olympias, Hortulano per viſum oblatæ imperaverunt, ut educendas in lucem curaret ſuas exuvias. Locum ille indicavit, eductæque ſunt, ſumma totius regni lætitia. Sed memorabile in primis quod accidit circa corpus B. martyris Ephiſii. Caſu retectum fuerat ſubter aram templi ſubterraneam ſine ullo titulo ac nota humanum corpus. Cum ambigeretur cujus illa eſſent oſſa, affirmavit aperte Hortulanus, Ephiſii eſſe. Unius viri teſtimonium in re tali quibuſdam videbatur recipi non debere. Sed dicto fides conſtitit poſt dies paucos. Affuit enim de plebe quidam, ac tabellam marmoream afferens Ephiſii inſcriptam nomine, clam ſurreptam a ſe dixit ex ejus tumulo dum effodiebatur. Addidit, ejus furti, ut interpretabatur, cauſa, nocte proxima magnis ſe fuiſſe doloribus cruciatum. Mitto alia ejuſdem generis, ne prolixior fiam. Cæterum tanta cum ſuperis conſuetudo multo frequentior Hortulano fuit in ultima ſenectute, cum ob ætatem, & incommoda valetudinis uni ſibi vacare juſſus eſt. Fertur, extremo illo vitæ ſpatio audiſſe voces identidem beatorum ſpirituum divinas laudes concinentium, & interdum cum ipſis pariter ceciniſſe. Ita demum ingreſſus ætatis annum octogeſimum, XIII. Cal. Januarii ad æternam eorum ſocietatem migravit, quorum in hac mortali vita conſortium præguſtaverat. Calaritani vero, qui ſemper viventem venerati fuerant, etiam mortuum, ut hominem vere ſanctum, honore quam licuit maximo colere perrexerunt.

98. Res Lusitaniæ. Mors & elogium P. Joannis Alvarez.

Præclaram quoque ſui famam reliquit in Luſitania P. Joannes Alvarez, vir, cum cæteris virtutibus, tum præſertim religioſa prudentia inclytus, & inter pauciſſimos memorandus. Provinciam bis rexerat Præpoſitus, ſemel Viſitator, pari ſemper approbatione omnium & laude. Romæ cum eſſet pro Luſitaniæ provinciis Aſſiſtens, apud Clementem VIII., & plures Romanæ curiæ proceres, non minus auctoritate quam gratia floruit. Ejus maxime teſtimonio Clemens innocentiam agnovit Claudii Generalis, delataſque adverſus illum criminationes contempſit. Videbatur ad regendi munus quaſi natus factuſque: adeo quæcunque in religioſo præſide requiruntur dotes, in eo eminebant. Tamen, qua erat modeſtia, nihil horrebat æque ac præfecturas, nihilque egit tam ſæpe, tantoque opere apud generalem Præpoſitum, quam ne qua ſibi pars adminiſtrationis publicæ committeretur. Romam denuo profectus ad comitia generalia, quibus Mutius creatus fuit Præpoſitus Societatis, id unum ab eo flagitaſſe dicitur, ſibi ut liceret reliquum vitæ ſpatium exigere in collegio totius provinciæ remotiſſimo, aut ſaltem ut comes adjungeretur alicui ſacerdoti ex iis, qui in ſacras expeditiones mitterentur. Obiit Eboræ VI. Idus Martii, annos natus prope octoginta, quorum amplius ſexaginta tranſegerat in Societate. Pari ferme luctu elatus eſt pridie Nonas Februarias in domo profeſſorum Ulyſſiponenſi P. Simon Souſa. Is nobili ortus genere in oppido Louſamenſi haud procul Conimbrica, ad Societatem venerat adoleſcens. Tironem neſcio qua cauſa Societas cum dimiſiſſet, iterum poſt viginti annos in ſinum recepit, habuitque deinceps inter alumnorum cariſſimos. Cum eſſet prudentia non vulgari præditus, Matritum prius, deinde Romam eſt miſſus, ut provinciæ negotia procuraret. Hinc reverſus in Luſitaniam, multus fuit in evangelicis peregrinationibus, quas plerumque pedes, ſemper cum inſigni animarum emolumento obibat. Paulo ante quam finem vivendi faceret, ſuſceperat Ulyſſipone curam vinctorum, gerebatque illam alacritate tanta, nullam ut videretur potiorem habere voluptatem, quam in illa hominum colluvie verſari. Quoties ad eorum quempiam deferendum eſſet ſacrum Chriſti corpus, ſuis ipſe manibus carcerem everrebat, & probe mundabat. Monitus ab amico, inſalubrem eſſe cœli gravitate locum, & ſæpe ægrotantium tabe periculoſum,

99. Obitus & elogium P. Simonis Souſa.

ſum, id vero, reſpondit, præclare ſibi ceſſurum, ſi e carcere ad ſepulchrum, & inde ad ſuperos evolaret. Pie creditur votorum ſuorum fructum retuliſſe: periit enim contracto morbo ex contagione cujuſdam vincti, cui peccata confitenti diutius aſſederat.

100. Utiles noſtrorum curæ & labores Ulyſſipone.

His, ut ſperare fas eſt, ad laborum præmia evocatis, ſodales cæteri haud ſegniter injunctas ſibi partes exequebantur. Addebat laborantibus animos laborum utilitas, cujus non unum hoc anno documentum habuerunt. Sex Mahometis cultores Ulyſſipone damnati fuerant capite, erantque quam mox ad patibulum rapiendi. Eorum quinque hortatu noſtri ſacerdotis Chriſto dederunt nomen, ejuſque ſacramentum paulo ante ſupplicium acceperunt. Eodem anno Maurorum aliquot transfugæ ex Africanis Luſitanorum coloniis miſſi Ulyſſiponem, ita ſe noſtris hominibus inſtituendos permiſerunt, ut intra paucos dies baptiſmo donati fuerint univerſi. Ii porro quam vere, & ex animo Chriſtiani fuerint facti, paulo poſt luculenter docuerunt. Oblata enim occaſio eſt, in qua ſuam Chriſto fidem, atque conſtantiam probarent: Capti ſunt intra eundem annum ipſorum duo a prædonibus ſuæ nationis. Cum autem ad ejurandum Chriſti ſacramentum adigerentur metu mortis, emori maluerunt, & cervicibus fortiter datis fidem ſanguine confirmarunt. In eadem urbe regia ingens inveniebatur vinctorum numerus, quorum magna pars cunctatione judicum prius oppreſſi miſeriis interibant, quam cauſam dicerent. Miſeratus eorum vicem unus noſtrorum, rem ad ſupremos regni rectores detulit, ab iiſque decretum abſtulit, ut judicia in poſterum exercerentur frequentius, & cauſæ celerius finirentur.

101. Exemplum hominis ab interitu liberati ope B. Virginis.

Bracharæ res contigit, ob exempli utilitatem non tacenda. Degebat in ſuburbana villa ruſticus nequam, quem malus pudor diu retraxerat, ne ſacerdoti aperiret flagitium neſcio quod turpe, cujus conſcientia premebatur. Actus demum internis gratiæ ſtimulis in urbem veniebat, certus pudorem excutere, & quidquid illud erat criminis rite confiteri. Venienti comitem ſe adjunxit homo aſpectu tetrico, habitu ſacerdos: aliumque, uti fit, ex alio ſermonem miſcens, eo paulatim delapſus eſt, ut de multiplici criminum varietate, & eorum remedio diceret. Illius nominatim mentionem fecit, cujus conſcientiam habebat ruſticus: atque hoc quidem, addidit, qui ſemel admiſerit, ei nunquam a Deo parcitur, vel ſi millies confiteatur. Cohorruit ad eam vocem homo rudis. Nihil dubitans virum hunc eſſe multarum litterarum, & vera loqui, abjecto peragendæ confeſſionis conſilio, pedem continuo retulit, ut in nulla ſpe ſalutis conſequendæ. Peribat omnino infelix, niſi ſua illi profuiſſet qualiſcunque pietas erga beatam Virginem. At nocte proxima ei ſe videndam obtulit per quietem divina Mater, quam ſolebat quotidiano obſequio demereri, hominemque leniter caſtigatum, quod mendaciſſimo dæmoni fidem temere adhibuiſſet, redire Bracharam juſſit, ac ſe totum alicui ex noſtris patefacere. Id ille, ut illuxit, obedienter executus, in alium prope virum mutatus eſt.

102. Inchoatur collegium Societatis in urbe primaria Congi.

Ad Provinciam Luſitaniæ pertinebat hoc tempore Loanda, inſula brevi maris intervallo disjuncta a continenti regni Congenſis. Habebat ibi Societas vetus collegium, eo præſertim conſilio conditum, ut inde Patres ſubinde excurrerent, tum ad vicinos Angolanos, tum præſertim in Congum, & hujus regni chriſtianos per uſitata ordinis miniſteria excolerent. Sed cum longo uſu conſtaret, parum aut ferme nihil per iſtiuſmodi temporarias paucorum dierum excurſiones conferri poſſe Congenſibus, jamdiu optabant noſtri, ut liceret ſibi apud eos ſtabili ac perpetuo in domicilio verſari. Commodum accidit, ut ſociorum commune votum impleret vir inſigniter pius, Gaſpar Alvarez. Cum enim ſtatuiſſet ſe ipſum tradere Societati, bonorum etiam ſuorum certam ſummam ad fundandum in regia Congenſium urbe collegium tradidit. Admiſſa Alvarezii donatione, tranſmiſerat in Congum P. Hieronymus Vogadus rector collegii Loandenſis, & novam moliri cœperat domum in urbe S. Salvatoris, regni primaria: cum bene cœpta ſubitus belli turbo disjecit, ac Vogadum

Digitized by Google

dum repetere Loandam compulit opere abrupto. Joannes Correa præfectus Luſitanorum in inſula Loandenſi, nulla quamvis injuria laceſſitus, ſola ductus aviditate prædandi, ſubito Congi fines invaſit, percurrenſque regionem populabundus, multos Congenſium abripuit, & Loandam venales tranſtulit. Facti indignitatem damnarunt maximopere omnes, indigenæ pariter & coloni, boni, malique. Multi Corream ob tale facinus palam corripuerunt. Ei minores præfecti ac magiſtratus Regis nomine denunciarunt, ne pergeret immerentibus & innoxiis injuriam facere. At rex Congenſium Petrus Alphonſus, etſi Luſitanorum ſemper antea amicus, graviter ferens illatum ſibi contra jus fœderis bellum, arma cepit, injuriam clade Luſitanorum ulturus. Prodierat jam in apertum cum millibus armatorum fere trecentis, nec erat dubium quin Corream, & quantum eſſet Luſitanorum opprimeret, non belli virtute, ſed numero. Tamen ne ulterius prorumperet, exoratus eſt unis P. Vogadi litteris. Rogabat iis regem litteris Vogadus, ne unius hominis perfidiam gentis communem duceret, neve cum tanto chriſtianæ religionis damno ulciſci eam vellet. Meminiſſet quot benevolentiæ pignora haberet, cum a rege Luſitaniæ, tum etiam a Romano Pontifice. Auctorem injuriæ Corream dignas regi ſuo pœnas daturum. His litteris periculum quod imminebat diſcuſſum eſt. Ceſſit enim monenti rex: exercitum deduxit, ac viciſſim a Vogado petiit, ut duos ad ſe mitteret Patres, qui intermiſſum collegii opus abſolverent. Mittebantur Patres, cum præfectus Correa novum ſcelus incepit, atque iterum omnia turbavit. Urebat improbum, quod vim Congenſibus illatam boni quique damnaſſent. Multos ea cauſa bonis ſpoliaverat, multos in vincula conjecerat. Illud tamen ferebat iniquiſſime, Congenſium quos ceperat emptores nullos inveniri, propterea quod noſtri privatim ac publice docerent, eos emi in ſervitutem non licere, quippe Chriſti cultores, & bello injuſto captos. Fremens frendenſque contra noſtros, quorum opera videbat optatum ſibi quæſtum perire, collegium Laondenſe militari cuſtodia ſepſit, detractoſque vi rectorem Vogadum, & alios duos Patres, Matthæum Cardoſum, & Antonium Amaralium, impoſuit navi, & in Luſitaniam deportari juſſit. His non contentus homo perditus, certior factus ad noſtros eſſe tranſgreſſum quem ſupra dixi Gaſparem Alvarezium, & inde celeri fuga ſe ſubduxiſſe, ipſius, aliorumque qui aufugerant Luſitanorum imagines produxit, velut hoſtium publicorum, & ſpeciem in iis exhibuit ſupplicii, quod ſi data facultas eſſet, in eorum corporibus exequeretur. Poſtremo conſcientiæ ſtimulis agitatus, jamque præcipiens animo quid ſibi metuendum eſſet a rege, in novam Hiſpaniam profugit, relicta ſine imperio provincia. At ſceleſtum non claudo pede ſecuta eſt pœna. Vinculis oneratum Præfecti regii deportandum curarunt in Hiſpaniam, unde miſſus Ulyſſiponem, in ſqualore carceris vitam clauſit. Hoc medio tempore P. Cardoſus, quem Loanda ejectum dicebamus, cum attigiſſet Ulyſſiponem, typis edidit chriſtianæ inſtitutionis ſummam, quam nuper Congenſium lingua conſcripſerat: rem ad eorum populorum doctrinam unice neceſſariam, quæ tamen hactenus paſtorum vel incuria, vel imperitia, per annos centum quadraginta circiter neglecta fuerat. Interea qui Vogadi vices gerebat P. Eduardus Vaz, Petri Alphonſi regis litteris arceſſitus, ad urbem Sancti Salvatoris, ubi regia Congenſium eſt, venerat, ut futuri collegii ædes extrueret. Locum & materiam ædificii ultro conferebat ipſe rex, unam modo conditionem petens, ut collegii fundator appellaretur. Obſtare videbatur donatio, quam ab Alvarezio factam docuimus. Tamen facile impetratum eſt ab homine modeſtiſſimo, ut ſalvo jure ſuffragiorum, quæ Societas fundatoribus ſolet perſolvere, collegii fundati nomen & titulos Regi concederet. At ecce tibi in ipſa operis molitione novus repente obex. Moritur adhuc novitius, quem ſæpe nominavi, Gaſpar Alvarez. Dum reſignatur teſtamentum, quo partem hæreditatis tranſcribi collegio Congenſi juſſerat, ipſius quidem exaratum manu invenitur, non tamen a ſcriba publico obſignatum. Fuere ſta-

103. Intermittitur ob ſubitum belli motum.

104. Injuriæ collegio Loandenſi illatæ a præfecto Luſitanorum.

105. Collegium Congenſe tandem conſtituitur.

Digitized by Google

ſtatim qui contenderent, ratas non eſſe tabulas. Eo multi nomine poſſeſſionem bonorum invaſerunt. Interpellatus a noſtris Epiſcopus (erat is Simon Maſcarenia) ut vindicias daret, negabat ſe quidquam in eo negotio pronunciaturum. Quod ergo in ſimilibus uſitatum erat, P. Eduardus Vaz judicem ex Carmelitarum familia ſumpſit, qui ſuum Societati jus defenderet. Hunc Antiſtes ab officio minaciter deterrebat. Quas ob cauſas noſtri coacti ſunt cum adverſariis paciſci, & partem hæreditatis maximam dimittere, ne totam perderent. Præter hæc, litem movit Antiſtes de loco ad collegium ædificandum electo, quem ajebat ſuperiorum regum dono poſſideri ab Eccleſia. Quare Rex, etſi gravate admodum ferret, opus ſe auctore cœptum denuo intermitti, tamen noſtrorum oratione placatus, aream deſignavit in alia urbis parte, ubi qualecunque denique domicilium ex tignis & paleis more gentis extructum eſt.

106. Res Goanæ. Noſtri ad curas bellicas evocantur.

Dum hæc ibi gerebantur, in provincia Goana nonnullam noſtris hominibus moleſtiam creaverunt miniſtri Regis, ob cauſas nunc evolvendas. Obtinentibus cum prævalida claſſe oceanum Anglis Bataviſque, timebant rebus ſuis Luſitani, metuebantque ne poſt captam, ut libro ſuperiore dictum eſt, Armutiam, ipſam quoque tentarent Goam, caput atque arcem imperii Indici. Ad bellicum apparatum cum deeſſent tormenta muralia, nec periti invenirentur artifices, qui ea conflarent adornarentque, itum eſt ad noſtros, quippe homines, ut exiſtimabant, induſtrios, & hujus ſcientiæ non expertes. Res videbatur religioſis hominibus minus congruens, proindeque curam illam Patres enixe deprecabantur. Tamen cum reſpondiſſet Senatus, nihil omnium, quæ ad ſalutem reipublicæ pertinerent, alienum eſſe ab inſtituto Societatis, geſſerunt vel inviti morem, & ſuam regiis miniſtris induſtriam valde probaverunt. At ecce tibi haud multo poſt ad alia ejuſdem generis advocantur. Hic vero obſiſtere conſtanter Patres, excuſare profeſſionem ſuam, diſerte negare ſe ullam ſuſcepturos miniſterii publici partem, præter divinarum rerum procurationem. Repulſam ægre tulit Senatus, & ſuccenſuit Patribus, perinde quaſi regis obſequium, & communem utilitatem parvipenderent. Sed non propterea moti ſunt de ſententia Patres, nec eam invidiam tanti fecerunt, ut non potiorem ducerent ſui ordinis dignitatem. Tantum, ne deſidiæ verti poſſet illius operæ tam conſtans & firma declinatio, eodem tempore nullum ſuæ profeſſionis laborem prætermiſerunt. Sed neque in his obeundis omni prorſus moleſtia caruerunt. Exſtat in India vetus lex Joannis III. Luſitaniæ regis, ut ethnicorum liberi, ſi parentibus orbati fuerint adhuc impuberes, educentur ſub diſciplina Societatis in inſtituta ad hunc uſum domo. Chriſtianorum pater vulgo dicitur ſacerdos ille Societatis, qui domui præeſt. Jam vero accidit hoc anno, ut qui Catechumenorum procurationem exercebat Goæ, una die quatuordecim colligeret ejus conditionis pueros. Cum eſſet ex eo numero unus quidam opulentior, & amplum obtinens patrimonium, frater ipſius natu major, qui tutelæ nomine fraternam figuriret rem, pupillum vehementer repoſcebat. Multa molitus fruſtra ut eum ad ſe retraheret, poſtremo Patrem chriſtianorum detulit ad Proregem, quaſi puerum abduxiſſet per vim, parente adhuc vivo: cui fabulæ ut veri ſpeciem imponeret, hominem doli conſcium pecunia ſubornavit, qui ſe communem utriuſque patrem diceret. Rem omnino ad votum confecerat, niſi ingenuus adoleſcens, conteſtatus coram judice orbitatem ſuam, calumniam liberrima voce diluiſſet. Per hanc occaſionem prorex Comes de Vidigueira vocatos ad ſe quatuordecim, quos dixi, pueros interrogavit per otium, cum de aliis rebus, tum præſertim de cura, qua domi haberentur a Patribus in quotidiana vivendi ratione. Nemo omnium fuit, qui non eorum benignitatem charitatemque laudaret. Quod illius ætatis teſtimonium Prorex minime ſuſpectum exiſtimans, pueros tunc quidem omni blanditiarum genere complexus eſt, munuſcula ſingulis, & familiæ ſuæ nomen impertiens; at idem paulo poſt de Catechumenorum inſtitutione apud aulicos

107. Moleſtia noſtris illata Goæ ob Catechumenorum domum.

Digitized by Google

verba faciens, diſerte affirmare non dubitavit, vix aliam eſſe inter Indos rem, in qua Regis pecunia collocaretur utilius, quam in alenda illa tot capitum familia.

108. RES MALABARICÆ. Turbantur res in ora Piſcariæ ob ſcelus Henrici cujuſdam.

Inter hæc ſocii provinciæ Malabaricæ parum abfuit, quin extra oram Piſcariæ, in quam nuper fuerant a Rege reſtituti, iterum alieno ſcelere pellerentur. Henricus a Cruce, vir ille quidem inter Paravas divitiis facile princeps, ſed nobilitate generis multis inferior, cum Societatem noſtram eximie diligeret, diligebatur viciſſim a P. Andrea Pereira collegii Tutucurinenſis rectore, ejuſque nuper litteris & officiis impetraverat a Prorege Indiarum, ut ſeptem pagorum Patagantinus, qui ſummus eſt ibi magiſtratus, fieret. Odioſum id acciderat genti. Paravæ enim divitiis nobilitatem longe præferunt, nec facile patiuntur, quem anteeant claritate natalium, eum ſibi dignitate anteponi. Statim ergo exauditæ multorum querimoniæ, præreptum ſibi honorem ab homine immerenti dolentium. Præ cæteris obloquebatur apertius Petrus quidam, a Cruce ſimiliter appellatus, & novi Patagantini creationem palam traducebat. Pupugit ea res Henricum, hominem natura ferocem, ac ſuperbum. Utque moleſtiſſima divitibus eſt cenſura natalium, nec fere ullius acerbior reprehenſio vitii, quam quod emendari non poteſt, ira prope amentiam percitus, injuriam ulciſci ſtatuit cæde obtrectatoris. Hac mente irrumpens die quadam in ejus domum cum armatorum manipulo, imparatum occupat, nec ipſum modo Petrum, ſed & ipſius matrem, nonnulloſque præterea propinquorum immaniter contrucidat. Quodque omnem ſuperat crudelitatis modum, ſacerdotem Societatis, qui ad nuncium infandæ cladis advolaverat, aditu prohibet, ne expiare morientes poſſet. Demum ædes diripit, & incendit.

109. Qui ex fautore ſit inimicus Societatis.

Vulgato per ſeptem pagos facinore, plerique nomen Henrici execrantes, magnam quoque invidiæ partem derivabant in noſtros, quorum ſuffragatione, honorem non debitum eſſet conſecutus. Invidiam ut amoliretur Pereira, ſceleſtum homicidam inſectari palam cœpit, nullum non movens lapidem, ut ei magiſtratus abrogaretur. Et id quidem optimo propoſito, ſed conſilio parum prudenti, quippe aliud nihil conſecuturus, quam ut hominem viribus præpotentem ſibi ac Societati redderet ex fautore inimicum. Re ipſa Henricus, probe intelligens nullum ſibi fore poſthac in Societate præſidium, totum ſe tranſtulit ad Vicarium Epiſcopi, hominem nobis iniquiorem, qui in omnem imminebat occaſionem ejiciendi iterum extra Piſcariam noſtros, & curias recuperandi. Hinc ambo conjunctis ſtudiis litteras Coccinum, & Goam mittunt criminationum plenas, quarum una erat ad extremum ſententia, reddendas clericis popularibus eccleſias Piſcarienſes, Patres Societatis omnino amovendos. Hæc neminem movebant. Nihilo tamen minus Indiarum viſitator P. Palmerius, ut exorientem diſcordiæ flammam extingueret, abduxit Tutucurino P. Pereiram, eique ſucceſſorem miſit P. Gaſparem Fernandium, virum mitiſſimæ indolis, qui omnium aptiſſimus videretur placando Patagantino ſumme efferato, nihilque jam præter Societatis perniciem anhelanti. Sed quis furori frænum iniiciat, cum vires ad quidlibet audendum ſuppetunt? Novi rectoris officia adeo nihil mitigarunt Henricum, ut imo atrocius irritaverint. Deliberatum habens omnia conari ut noſtri, aut pellerentur, aut ſponte abirent Tutucurino, nullas non inferebat Patribus contumelias. Toto quotidie oppido cum globo armatorum volitabat, quoſcunque nobis ſtudere ſenſerat, rapinis, incendiis, cædibus atterebat. At demum tam multis ejus ſceleribus, quod ſæpe accidit, finem impoſuit alterius ſcelus. Erant Henrico veteres inimicitiæ cum Antonio Ferreira Luſitano, qui nuper Nagapatanenſis arcis præfectura perfunctus, tempus navigandi Goam opperiebatur forte Tutucurini. Is occaſionem ſibi datam arbitratus ſumendi de inimico pœnas, captato tempore, ſicarium ſubmittit, ejuſque manu Henricum interficit. Sublatus in hunc modum eſt malorum auctor, non tamen ſublata mala, ſed exulcerata potius. Henriciani, perperam ſuſpicantes factam noſtri rectoris mandato cædem, ad

110. Ac demum interficitur manu ſicarii.

hanc

Digitized by Google

hanc ulciſcendam evocant ethnicorum præfectum, qui loca proxima cum præſidiario milite obtinebat pro rege, ſive, ut ipſi loquuntur, Naikeno Madurenſi. Adeſt confeſtim ethnicus cum magna militum manu. Captos e noſtris quatuor naviculæ imponit, & tota ſeptem pagorum ora jubet excedere. Tempori accurrit Vicarius, pulſiſque Patribus, vacuæ curiæ poſſeſſionem capit. Collegium a latronibus diripitur. At Deo cordi non erat, Piſcarienſem oram, primam illam magni Xaverii curam, aliis committi quam iis, quos laborum ſuorum hæredes Xaverius ipſe reliquerat. Ejecti Tutucurino Patres venerant Punicalem, porro, ut juſſi fuerant, progreſſuri. Dum ibi ſubſiſtunt paululum, Emmanuel quidam Fernandez, Societatis ad illam uſque diem vehemens adverſarius, mutata ſubito voluntate, eos amice convenit, & ſperare jubet meliora. Se fautorem illis, vindicem, ac prope parentem in rebus afflictis fore. Viſa miraculo proxima viri tam ſubita, nec expectata mutatio. Nec vero verbis quam factis magnificentior fuit. Cum adveniſſent haud multo poſt Punicalem miſſi Tutucurino milites cum mandatis, ut inde Patres abire cogerent, eos auctoritate continuit Fernandius ne facerent imperata, & reverti juſſit re infecta. Hac autem interpoſita mora, paulatim res ad ſtatum priſtinum redierunt. Debuimus ex parte beneficium regi Madurenſi. Namque is, auditis quæ Tutucurini geſta fuerant a ſuo præfecto, non ſolum ea valde improbavit, verum etiam ipſum dignitate ſpoliatum in ordinem redegit. Quo præſidio deſtituta factio Henricianorum labare cœpit uſque adeo, ut brevi tempore qui a nobis ſtabant iniquam adverſæ partis vim coercuerint penitus, & obtriverint. Sic demum iſti noſtros in antiquam ſedem revocaverunt, conſenſu omnium ſummo, præter quam clericorum.

111. Pelluntur noſtri Tutucurino.

112. Reſtituuntur in ſuam ſedem providentia admirabili.

Interim in regno Madurenſi P. Robertus de Nobilibus divinum ſemen late ſpargebat, relictoque in urbe regia Maduræ P. Antonio Vico, venerat Chilanum, primariam urbem cujuſdam reguli tributarii, qui non ſpernendam in illo tractu ditionem obtinebat. Ibi ſtationem figere volenti, tam multa occurrebant adverſa, ut niſi fuiſſet animo prorſus invicto, deterrendus omnino eſſet, & difficultatibus obruendus. Primus obex indoles ipſa gentis minime hoſpitalis. Nullius patebat Europæo doctori domus. Rerum omnium egenti nemo neque opem ullam, neque tectum præbebat. Quæ cauſa fuit, ut totos quadraginta dies coactus fuerit pernoctare ſub dio, & ſummæ hiemis inclementiam ferre. Inde morbum contraxit gravem & periculoſum, ſine ulla curandi corporis facultate. Acceſſit ægritudo mentis fortaſſe gravior ex ingenio reguli duro aſperoque. Primo congreſſu, cum explicaret Nobilius cauſam adventus ſui, reſpondit admodum illiberaliter Regulus, nolle ſe de externis religionibus quæſtiones audire. Præter hæc, infectabantur illum atrociter idolorum ſacrificuli, natio hominum veræ religioni ubique ac ſemper infeſta, multa ementientes, ut ab eo Principis voluntatem averterent. His tamen vir fortis non abſterritus, tandiu inſtitit obniti contra, donec ſpes meliorum affulſit. Illum neſcio quis oppidanorum hoſpitio demum ſuſceperat. Manante in publicum fama doctrinæ, quam doctor Europæus ex ultimo occidente attulerat, frequentari paulatim a Brachmanibus, coli, audiri dies ſæpe totos ac noctes de rebus fidei differens. Ac principio quidem omnibus admiratio: tum multis novæ religionis deſiderium injectum. Miraculis confecta res. Militem quemdam malus dæmon dire torquebat. Huic Nobilius laminam applicat paucis ſacrorum bibliorum verbis inſcriptam: nec fruſtra. Compreſſa continuo eſt vis inferni ſpiritus. Miles Chriſto liberatori nomen dedit. Alter profeſſione aulicus jacebat jam fere biennium toto inflatus corpore, amiſſoque uſu membrorum ſalutem penitus deſperabat. Auditis quæ de religioſo advena narrabantur, rogandum curavit per amicum, ut ſi quam poſſet opem ſibi miſero afferret. Attulit Nobilius laminam cum exaratis divinæ ſcripturæ verbis: at ſimul ægro denunciavit, ut cuncta maleficorum amuleta, & inſtrumenta reliqua vanæ ſuperſtitionis projiceret. Projecit, ac momento eodem habere melius cœpit. Morbo dehinc

113. P. Nobilii labores Chilani in regno Madurenſi.

114. Miracula quædam, ac primi fructus inter Chilanenſes.

sensim remittente, omnino convaluit : quique per annos ipsos duos nec vestigium humi ponere potuerat, intra dies quindecim ad Nobilium venit incolumis, & se Christo devovit, Facile pervalit in aulam curationis tam insperatæ rumor. Motus miraculo Regulus, commendatum Nobilio voluit fratrem suum graviter ægrotantem, qui similiter adhibitis quas dixi laminis, statim valetudinem recepit. Jam ergo, non apud vulgus tantum, sed etiam in aula magnum esse Nobilii nomen, & ab ipso regulo in pretio haberi. Multo tamen majorem de illo cepit opinionem Princeps, cum adesse jussum audivit Brachmanum deliria refellentem, & de vera mortalium felicitate disputantem. Miratus hominis eloquentiam, doctrinam prolixe laudavit, seductumque in conclave intimum plures continenter horas detinuit sermone vario, ac familiari, cujus is fuit exitus, ut præter alias benevolentiæ significationes, domum illi dederit habitandam. Secundum hæc, singulis ferme diebus Nobilium arcessere, ac plures cum eo horas amice colloquendo transigere. Delectabatur scilicet ejus doctrina Princeps sciendi avidus ; integritatem, ac vitæ mores innocentissimos, quantumvis ethnicus, dilaudabat, ac mirabatur. Tantam vero ab omni humana cupiditate abstinentiam mirari satis non poterat, ac veluti cœlestem hominem intuebatur, qui sic esset alienus a voluptate & commodo, ut pauperrime licet victitans, nihil tamen ad vitæ usum peteret, imo nihil admitteret eorum, quæ ipse identidem liberaliter offerebat. Nondum ille quidem inducebat animum, ut sanctitatem christianæ legis amplecteretur, suis vitiis ac libidinibus deterritus. Tamen Principis erga Nobilium benevolentia tanta, tamque perspecta, religioni plurimum profuit. Aucta enim apud vulgus existimatione novi doctoris, illum homines audiebant avidius, nec pauci inter fidei candidatos nomen dabant. At contra idolorum sacerdotes, avitam superstitionem in quæstu habentes, Nobilio nihil pejus oderant, multaque conabantur, ut infestum sibi caput expellerent. Ubi cæteræ nihil valebant artes, accusationem instituerunt, qua nulla apud eam gentem invidiosior. Visum hunc, ajebant, ante annos plures Maduræ nigra indutum tunica, cum promiscue versaretur inter Pranguos & Parias, infimæ sortis homines, & communi cum illis victu cultuque uteretur. Exitiale id erat Nobilio, si verum esse constaret. Sed accusationem ut falsam contempsit benevolus Princeps, accusatores autem ita repulit, ut amplius mutire ausi non sint.

115. Regulus Nobilio, ac religioni favet.

116. Accusatur a sacrificulis, sed accusatio contemnitur.

Verum inter hæc evocatur Nobilius ab Archiepiscopo Cranganorensi, & res Chilani prospere cœptas intermittere paulisper cogitur. Cum satisfeciisset Antistiti, Chilanum denuo cogitabat ; sed oblata lautioris occasio prædæ venatorem animarum studiosissimum alio traduxit. Inter plures, quos de rebus fidei erudierat Chilani, fuerat frater natu major reguli Chandemangalensis, nomine Tiruvangala. Erant huic adolescentes filii quatuor, ad quos, patruo liberos non habente, hæreditas regni devolvebatur. At fratri invisus abesse patria cogebatur, & nuper ad Chilanensem accolam se receperat, ne fraternis pateret infectationibus, & insidiis. Erudierat illum, uti dixi, Nobilius, sed uioras nectentem ab avita superstitione nondum abstraxerat. Ecce autem ab eo per litteras admonetur, se fratri reconciliatum remigrasse Chandemangalem, & velle propediem cum tota familia christianis sacris initiari. Simul ut adesse velit, rogatur. Erectus felici nuncio Nobilius statim contendit Chandemangalem. At eo delatus, lusum se a barbaro, ac spe sua fraudatum doluit. Mutaverat voluntatem Tiruvangala, nihilque jam volebat minus quam Christi cultum suscipere. Quippe homo vecors spem nactus fraternæ ditionis brevi acquirendæ, metuebat ne cives avitæ religionis desertorem aspernarentur. Tamen ad leniendum Nobilii mœrorem, & ne fidem fefellisse turpiter videretur, suos illi permisit liberos instituendos, qui si Christiani esse vellent, nihil in se futurum moræ spondebat. Nobilius, tametsi patris levitatem doleret graviter, solatium non leve cepit ex institutione filiorum, qui cum docilis ingenii adolescentes essent, aliquanto post baptismo initiati fuerunt.

117. Chandemangalem divertit cum magna rerum gerendarum spe.

118. Spe fraudatur, & multis laborat incommodis.

Vi-

Digitized by Google

Vitam agitabat interea nimium quantum miſeram, & ærumnoſam. Tecto carens commodiore, habitabat in quodam ædificii publici propylæo, ventis imbribuſque pervio, & quod multo deterius, prorepentibus paſſim anguibus infeſto. Victus olera & legumina, Saniaſſiorum more. Paupertas extrema, nullum niſi in piis precibus oblectamentum. Explevit denique pium famuli ſui deſiderium propitius Deus, ac prope ſpem ſuperavit. Erat Chandemangale Brachmanes, cui morbi vis vehemens mentem abſtulerat. Medicis omnia nequidquam ad eum perſanandum expertis, domeſtici, ut in re deſperata, Chriſtianorum ſacerdotem adeunt, & obteſtantur, ut ægro, ſi qua poſſit, ſubveniat. Facturum ſe promiſit Sacerdos: addidit tamen, humana ne tantum conjectura, an diviniore inſtinctu? quam ille recepiſſet corpore valetudinem, nihil ipſi, plurimum aliis ad ſalutem animæ profuturam. Dicto reſpondit eventus. Brachmanes, epoto aquæ luſtralis vaſculo, confeſtim convaluit, nec proinde ſuperſtitionem abjecit. At ex iis qui curationi interfuerant, plurimi chriſtianam religionem amplexi ſunt, ac præter alios, quod erat maxime optandum, reguli frater Tiruvangala. Perculſus enim miraculi magnitudine vir antea non alienus a fide, in Chriſtum credidit, neque ſolum ejecit quæ habebat domi dæmonum ſimulacra, ſed præterea, cum eſſet adhuc a baptiſmo recens, voto ſe obſtrinxit, ſi quando rerum potiretur, conaturum pro ſua virili parte, ut quos imperio regeret, etiam Chriſto ſubjiceret. Eo nequaquam contentus ſacro fervens ardore neophytus, uxorem, matrem, alioſque domeſticorum, capita omnino duodecim, ad Chriſtum traxit. Sæpe poſt hæc profitebatur, domum ſe ſuam vix agnoſcere. Nam quæ antea aſſiduis fere jurgiis, & contentionibus æſtuabat, poſt ſuſceptum baptiſmum, ob mutuam animorum conjunctionem videri poterat beatorum patriæ quam ſimillima. Collecto in hunc modum puſillo Chriſtianorum grege, adjecit animum Nobilius ad excitandam Chandemangale ædem ſacram, in quam neophyti coeuntes officia religionis obirent. Jam locum invenerat, jam opus moliebatur. Cum ſerpere oppido coepit infeſtus rumor, ſacerdotem Europæum merum eſſe maleficiorum artificem, ob eamque infamiam regni finibus cum ignominia pellendum. Id Regulo deliberatum ac fixum eſſe. In tanto periculo ac metu Nobilio auctor erat Tiruvangala, ut fuga celeri injuriam præverteret. At vir apoſtolici roboris, ſolitus terrores hominum jacta in Deum fiducia contemnere, perrexit nihil minus opus urgere, donec, aliam Deo mentem inſpirante Principi, ad culmen educta eſt ædes ſacra, & in ea vexillum crucis erectum, quod tunc primum Chandemangalenſes publice adoraverunt.

119. Miraculo interveniente, fructum ingentem colligit.

120. Ædem ſacram excitat Chandemangale.

Nihilo ſegnius interim P. Antonius Vicus, & huic nuper additus P. Emmanuel Martinus, evangelicum opus faciebant in urbe principe regni Maduренſis. Et quanquam baptiſmo tingerent haud ita multos, neophytorum tamen paucitatem penſabat magnitudo virtutis, & ardor quidam religionis, quo major optari vix poterat. Brachmanes fuit annorum ſeptuaginta quinque, cujus ipſa converſio admirationem ingentem habuit. Auditis chriſtianæ legis inſtitutionibus, fatebatur nihil excogitari poſſe verius, nihil ſanctius. Veruntamen rubore neſcio quo, & metu humano prohibebatur, ne baptiſmum ſuſciperet. Me ne, ajebat, in patriis religionibus ad hanc uſque ætatem cum laude verſatum, nunc inter tribules meos vivere abhorrentem ab eorum ſacris & moribus? Ita loquentem interpellavit Vicus, ac longum ſermonem exorſus, diſſeruit de tot illis omnis ætatis & ſexus heroibus, qui primis Eccleſiæ ſæculis equuleos, & rotas, & rogos, & omnia atrocioris tormenti genera pro Chriſti fide fortiter ſubierunt. Atque orationem extremam convertens ad ſenem: Te ne, inquit, non poſſe pro eadem cauſa vanos ſermunculos obloquentium pati? Hæſit admirabundus Brachmanes, nulloque reddito certo reſponſo, diſceſſit. Rediit poſtridie, & objectam ſibi in ſomnis narravit viri ſpeciem humana auguſtiorem. Ejus viri, quiſquis ille eſſet, voce ſe monitum ajebat, ut ſiquidem vellet æternæ vitæ compos fieri, peregrino ſacerdoti morem

121. Cujuſdam Brachmanis mira converſio.

Digitized by Google

rem gereret. Quocirca, adjecit, jam nunc in tuam disciplinam me confero, certus quidquid præscripseris obedienter facere. Amplexus est hominem Vicus, docuit, baptismo impertiit. Ille autem vigesima secunda post baptismum die, plenus optimæ spei ex hac vita migravit. Obiit sub idem tempus sanctioris vitæ Neophytus, cujus non aliquam hoc loco mentionem facere nefas duxerim. Gnano nomen erat viro, quæ vox latine justum sonat. Christi fidem amplexus ante annos decem, toto hoc præterito tempore ita vixerat, ut esset omnibus admirationi & exemplo. Dies noctesque, si paucas excipias horas quas dare curando corpori cogebatur, divino cultui impendebat, idque vel solus in suo conclavi, vel publice in ecclesia. Conscientiæ rationes recognoscebat bis in diem, semel ante prandium, iterum priusquam cubitum iret. Jam vero inter fundendas preces, vix credibile qua cœlestium deliciarum copia affluueret. Hærebat divinis rebus adeo defixus, ut nihil omnium quæ circa se fierent cerneret, aut omnino sentiret. Noxas vel leviſſimas studiose cavebat. De rebus corpori necessariis tantum sibi sumendum rejiciendumque statuerat, quantum præscripsissent Patres, qua in re ab eorum nutu pendebat, ne a regula mediocritatis vel tantillum deflecteret in alterutram partem. Tantam vitæ innocentiam tuebatur confessionis, & Eucharistici panis usu assiduo: quæ mysteria ea frequentabat religionis specie, cujus vel solo intuitu cæteri ad pietatem inflammabantur. Vivere desiit die atque hora qua prædixerat, annum agens ætatis septuagesimum quintum. Neque hic tacendum de filio ejus unico, qui pari sanctitatis opinione decesserat ante paucos menses. Acceptam a Patribus credendi regulam quanto amplexus fuerat obedientius, tanto constantius retinebat, solitus identidem affirmare, nec si Nobilius & Vicus aliter docerent, ab ea se discessurum. Vir nullis excultus litteris, calumnias ethnicorum, & obloquentes Christo Brachmanes refellebat, non solum intrepide, verum etiam diserte admodum, & eloquenter. De Deo autem, de animæ immortalitate, de virtutibus & vitiis, de futura post mortem vita, aliisque religionis capitibus, tanta verborum non modo copia, verum etiam efficacia differebat, ut ejus congressum litteratissimi quique ethnicorum pertimescerent. Ferre non poterat, apud tribules suos morem inoleviſſe fœdum ac barbarum, ut matrimonia passim pro libito conjugum dissolverentur. Hanc ut exscinderet corruptelam, egit jam seorsum cum singulis, jam in communi cum pluribus, donec omnium consensu, & Regis auctoritate jussa lex est, ne id liceret in posterum. Atque hæc ejus curarum fuit noviſſima. Nam paulo post lætus præclari laboris exitu occubuit. Hos nunc ferebat fructus illud olim sterile solum, Deo cultorum laboribus aspirante.

122. Neophyti cujusdam vita ad exemplum memorabilis.

123. Ejus filius paternam pietatem æmulatur.

124. Res Sinenses. Eventus male auspicatus Pekini.

At apud Sinas adhuc christiana res spem inter & metum, pro varietate eventuum, fluctuabat. Antea diximus, quæsitos Macao fuisse curulium tormentorum libratores ad comprimendos Tartaros, qui Imperium internecino bello vastabant. Venerant per eam occasionem plures in Sinam Patres, & quamvis occulte in regnum prorepsissent, in eo tamen connivente Imperatore substiterant. At ad libratores quod attinet, infelix quidam eventus in causa fuit, cur statim dimitterentur. Bellicum illi tormentum parabant displodere, ut artis suæ publicum quasi specimen ederent. Confluxerat cum Mandarinis belli arbitris frequens populus. Sed machina ærea, seu metalli male fusi, seu pulveris sulphurati vitio, dissiluit in frusta, ipsumque libratorem, & quosdam præterea e spectatoribus miserando casu discerpsit. Hoc genti omnium maxime superstitiosæ visum tam sinistri ominis, ut Imperator, omnesque Mandarini judicarint, nihil boni esse ab iis expectandum, qui tantum inferrent mali etiam tum, cum vellent bene amicis facere, eosque ipsos occiderent, quos defensum veniſſent. Creditum etiam est, rem melius feliciusque gerendam a Patribus, qui propterea, libratoribus confestim abire jussis, retenti sunt. At Patrum opera in profano bello necessaria non fuit. Tartari enim in suos fines ob domesticas dissensiones revocati, Sinam, & belli consilia omiserunt.

Digitized by Google

runt. Retentis in hunc modum Patribus, & jam Pekini palam ac publice commorantibus, ingens creatum eſt repente periculum unde minime timebatur. Vir noſtrorum amiciſſimus, dum anſam eos perpetuo retinendi quærit, parum abfuit quin imprudens perderet. Libellum obtulerat Regi, ſignificans advenas Europæos multæ doctrinæ viros eſſe, & libros habere egregios de mathematicis diſciplinis, quos e re publica futurum eſſet ſinice verti. Libellum Rex ſubjecit cenſuræ magiſtratus, cujus erat de rebus litterariis cognoſcere, id unice reſponſurus, quod ille cenſuiſſet: namque ita fert conſuetudo Sinici imperii, in quo vix accidit ut Rex quidpiam arbitratu ſuo decernat. Erat forte in hoc litterario magiſtratu vir veterum inſtitutorum apprime tenax. Itaque libello expenſo, cenſuram peregit breviter in hanc ſententiam: Homines Europæos, qui tantopere laudarentur, temporibus Vanliei turbas excitaſſe in Sina: fuiſſe ob eam cauſam exilio damnatos, nec aliud modo ſupereſſe deliberandum, niſi ut quam mox exulare iterum juberentur. Hoc ejus judicium ſi ad Regem fuiſſet delatum, procul dubio Patres toto Imperio extrudebantur. At providentia Numinis effectum eſt, ut reſponſum malignus cenſor, contra quam fieri ſolebat, non eidem libello adſcriberet, ſed chartæ ſeparatæ. Hanc regius ſcriba amicus Patrum detraxit de induſtria, libellum vero ipſum in aliorum faſciculum conjecit, ſine judicio cenſoris. Ita Imperator, dum libellos ſingulos pervolutat, nullum huic adſcriptum reſponſum videns, rem ſilentio præteriit.

125. Novum creatur noſtris periculum ab amico.

126. Periculum felici eventu diſcutitur.

Liberatos metu Patres illud erexit in novam ſpem, quod aucti ſunt dignitate & potentia doctores Michael & Paulus, altero in tribunali rituum, ubi cauſæ religionis agitantur, locum primo proximum adepto, altero adſcito in privatum Principis conſilium, quod proregum, rectorumque provinciarum eſt quoddam veluti ſeminarium. Inde res noſtræ multo lætiores factæ. Sane jam virorum talium commendatione Patribus in urbe regia ſplendidæ conciliabantur amicitiæ, nec erat dubitandum quin illi nova poteſtate uti vellent ad tuendos in poſterum liberius contra quaſcunque adverſariorum molitiones Evangelii præcones, & adminiſtros. Veruntamen, ut cuncta humana ſunt varia, & omnium maxime favor Principum, ſecuta mox eſt rerum magna converſio, quæ noſtros admonuit, ut ſpem ſuam omnem in Deo, velut in præſidio rerum ſuarum unico ac ſummo, collocarent. Ægre ferebant multi ex gravioribus aulæ Mandarinis ſuperbiam, opeſque immodicas Gueicuni cujuſdam eunuchi, cui ſe Rex adoleſcens regendum permiſerat. Oblatis adverſus impurum ſpadonem libellis, cum nullum tuliſſent a Rege reſponſum, vel dolore repulſæ, vel de republica deſperantes, miſſionem popoſcerunt. Dedit Rex: ſed ita, ut præter Paulum honorifice dimiſſum, cæteros auctore ſemiviro ejecerit cum ignominia. Viſum hoc chriſtianæ rei vulnus haud leve, quo uno tam potentium virorum patrocinium amitteretur. Aliud paulo poſt eidem inflictum eſt multo periculoſius. Cum deſæviſſet tempeſtas contra neophytorum ſodalitates anno præterito mota Nankini, inſtitutus fuerat in villa territorii Nankinenſis cœtus litteratorum ad eorum normam, qui recepto apud nos vocabulo nuncupantur Academiæ. Huic plures Mandarinorum dederant nomen, ex iis præſertim, quorum nota erat cum noſtris hominibus amicitia. Reſcivit Rex, multorumque criminationibus adeo permotus eſt in academicos Nankinenſes, ut eorum ſex vario cruciatu necaverit, alios totidem addixerit miniſterio bajulorum, quod eſt pœnæ genus apud Sinas multo graviſſimum, & cum noſtris fere triremibus comparandum. Ad hæc edictum propoſuit, ne qui uſpiam toto regno cœtus in privatis cujuſquam ædibus haberentur. Nihil accidere poterat rebus noſtris exitialius. Nam cum ſolerent Pekinenſium primores identidem apud nos convenire, ut de virtutibus ac vitiis conferrent, poſt hæc, ne in ſuſpicionem venirent initæ cum Nankinenſibus ſocietatis, Patrum vitabant conſuetudinem, aut certe palam cum iis congredi non audebant. Permanſere nihilominus Pekini Patres, quodque mirum videatur, in-

127. Augentur dignitate doctores Michael & Paulus.

128. Mox ſuis dimoventur locis.

129. Edictum Regis contra privatos quoſcunque cœtus.

130. Conſilia Pa-

co-

trum in ejuſmodi tempore.

columes. At conſilia temporibus accommodantes, incrementa religionis a ſenſu vulgi removere curabant, eumque adhibebant modum, ut neque deeſſet neophytis ſacrorum uſus, neque ullo ſtrepitu magiſtratus offenderentur.

131. Aliæ timoris cauſæ in urbe Hamceo.

Dum ſic in ipſa regni ſede Patribus humana ope deſtitutis tuta præſtabat omnia benigniſſimum Numen, trepidatum eſt Hamcei, nec leviter, nec levi de cauſa. Superſtant ibi hactenus reliquiæ quædam illius damnoſæ ſuperſtitionis, quam Pelinchiaji recens invexerant. Has penitus ut exſcinderet Prorex provinciæ Chekianenſis, edictum atrox paraverat, addideratque edicto capitulum chriſtianæ legi contumelioſum, juſſis Patribus provincia cedere, ac niſi ceſſiſſent, capitaliter plecti. Nondum reipſa edictum prodierat, ſed erat jam fama pervulgatum, & propediem proditurum ferebatur. In tanto periculo Patres Franciſcus Furtadus, & Joannes Terentius, relictis in urbe fratribus laicis, quibus utpote Sinenſibus nihil erat timendum, ſeceſſerunt in ſuburbanum doctoris Leonis, quo utebantur amiciſſimo, eique ſe ac ſalutem ſuam, ſeu potius publicam religionis, commiſerunt. Cauſam ſuſcepit Leo, uti ſolebat, ex animo ſtudioſeque, certus conari omnia, ut Prorex edictum mutaret. Sed ea contra ipſum repente eſt excitata tempeſtas, ut ægre tueri ſe poſſet qui aliis opem parabat. Eſt prope Hamceum lacus peramœni proſpectus, habens in ambitu millia paſſuum circiter quadraginta. Ejus omnem marginem, quaqua patet, Mandarini impleverant villis, quas domicilia litterarum vocabant, Bonzii vero cœnobiis, & templis Idolorum. Ad eum porro lacum, ut alii plures, ſic etiam Leo villam elegantem extruxerat. Jam vero accidit, ut inter Leonis famulos & piſcatores neſcio quid diſſidii oriretur, in quo cum ſuccubuiſſent piſcatores, Quæſtorem adierunt vociferantes, obeſſe piſcatui ædificium Leonis, nec eo ſtante poſſe ſe pretium, quo jus piſcandi conduxerant, fiſco perſolvere. Motus futili accuſatione Quæſtor, Leone nec audito, dirui ejus villam juſſit. Viſa res Leoni indigniſſima. Adit Proregem, ejuſque æquitatem implorans, docet, tot privatis publiciſque ædibus oram lacus ex omni parte occupantibus, eandem eſſe rationem omnium, nec apparere, cur ſuam præcipue villam piſcatores experirentur incommodam. Probavit exceptionem Prorex. Veruntamen homo vecors, ut juſte faceret, unius injuriam ad omnes tranſtulit, edixitque Hamceenſibus, ut quidquid eſſet ædificiorum in ripa lacus confeſtim disjicerent. Edictum ut in urbe vulgatum eſt, immane quanta indignatio repleverit civitatem. Fremere præ cæteris Bonzii, plebemque obtentu religionis accendere ad tuendas Deorum immortalium ſedes. Tum, ut in Leonem derivarent omnem popularis invidiæ impetum, ipſum unum Proregi auctorem fuiſſe iniqui edicti dicere. Cultorem ſcilicet externæ ſuperſtitionis, & ritus patrii contemptorem ſacrilegum, haud ſatis habere quod Deorum ſimulacra fœde violaverit apud ſe, niſi eorum quoque ſedes & templa per ſummam impietatem everſum iret. Quibus vocibus conflata eſt contra innocentem ſeditio adeo vehemens, ut nihil abfuerit propius, quam ut in propriis ædibus cum univerſa familia vivus combureretur. In illo tumultu nec ſibi, nec nobis defuit vir æque pius ac fortis. Ac primo quidem Dei patrocinio fretus, ejus exorare præſidium precibus ac jejunio ſtuduit. Mox conſilio induſtriaque utens, amicorum interventu pacavit furentem populum, ac ne quid gravius moliretur obtinuit. Poſtremo Proregi per litteras perſuaſit, ut ſuppreſſo invidioſo decreto, tolleret ſeditionis cauſam, & iram inde motam extingueret: quo impetrato, reddita eſt civitati tranquillitas. Unus ille ſupererat metus, ne prodiret ferale edictum, quo Patres exulare jubebantur. Huic quoque malo occurrit Numinis providentia, & periculum non expectato modo diſpulit. Fuerat plures annos Colaorum præſes Mandarinus quidam eximius, cui nomen Je, & noſtros Pekini benevole ſemper amanterque habuerat. Nunc vero, ſeu feſſus curarum mole, ſeu pertæſus ſuperbiam eunuchi gratia Regis impotenter abutentis, vacatione publici muneris impetrata, domum remigrabat ſuam in provincia Fokienſi. Cum divertiſſet paulu-

132. Doctor Leo, dum tueri noſtros parat, grave incurrit periculum.

133. Suum ac noſtrum periculum feliciter ſuperat.

lum

lum ex itinere Hamceum, hortatu Leonis ita cum Prorege locutus eſt de religione chriſtiana, de doctrina, moribus, & probitate Patrum, ut ille permotus talis viri teſtimonio, caput quod erat de exilio noſtrorum e ſuo edicto deleverit. Rebus demum ita compoſitis, Patres Terentius & Furtadus, ſexto quam abfuerant menſe, Hamceum rediere. Sed qualiacunque ea eſſent, nihil hoc tempore formidoloſius accidit relatione quadam invidioſiſſima, quam ad aulam tranſmiſit Cenſor provinciæ Cantonienſis. Narrabat improbus, degentes Macai Luſitanos moliri multa clanculum contra rem Sinicam, nec aliis uti conſiliariis, quam ſuis quibuſdam Bonziis, quos Patres S. Pauli nuncuparent. Hoc paſſim nomine deſignantur in Indiis homines Societatis a celebri S. Pauli collegio, quod habemus Goæ. Alia addebat ejuſdem ferme ſententiæ, falſa æque ac gravia, & ad permovendos Sinarum animos natura ſuſpicaces aptiſſima. Sed caſu, ſeu potius divino conſilio factum, ut ad militare conſilium relatio deferretur. Erat ex eo corpore nobilis Mandarinus nomine Ignatius, iſque potiſſimum eſt delectus, ut rem apud ſe mature diſcuſſam ad collegas referret. Vir ex animo chriſtianus, & Luſitanis occulte favens, ita retulit, ut omnes cenſuerint Luſitanis non eſſe moleſtiam inferendam, bonis quippe ſociis & amicis, ex quorum commercio Sina ingentes utilitates ad illam uſque diem accepiſſet. Atque has inter varietates fluebant res in Imperio Sinenſi, nunc ſpe prævalente, nunc metu.

134. Aliud noſtrorum periculum ex falſa relatione ad aulam miſſa.

Cæterum conſpecta ibi quoque, ut ſæpe alibi, exempla divinæ erga omne genus hominum charitatis, gaudente illo ſpiritu, qui ubi vult ſpirat, miris interdum modis ethnicos ad fidem trahere. Hujus rei unum alterumve exemplum ſubjicere abs re non erit. Cornelii centurionis miſericordiam imitabatur vir ex illuſtri Colaorum ordine Cianſii in provincia Nankinenſi. Erat ejus in egenos tam effuſa benignitas, ut a ſuis prodigus diceretur potius, quam pie prudenterque liberalis. Præter quotidiana pecuniæ & alimentorum ſubſidia, quæ mendicis erogabat, hoc habebat in more, ut inſtante bruma ingentem veſtimentorum numerum compararet, quibus nudos a frigore tutaretur. Ad hæc e famulis certos mittebat ſub noctem, qui vicatim circumeuntes, quoſcunque inveniſſent jacentes humi colligerent, ac paratis domibus & lectis inferrent. Viri pietatem indonatam non reliquit divina benignitas, ſed opem ejus animæ tulit, quam ipſe corporibus pauperum tribuebat. Adfuit illi, ut olim Angelus centurioni Cornelio, ſacerdos evangelicus, ac veritatem chriſtianæ religionis explicuit. Ille poſtea quam divinam cognovit legem, ſine mora cognitam amplexus eſt, ac Thomæ nomen in baptiſmo tulit. Nec vero diſtulit novæ profeſſionis documenta palam præbere. Quantum habebat domi ſimulacrorum, & falſorum numinum, comminuit, conculcavit, in cineres redegit. Erat eorum numerus ingens, & opinione major: quæ ita prius colebat, ut quotidie ante ſingula quater minimum procumberet demiſſo humi vultu, ac toto corporis habitu ad reverentiam compoſito. Purgata tot monſtris domo, poſtridie ædium ſuarum valvis appendit grandem tabulam majoribus inſcriptam characteribus, quibus jubebat abſiſtere procul Bonzios, & idolorum miniſtros, vetabatque a janitore ſuo recipi eorum libellos: quod inſigne quoddam opprobrii genus eſt, Sinenſi more, atque inſtituto. Impoſuit etiam foribus ſanctiſſimum Jeſu nomen, detractis ante cum contemptu quibuſdam dæmonum formis, quibus averruncari vulgo exiſtimant exitium a domibus, & iis ſanitatem ac proſperitatem inferri. Rogatus aliquando quid ſentiret de illa Chriſtianorum lege, quæ uxorem unicam in thalamum nuptialem admittit, reſpondit, exploratum ſibi eſſe, a Chriſto nihil præcipi niſi ſanctum & rectum: ſalutem vero ſempiternam dignam eſſe, quæ voluptatum omnium privatione compararetur. Cum amicis, poſt uſitata urbanæ comitatis officia, ſermonem miſcebat de divinis rebus, eoſque ad P. Alenium docendos plenius ducebat; qua arte lucratus eſt bene multos. Ut de aliis ſileam, longum certamen commiſit cum avunculo, improbo ſene, ac ſuperſtitioni perdite addicto. Expro-

135. Cujuſdam Mandarini converſio memorabilis.

136. Ejus mirus ardor in profitenda religione chriſtiana.

137. Idem plures e ſuis civibus ad Chriſtum pertrahit.

Digitized by Google

brare illi non cessabat senex, quod relictis Sinarum numinibus toto tamdiu cultis Imperio, pauperem, miserum, crucifixum Deum adoraret. Thomas contra inanitatem Sinensium numinum objiciebat avunculo. Evicit ad extremum Thomas, ut senex contumax Alenium de Cruce differentem audiret: quod cum ille præstitisset, uno alterove congressu victus, ad Christi partes transiit, haud paulo studiosior earum defensor futurus in posterum, quam irrisor antea & oppugnator fuisset. Ex his initiis coaluit in urbe Cianfio manus Christianorum pietate & numero florentissima. Prostrata sunt, tum in civitate, tum in finitimis circum locis idolorum delubra permulta, aut vero Numini consecrata. Non nihil miraculi etiam habuit, quæ Nankini facta est cujusdam Bonzii mutatio repentina. Ante quam inter Bonzios nomen profiteretur, forum triverat, & in agendis causis venalem facundiam per fas & nefas exercuerat. Nemo illi indignus patrocinio videbatur, qui haberet quod daret: eos autem putabat causa meliores, qui largius donarent. Puduit hominem aliquando artis nefariæ, & mutata mente Bonzium induit. Jam usque ad octoginta ætatis annos se duriter discruciaverat, pœnas ut lueret vitæ superioris, & aditum sibi ad eum quem fingunt paradisum aperiret. Confectus demum morbo senioque, deferri voluit ad fratris filium, excellentem christianum, cujus etsi odisset religionem, tamen probitatem amabat, virtutes admirabatur. Utque ex ejus colloquio intellexit, mortuum esse pro mortalibus Dei filium, & ab eo reseratum generi humano patriæ cœlestis limen, perculsus tanta charitate, quæ cadere nisi in Deum verum non posset, totum Christo se devovit, in ejusque laudibus & amore, post acceptum rite baptismum, finem vivendi fecit.

138. Nankini Bonzius paulo ante mortem ad fidem adducitur.

139. Res Japonicæ. Mitigatur persecutio. Grex christianus augetur.

Ineunte anno de quo scribimus, in Japonia, post illas anni superioris cædes, de quibus prolixe dictum est suo loco, visa tyranni acerbitas, si non satietate, saltem defatigatione sæviendi non nihil deferbuisse. Nam, excepto quod Nangasachii Sacerdotes nihilo remissius quam antea perquirebantur, nemo ibi, aut uspiam alibi Christianos ob causam religionis in judicium vocabat. Quam nostri quietem occasionem suam existimantes, caute quidem, sed tamen sedulo, ac sine intermissione dabant operam, ut Christi gregem per eas insulas late dispersum divino subinde verbo, & sacrorum usu rencerent, augerentque etiam numero, ut reipsa auxerunt adultis bis mille & sexcentis, quos partim sua, partim catechistarum manu baptismo consignarunt. At qualiscunque tranquillitas non fuit diuturna, vertitque brevi in atrocissimam tempestatem, cujus præcipue moles incubuit in urbem regiam Yedum, sedem Imperatoris. Versabatur ibi Joannes Faramon, vir regia prognatus stirpe, sed pietate & fortitudine, quam affinitate Principis multo clarior. Hunc jam pridem Daifusama, christiani nominis odio bonis spoliatum, exilio damnaverat. Eidem mox in patriam retracto extremas manus ac pedes amputari jusserat, & inusta cruce, tanquam probroso stigmate, frontem notaverat. Novissime exturbaverat illum denuo suis ædibus Xogunus, edixeratque ne quis exulem tecto exciperet, neu cibo aut officio ullo, quod impendi solet vel despicatissimis, juvaret. Tyranni lex inhumana non deterruit christianum quemdam Yedensem, quominus egregium exulem revocaret in patriam, & domi suæ abderet. Retrusus Faramon in tugurii angulum, dignam spectatore cœlo, ac laudatore degebat vitam, Deo contentus uno scilicet, ac pretiosa paupertate dives. Unus illi restabat e pristina opulentia servulus, vir fidei jamdiu expertæ, quam cum domini fortuna non mutaverat. Verum is, tepefacto paulatim studio pietatis, cum cœpisset servire libidini, hero servire desiit. Utque ita passim usuvenit, ut paupertas, cum toleratur ingratiis, multorum sit magistra scelerum, hostis ex amico, ex famulo proditor factus est. Deerant libidinoso pecuniæ, unde suas aleret insatiabiles cupiditates. Quæstum facere, prodito hero venditoque, decrevit. Hac mente conveniens Gubernatorem urbis, docet Faramonem exilio damnatum versari in civitate, & in re-

140. Persecutio recrudescit. Yedi plures christiani capiuntur.

Digitized by Google

retinenda peregrina ſuperſtitione multo eſſe quam antea pertinaciorem. Addit dubium ſibi non eſſe, quin Evangelii præcones in urbe ſint, ac duo præſertim ſacerdotes, Hieronymus de Angelis e Societate Jeſu, & Franciſcus Galbes ex ordine Franciſcano: ſe tamen ubi ſint, quia latebras ſedulo mutabant, certo non ſcire. Poſtremo e civibus plurimos chriſtianos nominat, ex quibus ſacerdotum indicia elici poſſent. Nihil diſtulit Prætor injicere Faramoni manus. Eodem die comprehendit appellatos a proditore chriſtianos, qui ſtatim in quæſtionem dati ſunt, ut de duobus ſacerdotibus indicarent. Omnes in profitenda Chriſti religione conſtantes, & æque fortes in celandis Patrum hoſpitibus extiterunt, præter unum, cujus pallor ac trepidatio ſuſpicionem fecit, injecitque ſpem exprimendæ veritatis. Extemplo humi ſupinus ſternitur, admotoque ori infundibulo, tantum aquæ ſorbere cogitur, quantum capere venter poſſet, qui deinde multo preſſus pondere illam per omnes corporis meatus dolore incredibili refunderet. Defecit hominem in cruciatu patientia. Ac Hieronymum quidem de Angelis latere dixit in domo Leonis cujuſdam Tachejæ: de altero Sacerdote negavit ſibi eſſe compertum. Confeſtim domum Leonis curritur. Silentem, ac tergiverſantem urget ipſe proditor, & a ſe conſpectum ejus domi P. Hieronymum tali die, tali hora confirmat. Ita eſſe demum reſpondit Leo: verum alio diſceſſiſſe jam, nec exploratum ſibi eſſe quo evaſerit. Addidit, daturum ſe operam ut eum reperiret, nec dubitare quin ultro ſe ipſe ſiſteret Gubernatori, ſi modo de periculo hoſpitis ſui cognoſceret. Ea vox ubi ad Hieronymi aures accidit, hæſit aliquandiu incertus quid conſilii caperet. Erant qui liberandum ejus hoſpitem crederent, ſi ipſe ſponte ſui copiam faceret judicibus, eamque forte ſpem Gubernator oſtendebat de induſtria, ut Sacerdotem haberet in poteſtate. Id plerique ſibi perſuadere non poterant, & etiamſi verum eſſet, negabant tanti eſſe vitam laici unius e multis, ut Sacerdotis tam neceſſarii vitæ anteponenda videretur: Hieronymus, conſulto impenſius Deo, vidit quanta pernicies eſſet piorum domibus inferenda, ſi latere pergeret: nec enim ceſſaturos impios ſatellites vexare multos, ut unum reperirent. Reputabat quoque ſecum, quantum apud neophytos offenſionis habitura eſſet ipſius fuga, quam necis metum procul dubio interpretarentur. Quid vero, ajebat, expectandum ab ovibus ſit, ubi paſtorem viderint metu contenſitum, & turpi fuga dilapſum? His diligenter expenſis, faciendum omnino ſibi duxit, ut ſponte conveniens Gubernatorem, voluntariæ ſe neci offerret. Deponit Japonicum habitum, ſumptaque Societatis veſte diſcedebat. Abeuntem circumſtitere chriſtiani mœrentes, oranteſque ne miſerum & afflictum gregem tot inter luporum inſidias deſereret. Cum nullæ neque preces, neque lacrymæ obſirmatam in propoſito mentem flecterent, orabant ſaltem, ut ſua cum illo profiteri liceret nomina coram Gubernatore. Paratos eſſe ſe vincula cum illo induere, & per mille cruciatus glorioſam pro Chriſto mortem oppetere. Sed neque id tulit Hieronymus, expectanda dictitans divinæ providentiæ juſſa, non temere prævertenda. *Ad me quod attinet, hæc*, inquit, *eſt hora mea, hæc præſtituta divinitus dies. Fidem obligavit ſuam hoſpes meus: hanc liberare meum eſt, nec fas ut ille meo loco pereat.* Ita demum circumfuſæ multitudini perſuaſit ut abſiſteret, & ad meliora ſe tempora reſervaret.

141. Unus inter tormenta P. Hieronymum de Angelis prodit.

142. P. Hieronymus ſe ultro ſiſtere Gubernatori ſtatuit.

Non tamen ab amantiſſimo magiſtro divelli potuit Frater Simon Jempo, aſſiduus ejus comes, & in explicanda divina lege ſtrenuus adminiſter, qui adſcriptus nuper fuerat in Societatem. Jacebat ad P. Hieronymi pedes oppletus lacrymis, utque olim Xiſtum Pontificem Laurentius, ne ſe comitem ad triumphum reſpueret, rogabat. *Egone*, ajebat, *ſuperſtes tibi ſim? Ego te, mi Pater, quem nunquam viventem deſtitui, morientem deſeram? Hanccine perfidiam in me poſſe cadere putaviſti? An vero te obſequii mei atque operæ pœnitet, ut quem tot annos ſocium adſciviſti, nunc reſpuas, cum maxime tibi meam probare fidem ardeo?* Ea dicentem ſuaviſſime complectens Hieronymus:

143. Conantur fruſtra chriſtiani eum retinere.

144. Comitem ſe illi addit Fr. Simon Jempo.

mus: Nec me pœnitet, ait, operæ tam fideliter a te tot annos mihi ac religioni navatæ, nec mihi venit in mentem dubitare de animi tui fortitudine, quam tot in laboribus periculisque spectavi. Sed superesse cupiebam qui destitutum gregem pasceret, extincto me. Nunc quandoquidem hanc tibi mentem Deus, ut video, aspirat, macte ista virtute, & ad tribunal pariter properemus. His dictis, ambo perrexerunt. Oblatus Gubernatori ex improviso Hieronymus, exporrecta & hilari fronte narrat qui sit, & qua causa ex remotissimis terræ plagis per innumeros errores, & mille vitæ discrimina venerit in Japoniam. Permotum se, ait, calamitate gentis cultissimæ, quam sempiternum maneret exitium, nisi Christi cultum susciperet, veteri superstitione abjecta. Miratus dicendi libertatem Gubernator, paulum velut attonitus obticuit. Mox colligens sese, quas adierit civitates, quibus hospitibus fuerit usus, rogat. Cui Sacerdos non imparatus: Nulla certa, inquit, nec sua domus est pauperibus, quales nos esse profitemur. Cunctæ mendicantibus patent, nec quemquam hospitia publica respuunt, modo non desit quantulacunque pecunia, quam e civium liberalitate colligere promptum est. Hæc dicens, nummulos paucos in eam rem allatos prompsit. His ego, adjecit, hactenus victitavi, quos jam ut inutiles libens abjicio, de tuo in posterum victurus. Sensit artem Gubernator, & arridens laudavit respondentis ingenium. Tum ambos in carcere attineri separatim jussit. Pars carceris honestior data P. Hieronymo. Simoni alia, in quam sceleratorum fæx conjici solita, Cum multi essent in iisdem vinculis ethnici, uterque nactus est ubi operam fructuose poneret. Simon paucis diebus homines quadraginta ad fidem primo, deinde ad bonam frugem adduxit, scripsitque ad Patres Societatis, confidere se, modo decem suppeterent dies, futurum ut omnes ethnicos, qui secum eadem custodia tenebantur, ad Christum converteret. P. Hieronymus octo tantum ethnicos baptizavit, quia plures in ergastulo suo non reperit.

141. Patris Hieronymi constantia, & sagacitas coram Judice.

146. Conjicitur in carcerem cum Simone Jempo. Ambo rem utiliter gerunt.

147. Novus Japoniæ Imperator, ejusque prima sententia contra christianos quinquaginta.

Aberat Yedo cum hæc acta sunt Xogunus Imperator, Meacum profectus, ut filio jam vigesimum ætatis annum egresso hæreditatem imperii, quæ est Japonum consuetudo, traderet. Cum tradidisset, & nihilominus sibi nomen potestatemque pristinam reipsa retinuisset, Yedum reversus est circa finem Novembris cum filio, & ingenti regulorum comitatu, qui ex tota Japonia confluxerant ad cohonestandam præsentia sua inaugurationem novi Principis. Illum Gubernator confestim certiorem fecit de captis Evangelii ministris (nam & P. Franciscus Galbes haud ita pridem fuerat comprehensus), aliisque Christi cultoribus fere quinquaginta, rogans quid iis fieri juberet? Judicium hoc senex Imperator permisit filio, cui etiam Xoguno nomen, & par in Christianos odium. Exarsit continuo juvenis, & ira æstuans: *Vivi flammis absumantur*, inquit: *hi, quia legem Christi prædicarunt, isti, quia amplexi sunt*. Hæc prima novi Regis sententia, hoc imperii nuper initi specimen primum fuit, ex quo licuit augurari, quas deinde strages bellua tam feralis esset editura. Dicta sententia est III. Nonas Decembris. Postridie omnes ferreis levati compedibus, injecta collo reste, manibus a tergo revinctis, per civitatis amplissimæ vicos ad ignominiam circumaguntur. Ducebant sacrum agmen duo sacerdotes, P. Hieronymus de Angelis, & P. Franciscus Galbes; tum Joannes ille Faramon, Imperatoris consobrinus, cujus supra mentionem fecimus. Tres isti equis insidebant, ut conspectiores essent qui cæteris dignitate præstabant. Frater Simon Jempo, aliique sex & quadraginta, sequebantur pedites. Permixtæ in felici turba viris feminæ, puerique conspiciebantur. Suum cuique nomen majoribus exaratum litteris pendebat ab humero, præibatque sententia hastili summo præfixa, & totidem plane verbis concepta: *Isti ad ignem damnati sunt quia christiani*. Patebat prope urbis occidentalem portam ingens area, destinatus supplicio locus. In medio stabant stipites quinquaginta per æqualia intervalla dispositi, nisi quod tres extra reliquorum seriem

148. Qui perducuntur ad rogum cum P. Hieronymo de Angelis.

149. Apparatus supplicii describitur.

Digitized by Google

riem eminebant. Strues lignorum hinc inde congesta una fere ulna distabat a palis. Aream claudebat compactum e sudibus septum, cujus aditum milites custodiebant. Ad hunc locum, vulgata tragœdiæ peragendæ fama, effudit se visendi studio civitas universa, & prope par advenarum numerus, nobiles præsertim, ac reguli provinciarum, quos secum novus Imperator adduxerat. Ingressi feralem scenam sancti actores, ad suos singuli palos alligati fuerunt. Duo tamen Sacerdotes, & Joannes Faramon vetiti sunt desilire equis, sed spectare foris jussi, ut alieno torquerentur ante cruciatu quam suo, & forte terrerentur. Dum alii ad supplicium aptabantur, P. Hieronymus, ut exstabat in equo sublimis, vocem intendit ad populum, maxime vero ad regulos dynastasque, & de christianæ religionis necessitate ac dignitate vehementer, ac splendide verba fecit. In eandem sententiam peroravit Galbes, ac demum etiam Faramon, qui cum esset ad dicendum omnibus naturæ & industriæ præsidiis instructus, non leves aculeos in audientium animis defixit. Nondum hic finem dicendi fecerat, cum reluxit ignis materiæ siccæ admotus, & paratas victimas involvit. Perstrepebat populi cæcum murmur de judicum immanitate quiritantis. Virorum fortium non clamor auditus, non gemitus, ac ne motus quidem corporum visus. Incessit ingens ethnicos admiratio, qui tam novam cernerent in humana natura fortitudinem, ejusque causam ignorarent. Christianorum vero adeo non sunt animi tam diro spectaculo perterrefacti, ut imo duo cæteris animosiores, vir unus, altera mulier, e media turba proruperint ad repagula, se quoque christianos esse clamitantes, orantesque beatæ necis participes fieri. Capti sunt illico, & quamvis ad pœnam dilati, tamen confessionis suæ præsentem & jucundissimum fructum percepe-

150. Cremantur quadraginta septem. Eorum constantia admirabilis.

runt ex gaudio christianorum, & aliorum admiratione. Depastis incendio corporibus, felices animæ evolaverant: cum ex equis delapsi tres ultimi pugiles, in stadium læti prosilierunt, & ad suum quisque stipitem vincti fuerunt. Incensa pyra, audiebatur P. Hieronymus oppositam rogo suo multitudinem monere, hortari, erudire. At tandem incussa ori flamma loquenti animam cum voce intercluſit. Par Franciscani constantia, par Faramonis fuit, qui etiam conspectus est globos flammarum expansis brachiis invitare quodammodo, & amplecti, stetitque in immani cruciatu velut doloris omnis ac sensus expers, donec in genua similis adoranti concidit. Reliquiæ corporum appositis excubiis toto triduo servatæ, mox a christianis certatim direptæ sunt. At P. Hieronymi caput in collegium Macaense prius, inde Ennam Siciliæ urbem translatum est, ubi nunc etiam cum honore servatur.

151. Ultimo loco comburitur Pater de Angelis cum aliis duobus.

Priusquam ad alia progrediamur, postulat instituti nostri ratio, ut de P. Hieronymo de Angelis, ejusque socio Fr. Simone Jempo pauca dicamus. P. Hieronymus in Japoniam nonnisi post diuturnos terra marique errores pervenerat. Profectus enim Ulysipone, ut alibi dictum est, in Indiam cum P. Carolo Spinula, & tempestate abreptus in Brasiliam, inde in Angliam, ac denuo in Lusitaniam fuit deportatus, ubi post sacros ordines susceptos, rursum commisit se mari Japoniam petens, quo sua illum ferebant vota non minus antiqua, quam incensa. Huc aliquando tandem devectus, campum nactus est ærumnarum apprime feracem, collegitque fruges uberrimas, quas neque Bonziorum perfidia, neque Imperatorum sævitia potuit convellere. Damnatis exilio præconibus Evangelii anno labentis sæculi decimoquarto, remansit ipse in latebris, ac Japoniam omnem ultro citroque permensus, tam multa, tam difficilia perfecit, ut naturæ mortalis conditionem ac vires superare videantur. Primus in regnum Voxuanum, & quatuor finitimas tetrarchias, primus in Yechigum, Devam, & Sandum, tria regna ad ultimos Japoniæ fines remota, fidem intulit. Primus penetravit in Giezum, quæ terræ plaga angusto a Japonia dirimitur freto, & insula ne sit, an pars continentis, nondum est exploratum. Idem omnium primus invisit centum & amplius exules, Tzugaram in extremum Japoniæ angulum relegatos, eosque alloquio pio & sacrorum usu recrea-

152. Elogium Patris Hieronymi de Angelis.

Digitized by Google

recreavit. In regnis Cami, cum illuc primum appulit, vix mille reperit mortales christianis sacris imbutos. Ipse brevi tempore supra dena millia abluit sua manu, resque ita composuit, ut quæ facta postmodum est accessio multorum millium, illius potissimum industriæ, secundum Deum, referretur accepta. Yedum denique accitus a suis moderatoribus, biennium integrum in ipsa tyranni regia, atque inter infensissimos religionis hostes consedit pene ignotus. Adeo colorem Europæum tot annorum assidui labores detriverant. Hoc certe extremo tempore ita erat retorridus ac macilentus, qui antea corpulentus, ac succi sanguinisque plenus, ut idem esse non putaretur. De eo

153. Testimonia quædam ejus memoriæ perhonorifica.

scribens qui in ipsius successit locum P. Joannes Matthæus Adamus: *Vix*, inquit, *sacerdotes quinque ferre laborem possumus, quem P. Hieronymus de Angelis perdiu solus tulit*. Nec earum gentium neophyti quid deberent Patri Hieronymo in suis ad Romanum Pontificem litteris tacuerunt. Voxuani ad Paulum V. perscripsere in ejus laudem copiosissime, hunc ajentes Apostolum suum, ac primum institutorem fuisse, seque enimvero fortunatos prædicantes, qui tali ac tanto viro potirentur. Siculus erat, ea in urbe natus, quam Ennam antiqui, Castrum Joannis recentiores vocant. Adolescens juris discendi causa Panormum cum venisset, animum appulit ad Societatem, cujus tirocinium posuit Messanæ. Annum agebat cum beata nece donatus est sextum & quinquagesimum, viginti duos exegerat in missione Japonica. Frater Simon

154. Elogium Fratris Simonis Jempo.

Jempo in regno Fingensi natus, ex annis tribus & quadraginta quos vixit, primos sexdecim traduxerat in Bonziorum cœnobio, falsorum numinum cultu involutus. Christi fidem amplexus, totum se addixit Patribus, laboresque maximos, quibus respondit ingens animarum proventus, exhausit. Indicto christianæ fidei magistris exilio, venerat in Philippinas. Verum anno proximo regressus clam in Japoniam, popularibus & voce, & exemplo plurimum profuit. Erat nostris omnibus, cum indolis suavitate, tum morum innocentia apprime carus. Itaque extremo vitæ anno cum petiisset in Societatem recipi, haud ægre impetravit. Quam alacri ac forti animo mortem pro Christo adierit, supra narratum est.

155. Spe præmii augetur numerus, & improbitas delatorum.

Postridie quam martyres supplicio affecti sunt, prodiit in frequentem urbis plateam regii præfectus ærarii, & illum quem dixi famulum Faramonis, a quo sacerdotes innocentes cum tot christianis fuerant indicati, alta voce compellans, ei coram populo pretium proditionis adnumeravit aureos majores nummos triginta, quæ summa si ad rationem nostram revocetur, aureorum est duorum fere millium. Eidem adjudicavit magnificam domum unius e combustis martyribus, quæ ad fiscum ejus supplicio redierat. Non defuerunt sane ex ipsis ethnicis qui palam superos precarentur, ut infamis quæstus male proditori verteret. At plures de fæce vulgi, spe tantæ mercedis illecti, (tantundem enim accepturos denunciaverat præco, quicunque christianos & religiosos, aut horum hospites indicassent) nullam inquirendi & vestigandi curam prætermiserunt. Impetum in domos quaslibet scelerati faciebant, & arrepta indicii vel minimi causa, spoliabant omnia, ac diripiebant, parentesque cum liberis in jus ambulare cogebant. Non vicinus a vicino, non amicus ab amico tutus. Quocirca plerique, deserta civitate & hominum consortio, in ferarum antra confugerunt. Reliqui e suis ædibus omnia religionis monumenta, & signa vel levissima sustulerunt. Sed artem invenit ethnicorum furor,

156. Edicta quædam contra religionem Christi promulgantur.

qua religio ex ædibus velut pulsa, ex animis quoque multorum brevi expelleretur. Promulgatum fuit edictum, ut quicunque Yedi degeret, hospes an civis, die constituta quotannis coram Ædilibus profiteretur, quam servaret legem, quod numen coleret, cui sectæ dedisset nomen, quem Bonzium haberet ducem doctoremque pietatis. Item ne quis peregrinus Christi cultor in publica reciperetur diversoria, sed statim pertraheretur ad Prætorem, vel saltem ipsi denunciaretur. Hoc lethali vulnere percussa religio, paulatim ibi concidit, non tamen sine longo, & cruento certamine. Repertæ eodem anno ea-

Digitized by Google

eademque in urbe Yedenſi fortes animæ, & digni primis ſæculis heroes, qui omnem atrocis edicti ac ſuppliciorum vim perferre, quam obligatam Deo fidem fallere maluerunt. Sub extremum Decembrem ad pœnam vocati ſunt pro ſuſcepta religione cives quatuor & viginti. Eorum ſex lentis ignibus confecti, vir unus, & quinque feminæ. Cæteri aut obtruncati, aut in crucem acti, aut barbarum in modum diſcerpti. Adjuncti illis erant ethnici tredecim, neſcio qua cauſa damnati: ſed in eodem ſupplicio nimium quantum diverſi vultus, atque animi. Hi, ut in ſumma deſperatione, mœſti, dejecti, & miſerabiliter ejulantes. Chriſtiani contra læti alacreſque, quippe erecti certa futurorum bonorum ſpe: quod diſcrimen ab omnibus notatum eſt. Sed miranda in primis accidit alacritas infantium, qui in hac turba plurimi inveniebantur. Pars, quia nondum pedibus inſiſtere poterant, inter lictorum brachia geſtabantur. Pars viam ludibundi ridenteſque carpebant. Nemo non cohorruit, cum ex illo parvulo grege alii a carnificibus capite amputato cæſi, alii diſſectis ab umbilico ad collum uſque viſceribus mactati, alii tranſverſo corpuſculo duas in partes diviſi, alii demum uno arrepti pede, & fruſtillatim conciſi fuerunt. Spectabant carnificinam intrepidæ matres, & in filiolis prius crudeliuſque, quam in ſuo rogo moriebantur. Neque tamen tam immani ſupplicio ſatiata eſt tyranni crudelitas. Haud ita multo poſt aliæ ſeptem mulieres, ac viri decem, ob cauſam religionis in flammas conjiciuntur, ac ſimili conſtantia mortem excipiunt. Fuit in hoc numero nobilis adoleſcens ex ephebis ipſius Imperatoris, non alia cauſa neci datus, quam quod ſuas ædes chriſtiano locaſſet. Ita barbarus Imperator in urbe imperii ſede divinam religionem exſcindere moliebatur.

157. Necantur alii chriſtiani viginti quatuor Yedi.

158. Deinde alii ſeptendecim.

Nihilo mitius agi cœptum in reliquis imperii provinciis. Cum enim ubique mores, ſtudia, & exempla Principis vim potentiſſimæ, ac ſanctiſſimæ legis habere ſolent, tum vero mirum quantum valeant apud Japoniæ regulos, & tetrarchas, quorum fortunæ ac diademata ita ſunt in manu Imperatoris, ut perlevi nutu poſſit eos dignitate, opibus, ac vita ipſa ſpoliare. Quamobrem ejus iram veriti, ejus decretis & exemplo compulſi, ad ejuſdem ſe finxerunt indolem cæteri Japoniæ principes, & ad excidium chriſtianæ rei certatim conjuraverunt. Pervaſit ultimos imperii fines atrociſſimæ tempeſtatis turbo, & labefactatam ſuperiorum temporum acerbitate religionem lamentabili ſenſim ruina, & irreparabili clade proſtravit. Regnum Devæ ultimus ad ſeptentrionem Japoniæ limes eſt, regio perfrigida, & nivibus perpetuis inhorreſcens. Ibi pugnatum in Chriſtianos frigore, ut igne ac rogis alibi. Cum aſpera ſæviret hiems, ac domos etiam optime clauſas horrore perfunderet, totæ familiæ ſpoliatæ veſtibus, & oppidis pulſæ, in patentibus campis pernoctare ſub dio coactæ ſunt, ubi pueri parvuli, ac teneræ cum matribus virgines frigore confectæ, vitam infelicem vulſis radicibus ſuſtentabant. Ajunt eo redactas fuiſſe matres, ut filiolos alios aliis ingeſtos, & in excavata parumper humo coacervatos, herbis ac terra cooperirent, ne nivibus, aut urente vento necarentur. Movit ea calamitas Bonzium, qui paulo magis quam cæteri Bonzii homo erat. Itaque veſtes, cibaria, & ligna miſeris importanda per ſervos ſuos curavit. At repudiata ſunt a neophytis omnia, ne ſi a Bonziis aliquid accepiſſe dicerentur, apud reliquos Chriſti aſſeclas in ſuſpicionem venirent perfidiæ, vel ignaviæ.

159. Reguli ac tetrarchæ conjurant in religionis excidium.

160. In regno Devæ frigore vexantur chriſtiani.

161. Oblatam a Bonzio opem reſpuunt.

Par multorum conſtantia fuit in provincia Achitenſi, nec virorum tantum, ſed etiam mulierum. Unam præ reliquis novo tormenti genere cruciarunt. Catenis ferreis alligatam columnæ cuſtodiebat globus militum, vetabatque ne quis illi quidpiam potus aut cibi ferret. Stetit mulier ad plures dies impaſta, inediam, frigus, & impudicos militum obtutus, haud leve tormentum muliebris verecundiæ, perferens. Sed pars ſupplicii aſperior duo fuerunt filioli, alter decem natus annos, alter duntaxat tres, qui fame enecti cibum diu noctuque a matre rogitabant, & querulo planctu maternas aures perpetuo ferie-

162. Mulieris immane tormentum, & mira conſtantia.

Digitized by Google

feriebant. Genua caræ parentis amplexabatur panem orans pusio trimulus, eumque frater natu major subinde allevans inter brachia, matris uberibus admovebat. At sicca ubera nihil dabant. Vocem unicam, unicum postulabat a matre nutum tribunus militum, ut eam cum liberis cruciatu eriperet: non tamen a forti muliere vocem, aut nutum expressit, priusque mortuam vidit, quam metu mortis, aut filiorum amore debilitatam. Haud absimilem triumphum retulit in urbe Morioca, provinciæ Nambuæ primaria, altera fortis femina, cui Magdalenæ nomen. Tam arcte constricta fuerat vinculis, ut funes in crurum brachiorumque carnes intimas adacti nihil exstarent. Ita vincta sternitur humi prona, jacentique carnifex educto gladio tria quatuorve carnis frusta ex dorso abscindit, & videnda oggerit. Erexit illa se hilari vultu, & hanc sacrificii sui partem recenti manantem sanguine aspectans, gratias habituram se Deo immortales dixit, si victimam integram suo dicatam numini accipere non gravaretur. Simul collum tortori porrigens, sacrificium explevit. Ajunt, clarissimam facem ejus imminentem vertici, cum torqueretur, fuisse conspectam. Addunt, cum fuisset objectum tigridi famelicæ cadaver, feram non modo intactum illæsumque reliquisse, sed quasi subito correptam terrore sustulisse clamorem, seque in suam caveam toto triduo abdidisse. Mira profecto accidit in imbelli sexu fortitudo vitæ mortisque contemptrix: sed in tenera ætate æque admirabilis. Ad ea igitur quæ hactenus narrata sunt, juvat postremo loco attexere pueruli septem duntaxat annos nati præclarum facinus, in quo majorem quocunque cruciatu animum admirari licebit. Sæpe illum admonebat genitor, Christianos, quæcunque proponantur supplicia, nunquam debere a Christi fide dimoveri: quidlibet ferendum prius, quam fidem abdicandam. Respondebat puer, ita sibi omnino persuasum, ita esse deliberatum. Quadam die, cum forte assiderent ad focum, sermonem eundem inferens pater: *Age vero*, inquit: *periculum fac, & qui sis futurus, si res ita postulet, doce*. Aderant ante oculos ardentes prunæ. Unam forcipe arreptam pater puero obtulit. Porrexit hic manum sine mora, & impositum volæ ardentem carbonem immotus, ac nullo doloris edito signo sustinuit, donec pater collacrymans, & filiolum amplectens: *Jam facis fidem*, ait: *projice*. Projecit puer, non sic tamen ut eum excuteret celeriter, sed inversa paulisper manu sensim excidere passus est. Hos christiana religio suis cultoribus spiritus, hanc animi magnitudinem pueris ipsis afflabat. Exempla ejusdem generis, cum ad res anni proxime consequentis narratio pervenerit, exequemur.

163. Par alterius feminæ virtus in acerbissimo cruciatu.

164. Septennis pueri facinus illustre.

165. Res Philippinarum. In insula Boholensi dæmon seditionem concitat.

Nunc gradum facimus in Philippinas insulas, ac primo narrandam loco sumimus fœdissimam rebellionem ab indigenis hoc anno motam contra Hispanos, quorum religionem æque ac imperium aversabantur. Initium mali factum in insula Boholensi per absentiam Patrum. Aberant autem propterea quod, allato nuper nuncio de concessis Indiarum Apostolo sanctorum honoribus, convenerant in collegium Zebuanum, ut novum ejus cultum lætitia insigni celebrarent. Hoc captato tempore malus dæmon (namque ita creditum est) se Divatam, id est tutelarem regionis deum affirmans, nonnullis e primoribus se videndum obtulit humana specie, sed ore velato, & seditionis faces incussit. Venisse se, ajebat, ut genti miseræ, & plus nimio ab extraneis tyrannis oppressæ opem ferret, eximeretque carissimum populum servitute. Neque vero difficile id factu esse. Irent, ac popularibus denunciarent, abrumpendum cum Patribus omne commercium, excutiendum jugum Hispanorum, iterum in montana secedendum. Si jussa fecerint, bene beateque victuros in posterum, & in summa rerum copia futuros, quippe immunes tributorum, quæ hactenus regis ærario contulissent. Secus, perpetuo miseros & afflictos fore. Cæterum Hispanos ne metuant. Effecturum se in pugnæ discrimine, ut hostium missilia sint innoxia, aut in ipsos recidant. Eosdem versum iri in lapides, si modo Bissajæ (hoc nomine designantur indigenæ) ad ipsorum conspectum pronunciaverint vocem *Batò*, quæ gentis lingua lapidem sonat. Hæc

Diva-

Digitized by Google

Divatam adpromittere, hæc certiſſime eventura. Sic ille ſive dæmon, ſive dæmonis imitator: cujus voce decepti qui erant in populo ſpectatiſſimi, facili negotio in eandem fraudem rude vulgus traxerunt. Fit ergo popularis conſpiratio contra Hiſpanos. Unum omnium, & commune votum eſt libertas. Totam inſulam furor inſanus, & libido libertatis antiquæ pervolat. E ſex majoribus pagis, in quos omnis Boholenſium civitas erat diſtributa, Lobocenſes tantum, & Blacajonenſes in officio manſerunt. Quatuor reliqui cum armis in apertum prodierunt. Fama tumultus Boholenſis, cæteras perquam celeriter inſulas pervagata, traxit in partes Leitem, inſulam vicinam, & populo frequentem, concitante præſertim animos, & ferale claſſicum canente perfido ſene, qui cum Divatæ fanum ſtruxiſſet Carigaræ in oppido inſulæ primario, confictis ejus oraculis & promiſſis, pleroſque inſulanos in ſeditionem impulit. Fuere tamen hic quoque, qui conſentire popularium perfidiæ noluerunt: cujus rei cauſa ortum eſt civile diſſidium, in quo quinque ex fidelioribus manu perduellium interfecti fuerunt. Reliquarum inſularum populi, in belli exitum intenti, reſpiciebant ad Boholenſes & Leitenſes conjuratos, ſumpturi ab iis conſilium, vel quieſcendi, ſi vincerentur, vel imitandi, ſi vincerent. Sed non anceps diu fuit deliberatio. Ut ad arma ventum eſt, ſenſerunt malo ſuo rebelles, quam mendacem haberent Divatam, quam inanibus promiſſis fidem habuiſſent. Suum illud *Batò* in acie ingeminarunt fruſtra. Hiſpani clamoribus nequaquam territi, nihilque minus quam lapides effecti, irruerunt magno impetu in multitudinem, partim conciderunt, partim fugarunt. Plerique in montes compulſi, receptam utcunque libertatem ſibi gratulabantur. Sed hinc etiam dejecti ab Hiſpano milite, pacem ſuppliciter petere, ac ſe victori permittere coacti ſunt: quo demum omnes, poſita ferocia, ad officium redierunt. Jam vero in hoc furialis belli motu labor noſtrorum ingens, nec inutilis fuit. Multos continuerunt ne ab Hiſpanis deficerent, plurimos poſt defectionem ad ſaniora conſilia revocarunt. Pacatis ad extremum inſulis, occaſionem augendæ pietatis ex ipſa impietate rebellium arripuerunt. Inter cætera a Boholenſibus acta nefarie, confregerant cum inſigni contemptu, aut diſſipaverant omnia chriſtianæ religionis monumenta, & quatuor pagorum eccleſias incenderant. Effigies præſertim erat B. Virginis, quæ a populo colebatur religioſiſſime. Hanc illi, dictu nefas! repetitis ictibus lancearum fœde violaverant, exſtabantque in ejus ore triſtes ſacrilegii notæ, & cum horrore conſpiciebantur. Noſtri ergo, ut illatam Deiparæ injuriam honore rependerent, imaginem ita multatam pompæ quam licuit maxima circuinferendam curarunt, devectamque per celebriores Zebuenſium vias, triumphantis in morem exceperunt in æde Societatis, ubi viſitur etiam nunc in ara maxima, & ſumma omnium religione colitur.

166. Duæ inſulæ conſpirant de excutiendo Hiſpanorum jugo

Rebus adeo perturbatis inter Biſſajas, novus Societati campus laborum apertus eſt in inſula Marinduquenſi, quæ millibus paſſuum fere centum viginti a Manila disjungitur. Hanc jamdiu Hiſpani pacate obtinebant: at ſemen evangelicum, quod per quoſdam clericos ſpargebatur, fructum efferebat in illo ſolo nullum, aut perexiguum. Vocati itaque fuerunt operarii Societatis, hique, Deo bene juvante, rem ita geſſerunt, ſic operam & induſtriam ſuam incolis probaverunt, ut eorum expeteretur manſio perpetua, velut perpetuum ac porro magnum inſulæ beneficium. Reſcivit de Marinduquenſium deſiderio Antiſtes Manilanus, utque illi faceret ſatis, curiam, quæ forte deſtituta Parocho inveniebatur, Societati tradidit. Quis ex noſtris primus eam ceperit adminiſtrandam, non invenio. Sed quiſquis ille fuerit, initiis profecto cepit egregiis. Pauci adhuc indigenarum fuerant in pagos ad convivendum contracti. Plurimi poſt ſuſceptum baptiſmum redierant ad avitos montes, & more veteri in barbarie vivebant. Ut vulgatum eſt, Curiones deinceps fore de Societate, reverſi ſunt defertores, ac plures barbarorum familiæ ſponte in plana deſcenderunt e ſuis jugis, ut novo Paſtori ſe inſtituendas offerrent. Adeo inſederat Indorum mentibus hæc opinio, homines Societatis bene mereri de

167. Conjurati vincuntur ab Hiſpanis.

168. Noſtrorum res geſtæ ante, ac poſt tumultum.

169. In inſula Marinduquenſi cura animarum committitur Societati.

170. Novus ibi Parochus rem gerit feliciter.

Digitized by Google

omnibus, & nihil omnium in India, præter salutem animarum quærere. Opinionem non esse falsam senserunt brevi Marinduquenses. Correpti enim, seu cœli vitio, sive alia causa, exitiali quodam pestilentiæ genere, in ea calamitate, non solum animorum solatia, verum etiam corporum adjumenta a novo Parocho perceperunt. Hinc aucta erga illum incredibiliter benevolentia, in quo uno insulani communem, atque optimum parentem sibi datum viderent. Accessit paulo post aliud non leve beneficium. Mos ibi inoleverat barbarus, ut quicunque pecuniam accepisset ab altero mutuam, ei serviret gratis, donec debitum dissolvisset. Quod si quisquam alius interea tantundem pecuniæ daret fœneratori, ille jus acquirebat in debitorem, & hunc abducebat in servitutem. Morem charitati christianæ repugnantem pro merito insectatus loci Pastor, intra breve tempus abrogatum vidit.

171. Mors & elogium P. Joannis Riberæ.

Duos interea desideravit provincia Philippinensis dignissimos posteritatis memoria viros, Patrem Joannem Riberam, & Fratrem Gasparem Gomez, de quibus pauca nostro more subjicimus. Degebat Ribera in collegio Manilano cum eximia fama virtutis, atque doctrinæ, nec alius ferme tota provincia putabatur esse, qui tantam cum insigni sanctimonia conjungeret divini humanique juris intelligentiam. Vir propterea apud summos infimosque consultissimus, magnam obtinebat apud omnes ordines auctoritatem. Ipsi magistratus, tum civiles, tum sacri, in ambiguis negotiis Riberam consulebant, nec quidquam momenti gravioris, nisi ex ipsius sententia decernere audebant. Ejus responsis pondus addebat pietas, quæ eum doctrina tam excellenti certabat. Ab ipso tirocinio niti cœperat ad religiosæ perfectionis apicem contentione summa, nec deinceps usque ad obitum de ardore illo primo unquam remisit. In piis meditationibus, quarum usum habebat assiduum, mira mentis dulcedine perfundebatur, gustabatque suavitatem illam omni humana majorem potioremque, quam talium rerum experti quietem vocant. Sic animum excolens, corpus redigebat in servitutem, interdicto sibi vel aspectu earum rerum, quæ humanas cupiditates blando lænocinio, & illecebra voluptatis proritant. Multis, præsertim in extrema ætate, conflictabatur morbis, & permolestis: scabie, pustulis, respirandi difficultate. Totum illi corpus fœdo modo ulcerosum. Hæc tamen incommoda cumulabat voluntario cruciatu, Deo vivens tantum, sibi quotidie moriens. Vivere desiit ad Nonas Junii, annum ætatis agens quinquagesimum septimum, ab inita Societate quadragesimum: ejus vero funus universa civitas non minori frequentia, quam luctu duxit. Natus erat Angelopoli in nova Hispania, parentibus in illa colonia spectatissimis. Nomen Societati dederat annum decurrens duodevigesimum, eamque adolescenti mentem injectam ferunt obitu inmaturo sororis, cujus venustas & forma toto erat oppido celebris. In ejus vultu fœde corrupto perspiciens Joannes, quam vere dictum sit: *Fallax gratia, vana est pulchritudo*, totum ad cœlestia se converterat. Translatus e provincia Mexicana ad Philippinas, nunquam deinde induxit animum ut remearet in Mexicum, quamvis id liceret per moderatores, & ab ipsius consanguineis incredibili studio posceretur. Verebatur scilicet, ne cæteris de Societate exemplo esset deserendi operis, ad salutem Indorum semel susceptis.

172. Obitus & elogium Fratris Gasparis Gomez.

Frater Gaspar Gomez, etsi domesticis ministeriis addictus, eximii ingenii, & miræ in rebus gerendis dexteritatis laude floruit. Sub ipsa nascentis provinciæ primordia, totam sustinuit rei familiaris, & ædificiorum procurationem Manilæ. Inde missus a Prætore Philippinarum ad aulam Matritensem, qua pollebat prudentia ac dicendi facultate, magnæ molis negotia solerter admodum, feliciterque confecit. At supra naturæ dotes longe in Gomezio eminebant religiosæ virtutes, obedientia præsertim, demissio animi, & irreprehensa legum domesticarum custodia. In senectute extrema adduci nunquam potuit, ut vacatione muneris uteretur, quam seni emerito ætas, & majorum consensus concedebat. Datus itaque œconomo collegii Manilani socius, ei subservire perrexit usque ad extremum. Tali autem observantia respiciebat hominem,

Digitized by Google

minem, ſui cæteroqui gradus, ætatis vero, & experientiæ longe minoris, ut ad ſingulos ejus nutus præſto eſſet, nec unquam aliquid mallet, quam quod ille faciendum exiſtimaret. Obiit Manilæ, uti vixerat, ſancte ac placide, expletis in Societate annis quinquaginta.

173. Adventus in Philippinas viginti Sociorum.

Talium mœrorem funerum ex parte minuit adventus ſociorum viginti, qui miſſi anno ſuperiore ex Europa, nunc circa finem Junii Philippinas inſulas attigerunt. Principio Lamponem delati ſunt, Luſoniæ portum, ibique paululum ſubſtiterunt. Sed cum in eo portu naves adhuc poſt plures dies reflantibus auſtris detinerentur, longiorem rati moram, nec ferentes prorogari ſibi tandiu apoſtolicos, ad quos veniebant, labores; quod ſupererat viæ uſque Manilam, per abrupta montium atque avia pedibus peregerunt. Excepti mira ſociorum gratulatione, ob exitum difficillimi itineris Numini gratias perſolverunt. Illa tamen re angebantur, non omnes qui ex Europa ſolviſſent perveniſſe pariter in Philippinas. Nimirum cum navigandum fuit ex Mexico, duabus impoſiti fuerant navibus magno vectorum numero jam occupatis, atque ita refertis, ut alios ægre caperent. In illa anguſtia noſtri quod loci relictum acceperant, alii ſupra tectum navis, alii prope infimos ſinus, inter onera & commeatus: illi injuriis temporum dies noctesque expoſiti, hi calore immodico, ac ſitu enecti. Neſcias utri incommodius, moleſtiuſve haberent. Acceſſit in ipſa navigatione ſuſceptus ſponte labor concionandi, confeſſiones audiendi, opitulandi omnibus. Quæ dum Patres nullo valetudinis ſuæ reſpectu gerunt ſtudioſius, ægrotaverunt plerique, quatuor laboribus & ærumnis fracti perierunt. Præivit omnibus P. Ludovicus Marincola, e provincia Neapolitana Sacerdos, cujus præcipue animum nullis infractum laboribus periculiſve laudabant. Marincolam proxime excepit P. Didacus Alexander, in eadem ille quidem provincia natus, ſed Romæ in Societatem adlectus. Hunc ferunt ſtudio quodam ſingulari fuiſſe addictum S. Bernardino Senenſi, cui præter alia beneficia, expeditionem indicam referebat acceptam. Et notatum eſt, ejus mortem longius quam putabatur extractam, incidiſſe demum in XIII. Cal. Junii, diem Bernardini natalitium. Subſecutus eſt Pater Franciſcus Joannellus, quem ſodales cæteri tanquam exemplum abſolutæ perfectionis intuebantur. Sane cunctis præfulgebat pietate, humilitate, modeſtia, quas virtutes piarum meditationum uſu aſſiduo alebat, augebatque. Extra præfinita orandi ſpatia erigere ſubinde mentem in Deum ſolebat, quem ubique præſentem circumſpiciebat. Hunc etiam ſibi ſubtraxerat provincia Romana, ut ſtrenuum operarium daret vineæ Philippinenſi. Quarto demum loco, & in ipſo Philippinarum conſpectu mortuus eſt Frater Ludovicus Hernandez, domeſtici miniſterii adjutor, vir ille etiam probatæ virtutis, & in ſuo gradu valde laudatus. Sed ſtilum convertamus in Mexicum.

174. Quibus inter navigandum incommodis laboraverint.

175. Eorum quatuor in ipſa navigatione extincti.

176. Res Mexicanæ. Prorex vim infert Eccleſiæ, & Archiepiſcopo.

In urbe regni Mexicani ſede gravis hoc anno exarſit tumultus, ad quem ſedandum profuit non nihil auctoritas & induſtria noſtrorum. Vir nobilis, ſed legibus reus, confugerat in ædes religioſæ cujuſdam familiæ pro jure aſyli. Eum nihilominus Prorex capi vincirique juſſit, fruſtra Archiepiſcopo reclamante, & loci immunitatem objectante. Mox, ut invidiam violatæ religionis a ſe depelleret, vocatis ad conſilium theologis, expendendas in communi propoſuit rationes, ob quas videbatur ſibi juſte ſapienterque feciſſe. Conſultationi non interfuit de Societate niſi P. Joannes Ledeſma, qui ſolitus quod ſentiret aperte proloqui, factum liberrima voce improbavit, & tuendum jus Eccleſiæ ſuſcepit, vanis rationibus veriores ſolidioreſque opponens. Loquentem ſuperbe interfatus Prorex, aliorum ſententias perrogavit: quibus vel tacentibus, vel tergiverſantibus, conſentire eos ratus qui loqui libere non auderent, perrexit novo auſu malam cauſam facere deteriorem. Archiepiſcopum, tanquam reipublicæ perturbatorem, amandavit procul in arcem, propterea quod præſidium regii auditorii imploraſſet. Vim iniquam repellere Antiſtes non potuit. Prius tamen quam in arcem exportaretur, propoſuit palam edictum epiſcopale,

177. Populus concitatur contra Proregem.

Digitized by Google

pale, quo civitati juſtitium ſacrorum indicebat. Hinc orta ſeditio. Populus occluſa videns templa, nullas in urbe religiones, ſe rerum ſacrarum uſu prohibitum, exarſit continuo contra Proregem. Coeunt innumera multitudo omnis ætatis & ſexus, ad prætorium convolant, clamore incondito vociferantes, & iram Numinis auctori tantæ calamitatis imprecantes. Auditæ etiam voces minitantium ferociter, & violatorem religionis ad pœnam depoſcentium. Iis vocibus conterritus Prorex, abdiderat ſeſe in occultiſſimas latebras, certus inde pedem non efferre, niſi prius ſeditio quieviſſet. Interim abjecta ab eo gubernacula ſuſcipientes auditorii regii Senatores, noſtros evocant ex domo Profeſſorum, jubentque pacare ſævientem plebem, & ad quietem priſtinam revocare rem publicam. Patres juſſa celeriter exequentes, quantum conari auctoritate & gratia poterant, dederunt operam, ut furenti populo arma detraherent: non tamen impetraverunt, niſi his conditionibus. Primo, ut Prorex abdicato magiſtratu in ordinem redigeretur. Deinde, ut revocatus in urbem Archiepiſcopus templa recluderet. Durior Proregi videbatur conditio prior: acquievit tamen, quia non aliam patere intelligebat ſalutis viam. Quo uti convenerat exauctorato, plebis ira detumuit. Adeo apud multitudinem validior interdum eſt vis religionis, quam imperii.

178. Noſtri ſeditionem componunt.

179. Deteguntur occulti idololatræ, & ab impietate abducuntur.

Rem momenti gravioris peregit eodem tempore P. Ildephonſus Valentia Realtii, in oppido provinciæ Nicaraguæ. Intellexerat, neſcio quibus indiciis, multos adhuc ibi eſſe cultores idolorum, licet externa ſpecie Chriſtiani cenſerentur. Monuit ſtatim Epiſcopum, acceptaque ab eo poteſtate quæſtionem inſtituendi de cultu ſuperſtitioſo, ſexcentas detexit dæmonum formas, quas illi clam adorabant. Malum, ſi ſemel detectum fuerit, ex parte curatum vulgo creditur. Hujus quidem peſtis facillima curatio fuit. Valentia de magnitudine criminis tam appoſite peroravit, ut ſontes impietatem ſuam multis cum lacrymis execrantes, admiſſi veniam petierint. Recepit eos in Eccleſiæ gratiam Antiſtes. Dimiſſa tamen cæteris pœna graviore, auctores ſceleris præcipuos eccleſiæ Societatis ſervire per triennium juſſit Realtii, ut a Patribus erudiri per otium poſſent: namque id potiſſimum ſpectabat ſervitutis obtentu. Quibus juſſa facientibus, labes illa omnis, eo nocentior, quo occultior, exciſa eſt.

180. Granatenſium inſignis benevolentia erga noſtros.

Granatæ interim cum increbuiſſet rumor, collegium illud Societatis certis de cauſis diſſolutum iri, perſpicere licuit quanto noſtri homines in amore & pretio eſſent apud civitatem. Commoti rumore non vano civium primores, præter alia ad Patres retinendos adhibita, litteras communi nomine exararunt ad Comitem de Gomera auditorii Guatimalenſis præſidem, quarum hæc ferme ſumma. Non poſſe verbis explicari fructum, quem ex miniſterio Societatis cepiſſet hactenus civitas Granatenſis, ac porro caperet. Ad oculum perſpici, quantum quotidie in melius proficerent civium mores. Agendum omnino cum Præpoſito generali, ac ſi res ita ferret, etiam cum Rege, ne Patres abducerentur. Ac poſt alia ejuſdem generis, ita claudebant epiſtolam. *Si claſſes Anglorum, quas nuper infeſtas experti ſumus, hos expugnaſſent portus, atque incendiſſent, non tantam accepiſſe cladem videremur, quantam inſtare arbitramur, ſi diſcedant homines Societatis.* Sic illi pro egregia ſua erga nos voluntate. Cæterum dum Societas de Granata deſerenda cogitabat, novum ex inſperato collegium accepit in oppido Potoſino. Titulum fundatoris retulit vir ſpectatæ pietatis, & notæ in pauperes beneficentiæ, Joannes Zabala. Nam cum ex frequentibus noſtrorum excurſionibus comperiſſet, quantas populis utilitates afferret eorum labor, ex ampliſſima hæreditate, quam pauperibus relinquebat, partem legavit Societati, cum hoc ut Potoſii collegium excitaret. Cœptum eſt hoc ipſo labente anno collegium, & a S. Ludovico nominatum.

181. Fundatur collegium Societatis Potoſii.

182. Res geſtæ in Cinaloa, &

De progreſſibus religionis inter barbaros Cinaloenſes nihil ſe offert adjiciendum ad ea, quæ ante triennium memoravimus, niſi exceſſiſſe hoc anno numerum renatorum ultra undecim millia. Itaque cum placuiſſet omnium neo-

Digitized by Google

neophytorum, quos ea regio numerabat, censum peragere, reperti sunt octoginta quatuor millia omnino, & si quid amplius. At dum augentur numero neophyti, multos ex eo grege detraxit lues exitialis inter Parrenses exorta, & huic addita, ut ferme solet, annonæ caritas: duo mala longe gravissima, quibus plerique miserandum in modum prosternebantur. In rebus tam afflictis non defuit genti miseræ charitas, & industria nostrorum. Accurrebant solliciti quocunque vocaret necessitas: languentibus dies noctesque assidebant: nihil non experiebantur ut ægri, aut convalescerent, aut cum spe vitæ melioris decederent. Multi per hanc occasionem auditi rite confitentes, quæ diu male celaverant: multi ab initis cum dæmone pactionibus impiis liberati. Namque, ut hoc non præteream, vix credibile, quam multis modis ille hostis humani generis infensissimus illuderet rudi populo, ejusque abuteretur vecordia, ac tarditate. Dum grassabatur quam dixi pestilentia, videndum se exhibuit terrifica specie quibusdam paucis indigenarum, eamque ærumnam a se immissam dixit, pœnas ut sumeret perfidiæ, qua maluissent extraneum amplexari cultum, posthabito se, veteri ac proprio gentis numine. Addidit, nunquam factum iri ultioni modum, nisi ad ritum pristinum rediissent. Viderent itaque quid facto esset opus: & siquidem extingui pestilentiam vellent, totos quatuor dies choreas ducerent in honorem sui. Id si facerent, tunc demum infortunium depulsum iri. His irretiti mendaciis e populo multi, quatuor ipsos dies perpetuis saltationibus exegerunt quasi lymphati, aut amentes, quo labore quidam vix non exanimes corruerunt. Sed cum nihil propterea remitteret morbi sævientis vis, agnoverunt veteratoris nefarii fraudem, seque sistentes Patribus, crimen multo cum fletu confessi sunt. Similem adornaverat fraudem avernalis spiritus uni cuidam neophyto Vallisoleti (non illam dico urbem Castellæ prænobilem, sed aliam ejusdem nominis in provincia Mechoacana), nisi misero divina benignitas præter communem modum affuisset, & perituro opem præsentem S. Ignatius attulisset. Res est digna scitu, & ob exempli utilitatem non tacenda. Quartum jam annum curabatur iste in publico urbis nosocomio, sed frustra. Erant qui exitialem illi pestem afflatam putarent malis veneficarum artibus: adeo ignoto ac pertinaci morbo extabescebat. Extrema homini macies. Forma quasi cujusdam larvæ. Corpus exsuccum, luridum, cadaverosum, vibicibus undequaque lividum, ac semper tremens. Vox admodum exilis. Multo tamen ægrior mens, quippe multorum scelerum sibi conscia, ac semper reputans, hinc atrocitatem flagitiorum suorum, inde æternæ mortis decretum ut prorsus ineluctabile. Agitatus perpetuis conscientiæ stimulis, & veniam desperans, nunc laqueos cogitabat, nunc præcipitia, tanquam miseriarum exitum optatissimum, atque unicum. Nec vero per ipsum stetit, ne periret. Quater adiit vicinum flumen, præcipitem se daturus. Quater occulta voce retractus est. Laqueo collum implicuit sæpe, ac se projecit e trabe. Semper in terram decidit salvus, fune mirum in modum abrupto. Novissime, deliberatum ac fixum habens angores interitu voluntario finire, captata nocte concubia, ne quis adesse posset interpellator, reste prævalida se suspenderat. Affuit nihilominus momento eodem ignota actus vi curator nosocomii, & abscisso celeriter fune, invitum servavit. At simul misit ad collegium Societatis, ut accurreret aliquis Patrum. Unus advolavit continuo: quem tamen ille torvis oculis, & turbido vultu contuens, jubebat procul absistere. Nam quid tandem sibi vellet ab homine, cujus desperata esset salus? Actum esse de se. Vetare diabolum, ne quod admitteret corporis animæque remedium. An vero, adjecit, non vides adstantem, mihique jam fauces adunca manu comprimentem? Quæ cum diceret, fœdis sese motibus agitabat in omnem partem. Cohorruit ad eas voces Sacerdos, sed animum non abjecit. Provolutus in genua, Numinis misericordiam imploravit. Tum, depromptis quas attulerat secum reliquiis B. Patris Ignatii, aggreditur hominem propius, eique quas dixi reliquias admovet. Mirum dictu! Eo contactu, resedit

maxime inter Parrenses.

183. Quidam infigni fraude decepti a dæmone.

184. Memorabile exemplum divinæ misericordiæ.

185. Mira vis reliquiarum Sancti Ignatii.

Digitized by Google

dit momento lymphatæ mentis æstus: æger in alium pene hominem versus est. Sacerdotem utilia suadentem audire jam pronis auribus, & vera loqui dicere. Tandem in spem veniæ erectus, animæ labes largo fletu, & confessione purgavit. Sic expiato, pacatoque habendam reliquerat Sacerdos Ignatii icunculam, adversus diaboli molestias præsidio futuram. Eam perpetuo gestans æger, non solum nullis animi intemperiis deinceps est conflictatus, sed intra paucos dies revaluit etiam corpore, novumque vitæ cursum ingressus est eo dignum homine, qui beneficio Numinis singulari ab utroque interitu corporis animæque vindicatus fuisset.

186. Obitus & elogium P. Joannis Alvarez.

Quædam acciderunt circa idem tempus funera, quorum est memoria annalibus consignanda. P. Joannes Alvarez, cum esset in ipso robore ætatis, diem clausit extremum Angelopoli, ubi ante annos vix quadraginta editus in lucem fuerat, parentibus genere ac pietate inclytis. Adolescentem in spem non humilis fortunæ educatum ipsa Deipara, ut ferunt, intimo pulsu cordis ad ineundam Societatem impulit. Sane visum in ea deliberatione superiore vi regi consilium ejus. Nam cum fuisset primo rejectus duriter a Præposito provinciali, mox subita conversione voti compos est factus. Ab ipsis religiosæ vitæ primordiis eas sibi præfinivit vivendi leges, quæ decerent clientem Virginis tam eximio devinctum beneficio. Nihil illo modestius, nihil in omni domestica disciplina diligentius. Peracto studiorum orbe, destinatus est ad erudiendos barbaros in illo montium tractu, cui a S. Andrea nomen fecerunt Hispani, nec est dictu facile, quantum ibi per novem annos desudaverit, & quanto fructu. Senserat, ad capiendos gentis animos multum valere modos musicos. Hanc ergo artem didicit, & pueros incredibili patientia docuit. Primus in illis montibus sacras ædes, quæ hactenus mera fuerant mapalia, opere solidiore, & elegantiore forma construxit. Idem plures familias barbarorum e suis eductas latibulis in unum contraxit oppidum, constrinxitque socialis vitæ legibus & institutis. Et quia incommodus ad aquandum erat locus, ne qui propterea dilaberentur, ad eum locum corrivavit brachium fluminis ingenti fossa, quam per tria circiter millia passuum deduxit. Tot beneficiis, & nativa comitate, ita suum sibi devinxerat gregem Alvarezius, ut haberetur communiter in parentis loco. Hanc suavissimam caritatem tunc maxime licuit æstimare, cum moderatores eum coegerunt natale solum repetere, ad reparandas vires laborum magnitudine plus nimio attritas. Mœsti tunc supra quam dici possit neophyti, & absentis desiderium non ferentes, scripserunt ad Provincialem communes litteras, reddi sibi postulantes optatissimum Patrem, qui si abesse pergeret, magnam instare christianæ rei perniciem denunciabant. Illorum querimoniis permotus Provincialis, significandum curaverat Alvarezio, ut si quo modo posset, rediret ad suos neophytos. Sed cum has accepit litteras, eo jam decumbebat morbo, quo mox interiit. Morbum porro contraxisse creditur, cum ob immensos labores ministerii sui, tum ob voluntarias corporis innocentissimi afflictationes, quas ultra omnem modum adhibebat. Ut nihil dicam de verberationibus crebris, ac fere semper cruentis, aliisque id genus cruciatibus, in victu quotidiano nihil gustabat, præter frumentum indicum, & frigidam. Inde languor stomachi cibos paulatim omnes respuentis, inde macies extrema, ac demum mors ante diem.

187. Mors & elogium Fr. Joannis Baptistæ Espinosæ.

Non sane immaturo occubuit funere Frater Joannes Baptista Espinosa, annos quippe vivendo supergressus centum & unum. Ejus tamen obitus dolorem asperšit sociis, quibus cara hominis religiosissimi vita, & adhuc exemplo utilis. Vixerat apud se usque ad annum sexagesimum: qua ætate licet videri posset in vineam missus circa horam undecimam, non ideo brevi perfunctus est in ea labore: reliqui enim fuerunt anni amplius quadraginta. Priorem vitæ partem inter varios fortunæ casus exegit. Natus erat Valentiæ. Simul ac parentes composuit, transvectus est Melitam cum viro nobili, cui se famulum addixerat. Post sexennium, dum navigat in aliam, nescio quam terræ plagam, captus

Digitized by Google

captus a pirata Tripolitano, in ſervitutem venundatur. Quatuordecim annos hero Mahometano ſervivit, ſuamque illi fidem probavit uſque adeo, ut diligeretur vehementer a barbaro, magiſque ut curator domus, & adminiſter, quam ut emptum mancipium haberetur. Nihil non movit Mahometanus, ut cariſſimum ſervulum a Chriſti cultu ad Alcoranum traduceret, aut ſaltem ut de caſtimonia dejiceret. Sæpe ad eum immiſit noctu incitamenta libidinis. Sæpe promiſſis, interdum etiam minis, atque verberibus conatus eſt conſtantiam fortiſſimi juvenis expugnare, ſed irrito ſemper conatu. Luſit illum denique Eſpinoſa, & oblata occaſione ad fugam uſus, evaſit in Siciliam. Inde in Hiſpaniam reverſus, poſt longas peregrinationes & varias, quas referre non vacat, venit poſtremo in Mexicum. Hic, audita noſtri ſacerdotis concione, exarſit ſanctioris vitæ deſiderio, & Societatem petiit. Multa obſtabant ne petitor reciperetur, ætas præſertim nimis provecta. Sed omnia vicerunt optimi ſenis preces & lacrymæ, quibus vim ingentem addidit quædam eximiæ probitatis opinio, quam publice obtinebat. Acceſſit teſtimonium noſtri ſacerdotis, qui ejus conſcientiam cum haberet intime perſpectam, ſancte affirmabat, vixiſſe Eſpinoſam inter mille vitiorum illecebras mira innocentia. Receptus itaque eſt inter fratres domeſticæ rei curatores, quodque ſuperfuit vitæ ſpatium inter laborioſiſſima miniſteria traduxit, nulla unquam excuſatione ætatis, aut virium. Nutus majorum ut leges obſervabat, prævertebatque. Paupertatem colebat tam exacte, ut nihil apud ſe haberet, præter ſacratum cereum, & libellum illum aureum Thomæ a Kempis de imitatione Chriſti, quem diebus ſingulis volutabat. Caſtitatem incredibili cura, ac prope ſuperſtitioſe cuſtodiebat. Senex ætatis decrepitæ, totque pugnis & victoriis clarus, colloquia feminarum quantum poterat refugiebat, etiamſi vetulæ illæ eſſent, aut pietatis fama ſpectabiles, nec eas aſſidere ſibi propius unquam patiebatur quacunque cauſa. Quo in genere eo uſque progreſſus eſt, ut ne ſolita quidem ſalutationis verba cum illis miſceret, parum metuens notam inurbanitatis, modo ſalva eſſet pretioſiſſima rerum pudicitia. Propter hæc, aliaque ſanctimoniæ documenta, ingens erat Eſpinoſæ exiſtimatio Valliſoleti, ubi ultimam vitæ partem traduxit. Illum univerſa civitas ut virum inſigniter ſanctum obſervabat. Illo Antiſtes urbis familiariſſime utebatur. Solus deſpiciebat ipſe ſe, ſolus oderat. Nulla illi potior cura, quam ut Deo, ac moderatoribus ſuis, quippe Dei vicariam poteſtatem gerentibus, ſatisfaceret. Fuit cum Præſuli ad colloquium invitanti, modeſte quidem, ſed libere ſui copiam negavit, propterea quod ſuo tunc diſtineretur miniſterio in culina, nec opus divina voluntate cœptum intermittere fas putaret. Quod vacuum relinquebatur ab officio tempus, piis precibus totum impendebat in ſuo conclavi, idque feneſtris omnino clauſis, ne alio mens vagaretur. Studio precandi deditus præſertim fuit ſub vitæ finem, cum propter ætatem ab omni munere vacare juſſus eſt. Mortem lætus oppetiit Valliſoleti XII. Cal. Maji, eique religioſæ familiæ plures, & Canonici ſuprema peregerunt. Noſtris vero eo accidit acerbius viri deſiderium, quod in gravioribus collegii negotiis ſolebant ad ipſius preces confugere, earumque ſæpe efficaciam experiebantur. Atque hæc de rebus Mexicanis.

Narrationem labentis anni claudere libet in Braſilia. Vidimus ante annos ſeptem miſſos Pernambuco Patres Emmanuelem Gomez, & Didacum Nunez in Maranionem, amplam terræ plagam tunc primum imperio Luſitano adjectam. Poſt illud tempus, digreſſis quos dixi Patribus, nemo illuc tranſmiſerat de Societate: non quod deeſſet noſtris voluntas, ſed quia Rex, motus parum æquis nonnullorum relationibus, maluerat ad ejus ſoli culturam religioſos alterius ordinis adhiberi. Sed quamquam ita eſſet, magna judiciorum commutatio facta eſt Matriti, ſimul atque Braſiliæ præturam eſt conſecutus Didacus de Mendoza. Vir æquiſſimus, non ex aliena fide res Maranionis æſtimans, ſed coram intuens, ut facile intellexit quid illis ſubeſſet relationibus, ita conſilio Indico haud difficulter perſuaſit, adeo non eſſe arcendos Maranione noſtros, ut

118. Res Brasiliæ. Mittuntur duo Patres in Maranionem.

Digitized by Google

ut potius eorum præsentia, tum e divino obsequio, tum etiam e rationibus Regis futura esset. In hanc sententiam cum perscripsisset Matritum, & exequendi propositi sui veniam impetrasset, Societatis Præpositum provincialem perpulit, ut par sociorum mitteret in Maranionem. Missi continuo sunt duo lectissimi, P. Ludovicus de Figueira, & P. Benedictus Amodei. At non eodem excepti sunt a colonis Lusitanis animo, quo Mendoza mittendos curaverat. Exarserunt plerique seditionis in morem, & vix appulsos cogebant pedem referre, nisi tumultum regius Præfectus, partim vi, partim auctoritate compressisset. Adeo ferre pacate non poterant prædatores indigenarum coloni, esse ibi qui contra eorum rapacitatem tutarentur libertatem Indorum, hosque abripi in servitutem prohiberent. Namque hæc odii causa unica, cui alias prætexere conabantur frustra. Repressi, ut dictum est, a Præfecto, etsi vim a duobus Patribus abstinerent, id saltem moliri omni ope statuerunt, ut inde statim revocarentur. Eo consilio scribunt ad Mendozam, ut Maranionis finibus interdicat Jesuitis, quorum gravem sibi esse præsentiam affirmabant, reique publicæ noxiam. Simul libellos contestationis in acta publica referunt. At nihil profectum. Rescripsit Prætor indignatione liberrima, mirari se vehementer, quid veniisset illis in mentem tales ejicere homines, qui fuissent ultro arcessendi, nisi adessent. Se Societatem in ea colonia constitutam velle, cum alias ob causas, tum præcipue quod intelligeret, opera Societatis Jesu confirmandam esse Regi possessionem novæ provinciæ, ejusque fines amplificandos. Viderent proinde, ne quid contra Patres molirentur in posterum. Sic ille. At cum hæc in Maranionem responsa pervenerunt, mutaverant jam multum animi colonorum, aliisque Societas oculis aspiciebatur. Conversionem istam effecerat consuetudo ipsa Patrum nulli molesta, affabilis, religiosa, & publicæ rei non inutilis: quibus rebus cum accederent postmodum quas dixi Prætoris litteræ, adeo inclinati sunt erga nos plerique, ut jam rebus nostris impense faverent ii quoque, qui modo acerrimi fuerant adversarii. Vicissim Patres, bene de omnibus mereri studentes, nullamque omittentes laboris & industriæ partem ad provehendam privatim ac publice pietatem, eosdem sibi magis in dies singulos demerebantur. Præter alia, ut administrari sacra decentius possent, templum sibi struxerunt ex cæmentis calce duratis, quod primum in Maranione fuit ejus generis ædificium, ac Lusitanis gratissimum accidit. At enim extra Lusitanorum coloniam nihil erat, quo se posset effundere nostrorum labor. Ne indigenis etiam navarent operam, vetabat manipulus sacerdotum e sacro Minorum ordine, qui cum sub idem tempus veniisset in Maranionem, attulerat diploma Regis, ne conquirendis, instituendisque ad fidem barbaris alii præter eos religiosi adhiberentur. Ita nostris aliquandiu nihil negotii cum indigenis fuit. At post annum circiter sextum, cum illa cura se abdicassent, nescio quibus rationibus, Franciscani, subingressa est in eorum locum Societas, ut suis infra locis differemus, & relictam ab ipsis procurationem suscepit. Sic interim gesta res extra Brasiliæ continentem.

189. Duriter excipiuntur a Lusitanis, & quare.

190. Mutant Colonorum animi. Patres rem utiliter gerunt.

191. Cur solis operam navarent Lusitanis.

In ipsa Brasilia satis feliciter hoc anno desudarunt operarii Societatis, non tam illata ad novos populos religione, quam, quod utilius putabatur, novis populis ad religionem, & ad colonias Lusitanorum adductis. Ultra præfecturam S. Spiritus millia passuum fere quadringenta, mediterraneam ejus plagæ regionem incolebant barbari, quos Mariverdes vocabant. Natio æque ferox, & inculta, ac sola nominis infamia cognita, quæsita sæpe a Lusitanis, nunquam inventa fuerat. Ante biennium ad eam conquirendam profecti duo nostrorum, P. Joannes Fernandez Goto, & P. Joannes Martinez, cum diu saltus invios, montesque prorsus inhospitales oberrassent, redierant non solum re infecta, sed prope desperata: ac Fernandjus quidem laboribus consumptus obierat. Non ideo tamen despondit animum P. Martinius. Rursus se dat in viam hoc anno, ac difficillimam expeditionem repetit. Viæ comites pauci neophyti: duces ex ethnicis quidam, qui notas sibi esse Mariverdium sedes profiteban-

192. Expeditio olim incassum suscepta ad Mariverdes.

193. Instauratur nunc a P. Joanne Martinez.

Digitized by Google

bantur. At ecce tibi in medio itinere, ſive fraus ea fuerit, ſive error, diffugiunt præclari duces: certe comitatum relinquunt. Eo caſu cæteri conſternati Martinio auctores erant iter relegendi, quippe in nulla ſpe perveniendi quo tendebant. Ita ſuadentibus reſtitit Sacerdos invicto animo, pervicitque ut ſecum porro pergerent incredibili inter ſexcenta incommoda alacritate. Multos proceſſerant dies, quin uſpiam veſtigia detegerent humani cultus: cum ſubito apparuere nec opinantibus crebra mapalia, quæſitæ Mariverdium ſedes. Eo aſpectu exilire omnes gaudio, ut ad optatiſſimam viæ metam: omnes felicem laboris exitum ſibi gratulari. Sed poſt paulo turbari iterum, excipiente lætitiam ingentem majori formidine. Barbari ad conſpectum ſubeuntium advenarum, ſuſpicati agmen eſſe Luſitanorum ad prædas hominum ſuo more diſcurrentium, momento coeuntes, expediunt arma raptim, prodeunt minaces infeſtique, certam venientibus necem intentant, niſi abſiſtant procul. Martinius caduceatorem præmittit, qui genti Mariverdium pacem & amicitiam offerat. Illi ut edocti ſunt, qui eſſent hoſpites, unde, & cur venirent, ferociam poſuerunt, Sacerdotem Chriſtianorum comiter exceperunt, & de futuro hominum ſtatu, aliiſque religionis capitibus diſſerentem audierunt. Summa exoritur admiratio. Nulli mens a lege ſanctiſſima, quæ nunciabatur, aliena. Verum id modo agebat Sacerdos prudens, ut ſilvicolas & rudes homines ſecum traheret ad coloniam S. Spiritus: nec enim putabat viros tales chriſtianis inſtitutionibus imbui ſatis poſſe, niſi barbariem exuerent prius, & legibus vitæ civilis paululum conſueſcerent. Tandiu inſtitit ſuadere, donec pleriſque perſuaſit ut ſe ducem ſequerentur ad oram maritimam, ubi & erudiri commodius, & honeſtius etiam vivere inter Chriſtianos poſſent. Et demigrabant protinus magno numero, ſi affuiſſet viatici copia itineri neceſſaria. Quod tunc licuit, ſeptem ſuæ gentis adoleſcentes Martinio abducendos tradidere veluti obſides, obligata fide publica, ſi redjiſſet anno proximo, omnes pariter diſceſſuros. Lætus qualicunque ſucceſſu Sacerdos, avexit exiguam prædam in coloniam S. Spiritus, nec dum elapſo penitus anno, ad ſuos Mariverdes cum P. Antonio Bellavia rediit. Tot menſium intervallo nulla, quod mirum videatur, facta fuerat in tam mobilibus ingeniis mutatio animorum. Martinium ſummi pariter atque infimi, non ſolum cupide, ſed etiam anxie præſtolabantur. Itaque reducem læti ſuſcepere, profitenteſque velle ſe omnino promiſſi fidem ſervare, Patribus ſe ducendos permiſere. Erat hominum multitudo prope innumera. Ne unus quidem inventus, qui a cæteris diſſentiret. Incenſis igitur antiquis domiciliis, cum iiſque omni ſpe reditus ſibi exempta, longum ac difficile iter ingrediuntur. Deducti ſunt triginta circiter dierum ſpatio, donec opportuno in loco conſtitere prope coloniam S. Spiritus, atque ibi ſedem poſuere. At vix pervenerant, cum pleroſque infecit peſtilens tabes puſtularum, malum Braſiliæ oram maritimam incolentibus frequens, & adhuc Mariverdibus inexpertum. Hic enimvero licuit agnoſcere, quantum ſupra naturam humanam valeat gratia cœleſtis. Affligebantur paſſim moleſtiſſimo ac diro morbo novi oppidani, multi interibant. Nullus propterea ad veterem patriam, aut ad majorum ſuperſtitionem reſpexit. Conveniebant in ædem ſacram turmatim: iram ſuperum gemitu multo, ac fletu deprecabantur: mali remedium a Deo, a divina Matre quærebant eo ſenſu pietatis, ut hæc intuentes Patres ægre a lacrymis temperarent. Interim, ut quemque lues invaſerat, accurrebant ad eum noſtri, quam poterant opem ferebant, petenti baptiſmum impertiebant. Nemo neque adultorum, neque infantium deceſſit, niſi hoc ſacramento initiatus. Quod quidem in tanto mœrore Patribus haud levi ſolatio fuit.

194. Mariverdes ei ſe dociles præbent.

195. Transferuntur in coloniam S. Spiritus.

196. Corripiuntur gravi lue, nemo tamen dilabitur.

Eodem tempore coloniam Portus ſecuri Societas ſtatione fixa occupavit, de qua re hæc in monumentis invenio. In eam coloniam venerant ante aliquot annos duo præſtanti virtute Patres, Matthæus de Aguiar, & Fabius Moyus, ut opus evangelicum facerent: fecerant vero per ſex menſes approba-

197. Nova ſtatio conſtituitur in colonia Portus Securi.

Digitized by Google

tione omnium tanta, ut indigenæ pariter ac coloni habendæ Societatis desiderio flagrarent. Dant ergo communi consilio litteras ad Præpositum generalem, ac ne coloniam suam indignam putet Societatis domicilio rogant. Quibus id porro rogabant litteris, pariter recipiebant, se licet in re admodum angusta, omnia vitæ subsidia Patribus de suo præbituros, ac ne quid illis deesset curaturos. His rebus cognitis Mutius, gratias prolixe agens amantissimæ civitati, permisit nostris, ut in colonia Portus securi sedem perpetuam ponerent ex earum genere, quas residentias vulgo dicimus. Jam longum sit exequi, quibus benevolentiæ signis admissi primum fuerint in illam urbem Patres. Adventantes excepit civitas, non solum concursu omnium ordinum frequentissimo, verum etiam læto æris campani pulsu. Tum inter faustas populi acclamationes eosdem ad templum loci primarium, ac deinde usque ad paratum domicilium deduxit. Nullum honoris & gratulationis argumentum est prætermissum. Sed lætitiam publicam civitatis cumularunt aliqui præsertim civium, qui cum inimicitias exercerent inveteratas, & multorum judicio implacabiles, deprecatione Patrum sibi invicem de præteritis injuriis satisfecerunt, & concordiam inter se pristinam redintegrarunt. Atque hic erat status rei Brasiliensis anno labente. Addendum postremo loco funus P. Gonzali de Oliveira, cum ad commendationem ipsius, tum præsertim ne ex hominum memoria excidat vaticinium illustre venerabilis Patris Josephi de Anchieta, quod in ejus obitu impletum est. Gonzalum semel atque iterum moderatores dimiserant e Societate. Eum nihilominus non obscure prædixerat Anchieta in Societate moriturum. Constitit oraculi fides cum minime sperandum videbatur. Gonzalo annum ætatis septuagesimum superanti voluntas repente incessit repetendæ Societatis, atque eam Deus mentem indidit Provinciali, ut hominem id ætatis, nec tam usui, quam oneri, ut videbatur, futurum tertio reciperet. Ut vero appareret altioris id fuisse consilii, quod reliquum habuit vitæ Gonzalus ita inter nos exegit, ut superioris inconstantiæ maculam excellenti virtute deleverit. Sexennio ante mortem oculis captus, gravissimam ærumnam miratoris atque animi tranquillitate pertulit, tempus utiliter quo poterat modo impendens audiendis pœnitentibus, & rebus cœlestibus meditandis. Ita cum vixisset naturæ satis, cœlo maturus decessit.

1598. Obitus P. Gonzali de Oliveira, & vaticinium V. P. de Anchieta circa illum.

HI-

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ LIBER NONUS

ANNUS CHR. 1624. SOC. 85.

ANnus interea ſæculi quartus ſupra vigeſimum ortus eſt, Societati lætus ac memorabilis ob decretos Ven. Patri Franciſco Borgiæ Beatorum honores, rem perdiu ſummis optatam votis, & nunc demum Deo bene favente confectam. Jam antea Pontifex Paulus V., rogatu Philippi III. Hiſpaniarum Regis, tres dederat ex Collegio duodecemvirali ſacræ Rotæ judices, qui de Franciſci cauſa ſententiam dicerent. Cauſam ab illis rite diſcuſſam probatamque retulerat mox Franciſcus Cardinalis Boncompagnus ad cœtum Purpuratorum, ubi quæſtiones de ſacris ritibus agitantur, fueratque omnium commune ſuffragium, in tali ſtatu habendam eſſe, *ut ad ſolemnem* (ſunt ipſa decreti verba) *ſervi Dei canonizationem quandocunque deveniri poſſet*. Nunc ergo, inſtantibus apud Pontificem, hinc Gaſpare Cardinali Borgia beati viri nepote, inde Mutio Societatis Præpoſito generali, placuit Urbano VIII. Pontifici, Franciſcum Borgiam decorari appellatione Beati: ſic tamen ut a noſtris ubique gentium, a cæteris vero tantum in familiæ Borgiæ ditionibus coli poſſet ſacra liturgia, & horariis precibus, quoties dies ejus anniverſaria recurreret. Exceptum eſt ſumma ubique gratulatione decretum, ſed maxime in Hiſpania, ut ſuis infra locis indicabimus.

1. RES ROMANÆ. Franciſcus Borgia Beatorum cultu decoratur.

Hujus lætitiam rei turbavit Neapoli obitus Patris Caroli Maſtrilli, quem veluti unum e ſuis luminibus provincia ſpectabat. Ediderat illum in lucem Nola, urbs regni Neapolitani notiſſima. Parentes ipſius, viri æque nobiles ac pii, ordinique noſtro addictiſsimi, cum unum e filiis Gregorium nomine haberent in Societate Neapoli, eo pariter miſerant Carolum jam grandiuſculum, ut fratris ductu exemploque ad pietatem & litteras adoleſceret. At fraternas curas eludebat pueri indoles fervida, a ſtudiis aliena, & ad nugas evagari ſolita. Angebatur Gregorius, qui oleum, ut ajunt, & operam in eo perdi cerneret. Deliberanti quid facto eſſet opus, venit in mentem efficere, ut ſaltem apud Ven. P. Realinum, qui tunc degebat Neapoli, confeſſionem totius antea-

2. RES NEAPOLITANÆ. Obitus & elogium P. Caroli Maſtrilli.

Digitized by Google

ſtæ vitæ perageret. Peregit Carolus, atque ex eo die aliam omnino mentem induit, pietati jam ſtudioque unice deditus, qui antea meris ludis tempus conterebat. Animum deinde adjecit ad Societatem, quam enixe petens, a P. Salmerone Provinciali impetravit. A primo tirocinii aditu id animo alte defixit, duas eſſe res omni ope ſtudioque ſibi curandas, ſalutem ſuam prius, deinde proximorum. Quod vero tunc apud ſe ſtatuit, id in poſterum ſancte præſtitit. Oratoria laude multum excelluit, ſacriſque concionibus Italiam fere omnem excoluit, auditus ubique approbatione ſumma, ac pari fructu. Quantum dicendo valeret, id unum documento eſſe poteſt, quod ſubjicio. Genuæ cum ære alieno oppreſſa inveniretur publica domus pauperum, Maſtrillum rogarunt aliqui, ut ad ejus inopiam ſublevandam ditiorum liberalitatem e ſuggeſtu excitaret. Fecit ille, ac concione unica movit unum quemdam ex opulentioribus civitatis, ut eadem die in uſum hoſpitii illius centum aureorum millia tranſcriberet. Vim concionantis verbis maximam addebat vitæ ſanctitas explorata. Inde ſumma in vulgus auctoritas, quam perſpicere præſertim licuit Neapoli anno ſuperioris ſæculi octogeſimo quinto. Cum enim plebs infima, in apertam ſeditionem ob annonæ difficultatem coorta, cædes, rapinas, incendia conſternatæ civitati ferociter intentaret, furenti populo primus ſe objecit Maſtrillus, perque confertos armatorum globos, & diſtrictos enſes impune diſcurrens, voce, nutu, aſpectu ipſo tumultum ſedavit, & inſanam multitudinem diſſipavit. Cæterum prudentia etiam eminuit inter paucos Maſtrillus, cujus cauſa ad gubernandum traductus, rexit cum eximia laude domos Profeſſorum Neapolitanam, & Beneventanam, præter alia quædam provinciæ domicilia. At demum ſenio fatiſcens, laboribuſque confectus, pie uti vixerat deceſſit Neapoli VII. Cal. Septembres.

3. Res Provinciæ Mediolanensis. Collegium Genuenſe in ſede ſtabili collocatur.

Eodem anno Genuæ data tandem eſt collegio noſtro ſedes, ubi perpetuo conſiſteret. Quæſita diu fuerat fruſtra, multoque facilius ibi Societas cenſum invenerat unde familiam aleret, quam ſolum ubi collocaret. Adeo nihil in urbe, ut tunc erat, anguſta, & ſuorum civium vix capaci (nam deinde prolato pomœrio facta eſt multo ſpatioſior), nihil inquam vacui reperiebatur. Diviſi fuerant anno labentis ſæculi tertio ab Ambroſiana Profeſſorum domo Patres ad collegii familiam pertinentes. Exinde per annos viginti circiter habitaverant in alieno, ac ſæpe domicilium mutaverant. Nunc demum nacti collem editum, & amœni proſpectus ſecus viam, quam Balbiorum nominant, in eo ſtabilem ſibi ſedem fixerunt. Intercedebant ex adverſo domi foriſque quamplurimi, quibus minus idoneus videbatur gymnaſio locus, quippe a celebriori urbis parte longe remotus. Vicit tamen eorum ſententia, qui locum malebant incommodiorem, quam incertum ſemper inſtabilemque, & qualemcunque incommoditatem diſtantiæ aliis penſari commodis exiſtimabant. Hic ergo ſub initium anni Patres ut in ſuo habitare cœperunt, & juventuti ſcholas aperuerunt. Erat ibi ædificium vetus, olim cœnobium ſacrarum virginum, & parva ædes S. Hieronymi titulo conſecrata. Hæc ad noſtros translata ſunt, præter peramplam aream, atque hortum. Cæterum collegium tunc humile, & anguſtum, progreſſu temporis multum crevit, ad eamque magnitudinem provectum eſt, ut jam amplitudine, ſplendore, magnificentia, vix ulli ſecundum habeatur in tota Societate. Gymnaſium excitatum eſt tantæ urbis opulentia dignum. Gymnaſio additum ſublime domicilium: vetus autem quam dixi ædicula, retento S. Hieronymi, additoque S. Franciſci Xaverii titulo, in inſignem baſilicam verſa. Quæ cum omnia effecta ſint liberalitate ac ſumptu nobilis familiæ Balbiæ, huic propterea multum ſe debere profitetur Societas, & nos qualecunque reddimus grati animi teſtimonium, beneficiorum memoriam annalibus interſerentes. Sed hæc fuerunt alterius temporis. In annum de quo ſcribimus inciderunt primordia collegii Novarienſis. Novariæ, quæ ducatus Mediolanenſis civitas eſt nobilis, nunc ditioni Regis Sardiniæ adjecta, gymnaſium erat olim ab Amico Canobio conditum, & proventu annuo ad conducendos ludimagiſtros abunde inſtructum. Qui rem gy-

4. Ut deinde magnificentius extructum fuerit.

5. Ortus collegii Novarienſis.

Digitized by Google

gymnaſii adminiſtrabant hoc anno ſodales a ſacro pietatis monte nuncupati, ſeu minus probarent mercenariorum magiſtrorum operam, ſeu noſtrorum putarent utiliorem fore, Canobianas ſcholas Societati committendas cenſebant. Placuit ea de re referre ad conſilium publicum civitatis. Perrogatis ſententiis, ſecundiſſima approbatione accepta relatio eſt, accituſque ſtatim Novariam P. Pompilius Lambertengus, ut de negotio tranſigeret. Una illa obſtabat difficultas, quod cenſus a Canobio relictus longe eſſet minor, quam requireret conditio collegii. Noſtri enim moris non eſt collegium juſtæ magnitudinis aperire, niſi vectigal annuum aſſignetur aureorum circiter mille, deerantque ad hunc numerum fere quadringenti. Dum res diſceptatur, extitere alterius ordinis religioſi, qui ſcholarum procurationem ſe ſuſcepturos dicerent minore ſumptu. Tamen de priori decreto nihil mutari viſum. Quod proventui deerat, partim legato neſcio quo Patris Joannis Franciſci Martii, partim ex ærario civitatis, partim denique aſſignata penſione ex bonis ſeminarii epiſcopalis ſuppletum. Confecta in hunc modum juſta dote, aptatæ ſunt ad formam religioſi domicilii ædes Canobianæ, in eaſque noſtri circa finem Octobris immigrantes docendi initium fecerunt.

6. Irrumpunt in vallem Tellinam Galli & Griſones.

Dum ita Novarienſe collegium excitabatur, proxime abfuit ab interitu ſummo Pontenſe apud Vulturenos: Deo tamen protegente ſervatum eſt, quodque mirabilius, patronum eundem habuit, quem everſorem timebat. Defectio vallis Tellinæ a Griſonibus ad Hiſpanos, de qua alibi dicebamus, magnas, ut notum eſt, ſuſpiciones moverat Gallis & Venetis, ſed Gallis præcipue. Rex Ludovicus, Griſonibus aperte favens, eorumque fœderatus, non diſſimulabat aſſuturum ſe cum exercitu auxiliari, ut provinciam ſuam armis repeterent. Ad præcidendas belli cauſas, convenerat initio, ut Hiſpani arces cum univerſa valle traderent ſummo Pontifici, tamdiu ab eo cuſtodiendas, donec controverſia ex bono & æquo componeretur. Quibus aſſenſu mutuo partium firmatis, acceperat reipſa Pontifex vallem Tellinam in clientelam ſedis Apoſtolicæ, ad eamque occupandam copias præſidiarias miſerat ſub Nicolao Marchione de Balneis præfecto. Biennium poſt hæc exierat: quo medio tempore cum nihil certi conſtitui inter partes de jure illius cauſæ potuiſſet, ecce tibi circa initium Decembris vallem invadunt Galli mixti Griſonibus, decem fere millia peditum, equites omnino ſexcenti. Percurrunt regionem, ac totam paucis diebus occupant, coactis Pontificiis tradere arces, quas pauci numero tueri, vel non poterant, vel non audebant. In tam ſubita rerum converſione, cum appareret Pontanos in ditionem hæreticorum eſſe redituros, noſtri de ſua ibi manſione deſperantes, abire ſponte ſtatuerunt. Vaſa ergo colligunt propere, omnique ſacro inſtrumento, & ſi qua erant alia majoris pretii in tuto collocatis, obviam procedunt appropinquanti adverſariorum Duci extra urbis mœnia, nihil amplius rogantes, niſi ut in Inſubriam ſalvi dimitterentur. Negavit Dux, & multo quidem liberalius, quam ſi conceſſiſſet. Erat is Marchio Couræus, vir fide & moribus apprime orthodoxus, Societatis autem adeo ſtudioſus, ut ejus filium ſe palam diceret. Manere jubet in loco Patres, ac ſperare meliora: ſibi curæ fore ne quid moleſtiæ capiant: ſi antea ſciſſet eſſe Ponte collegium Societatis, eo miſſurum non fuiſſe milites: ſed quos miſerat brevi abducturum, ipſorumque gratia Pontanos ab hibernorum incommodo liberaturum. Multa addidit de ſua in noſtrum ordinem benevolentia, multa de amicitia, quam pridem cum Mutio Generali contraxiſſet Romæ. Demum frumento ac pecunia donatos dimiſit. Poſt hæc urbem ingreſſus, divertit ad collegium ſtatim, gratiſſimam ſibi eſſe dictitans eorum conſuetudinem Patrum, quos in omni vita amiciſſimos eſſet expertus. Quæ cum oppidani cernerent, noſtros ſibi deprecatores ſumpſerunt, ne injuriis militaribus vexarentur. Mulieres ipſæ, nuſpiam ſe alibi tutas a licentia militum arbitratæ, in ædem collegii noſtri, aut in domos proximas ſe incluſerunt, nec inde pedem efferre quandiu Ponte fuit exercitus auſæ ſunt. Ita, non modo diſcuſſum collegii periculum, verum etiam no-

7. Noſtri collegium Pontanum parant deſerere.

8. Prohibentur a Duce exercitus fœderati, & humaniſſime habentur.

Digitized by Google

noſtris data facultas bene merendi de civitate, & totius gentis animos voluntateſque ſibi devinciendi.

9. Vallem Tellinam duo ex noſtris viſitant cum Epiſcopo Germanienſi.

His aliud præceſſerat beneficium, quo capti vallis Tellinæ populi rebus noſtris favebant majorem in modum. Epiſcopum illi nullum viderant ab annis pluribus, neſcias utrum graviore ſuo damno, an mœrore. Nam cum prævalerent in publico Griſonum conventu hæretici, minime patiebantur Antiſtitem Novocomenſem ad hanc dioeceſeos ſuæ partem exire, in eaque poteſtatem epiſcopalem & jus exercere. At tandem excuſſo Griſonum jugo, dum reſpirabant ſub tutela Pontificis Valtellinenſes, Deſiderius Cardinalis Scaglia, qui tunc Novocomenſem regebat Eccleſiam, miſit ad eos Sixtum Carcanum, e ſacro Prædicatorum ordine Epiſcopum titulo Germanienſem, ut afflictum gregem epiſcopali miniſterio recrearet. Carcanus ſocios operis & adjutores aſſumpſit noſtrorum duos, Patrem Joannem Auguſtinum Gonfalonerium, de quo eſt alibi facta mentio, & Patrem Joannem Baptiſtam Landolum. In ſacram expeditionem egreſſi cum Epiſcopo Patres, quidquid ubique occurrebat labis tollendum ſuſceperunt, nec eſt dictu facile quantum ad publicam regionis utilitatem contulerint. Tria præ cæteris inventa, quibus præſenti remedio opus. Nuptias inierant multi clam parochis, eoque irritas, aut etiam propter affinitatem inceſtas. Pecunia paſſim iniquo fœnore locabatur. Quod vero deterrimum, ut paroecias bene multas hæretici adminiſtraverant perdiu ſub imperio Griſonum, hærebant multorum mentibus falſorum dogmatum ſemina ab illis jacta, nec facile convelli poſſe videbantur. Nihil territi tot aſpectu vulnerum Epiſcopus Sixtus, & duo religioſi comites, ad ea curanda aggreſſi ſunt magno animo. Cumque intelligerent, labis originem fere præcipuam eſſe divinarum rerum ignorantiam, aut quæ ignorantiæ ſimilis eſt oblivionem, has ut exſcinderent mali cauſas, ſic inter ſe curas partiti ſunt, ut Epiſcopus, orator gravis & efficax, concionos ubique haberet, Gonfalonerius, & Landolus doctrinam fidei explicarent, & confitentibus aures darent. Jam nihil opus eſt exequi ſingillatim, quam multum hac laborum aſſiduitate confectum ſit. Mirabantur ipſi ſe incolæ, ab inſcitia ad cognitionem rerum divinarum, ab impietate & flagitiis ad religionis officia, ad temperantiam, modeſtiamque traducti. Neque vero tot labore modico lectæ fruges. Sæpe excipiendis confeſſionibus Patres dies noctesque ſolidas perſtare immoti debuerunt. Sæpe longam eſuriem, & ſitim improbam toleraverunt. Adde viarum incommoda, injurias temporum, vigilias, ac cæteras demum evangelici miniſterii moleſtias, quas tamen leniebat charitas, nec parum cœleſtis gratia ſublevabat.

10. Eorum labores fructuoſiſſimi in illa circuitione.

11. Res Siciliæ. Noſtri Dioeceſim Agrigentinam percurrunt.

12. Memorabilis pacificatio in oppido Caſtri novi.

Similiter in Sicilia Octavius Cardinalis Rodulphus, recens Agrigentinorum Epiſcopus renunciatus, ad eam dioeceſim excolendam ſumpſerat de Societate ſex Patres ex eorum numero, qui poſt emenſa ſtudiorum ſpatia denuo tironum experimentis exercebantur. Dioeceſi trifariam diviſa, bini ſingulas ejus partes obierunt, & ubique populos ad pœnitentiam criminum, ad morum emendationem excitaverunt. Celebrata præfertim inſignis pacificatio, quam in oppido Caſtri novi feliciter peregerunt. Erat tota civitas atrocibus odiis in partes diſciſſa. Capita factionum viri primores, & magnis opibus inter ſuos. Fruſtra Cardinalis Antiſtes, fruſtra Prorex Siciliæ Philibertus a Sabaudia operam & auctoritatem interpoſuerant ſuam, ut diſſidia finirentur. Poterant illi quidem apertas injurias legibus vindicare: ſed tollere incluſam animis acerbitatem nulla vis, nulla auctoritas poterat. Patres nihilominus Coſmus Pepius, & Alphonſus Bucconius, tam vehementer atque apte de chriſtiana concordia, ejuſque utilitatibus perorarunt, ut primi ſe reſpexerint factionum duces, & pacem ultro rogaverint adverſarios. Pacis arbiter eſt electus P. Pepius, cui certas leges proponenti omnes (erant omnino quadraginta) acquieverunt. Ita affecti cum eſſent animi, viſum redintegratæ concordiæ documentum aliquod edi publice oportere. Denunciatur ſingulis, ut certa die in ſacellum ædi ſacræ proximum conveniant. Convenere. Aderant Collegium ſacerdotale, Magiſtratus ur-

Digitized by Google

urbanus, aliique nobiles, qui ſemper inter diſſidentes medii, & in neutris partibus fuerant. His coram proceſſit in medium Pepius, utque exemplo chriſtianæ demiſſionis pacem firmaret, poſitis humi genibus, ſingulorum pedes deoſculandos ſuſcepit. Ea res multis pudorem incuſſit. Exilierunt continuo e ſubſelliis, effuſique in mutuos amplexus, voce, lacrymis, oſculis ſibi invicem injurias præteritas condonarunt. Itum deinde eſt uno agmine in ſacram ædem, peractaque auguſtioribus cæremoniis re divina, de ſacra menſa omnes participarunt: primo quidem Magiſtratus, tum cives illi quadraginta, quorum pacificatio agebatur. Spectavit frequens populus, & ſpectaculum mixtis fletu vocibus approbavit. Lætitiam & celebritatem clauſit publica gratiarum actio, quæ inter lætos tormentorum fragores ſolemni carmine eſt perſoluta. Verum hæc in ſpeciem leviora.

13. Acta noſtrorum Drepani peſtilentia ſæviente.

Multo ſane amplior noſtris oblata eſt ſeges laboris, & charitatis, ſæviente dira calamitate, qua hoc anno Sicilia tota contremuit, & magna ex parte deſolata eſt. Illam dico atrociſsimam peſtilentiam, quam navis Africana Drepanum primo, mox Panormum, aliaſque in urbes invexit. Jam ergo quid tam ſævo tempore noſtri geſſerint, breviter exequendum. Drepani ſimul ac mali initia deprehenſa fuerunt, conſtituti ex noſtris ſacerdotibus duo, qui ſacra tabidis miniſtrarent. His per urbem incedentibus præibant ſinguli adjutores laici cum tintinnabulis, quibus infirmi de adventu Patrum, & de confeſsione peragenda admonebantur. Publico valetudinario præfectus decreto civitatis P. Cæſar Boſchus collegii rector, aliuſque ex primoribus civium. Cum vero placuiſſet urbem totam in regiones quinque diſtribui, & in ſingulis ſingulas religioſorum familias curam pauperum gerere, regio una Societati tradita eſt, in qua PP. Franciſcus Spucces, & Placidus Carnevalius, ſtipem ex ditioribus corrogantes, trimeſtri ſpatio alimenta pauperibus circiter mille quotidie diviſerunt. Præter hæc, prodire interdum conſpecti omnes e collegio Patres uno agmine, & cibaria inter pauperes dividenda vicatim circumferre. Demum quamdiu Drepani ſævire perrexit peſtilens lues, hora qualibet diei patuit confluenti populo ædes collegii noſtri, audiendiſque confeſsionibus ſacerdotes in promptu ſemper fuerunt. Ita ibi ſalutem publicam curaverunt noſtri, nec tamen, quod prodigii ſimile viſum, tot inter pericula contagionem quiſquam contraxit. Elanguit denique morbi vis circa feſtum Deiparæ in cœlum aſſumptæ, tribus menſibus nondum exactis. At Panormi multo hæſit diutius, & ſtragem edidit multo graviorem. Non ſolum ex ima plebe, verum etiam ex potentioribus plurimi perierunt, inter quos Prorex ipſe Philibertus Sabaudiæ Princeps fuit. Ad primum graſſantis mali rumorem, obtulerant ſe noſtri magiſtratibus, parati in omnem vitæ aleam ſe conjicere, ut languentibus opem ferrent. Nec vero minus impigre ſuam deinde præſtiterunt opetam, quam antea obtuliſſent. Diviſo inter plures miniſterio, alii ad valetudinarium quoddam ſuburbanum miſſi, alii obeundis intra urbem domibus tabidorum deſtinati fuerunt. Inter primos agmen duxit P. Franciſcus Piazza, cum ſocio Jacobo Amato rei domeſticæ adjutore. Hunc intra paucos dies morbus abſumpſit. Franciſcum ita afflixerat, ut eſſet moriturus omnino, niſi fuiſſet cœleſti ope ſervatus a B. virgine Roſalia, de cujus reliquiis eodem anno inventis mox dicemus. Quo autem tempore lethaliter decumbebat in noſocomio, conſpectus interdum eſt exilire lecto, & reptare ad ægrotos proximos, ut morientibus expiationis ultimæ beneficium repræſentaret. Piazzæ comes additus fuerat P. Petrus Curtius: ſed hunc etiam brevi lues infecit, & egregie laborantem extinxit. Eorum, qui concurſandis intra urbem domibus addicti fuerant, primus in aciem prodiit P. Hieronymus Calderarius, & provinciam periculi plenam per duos menſes ita geſſit, ut videretur valetudinem ac vitam ſuam in poſtremis habere. Fertur aliquando una die domos quatuor ſupra viginti longe inter ſe diſtantes adiiſſe, ut ſuprema ſacra morientibus miniſtraret. At initio Decembris proſtratus contagione ejuſdem tabis, hilari & exporrecto vultu mortem oppetiit in ædibus Profeſſorum, ubi

14. Panormi tabidorum curam noſtri ſuſcipiunt.

15. Moriuntur in eo miniſterio aliqui.

Digitized by Google

ubi noſtris peſtilenti morbo contactis valetudinarium paratum fuerat ſeparatum ac proprium, ne reliqui domeſticorum inficerentur. Contagioſi pariter occubuerunt Hortenſius Gaglianus, & Marius Scaglia, ille auditor theologiæ, hic rei domeſticæ adjutor, uterque dum peſte laborantibus obſequium impendebant.

16. Ope S. Roſaliæ convaleſcit Franciſcus Marinus.

Franciſcus Marinus, adoleſcens inter nos optimæ ſpei, nec minus titulis opibuſque paternæ domus, quam virtutibus clarus, decumbebat conclamatus a medicis, eodem lethi genere moriturus. Sed propitium expertus patrocinium Beatæ Roſaliæ, non tam revaluit, quam revixit. Intereſt vero ſcire, quo modo virulentam tabem optimus adoleſcens hauſerit. Ducebatur ad ſupplicium vir facinoroſus, aſſidente ad latus Marino in ferali carro, multaque ſubjiciente apta tempori, & mitigandæ necis acerbitati opportuna. Homo tunc non malus tanta eſt ſuavitate perfuſus, ut cum in patibulum agebatur, oſculum in fronte defixerit conſolatori ſuo, amoris, & grati animi pignus extremum: quo oſculo peſtiferam juveni auram fuiſſe afflatam medici crediderunt, nec temere. Sane quæ exortæ poſt paulo ſunt in ejus ore puſtulæ, eam præcipue vultus partem occupaverunt, quam impurus ille contactu oris ſui fœdaverat. Præter hunc, dum ægrotis ſedulo miniſtrant, impliciti fuerant peſtilentia Patres Albertus Alberti, Antonius ab Auguſtino, & Joſeph Zafarana, cum Fratre Joanne Baptiſta Plangio. Albertus Roſaliæ beneficio ſanatus eſt. Franciſco Xaverio valetudinem acceptam retulit Auguſtinus. At Zafaranæ, ac Plangio mors feliciter obita pii laboris finis & pretium fuit. Cæterorum, qui bene multi in eodem charitatis officio verſati ſunt, neminem hoc anno lues corripuit.

17. Alii aut extincti feliciter, aut divinitus perſanati.

Noſtris, qui in obſequio peſtiferorum obierunt, non accenſui P. Joannem Baptiſtam Mazzullam, propterea quod haud ita pridem deſierat eſſe de Societate. Cæterum abs re non erit hoc loco meminiſſe illius. Nam & geſſit digna litteris, & jam ad nos animo ac voluntate redierat. Vixerat in Societate Mazzulla annos duodeviginti, integra ſemper fama, eaque opinione virtutis ac prudentiæ, ut nondum egreſſus annum ætatis trigeſimum ſextum, idoneus viſus fuerit regendis in collegio Panormitano conſcientiis ſociorum. At homo ingenio tetricus, & vanis religionibus turbari ſolitus, omnibus ſatisfaciens, uni minime ſatisfaciebat ſibi. Occurrebat illi identidem, quam periculoſum ſit alienæ ſalutis curam gerere: multo fore ſecurius tale ſequi genus vitæ, ubi procul a negotiis, Deo, ac ſibi tantum vacaret. Hæc cogitantem ſæpe admonuerat conſcientiæ arbiter, ſubeſſe ejuſmodi angoribus fraudem: Sathanam ſæpe numero lucis Angelum ſimulare: ſed fruſtra. Obſirmavit debere omnino ſe, ſi ſalvus eſſe vellet, ſolitarium agere. Sic unice futurum ab omni cura vacuum, ſic dies totas ac noctes cœleſtibus inhæſurum. In hanc ſententiam cum ſcripſiſſet ſemel, iterum, ac tertio ad Mutium, nullamque relinqueret propoſiti mutandi ſpem, tandem diploma liberæ miſſionis extorſit. At vix a nobis digreſſus,

18. P. Jo. Baptiſta Mazzulla a Societate deficit.

19. Impetrat facultatem revertendi ad Societatem.

ſenſit miſer quam turpiter a malo ſpiritu ſibi fuiſſet illuſum. Facti pœnitens, ac multum dolens quod *miſſa ſemel manu ad aratrum reſpexiſſet retro*, nullam quietis partem capiebat. Scribit ad Præpoſitum Generalem, recipi denuo in Societatem rogans, ac nullam conditionem reſpuens, modo reciperetur. Reſcriptum eſt Roma poſſe recipi, ſi tamen ſubire iterum vellet pericula tirocinii: non enim licere alia lege ad ſacramentum Societatis admittere, qui eo ſemel fuerit abſolutus. Paratum conditionem implere Præpoſitus provincialis differebat, credo, acturus interea cum Generali, ut cum tali viro, qui tot annis tam laudabiliter religioſa ſtipendia feciſſet, aliquid de ſummo jure remitteret. Verum audita clade Panormitana, moras rupit Mazzulla, eamque occaſionem peropportunam remigrandi ad Societatem, & prioris inconſtantiæ maculam abolendi ratus, ſuis omnibus inter pauperes diſtributis, Panormum venit urente canicula, ac recta domum probationis petiit. Præerat tirocinio P. Jordanus Caſcina, a quo ſuſceptus eſt tantum ut hoſpes, tunc adſcribendus tironibus,

20. Obſequio tabidorum ſe devo-

cum litteræ decretoriæ Præpoſiti provincialis veniſſent. Difficile & impeditum erat in contagionis periculo commercium litterarum. Dum ergo illæ expectantur

Digitized by Google

tur, Mazzulla moræ longioris impatiens, & jam pro tirone ſe gerens, urget Caſcinam ſibi ut liceat cum bona ejus venia curam tabidorum ſuſcipere: quo annuente, in publicum valetudinarium contendit. Teſtati poſtea ſunt qui interfuerant, neminem omnium plus operis ibi feciſſe, aut alacrius. Nulla eſt pars miniſterii, quam non ultro obiret. Onera convectare, repurgare ſordes, ſalutis æternæ præſidia morientibus circumferre præ cæteris geſtiebat, mira deſpicientia omnium commodorum, ac ſui met. Accedebant crebra jejunia, vigiliæ in multam noctem protractæ, & quotidianus plagarum fragor, quo vicina etiam conclavia perſonabant. Cum ſic inter ægrotos dies poſuiſſet haud amplius quindecim, lethali contagione proſtratus eſt. Decubuit in nuda humo, ac poſt duas horas, Jeſum ejuſque Matrem invocans, animam efflavit, ea prorſus die, quam ante triduum ſibi ſupremam fore prædixerat. Mortuo habiti honores, qui ſolent viris ſanctitatis eximiæ, nec quemquam contagionis metus abſterruit, ne accederet propius ad cadaver in feretro jacens, atque illud oſculo veneraretur.

vet, ac pie moritur.

Noſtri interim, ad placandas cœleſtes iras, multa privatim & publice piacula adhibuerunt, multas artes, & varias excogitarunt. Illud omnium judicio ſaluberrimum, quod ſparſi per plateas Patres, brevibus quidem, ſed clamoſis concionibus concutiebant populum metu conſternatum, eumque ad pœnitentiam ſalutarem, & ad morum emendationem hortabantur. Id adeo communiter probatum eſt, ut aliorum quoque ordinum religioſi exemplum ſumpſerint, egreſſique in publicum concionari ſimiliter inſtituerint, incredibili motu ac fructu civitatis. Eodem tempore aliud Societati beneficium Panormitani debuerunt. Quamdiu lues ſævire perrexit, P. Vincentius Gallettus juſſu & auctoritate Prætoris pecunias adminiſtravit, quæ propemodum infinitæ ex ærario publico in ægrotantium ſumptus erogabantur. Quæ vero, & quanta fuerit in negotio æque difficili ac permoleſto fides & integritas viri, teſtatus eſt poſtea ipſe Prætor Placidus Brancifortius Leonfortii princeps, datis ad Mutium litteris hujus ſententiæ, Vincentii ſollicitudine & induſtria rebus omnibus abunde proviſum fuiſſe, & nihilominus rem pecuniariam ſic ab eo tractatam, ita diſpenſatos ſumptus fuiſſe, ut conſervata fuerint civitati millia aureorum ferme triginta, quæ aliis adminiſtrantibus profuſa fuiſſent. Addebat, hanc ab illo provinciam fuiſſe geſtam, non modo ſine cujuſquam invidia, verum etiam cum eximia omnium approbatione & laude, ac totius populi benevolentia ſingulari. Se præterea Galletti conſilio multa providiſſe, multa ejuſdem hortatu perfeciſſe in commodum rei communis. Demum extrema epiſtola hæc ſubjiciebat: *Quod Panormum lue peſtifera fuerit liberatum, debetur magna ex parte Patris Galletti vigilantiæ, induſtriæ, atque virtuti.* Quæ non amice magis quam vere fuiſſe ab eo ſcripta, argumento eſſe poteſt, quod anno proximo, cum revixiſſet poſt quinque menſes peſtilentia, quæ videbatur extincta, noviſque urbem regiam cladibus funeſtaret, communibus omnium votis P. Vincentius ad præfecturam eandem pecuniæ publicæ revocatus fuit. At dum pari felicitate munus injunctum exequitur, occubuit peſtilentiæ victima fere ultima, quo prorſus tempore ſanitas urbi reſtituebatur. Quanto apud populum in pretio eſſet, ex una re colligi velim. Increbuerat Panormi rumor, unum quemdam ex medicis gente Græcum, duoſque Gallos noxio quodam medicamenti genere luem augere. Fabulæ fidem adhibebant ex ima plebe non pauci, qui propterea juſtam ſe habere cauſam querelarum arbitrati, facto agmine ruunt in forum, & ante ædes Prætoris tumultuantes, clamoribus inconditis reos publicæ calamitatis ad pœnam depoſcunt. Commodum erat tunc cum Prætore P. Gallettus, qui continuo in conſpectum multitudinis egreſſus, ex ipſis prætorii gradibus exorſus eſt dicere, quam temere ac falſo putarent ſubeſſe cujuſquam fraudem infortunio, quo, non hominum culpa, ſed divino tantum judicio atterebantur. Quieſcerent proinde, nec vanis rumoribus agerentur. Viderent magis, ne dum innocentes ad pœnam immeritam poſcunt, Deum innocentiæ

21. Noſtri excitare conantur populum ad pœnitentiam.

22. P. Vincentius Gallettus pecuniam publicam adminiſtrat in uſum ægrotantium.

23. Moritur demum peſte contactus.

24. De populari quodam tumultu ipſius voce compreſſo.

Digitized by Google

vindicem irritarent adversus se. Valuit apud vulgus oratio. Seditiosi, hominum fere duo millia, ad suas singuli domos redierunt taciti quietique, nec de illa contra medicos querela verbum deinceps factum. Ex quo licet existimare, quanta esset ejus auctoritas viri, qui concitatos plebeculæ animos tam facili negotio flecteret, & ad quietem revocaret,

25. Corpus S. Rosaliæ diu quæsitum frustra,

Sed qualiacunque hæc essent, nihil utilius hoc tempore præstiterunt nostri Panormitanis, quam quod ipsorum maxime studio ac diligentia publice coli cœpit venerabile corpus beatæ Rosaliæ, quo quidem cultu nullum remedium præsentius in tam atroci diuturnaque regni ærumna inventum est. Rem Ecclesiæ annalibus quam quæ maxime dignam, & multorum litteris illustratam juvat hic carptim attingere. Rosaliam virginem nobilissimam, Rogerii regis consanguineam, delituisse aliquandiu in spelunca Erctæ (mons est duo millia passuum a Panormo), in eaque vitam innocentissimam exegisse circa annum rep. sal. MCLX., res erat tota Sicilia certior, quam ut quisquam ambigeret. Tamen sacrum ejus corpus per diversa temporum intervalla perquisitum a Panormitanis, nunquam inventum fuerat. Constanti fama ferebatur, tunc demum repertum iri, cum dira calamitas patriæ ingruisset. Quod qualecunque esset,

26. Nunc primum invenitur indicio ipsius.

nuperrime dum grassabatur pestilentia Panormi, mulier de ima plebe vulgaverat, oranti sibi in antro Rosaliæ adstitisse conspicuam beatam ipsam Virginem, & locum certum indicasse, ubi sacræ ejus reliquiæ tegerentur. Movit testimonium mulieris artificem quemdam Panormitanum nomine Vitum, ut altius effoderet latus illud speluncæ, quod mulier designabat. Cum dies aliquot in hoc opere desudasset, offendit denique ad molem, ut tunc quidem videbatur, e solido constantem saxo, sex longam palmos, duos latam, parique crassitudine, informem tamen, ac rudem. Saxum perfringere aggressus,

27. Ostenta quædam circa sacrum illud corpus.

fragmentum malleo decusit, quod magnitudinem reputanti videbatur perleve. At amovere illud conatus, nulla virium contentione potuit, quamvis subsidio vocaret juvenes robustissimos. Tantum in lapide vix palmari pondus satis per se visum mirabile, & quasi certum rei sacratioris indicium. Defixus admiratione Vitus, molem reliquam explorat curiosius, videtque, qua fragmentum dissiluerat, inclusam humani capitis calvam concreto circum lapide incrustatam. Eam pius fossor pro certo sumens ad corpus Rosaliæ pertinere, nihil dubitavit cætera quoque ossa ibidem invenienda. Ecce autem huic affirmandæ fiduciæ novum ostentum, priori quidem absimile, sed æque admirandum. Cum trahendam suscepisset de montis latere in medium antri molem illam prægrandem, de qua supra dicebam, humo vix circum egesta, sine vectibus, sine machinis, duorum duntaxat hominum manibus, quasi sponte sequax protrahitur. Hoc magis mirari Vitus, ut ad rem humana majorem. Mittit e vestigio Panormum, qui omnia nunciet Senatui, & Cardinali de

28. In quo statu reperta sint ejus ossa.

Auria Archiepiscopo. Vicissim designantur certi ab iis homines, qui accurrant, arceant turbam, & specus aditum diligenter custodiant usque in diem posterum. Eo die cum venisset ad locum judex delegatus cum idoneis testibus, saxum diffringitur. In saxo medio apparent porrecta in longum ossa humani corporis, sed adeo tenaciter adhærentia lapideæ materiæ, ut plane constaret, hanc ex aliquo concrevisse humore circum supraque deciduo, & paulatim durato; id quod utrum naturæ artificio, an divina virtute factum esset, pro certo judicari non poterat. Rem miraculo propiorem faciebat forma ipsa lapidis, quæ ad magnitudinem humani corporis erat perfecte dimensa: tum ejusdem natura, quæ candidissimi ac pellucidi onychis speciem referebat. Quidquid id esset, fragmenta omnia Cardinalis deferri ad se jussit, exploraturus

29. Veritas reliquiarum novo miraculo comprobatur.

per otium, an vere illæ essent tamdiu quæsitæ exuviæ Panormitanæ virginis Rosaliæ, ac decreturus postmodum, utrum venerationi publicæ proponendæ essent. Dum efferebantur, visa de se luculenter testari ipsa Rosalia. Tota enim congeries lapidum, quorum antea unum multi movere non potuerant, nunc unius tantum humeris vecta est sine labore,

Sol-

Digitized by Google

Sollicitus de rei veritate Cardinalis Antiſtes, ne quid temere conſtitueret, medicos audit, legum ſacrarum peritos in conſilium adhibet. Præ cæteris vero noſtrum Jordanum Caſcinam, virum multiplicis litteraturæ, jubet expendere diligenter, qua veri ſpecie confici poſſet ex monumentis antiquitatis, eſſe reipſa illas Roſaliæ virginis mortales exuvias. Imperata fecit Caſcina, ſtudio ſolertiaque qua decuit. Et jam, poſt laborem aſſiduum aliquot menſium, videbatur ſibi rem confectam habere: cum audit deſperatam eſſe cauſam, obſtare medicos ne quid ultra quæratur. Movebat medicos, quod in oſſium repertorum ſtrue tres extarent diverſorum corporum calvæ: una amplior, ac longe ſupra muliebris corporis modum: reliquæ duæ nimis parvæ, exileſque, ac prope menſuram corporum puerilium. Hinc unanimi conſenſione confecerant, nihil minus ibi eſſe, quam quod quærebatur corpus Roſaliæ. Hæſit ad hæc Caſcina, non tamen animo concidit. Unum rogat, ſibi ut fiat copia ſuis inſpiciendi oculis, quæ in domeſtico Cardinalis ſacrario ſervabantur oſſa. Cum impetraſſet, affuit ipſe, aliique præterea tres de Societate, cum uno ex Canonicis, viro gravi doctoque, quibus acceſſit arbiter Procpiſcopus. Hi porro ſingula accurate contemplantes, facile intellexerunt, medicis nocturno tempore, & ad lumen candelæ non ſatis omnia fuiſſe perſpecta. Nam quæ pueriles viſæ fuerant duorum capitum calvæ, nihil erant niſi ſcutella teſtacea, & ſcutellæ ejuſdem tegumentum ex materia lapideſcente concretum. Quæ autem re ipſa erat calva, minime excedebat muliebris menſuræ modum: ſed obducta lapideo veluti cortice trium digitorum craſſitudine, multo apparebat amplior, quam vere eſſet. Hæc ipſi poſtea medici, rebus diligentius obſervatis, confeſſi ſunt, & jurati affirmarunt. Everſo in hunc modum quod contra cauſam videbatur præcipuum, placuit audire doctiorum judicia. Adeſſe jubet Purpuratus Antiſtes delectos ex utroque Clero Theologos, eorumque ſententias exquirit. Subdubitantibus qui primo dicere loco ſunt juſſi, nihilque certi ſtatuere audentibus, ſecutus proxime P. Caſcina, docta & accurata oratione oſtendit, nullum eſſe dubitandi locum: totque rationibus & conjecturis demonſtravit, vere illa eſſe Roſaliæ tamdiu quæſita incaſſum oſſa, ut audientium pleroſque ſuam in ſententiam traxerit. Eas modo rationes & conjecturas videre eſt in volumine, quod de eodem argumento luculentiſſimum ſcripſit. Caſcinæ ſe adjunxit P. Joſeph Auguſtinus, vir hic etiam theologica ſcientia clarus, cui deincops fere omnes reliqui conſenſerunt. Cardinalem interea urgebant querelæ civium, ejus cunctatione repudiari dolentium quodammodo oblatum a Deo beneficium, malique publici, & graviſſimi remedium negligi. Confirmabat hanc hominum opinionem, quod peſtilentia ingraveſceret magis in dies poſt repertas Roſaliæ reliquias. Nam cum ante aliquot menſes putaretur prorſus extincta, excitata nunc iterum, & aucta viribus, ſtragem edebat ingentem, totamque deſolatura urbem videbatur. Quo tempore, ut hoc obiter notem, obierunt ex noſtris alii duo eximiæ virtutis Patres, Vincentius Bongiornus, & Hieronymus Platamonius, lue contracta, dum in publico valetudinario curam languentibus impendebant. Cardinali adhuc in utramque partem fluctuante, acceſſit poſtremo loco ſententiis hominum cœli ſuffragium. Moriebatur Panormi juvenis in ſua vicinia notiſſimus (Vincentio Bonello nomen erat juveni), & uno jam die ſenſibus omnino deſtitutus jacebat. Repente ſibi redditus, Sacerdotem adſtantem orat, obteſtaturque ne cunctetur adire Pontificem Cardinalem, atque hæc illi totidem verbis referre: Quæ apud eum ſervarentur oſſa, procul dubio reliquias eſſe B. Roſaliæ. Nimis jam diu de earum veritate diſceptatum videri. Non prius cives præſentibus malis liberatum iri, quam repertum corpus per urbem honore debito circumferatur, eique cultus publicus perſolvatur. Hæc ſibi ante quatriduum aperte fuiſſe indicata ab eadem virgine Roſalia, cum circa illius ſpeluncam venatum iſſet. Signum nihil his ſubeſſe fraudis, fore ſuam mortem eodem die ſecuturam. Nam & hoc ſibi prænunciatum ab ea fuiſſe, ſimulque mandatum,

39. P. Jordanus Caſcina inventas Roſaliæ reliquias aſſerit.

31. Medicorum objecta quædam refellit.

32. Noſtri veritatem reliquiarum tuentur.

33. Recrudeſcit peſtilentia. Moriuntur ex noſtris alii duo.

34. Veritas reliquiarum iterum comprobatur manifeſto miraculo,

Digitized by Google

ut quæ audisset ex ore ipsius, Cardinali Archiepiscopo significanda curaret. Hæc ita prorsus, uti a juvene moribundo fuerant pronunciata, Sacerdos per quam celeriter retulit ad Cardinalem. Visum haud levis momenti esse quod de novo afferebatur. Redire jubetur ad ægrotum sacerdos idem cum duobus ex ordine Capuccinorum Patribus, ut simul ex ipso Bonelli ore quæ narrabantur exciperent, Totam visæ sibi Rosaliæ historiam ægrotus evolvit denuo, ea facultate loquendi, & verborum copia, ac si omnino convaluisset. Addidit, nunquam excidisse sibi mandata Virginis, sed toto triduo conticuisse, ne si omnia ut acta erant referret, ipse se reum faceret noxæ capitalis. Quippe ita lege cautum fuerat, ut intra quas ædes detecta semel fuisset pestilentia, inde nemini fas esset pedem efferre ante præscriptum dierum numerum: Bonellus vero ad venationem exierat, etiamsi in ejus domo decessisset nuper pestilenti morbo uxor ipsius, idque Magistratibus innotuisset. Omnia litteris exceperunt Capuccini, ut ad Cardinalem referrent: necdum egressi fuerant domo, cum Bonellus animam exhalavit.

35. Corpori S. Rosaliæ decernitur cultus publicus.

Jam ergo motus tam apertissimis divinæ voluntatis indiciis Antistes, neque ultra cunctandum ratus, diem statuit VIII. Cal. Martii, quo demum die suam sententiam pronunciaret. Convenerant ad eam audiendam Senatus urbanus, & collegium Canonicorum in sacellum palatii pontificalis, ubi sacra lipsana servabantur. In eo consessu Cardinalis, longa oratione præfatus de studio solertiaque, quam in indaganda veritate rei gravissimæ posuisset, ad extremum pro Antistitis potestate pronunciat, quæ viderent ossa, verum esse corpus sanctissimæ virginis Rosaliæ, in honore habendum posthac Panormi, venerandumque cultu publico, ac religioso. Tum assurgens, ossa singula ex ordine annumerata includit arculæ, quam holoserico punicei coloris circumvestiri jusserat, eamque rite obsignatam Senatui, collegioque Canonicorum tradit custodiendam, adhibitis solemni more testibus, & tabulis de re tota confectis.

36. Defertur in templum. Vota Senatorum, lætitiæ publicæ documenta.

Placuit eadem hora sacrum pignus in templum deferre. Canonici ipsi, aliique sacri ordinis insigniores viri, assumpto in hujus honoris partem P. Jordano Cascina, suppositis humeris feretrum in Basilicam metropolitanam asportarunt, ac super aram in templo medio constitutam collocarunt, gestiente præ lætitia populo, ac Patronam suam faustis acclamationibus salutante. Cum accessisset ad venerandum Senatus, vovit Rosaliæ arcam è solido argento, ubi ejus ossa decentius reponerentur, ac sacellum præterea in ejusdem honorem magnifice extruendum, ornandumque. Subjiciente opportune Cascina de nobilitanda etiam spelunca, ubi tam nobile pignus tamdiu latuisset, id etiam pii Senatores opere præclaro facturos spoponderunt. Post hæc civitati universæ, ut in maxima reipublicæ felicitate, gaudium denunciari jusserunt, primo quidem æris campani læto sonitu, mox tormentorum muralium fragore, funalibus, ac festis ignibus, quibus in rebus eluxit amplissimæ urbis non minus pietas, quam opulentia. Id unum fortasse minus bene, quod distulerunt sacras reliquias per urbem circumducere, in quo vulgo persuasum erat finem pestilentiæ fore. Nam cum statuissent supplicationem istam obire sumptu & apparatu quam fieri posset maximo, in eo adornando artifices, etsi numero plures, & pro viribus festinantes, dies ipsos centum, & si quid amplius insumpserunt.

37. Circumfertur per urbem insigni pompa.

At enim moram excusavit operis magnificentia & pulchritudo, cujus in tali genere nihil simile se vidisse testabantur ii quoque, qui Romæ, & in aliis illustrioribus Italiæ urbibus multa viderant. Indicta fuerat supplicatio ad V. Idus Junii. Hoc die tam communis, tam certa fuit omnibus persuasio, reddendam civitati salutem, ut nemo dubitaret. Magistratus ipsi edicto palam proposito potestatem fecerunt omnibus frequentandi promiscue sacram celebritatem, iis duntaxat exceptis, qui cum essent de contagione suspecti, suis inclusi ædibus curabantur. Eorum quibus interesse licebat, ajunt defuisse neminem. Nec vero civium, & clientum suorum spem fefellit Rosalia. Ab illa die ita desedit morbi late grassantis vis, ut vix reliquiæ remanserint raræ admodum, & in-

38. Ex eo die extinguitur pestilentia Panormi.

ter-

Digitized by Google

termortuæ, quaſi favillæ incendii recens extincti. Quæ etiam penitus defecerunt poſtridie Idus Julias, ſimul ac urbis Prætor profectus ad ſpecum Roſaliæ hoſpitio conſecratam, novis eam operibus ornare ad ſacelli normam inſtituit, ut conceptum a Senatu votum exſolveret. Tam repentinam tantæ urbis ſalutem, non naturalibus cauſis partam, ſed Roſaliæ precibus impetratam agnoverunt Panormitani, eoque præſertim nomine poſt illud tempus civem ac patronam ſuam religione præcipua colendam ſuſceperunt. Porro cœleſte beneficium ut conſtaret clarius, toto bimeſtri ſpatio proxime conſecuto nemo ægrotavit Panormi, non dicam peſte, ſed ne leviſſimo quidem morbi genere, licet in illud tempus inciderent dies caniculares, quo tempore frequentiores vulgo morbi eſſe ſolent.

39. Saccam invadit lues. Noſtrorum ibi labores, & funera.

At cum Panormo depulſa eſt lues, Saccam invaſit (Thermas Selinuntiorum appellabant antiqui) oppidum inter Pachynum & Lylibæum ſitum, & ferventium aquarum ſalubritate apud ſcriptores notum. Sæviit Saccæ morbus menſes omnino ſeptem, donec beneficio Deiparæ, ut piè creditum eſt, ſanitas urbi afflictæ rediit. Toto hoc intervallo curam ſuburbani noſocomii geſſit Pater Andreas Terrazzius, magni nominis operarius, habuitque aliquandiu laboris & periculi ſocium Antonium Verduccium, rei domeſticæ adjutorem, ac probitatis expertæ virum, quem in ipſo miſericordiæ officio naviter laborantem peſtis abſumpſit. Alius ex eodem collegio Sacerdos, quem ex litteris Saccenſibus non male mihi conjicere videor fuiſſe Coſmum Pepium, procurationem ſumpſit pauperum mendicato victitantium, & corrogata a locupletioribus ſtipe aluiſſe fertur eorum gregem ingentem, uſque ad mille circiter, idque totis menſibus ſeptem. Demum, rogatu urbani Magiſtratus, receperunt noſtri curam purgandi utenſilia, aliamque domorum ſupellectilem, quas peſtis infecerat: officium, ut maxime neceſſarium, ita peræque moleſtum ac periculoſum. Eo præ cæteris officio fungi voluit Franciſcus Murena, juvenis ornatiſſimus, tunc humaniorum litterarum magiſter: ſed contagione hærentis in tali rerum genere tabis infectus, mercedem laboris optatiſſimam retulit, beatam mortem. Atque hic finem habuerunt noſtrorum funera, peſtilentiæ, ſeu verius charitatis ardori imputata, quæ nos ad duodecim numeravimus. In his referendis nonnihil extra annum, de quo ſcribendum erat, exceſſimus, ne abrumpendus eſſet contextus narrationis ad graviſſimam illam Siciliæ calamitatem pertinentis. Sed jam ad ordinem temporum revertimur.

40. Noſtri purgandas ſuſcipiunt infectorum domos.

41. Obitus & Elogium P. Gaſparis Paraninfi.

Præter ita mortuos, extulit Societas Sicula Gaſparem Paraninfum, & Carolum Romanum, duos Patres longe graviſſimos, quos ſine peculiari elogio præterire non poſſumus. Paraninfum ob facundiæ vim, laborumque ac rerum geſtarum magnitudinem, Siciliæ Apoſtolum paſſim vocitabant. Nulla eſt virtus oratoria, quæ non in eo emineret. Genus dicendi grave, nervoſum, nitidum: eruditio ſolida, & exquiſita; vox ipſa, & actio plena roboris, & dignitatis. Habendis concionibus a prima ætate occupatus, Siciliam univerſam concionando peragravit, incredibileſque ubique motus animorum concitavit. Solemne illi erat, priuſquam ad concionandum prodiret, ferreo ſe flagro immaniter diverberare, & cilicium ſetis aſperrimis horridum ad vivum induere. Nihil unquam de loco ſuperiore dixit, quod non prius accurate expendiſſet, provolutuſque in genua ante Chriſti ſimulacrum ſcripſiſſet. Chriſti patientis religione ſic tangebatur, ut cogitare videretur nihil, niſi ejus cruciatus & vulnera. In his contemplandis ſeptem quotidie horas ponebat. Hæc ut homines cum honore recolerent, ſumma ope curabat. Ubicunque fuit, pias ſodalitates, ſupplicationeſque in honorem ſacrorum vulnerum inſtituit. Eorundem ipſe reverentia, ſingulis ſextis feriis ad extremam uſque ſenectutem jejunare conſuevit. Multa narrant ſupra naturæ uſum a Paraninfo patrata, multa loco & tempore remotiſſima prænunciata. Verum ab his nos abſtinemus, ſtudio brevitatis. Obiit x. Cal. Februarii, Nari in patria ſua, ubi nuper fundandum Societati collegium curaverat. Annos numerabat ſexaginta novem, quorum apud nos

unde

Digitized by Google

42. Mors & Elogium P. Caroli Romani,

undequinquaginta transegerat. Mortuo, tanquam patri patriæ, civitas Narensis concursu prope incredibili, & multis lacrymis parentavit. Paraninfo, etsi ætate longe inferior, virtute propemodum geminus habebatur P. Carolus Romanus, nisi quod hujus sanctimoniam nobilitas etiam generis ex parte illustrabat. Natus enim erat ex Romanis Catanensibus, quorum initia repetuntur a Romana Columnensium familia ubique gentium notissima. Nihil illi in deliciis, nihil æque in amoribus fuit, ac Virgo Dei mater, cujus subinde aspectu, & familiari colloquio dignatum ferunt. Cum esset annorum duntaxat quatuor & triginta, tironibus instituendis præfectus fuit, idoneum censente magno illo hominum æstimatore Claudio. Gravissimum vero magistratum gessit sapientia tanta, ut ad formandos alumnos Societatis nihil addi, aut demi posse testarentur ii, qui omnem ejus agendi rationem propius observabant. Accidit per illud tempus, ut Panormum inveherentur Carmelitæ excalceati. Eos cum certis de causis cives averserentur, & injuste vexarent, Romanus jussu B. Virginis contra invidiam populi tuendos suscepit, summaque rerum inopia laborantes multis largitionibus recreavit. Narravimus supra, loco Indicæ expeditionis, quam impetrare nunquam potuit, instituisse Romanum perpetuam missionem, ac circumire Siciliam peregrinationibus Apostolicis cœpisse, nullo certo ac stabili domicilio. Hoc laboriosissimum munus nunquam deinde abdicavit, nunquam intermisit, donec strenuus Christi miles in ipsa velut acie dimicans cecidit. Nam cum Golesanum per summos anni calores excurrisset, dum ibi ministeria sacræ missionis alacriter suo more exequitur, violenta febri correptus occubuit XVII. Cal. Septembres, anno ætatis quadragesimo quarto nondum exacto. Mortui corpus Antonius de Moncada Montis alti dux (is etiam septimo post anno vitam in Societate clausit) lectica deportari jussit Calatanixetam, suæ ditionis oppidum, ne vir sanctitatis opinione inclytus alibi, quam apud suos jaceret. Susceptum est universæ civitatis & cleri occursu cadaver, conditumque discreto loculo in æde Societatis. Romani adhuc viventis precibus debuisse quam plurimos eximia beneficia, multos item invocato ipsius jam defuncti nomine præsentem opem expertos esse, memoriæ proditum est. Sed ea nos ad alia festinantes cogimur prætermittere.

43. Res Austriacæ Mors & Elogium P. Martini Becani,

Eodem anno Viennæ in Austria finem vivendi fecit P. Martinus Becanus, vir probitatis antiquæ, & humanarum divinarumque litterarum scientia sui temporis inter primos, quod præclara ejus monumenta testantur. Theologiam annos duos & viginti docuit, partim Herbipoli, partim Moguntiæ, ac demum Viennæ, quo vocatus fuerat ab Imperatore Matthia, ut Viennensem Academiam doctrina sua ac nomine illustraret. Utebatur Becanus egregia docendi ratione. Religionis arcana sic explicabat, ut abdita promeret, illustraret obscura, summam perspicuitatem cum singulari brevitate (quæ dos paucis concessa) sociaret. Sed ut multum laudaretur ab ingenio doctrinaque, multo erat laudabilior ab innocentia morum, & vitæ: ab humilitate præsertim, & candore quodam ingenuo, quo eruditionem eximiam condiebat. Nihil illo modestius, nihil religiosius. Lectus a Ferdinando Cæsare conscientiæ arbiter ac moderator, ex tam splendido ministerio nihil sibi sumpsit, præter curas multiplices laboresque, nec de priori vitæ instituto quidquam remisit. Eadem erga majores observantia, eadem cum æqualibus familiaritas, idem cultus domesticæ disciplinæ. Aulam quam minimum poterat frequentabat, nec nisi ex officio. Negotiis vero, præter conscientiam Principis, & religionem, omnino abstinebat. Quidquid vacui temporis nactus esset, eruditæ scriptioni, aut precibus dabat. Hæc adeo probabantur Cæsari, ut non facile dixerim, utrum Becanum plus amaret, an veneraretur. Illud quidem certe constat, in omnibus de religione negotiis consuevisse pium Principem ejus consilia velut oracula audire, & sequi, utcunque interdum contraria suaderent alii ministri. Non est hujus loci prolixius exequi, quam multa Cæsar eo auctore fortiter ac præclare gesserit, tum ad ornamentum catholicæ rei, tum ad perniciem hæ-

44. Confessarius Cæsaris munus suum exercet summa prudentia,

re-

Digitized by Google

reſeos, tum denique ad morum ac publicæ honeſtatis præſidium: nimis enim longe narratio extra præſcriptum excurreret. Unum diſsimulare non debeo, in quo non minus auctoritatem hominis, quam religioſam dimiſsionem admirari licebit. Celebrabatur Ratisbonæ conventus Principum, ad eoſque retulerat Cæſar de cooptando in Collegium ſeptemvirale Maximiliano Duce Bavariæ, quo loco exciderat Fridericus Palatinus lege majeſtatis damnatus. Id Cæſari, id Gregorio XV. Pontifici ſupra quam dici poſsit optatiſsimum erat: ſed utriuſque votis obſtabant in conventu multi, duce Septemviro Moguntino, qui tametſi juſtam diceret relationem Cæſaris, novitatem tamen periculoſam putabat, metuebatque ne inde bellum inexpiabile inter Germaniæ Principes excitaretur. Norat Ferdinandus, quanti Becanum faceret Moguntinus. Ejus itaque ut flecteret obfirmatum animum, & de ſententia moveret, non alium adhibere deprecatorem quam Becanum ſtatuit. Profectus ad Antiſtitem orator religioſus cum mandatis Cæſaris, totam exprompſit qua pollebat facundiam, omnes eloquentiæ nervos intendit, ut negotium conficeret, ſed nullo effectu. Rationibus rationes opponebat Archiepiſcopus, perſtabatque ad omnia immotus. Poſt aliquot congreſſus, videns Becanus cætera incaſſum eſſe, aliam inire viam ſtatuit, eamque digniorem ſe. Accidit ad pedes Principis ſupplex: orat de genu, ac per quidquid ſanctum ubique eſt obſecrat, ne pergat rem morari, quam Pontifex, quam Cæſar, quam boni omnes maximopere optarent, quæ denique in magnum catholicæ religionis commodum ceſſura eſſet. Submiſſionis exemplo victus eſt, quem nulla oratio expugnaverat. Manus dedit roganti Antiſtes, & decreto Cæſaris de Bavari ſeptemviratu ſubſcripſit. Ob hæc, aliaque ejuſdem generis multa, ingens erat tota Germania nomen & exiſtimatio Becani, eoque graviori noſtrorum luctu elatus eſt IX. Cal. Februarias. Natus erat Hilvarembecæ Belgii municipio ante annos ſexaginta duos, quorum unum ſupra quadraginta meruit in Societate.

45. Negotium difficillimum conficit religioſa humilitate.

Cæterum laborantibus in Auſtria noſtris, ut ex omni ſectarum genere quam plurimos ad Eccleſiam reducerent, magnam afferebat rei bene gerendæ facultatem pietas Cæſaris, cujus hoc anno ſpecimen novum eluxit. Semper ille quidem curarum præcipuam intenderat ad tuendum propagandumque cultum catholicæ Religionis, nec aliam magis ob cauſam tot Societatem beneficiis cumulabat, niſi quia ſibi perſuaſerat, ipſius præſertim opera purgandam aliquando eſſe Germaniam tot errorum peſtibus, quibus miſere fœdabatur. At nunc ſe ipſum ſuperans, ad reparanda religionis damna convertit animum ea deliberatione, a qua in poſterum reſilire, nec ſi vellet, poſſet. Dies erat Virgini ab Angelo ſalutatæ ſacer. Eo Cæſar die, cum ſacra myſteria publice participaſſet in Imperiali ſacello, ut erat ante aram in genua provolutus, vovit omnipotenti Deo, curaturum ſe omni ope ſtudioque, ut religio catholica in ſuis ubique regnis refloreſceret, ſi modo, quod divinæ Matris interventu poſtulabat, pacaret aliquando tandem Hungariam. Eadem religione ſe obſtrinxit auguſta conjux Eleonora, addiditque hortatu Cæſaris hanc voto clauſulam, curæ ſibi fore, ut viro ſubjiceret opportune ſtimulos ad voti fidem ſervandam. Neque id piiſſimo Imperatori ſatis. Mortuo Becano, ſibi jam aſſumpſerat a confeſſionibus P. Gulielmum Lamormainium, cujus eſt alibi facta mentio. Vidit adſtantem nunc, compellatumque ire juſſit ad Joannem Ulricum Eggembergium, Imperii primarium adminiſtrum, ut idem ab eo votum concipiendum curaret: quæ Lamormainio juſſa celeriter faciente, Eggembergius, etſi tunc ex podagra decumbens, mira alacritate Principi morem geſſit. Poſt hæc, agreſſus Cæſar novis edictis hæreſim coercere, ſectarum miniſtris graviter interdixit, ne uſpiam intra fines Auſtriæ Bohemiæque ſuos celebrarent cœtus, neu ſua, ut vocabant, ſacra ad quempiam deferrent. Aliam mox legem juſſit graviorem Junio ineunte. Cavebatur hac lege, ne quis Paterfamilias liberos, ne tutor pupillos ſtudiorum cauſa mitteret ad Academias hæreticorum. Si quis antea miſiſſet, ut miſſos continuo revocaret ſanciebatur. Nulli præterea heterodoxo liceret

46. Votum Ferdinandi Cæſaris de propaganda catholica religione.

47. Edicta ejuſdem contra Hæreticos.

Digitized by Google

ceret in Austria Bohemiaque jus, quod provinciæ vocant, acquirere, aut bona solo hærentia emere. Postremo ut omnes sectarum ministri pellerentur: omnes civitates hæresim ejurarent, & catholicam fidem reciperent. Qui intra præfinitam diem decreto non paruissent, ii suis omnibus aut venditis, aut exportatis, solum verterent. Edictum ut per Bohemiam Austriamque circummissum est, multo felicius progredi religio cœpit. Fuerunt sane multi, qui bene usi spatio ad deliberandum dato, maluerunt cultum mutare quam solum, & a sectis, quibus fuerant innutriti, ad veram Christi Ecclesiam transierunt. Nec vero nihil ad eos permovendos contulit nostrorum ubique labor & cura. De Bohemia dicam inferius. In Austria septem jam annos allaborabant non improspere nostri, ut Crembsenses ab hæresi vindicarent. Hoc anno, principale edictum aptis cohortationibus promoventes, paucorum dierum labore negotium feliciter confecerunt, pauciſſimis inventis, qui patriam deserere mallent quam hæresim. Ex Traunkirchensibus, quo in oppido stationem collegio Passavienſi datam dicebamus suo loco, quadringenti circiter Lutheri superstitionem dedocti catholica sacra perceperunt. Erant ii magnam partem rustici, & nostrorum prædiorum coloni, qui proinde beneficium agnoscentes, bene sibi ac feliciter eveniſſe affirmabant, quod in jus Societatis transiissent, eoque nomine se rusticorum feliciſſimos profitebantur. Non adeo prospere initio gesta res Lincii in Austria superiori. Lincienses enim totius provinciæ pervicaciſſimi, ægerrime inducebant animum ut luthorum damnarent. Urgenti edictum de ejectione ministrorum Adamo Herberstorfio urbis Gubernatori, etsi non auderent palam obsistere, non parebant tamen. Tantum adversus nostros, quos rebantur edicti auctores, fremebant. Et nihilominus molliti paulatim constantia Cæsaris, & patientia Patrum, non solum abegerunt ministros, verum etiam tertio post anno facti sunt ex toto catholici.

48. Sociorum labores & fructus in variis Austriæ locis.

49. Res gestæ in Hungaria.

Pax interea inter Cæsarem & Gaborem firmata denuo Societati aperuerat Hungariam. Censebantur toto regno socii omnino triginta sex, duodeviginti in collegio Tyrnavienſi, reliqui apud diversos magnates, quibus dati fuerant conscientiæ arbitri, & sacrorum ministri. Sane pauci numero, qui tamen laborem & industriam multorum æquantes, tum in locis ubi morabantur, tum in aliis ad quæ subinde excurrebant, non paucos, præsertim nobilium, ad catholicam veritatem perduxerunt. Duo fuerunt præcipue, qui in eam quoque partem regni penetrantes, ubi Turca rerum potiebatur, Strigonio, Buda, Agria, quæque his finitima peragratis, supra trecentos redemerunt ex iis, quos Turcæ bello Gaboriano in servitutem abduxerant. Neque solum corporis, verum etiam animæ vincula miseris detraxerunt. Nam cum plerique variarum sectarum erroribus impliciti invenirentur, adeo moti sunt Patrum quam experiebantur charitate, ut hoc maxime documento veritatem catholicæ religionis agnoverint. Etiam in Transilvaniam patefactus iterum est nostris aditus, & instaurata missio, quæ ob tumultus belli varios fere conciderat. In hanc regionem ipse olim Gabor, ut Orthodoxis suarum partium gratificaretur, restituendam curaverat Societatem ordinum decreto pulsam, atque proscriptam. Vir quippe firmandæ duntaxat potentiæ intentus, nihil pensi habebat quam sequi religionem mallent, quos sibi fidos, & bello utiles experiebatur. Quin ipse nominatim invitaverat in Transilvaniam Patrem Stephanum Szinum, eique sedem fixam dederat Albæ Juliæ, annona etiam liberaliter attributa unde viveret. Szino deinde comes accesserat P. Gregorius Vasarellus, fluentibusque rebus non inprospere, advenerant post paulo in eandem messem Patres Martinus Bauda, & Stephanus Mori, ac domicilium posuerant Monostorii prope Claudiopolim. Qua quamvis exigua operariorum manu, adeo respirabat catholica res exitio proxima, ut revixisse quodammodo videretur. Præter conciones, & ministeria sacrorum, aperuerant nostri, tum Albæ Juliæ, tum Monostorii ludum litterarium teneriori ætati, ac subinde e suis sedibus ad regionem circumpositam excurrentes, totam fere provinciam veritatis lumine collustrabant.

50. Status rerum in Transilvania ante hoc tempus.

Lon-

Digitized by Google

Longo tamen ſupra cæteros eminebat Szini indefeſſus labor. Vix arbitror eſſe in Tranſilvania locum, quo non ille pervaſerit, nec facile ſit inire rationem omnium, quos vel a ſectis hæreticorum ad Eccleſiam, vel a ſceleribus ad pœnitentiam, & bonos mores traduxit. Verum tam lætos rerum ſucceſſus paulatim intervertit levitas & inconſtantia Gaboris, qui Bohemico innexus fœderi, ut reformatos ſibi devinciret, ſin minus adverſari noſtris aperte cœpit, favere quidem cèrte deſiit. Poſt illud ſane tempus Patres annona privati, & multis vexati modis, coacti fuerant apud diverſos proceres diverſari clanculum, ne injuriis hæreticorum paterent: donec Gabor mutari denuo, & bene erga nos affici viſus. Namque ubi pax coaluit, advenientem cum legato Cæſaris Patrem Georgium Kaldium, hominem ſibi notum, lætus vidit, comiterque excepit, neque ſolum rogatu ipſius reſtituit Societati jus domicilii priſtinum in Tranſilvania, verum etiam poteſtatem ipſi fecit conſtituendi novam ac ſtabilem ſedem Karanſebii, quæ civitas inſidet montibus Temeſvariam proſpectantibus. Ita cum ſubiiſſent in regionem alii duo Patres, Georgius Butylius, & Stephanus Machius, tribus in locis domicilia collocata fuerunt, Monoſtorii, Albæ juliæ, & Karanſebii, iterumque inſtaurata miſſio Tranſilvanica, non ſine ſpe reducendæ in illum principatum religionis. Hujus rei lætum velut auſpicium fuit caſus, quem ſubjicio, inſolens, & ſcitu dignus. Varadini, dum cæmentarius terram altius molitur, everſo prægrandi lapide, retectum eſt involucrum ex lino. Colligitur ſtatim, explicatur. Latebat in medio linteolum complicatum probe, cum codicillo totidem litteris exarato: *Qui ſcripſi, Sacerdos fui. Semel dum ſacris operabar, calicem rite conſecratum effudi imprudens. Madefactum purificatorium ter abluendum curavi: ſed quanto magis abluebatur, tanto largius manabat ſanguine. Quamobrem prodigio attonitus, hic condidi. Si quis aliquando invenerit, habeat in honore.* Erat tunc forte Varadini Gabor, qui accepta eventus relatione, videre involucrum voluit, ſcriptum legit, tradiditque uni domeſticorum, viro catholico, a quo rem totam audiit P. Szinus, & ad Mutium perſcripſit.

51. Miſſio Tranſilvanica inſtauratur.

52. Monumentum religionis caſu repertum Varadini.

Per hæc Viennæ P. Chriſtophorus Scheinerus incredibili laborabat invidia, cujus in partem tota de more Societas vocabatur. Erat Scheinerus Archiduci Carolo a confeſſionibus, idem Principi carus in paucis, eique viciſſim addictiſſimus. Ut difficile eſt, ſi quem vere diligas, ejus detrimentis non affici, diſſimulare non potuit Scheinerus diverſi generis fraudes, quæ committi ſolebant a Judæis, quos ille ſibi fecerat monetales. De his ergo, prætergreſſus fines officii ſui, monuit Archiducem, multaque ſubjiciens ad rationes ærarii pertinentia, Cornelium neſcio quem nominavit, virum probatæ integritatis, cui conflandæ feriundæque in poſterum monetæ cura tuto deferri poſſet. Probavit conſilium Carolus, atque ita omnino fieri juſſit. Quin Scheinerum ipſum, licet invitum, & enixe deprecantem coegit, ut Cornelium in illius negotii procuratione regeret. Ecce autem haud multo poſt peculatus accuſatur Cornelius, conjiciturque in carcerem, quaſi dolo malo pecuniam ſurripuerit, aut corruperit. Ille, ut excuſaret ſi quid peccaſſet imprudens, appellare Scheinerum, nihil a ſe factum Scheinero inconſulto dicere. Id ſatis, ut inimici Societatis vulgarent ſtatim, magnum principalis pecuniæ numerum everſum eſſe fraudibus Jeſuitæ. Qui rumor tam late percrebuit, eamque induit ſpeciem veritatis, ut nuſpiam fortaſſe alibi infamia inuſta ſit Societati gravior, aut turpior. At non diu veritate potentior fuit improbitas calumniatorum. Demonſtrata eſt ad liquidum innocentia Scheineri, Cornelii fides in lucem educta: accuſator autem parum abfuit, quin capite calumniam lueret. Neque id ſatis. Cæſar, & Carolus, ut difflarent rumorem temere ſparſum, Scheinero teſtimonium innocentiæ ampliſſimum præbuerunt. Quorum ut conſpecta ſunt diplomata, tunc demum oppreſſa conticuit volitans per Germaniam calumnia, non tamen ſine utili documento noſtrorum, ne cujuſquam gratia res a ſua profeſſione alienas attingant. Eodem tempore aliud amantiſſimus Imperator exſtare

53. Gravis contra P. Scheinerum calumnia excitatur Viennæ.

54. Ejus innocentia ad liquidum demonſtratur.

Digitized by Google

documentum voluit suæ erga nos benevolentiæ. Vetus erat multorum, ac
55. Clagenfurtense Seminarium instituitur. commune votum, ut existeret in Carinthia aliquod seminarium, ubi illi præsertim educarentur adolescentes, quorum indolem virtuti ac litteris opportunam domestica paupertas retardabat. Id non modo utile, verum etiam necessarium vulgo putabatur, tum ut juvenes catholica religione ac litteris eruditi in hæreticorum locum succrescerent, tum ut ex hoc plantario proveniret bonorum copia Sacerdotum, quibus magnam partem destituta regio erroribus vitiisque silvescebat. Quod multi optabant frustra, solus Cæsar perfecit. Instituta olim fuerat apud S. Viti Fanum (locus est Clagenfurto proximus) domus pauperum, quam vocabant aulicam, ducto inde nomine, quod ex præscripto fundatoris in ea potissimum alendi essent ii, qui, post annos aliquot in aula peractos, morbis, annis, & inopia confecti vitam ægre tolerarent. Decursu temporis cum cœpissent alii subinde in illam domum irrepere, ejusque nunc administratio menti & votis Archiducum minime responderet, placuit Ferdinando, ut domus aulica contubernio pauperum adolescentum addiceretur, deditque duobus proceribus negotium, ut ejus bona collegio nostro Clagenfurtensi ad seminarium istud constituendum traderent. Fuerat domus aulica olim cœnobium virginum, leges ac disciplinam S. Claræ profitentium, spectabatque ad diœcesim Archiepiscopi Salisburgensis. Is multa causatus, negotio moram objiciebat. Tamen id omne sexto post anno penitus compositum
56. Tirones Leobienses divina ope servantur. est. Dum Clagenfurtense seminarium constituitur, summum repente periculum creatum est tirocinio Leobiensi, nec nisi altioris providentiæ nutu prohibita tironum clades. Dormiebant illi nocte concubia intra unum conclave, hærentibus hinc inde lectulis ad parietem; cum accidit, ut horribili motu terra concuteretur. Paries, de quo dicebam, subito ruinam duxit a summo ad imum. Cum tamen necesse videretur, omnes omnino lectos opprimi, ita circa illos detorta sunt in ipso lapsu rudera, ut tironum læserint neminem. Atque hæc quidem in provincia Austriaca.

57. Res Bohemicæ Hæretici hoc anno ad Ecclesiam reducti. In Bohemica, promoventibus edicta Cæsaris hinc magistratibus metu pœnarum, inde nostris suasione, consiliis, privatis demum ac publicis cohortationibus, incredibiles ad Ecclesiam transitiones hoc anno factæ. Sexdecim circiter fuisse dicuntur hominum millia, quos intra hujus provinciæ fines Societas e diversis sectis abduxit. Læta præsertim accidit multorum conversio in Moravia. Cardinalis a Dietrechstein, qui provinciam administrabat nomine Cæsaris, cum duos haud ita pridem adeptus esset principatus, Lipnicensem, & Kranicensem, constituendos utrobique curaverat binos Societatis operarios, qui sana doctrina incolas hæresi depravatos imbuerent. Votis respondit eventus, ac prope spem superavit. Lipnicenses intra paucos menses manus veritati dederunt omnes ad unum. Cum Kranicensibus certatum est aliquanto diutius: tamen sub finem anni pars civium longe maxima inter catholicos censebantur. Pari prope successu gesta res in aliis pluribus Moraviæ Bohemiæque oppidis, quorum domini rectoresque nostrorum operam flagitarunt. Nec enim satis erat denunciare populis edictum Principis, nisi iidem errorem dedocerentur, nec tam metu, quam charitate ad parendum pellicerentur. Fuit ubi capita
58. Difficultates alicubi superatæ. civitatis, recitato sibi decreto Cæsaris, contumaciter responderunt, citius domos, fortunasque omnes cum liberis & conjugibus amissuros, quam paterentur eripi sibi in percipiendis mysteriis sacrum calicem. Nihilo tamen minus iidem mox, auditis Patribus, consilia in melius verterunt, & contumaciam penitus abjecerunt. Alibi turba rusticorum, jussa ex diversis pagis unum in locum convenire ad audiendos Societatis concionatores, dilapsa erat in silvam cum armis, parabatque priorem fidem, seu perfidiam potius, ferro tueri. Conjurationem quidem missus Praga miles compescuit; at hominum pervicaciam vicit paulatim patientia, comitas, & assiduitas Patrum, quibus cum illi se instituendos permisissent, bimestri spatio plerique ad catholicas partes transgressi sunt. Alia ejusdem generis prætermitto, ne sim prolixior. Hæ porro fruges

haud

Digitized by Google

haud parvo a noſtris labore colligebantur. Coacti pluribus in locis Patres rarœciarum curam gerere, pauci multorum officia ſupplebant. Alii concurſandis pagis atque oppidis, populiſque erudiendis nullum finem faciebant. Laboris magnitudinem ipſi mirabantur heterodoxi, indeque moti ſunt bene multi, ut meliora ſuadentibus dociles ſe præberent. Spectatus præ cæteris P. Joannes Scutellanus, quem nullo valetudinis reſpectu laborantem apud Kranicenſes, onus immenſum oppreſſit idibus Auguſti. Occubuit vir præclarus oppidanorum incredibili luctu, ſepultuſque eſt in eodem templo, ubi nuper omnium primus catholicæ religionis cultum reſtituerat, pulſis hæreticorum miniſtris.

59. Labores noſtrorum, & mors P. Joannis Scutellani.

Dum ita noſtri ſalutem curabant publicam, duobus intra Moraviam donati ſunt domiciliis, Znoymenſi, & Iglavienſi. Hoc poſterius obtulerant Societati ante duos annos pii conjuges Michael Adolphus Comes ab Althan, & Eliſabetha de Stotzingo, oblatumque Mutius receperat, ut ſuo loco dictum eſt. Tamen, cum deeſſet apta ad habitandum domus, collegium reipſa nondum aperiebatur. Moras ut præcideret Cæſar, quaſdam Societati donavit perduellium ædes fiſco addictas, noſtroſque ſtatim in earum poſſeſſionem immitti juſſit. Peracta res eſt cum cæremonia inſigni. Affuit ipſe Cardinalis a Dietrechſtein Moraviæ Gubernator, ipſe fundum Præpoſito provinciali ex formula tradidit. Erectum fuerat in platea altare magnificum, prope inſulas collegio addictas. Ibi Cardinalis ante omnia ſolemne ſacrum peregit cum ſymphoniacis, & concentu. Mox circumfuſum populum in modum concionis alloquens, eum graviſſima oratione hortatus eſt, ut inducendos in urbem Patres Societatis honore debito proſequeretur. Orationem ſecundiſſimis animis excepere cives, quamvis adhuc magnam partem heterodoxi, unum modo rogantes, ut ocyus aperirentur ſuis inſtituendis liberis ſcholæ litterarum. Quin ultro domum, quæ publici juris erat, in uſum ſeminarii obtulerunt. Patuerunt intra menſem ſcholæ: in ſcholis cenſiti ſtatim adoleſcentes amplius centum. Et nihilominus cives in hæreſi obfirmati, nihil velle minus videbantur quam ſuperſtitionem abjicere. Orabant imo Cæſarem, ut proferret tantiſper diem, quæ ad deliberandum de religione fuerat præfinita, ſuaſque rejici preces dolebant. Verum ubi Patres aggreſſi ſunt ſolita Societatis munia exercere, alia paulatim populo mens, nec idem habitus animorum. Mirari primo noſtrorum mores, & agendi modum a luxu ſuperbiaque remotum: tantam erga omnes beneficentiam, nullam habendi cupidinem laudare, quæ inter ſuos miniſtros nunquam ſe vidiſſe dicerent. Ipſorum deinde alloquio & conſuetudine delectari. Poſtremo, quaſi nova oborta luce, profiteri palam ac libere, male actum eſſe ſecum, quod non multo ante tales accepiſſent magiſtros religionis. Ut rem paucis abſolvam, omnes intra biennium catholici facti ſunt. Itaque tertio poſt anno Cæſar, cum tranſiret Iglavia, incredibili ſuo gaudio audiit, neminem ſupereſſe ibi hæreticum, ubi ante Bohemicam rebellionem ne unus quidem erat catholicus. Tam lætam rerum converſionem noſtris hominibus vulgo imputabant. Multum vero ad eam contulerant, quod merito admireris, etiam adoleſcentes qui gymnaſium Societatis frequentabant. Eruditi quippe, non ſolum litteris, verum etiam vera credendi regula, hanc ſubinde objectabant parentibus, quæque audierant in ſchola, adverſus eorum pervicaciam expromebant. Quæ demum vere affirmabant, eadem factis illuſtribus tuebantur. Inventi aliqui adhuc impuberes, qui recurrentibus jejuniorum feriis, famem ad multos dies arido duntaxat pane toleraverunt, quia domeſtici ad eorum conſtantiam labefactandam obſonium non præbebant, niſi ex carnibus. Quod abſtinentiæ exemplum, in illa ætate admirandum, grandiores natu confudit, ac nonnullis veritatem catholici dogmatis perſuaſit.

60. Aperitur Collegium Iglavienſe in Moravia.

61. Primæ fruges per ſocios Iglavienſes collectæ.

62. Nonnullorum puerorum virtus egregia.

Nondum Iglaviam inducta erat Societas, & jam idem rerum noſtrarum fautor munificentiſſimus Comes Adolphus ab Althan Znoymæ quoque, quæ civitas eſt Moraviæ amœniſſima ad fluvium Teyam, collegium conſtituendum ſuſceperat. Id ut perficeret celerius, Znoymam ipſe contendit cum opportunis

63. Znoymæ Collegium conſtituitur.

Digitized by Google

ad magiſtratum litteris Ferdinandi Cæſaris, treſque ſecum adduxit Patres e Brunenſi domo evocatos, præter Gulielmum Lamormainium, qui Præpoſiti provincialis nomine de negotio tranſigeret. Facile tranſactum eſt. Templum erat Znoymæ Archangelo Michaeli ſacrum, cui adhærebant ædes, & ſcholæ hæreticis haud ita pridem ereptæ. Cum videretur totius urbis maxime idoneus collegio locus, primum omnium ſolemni Eccleſiæ ritu templum repurgatum eſt. Illud deinde ex æde curiali Patres, aliique pauci catholici adierunt ſupplicantium in morem, tegente eorum latera milite præſidiario, ne quid forte contra ſacram cæremoniam auderent heterodoxi. Venientibus præſto fuerunt ad fores templi Sacerdotes, & Magiſtratus urbanus, a quibus templum, ædes, ſcholas, & his adnexum hortum accepit Comes Adolphus, quæque acceperat, momento eodem Patribus Societatis mancipio tradidit. Hinc ſacrum majore ritu celebratum eſt. Finem ceremoniæ impoſuit uſitatum carmen gratiarum actionis, quod dum concentu muſico peragebatur, læto militarium tormentorum fragore circum omnia perſonuerunt. Jam quos protulerit fructus novum Znoymenſe collegium, vel inde æſtimare ſatis liceat, quod cum cœptum eſt, catholici in tota civitate cenſebantur pauciſſimi: anno autem vix dum exacto, omnes hæreſim execrati Eccleſiæ Romanæ ſacramentum dixerant. Hujus rei exſtat etiam nunc in æde Lauretana monumentum inſigne, illuc olim ab Imperatore Ferdinando miſſum, & inter Principum donaria ſervatum. Nam cum Ferdinandus poſt annos tres acceſſiſſet Znoymam, & certatim a civibus Pater Patriæ, ac vindex catholicæ religionis ſalutaretur, nomine publico donatus eſt effigie Chriſti crucifixi perquam affabre facta, cum hac inſcriptione: *Arrha fidei a Znoyma Catholica Ferdinando II. data*. Perplacuit Cæſari munus. Datæ autem fidei ſequeſtram, & quaſi vadem eſſe Deiparam cupiens, ſacram effigiem ad Lauretanam ædem tranſmiſit. Par operæ pretium eſt factum Glacii, quam in urbem nos ante duos annos reduxerat Carolus Ferdinandi frater, ut ſuo loco docuimus. Initio quidem, etſi noſtri quæ ſui erant muneris ſedulo exequerentur, parum ex ſententia res proceſſerant. Obfirmaverant quippe Glacienſes cultum a majoribus traditum nunquam dimittere. At ſimul atque de præcipuis præteritæ perduellionis auctoribus haberi cognitio cœpta eſt, magna animorum commutatio facta. Multi ex primoribus adacti conſcientia criminis, & bonorum vitæque jacturam metuentes, adire anxie noſtros, eorum in tam præſenti periculo opem implorare. Minime recuſarunt Patres ſupplicum patrocinium ſuſcipere. Deprecatores acceſſerunt ad Cæſarem, multos legibus exemerunt, multos omni remiſſa pœna Principi reconciliarunt. Exemplum benignitatis, mirum ut in animos civium penetraverit. Meminerant enim, eoſdem hos eſſe homines, quos haud ita pridem ipſi ſpoliatione bonorum, exilioque damnaſſent ſine cauſa, & ex urbe ſua per ſummam ignominiam ejeciſſent. Fore autem ut tot injuriis tanta gratia rependeretur, id nec ſperare auſi fuerant unquam, & vix nunc experiendo credebant. Quod ad rem magis pertinet, redintegrata civium erga nos benevolentia primus quaſi gradus ad religionem inſtaurandam fuit, indeque initium habuit quæ ſecuta mox eſt totius civitatis converſio ad Eccleſiam.

64. Civitas Znoymenſis anno uno reducitur ad Eccleſiam.

65. Glacienſes Patrum benignitate capti pertinaciam remittunt.

66. Res Rhenanæ, Inſignis Catholicorum victoria.

Per hæc in tractu Rhenano, ſicut felicius in dies proferebantur catholici arma fœderis, ita miniſterio Societatis religio latius propagabatur. Anno ſuperiore Mansfeldius, ope Batavorum utcunque refectus ex clade Floriacenſi, irruperat in Embslandiam, noſtroſque Mappena ac Vechta expulerat. Eo iterum fugato, penetraverat in Weſtphaliam cum ingentibus prædonum copiis ferox ille factionis hæreticæ anteſignanus Alberſtadienſis, totamque late provinciam, & finitimas circum regiones metu conſternabat. Contra hunc VIII. Idus Auguſti caſtra movit Tillius catholici exercitus imperator, commiſſoque ad Sthalonum oppidum prælio, ſex hoſtium millia interfecit, quatuor cum omni bellico apparatu cepit, reliquum exercitum fudit fugavitque. Eo prælio, non ſolum pacata Weſtphalia, finitimæque provinciæ, verum etiam reddita eſt

Digitized by Google

noſtris libertas ſtationes priſtinas repetendi. Illud tamen præſtabilius, quod eadem clade fracta eſt hæreticorum audacia in tantum, ut veram fidem docentibus obſiſtere contumacius non auderent. Duæ præ reliquis erant regiones, Embslandia, & Eisfeldia, illa Monaſterienſis, hæc Moguntinæ ditionis, in quibus ſecta Lutheri altiores radices egerat. Ad eas igitur excolendas adjecerunt animum homines Societatis. Placuit initium facere ab Embslandia, quippe ubi jam labore noſtrorum Mappena, urbs regionis caput, aliaque circum oppida catholicam fidem receperant. Tres e collegio Monaſterienſi egreſſi ſunt Patres, Nicolaus Hunecken, Theophilus Olaus, & Jodocus Thorweſten, ac Vechtam recta contenderunt, evangelicum opus facturi. Sed dum maxime utiliter faciebant, gliſcente morbo contagioſo, quem Mansfeldicum vulgo appellibant, brevi interierunt priores duo, lue contracta in tabidorum obſequio. Unus itaque cum ſupereſſet Jodocus, trium operariorum partes unus implevit, præſentique urbis calamitate ad mentes hominum ſalubriter concutiendas uſus, abduxit ab hæreſi multos, plures a vitiorum veterno feliciter excitavit. Edixerat Vechtenſibus Ferdinandus Epiſcopus, & Princeps Monaſterienſis, ut vel catholicam religionem amplecterentur, vel in exilium irent, certa præfinita die, intra quam qui nollent eſſe catholici, ſua omnia ſibi habentes Embslandia demigrarent. Contra hujus auctoritatem edicti arma objecerunt initio quidam opulentiores, ſpe vana ducti, terrefaciendum apparatu belli, ac minacibus Batavorum litteris Principem. At eo perſtante fortiter, ut dignum erat, legem a ſe latam exigere, noſtriſque meliorem mentem populo inſpirantibus, compreſſa ſeditio eſt. Alii mox atque alii e collegio Monaſterienſi ſubmiſſi ſunt Patres, quorum cohortationibus & doctrina paulatim civitati univerſæ eſt perſuaſum, ut hæreſim ejuraret. Perſanata in hunc modum Vechta, itum eſt ad minora oppida, Alenam, Halterenam, Werendorpium, aliaque, & pari ubique ſucceſſu acta res: niſi quod Werendorpienſes, ſumptis per apertam rebellionem armis, ſex ipſas hebdomadas reſtiterunt edicto Principis, nec niſi hortatu & ſuaſionibus Patrum ferociam denique, atque hæreſim poſuerunt. Ab eo tempore tota Embslandia ejecti ſunt pravæ ſuperſtitionis miniſtri, & Curiones ubique orthodoxi conſtituti: redditus templis ſuus nitor, ſua rebus ſacris dignitas, & catholicæ religionis ritus poſtliminio revocati. Atque hoc exitu laboratum in Embslandia.

67. Fructuoſi noſtrorum labores Vechtæ.

68. Vechtenſium contumaciam vincit conſtantia Principis.

69. Res geſtæ in aliis Embslandiæ locis.

Majoris negotii fuit perſuadere Eisfeldiæ, ut partes Lutheranorum deſereret. Rem ibi catholicam procurabant Patres collegii Heiligenſtadienſis, & aliqua ſubinde hæreticorum capita ad Eccleſiam reducebant. Sed obtinentibus magnam curiarum partem Paſtoribus Lutheranis, hærebant eorum veſtigiis miſeri greges, & in errore jam pridem recepto perſtabant incredibili contumacia. Unica ſuppetebat hæreſis profligandæ ratio, ſi amoverentur Curiones hæretici. Quod ſatis intelligens Joannes Svicardus Archiepiſcopus Moguntinus, miſit in Eisfeldiam legatos cum mandatis, ut Lutheranos miniſtros abſiſtere ſtatim cogerent ædibus curialibus, ac niſi ſe catholicis aggregaſſent, eos tota regione poſt bimenſem expellerent. Multo tamen conſultius fuerat, genus hominum exitiale confeſtim ejici, ne abuti poſſet ſpatio ad remanendum conceſſo. Namque improbi, quod erat metuendum, utilem rebus ſuis nacti moram, hoc medio tempore multos mortalium ſubornarunt, ac ne Jeſuitarum, ut ajebant, lenociniis ſe dimoveri a parentum religione ſinerent perpulerunt. Quæ cauſa fuit, ut circummiſſi pagatim Patres, ubicunque erant lutherani paſtores, parum profecerint, aut ferme nihil. At poſt duos menſes, cum ejecti fuiſſent pervicaciæ auctores, tunc vero egreſſi denuo in regionem ſocii meſſem uberrimam collegerunt. Præter multa ubique capita, quæ numerare longum eſſet, ſexdecim ipſos pagos ad profeſſionem Romanæ fidei traxerunt. Tantum Duderſtadii, quod oppidum regionis eſt amplum & frequens, etiamſi Parochi non eſſent niſi catholici, veritatem repellebant præfracte cives, ejuſque magiſtros majorem in modum averſabantur. Vidit Antiſtes prudens, non uno

70. In Eisfeldia noſtrorum operam remorantur Paſtores Lutherani.

71. Iis ejectis, omnia eveniunt feliciter.

Digitized by Google

uno impetu, sed longa velut obsidione expugnandum hostem adeo contumacem. Quare collocandam Duderstadii curavit Societatis stationem temporariam, tamdiu in loco mansuram, donec incolæ resipuissent. Stationi præses impositus P. Joannes Falconius, vir ingentis spiritus, & in Moguntina diœcesi apostolicis expeditionibus notus, qui commodum ante paucos dies cruentas hæreticorum manus evaserat, nec vero sine cœlesti ope & præsidio, ut ex rei narratione constabit. Contendebat Falconius Moguntia Doesburgum ad concionandum, jumento ut solebat insidens. In itinere occupatus repente ab armatorum immiti globo, jumento dejicitur, nudatur, in interiorem silvam abducitur, ut suspendio necaretur. Ille nec conari contra vim, nec mortem indebitam deprecari, ac ne conqueri quidem. Tantum invocare Deiparam, & patronos suos Ignatium Xaveriumque. Ventum erat prope certam arborem. Expediuntur instrumenta supplicii. Cum essent in promptu omnia, inhumani prædones subita misericordia ab incepto destiterunt, atque incolumem dimiserunt. Sensit Falconius adfuisse sibi in tam extremo periculo cœlestem opem, erectusque in genua, Lauretanas, ut loquimur, litanias decurrebat. Cum ecce accurrunt denuo latrones: reddunt quæ abstulerant indumenta, ac jumentum: solummodo ephippia, & paucos libellos sibi ex omni præda retinent. Facilis erat rerum istarum jactura. Quia tamen commodato illas acceperat ab amico, ægre ferebat vir eximie pauper ita periisse, & domino reddi non posse. Cum hac mentis ægritudine Doesburgum attigerat, & in ædem sacram recta contenderat. Precanti nunciatur ex improviso, recepta esse ephippia cum libris: omnia a latronibus fuisse deposita ante fores ædiculæ suburbanæ. Adeo vel in rebus levioribus propitium se suis famulis præbet benignissimus Deus, & eorum voluntatibus obsecundat. Falconius igitur, assumpto in partem operis P. Daniele Lippio, sedem fixerat Duderstadii, ut rem catholicam instauraret. At spem fefellit eventus. Annum ibi integrum commorati duo tam strenui Patres, tametsi nec labori parcerent nec industriæ, de sex millibus civium ne uni quidem persuadere potuerunt, ut catholicus fieri vellet. Intentatæ fuerunt ab Antistite graves minæ: milites ad terrorem incutiendum missi. Frustra omnia. Falconius itaque, tantam soli sterilitatem pro merito dolens, atque uni imputans sibi, rediit Moguntiam pudibundus ac mœrens, nullo collecto nisi diuturnæ patientiæ fructu. Subiit in ejus locum P. Joannes Ravus, operarius æque strenuus, & nuper collegii Heiligenstadiensis præfectura perfunctus (nec enim visum pro desperatis deserere contumaces), simulque impositum urbi præsidium militum. Cum mulctæ a refractariis haud segniter exigerentur, multis vexatio dedit intellectum, ac paulatim suum labori pretium constitit. Cœperunt Duderstadienses quæ a Patribus docebantur secum expendere maturius, donec cognitam veritatem amplexi sunt centum supra mille, primitiæ frugis multo lautioris in posterum colligendæ. Urbem interea corripuit lues exitialis, ac statim nostri, ut veros Evangelii ministros decuit, juvandis ægrotis totos se devoverunt. At dum salutis æternæ præsidia circumferunt, dum urbem incredibili labore, ac nullo metu concursant, extincti ambo sunt brevi intervallo, Lippius Cal. Septembris, Ravus octavo post die. Insignes plane operarii, & digni glorioſa quam consecuti sunt palma, mortem in officio charitatis obeuntes. Locum ab iis relictum occupavit P. Conradus Otho, ac parem ingressus laborem, sed meliore fortuna, rem ab aliis cœptam feliciter confecit. Ejus hortatu, & auctoritate Septemviri Moguntini, tota ad extremum consensit civitas, ut Romanæ fidei professionem acciperet, tribus tantum exceptis, quibus carior fuit superstitio, quam patria. Hunc habuit ibi exitum nostrorum labor, producta urbis conversione in annum sæculi vigesimum septimum, ex quo primum Duderstadiani desciverant ab Ecclesia prorsus centesimum. Lippiæ quoque, seu Lipstadii, nuper Societas domicilium acceperat a religiosissimo principe Palatino Neoburgico, ut eversam penitus rem catholicam eo in oppido restitueret. Aderant in loco duo Patres egregii, Adolphus

72. P. Jo. Falconius ab impiorum manibus divina ope servatur.

73. Recuperat etiam reculas sibi ademptas.

74. Duderstadiensium pertinacia longo labore superatur.

75. Pretiosa mors PP. Danielis Lippii, & Joannis Ravi.

76. Alii duo Patres similiter moriuntur Lipstadii.

phus Leheppus, & Jodocus Valtherius, nihilque sibi reliqui ad laborem apostolicum faciebant. Verum impigre laborantes Hungarica lues extinxit, anno cum ibi esse cœperant nondum exacto. Quibus sublatis hominibus, Lippiensium conversio est ampliata.

77. Nostrorum excursiones in inferiorem Saxoniam.

Eodem anno excursiones in inferiorem Saxoniam a nostris sunt factæ, & exiguæ Catholicorum reliquiæ usitatis laboribus recreatæ. Duo erant cœnobia sacrarum virginum, alterum Magdeburgi B. Agneti dedicatum, Alberstadii alterum ordinis Cistercienſis, quod a Matre misericordiæ appellabant. Utrobique virgines, etsi in urbibus omnino lutheranis, non solum catholicæ, sed piæ admodum integræque, suorum institutorum retinentissimæ, nostri autem nominis studiosissimæ. Ad hos parthenones bis intra annum excurrere solebant Patres collegii Hildesienſis, ut virgines optimas sacrorum ministerio reficerent, consiliisque & piis allocutionibus ad pietatem accenderent. Ibant porro in amictu non suo, ne quid hæreticis suboleret. Alberstadium proficiscentibus, paratum semper erat hospitium apud Hysburgenses monachos Benedictinos, vix uno milliari ab illa urbe distantes, qui nostros tecto excipiebant, fovebant, & ad multos dies perquam liberaliter apud se habebant. Qui vero Magdeburgum itabant, ii diversari solebant in cœnobio pariter Benedictinorum Ammenslebiensi: quod ita fieri prudenti consilio curaverat P. Augustinus Turrianus Hildesienſis collegii rector, ne nostri metu hæreticorum cogerentur apud virgines hospitari. Nec vero hospitium ægre præbebant Patres Benedictini, sed eam rem percupiebant potius, & in loco beneficii non contemnendi reponebant. Captata enim occasione, nostrorum opera ad profectum animæ utebantur, soliti apud eos conscientiam expiare, de conscientiæ negotiis conferre, novo pietatis ardore incalescere. Alberstadium hoc anno venit P. Joannes Joannis, Magdeburgum P. Andreas Nisenus, egregii ambo, & probatæ virtutis operarii, qui re apud virgines bene gesta, nonnullos etiam lutheranorum catholicis aggregarunt. Atque hæc peregerunt provinciæ Rhenanæ socii extra sua tecta, & in alieno, ut ita dicam, solo. Jam quæ in suis singuli domiciliis laudabiliter gesserint, nihil opus est per partes exequi. Fuerunt quippe ex earum rerum genere, quæ apud nos usu assiduo ferme viluerunt. Ut tamen lectiora aliqua cursim attingam, Hagenoæ Senatus, adnitentibus præsertim nostris, doctores Lutheranorum a ministerio divini verbi excluſit, suamque Patribus Franciscanis restituit ecclesiam, ubi heterodoxi annos fere septuaginta cathedram erroris retinuerant. Scheleſtadii esse cœperant homines Societatis ante annos haud amplius novem, brevique hoc tempore ea facta fuerat commutatio civitatis, ut novam pietatis ac morum speciem miraretur Archidux Leopoldus, affirmaretque palam, videri sibi urbem omnino aliam. Quod qualecunque esset, passim nostrorum industriæ tribuebatur. Denique in omnibus ubique collegiis hæretici cum Ecclesia sunt reconciliati plures, excessitque eorum numerus usque ad mille & octingentos. Verumtamen tot inter rerum successus desideravit provincia socios unum & quadraginta, quorum plerique laboribus pro animarum salute susceptis absumpti interierunt, nec leve damnum tot orbata commilitonibus fecit. Nullius tamen tam defleta jactura, quam P. Gerardi Wentzeri Præpositi provincialis. Aschaffemburgi extinctus est pridie Cal. Octobres, cum vix totos quinque menses provinciam administrasset: vir pluribus naturæ & gratiæ donis instructus, & inter primos florens religiosa virtute. Rexerat collegia Fuldense, & Spirense, sexque continenter annos præfuerat institutioni tironum, assecutus, quod paucorum est, ut quibus præerat, eos non magis metu, quam charitate intra leges domesticæ disciplinæ contineret. Eo accidit acerbior viri obitus, quod ætatis annum quadragesimum octavum nondum expleverat. Sed de rebus provinciæ Rhenanæ satis.

78. Monachi Benedictini nostris hospitium præbent.

79. Acta in diversis provinciæ partibus.

80. Mors & elogium P. Gerardi Wentzeri.

81. Res Flandro-belgicæ. Missionis navalis institutio.

In Flandrobelgica novum hic annus aperuit Societati campum laboris, qui nobis erat antea occlusus. Alibi diximus institutas in Belgio fuisse missiones, quas castrenses vocant. Hinc nata occasio instituendi etiam navales. Nam cum inter

inter terrestrium copiarum duces multus esset sermo de fructu, quem ex nostrorum ministeriis capiebat exercitus, venit in mentem summo armorum præfecto Ambrosio Spinulæ, futurum e Dei Regisque obsequio, si ejusdem generis operarii classiarios quoque, turbamque nauticam comitarentur, & in navalibus expeditionibus adjutarent. Ea itaque de re sermonem intulit cum Isabella Belgii Gubernatrice, quæ consilium vehementer probans, edixit ne deinceps in regiam classem assumerentur sacrorum ministri, nisi quos designassent præpositi Societatis. Et quia per Apostolicæ Sedis privilegia jus habent Reges Hispaniarum constituendi quos velint castrorum classiumque suarum Parochos, curiali ut potestate nostri uterentur in classiarios, & nautas decrevit.

82. Prima nostrorum expeditio navalis.

His ita constitutis, occasio novæ missionis experiendæ non abfuit diu. Accidit VIII. Cal. Februarii, ut Ostenda vela facerent quinque regiæ naves, refertæ milite, & omni bellico instrumento instructæ. Navibus impositi fuerunt Sacerdotes nostri ordinis quatuor: quorum quam fructuosus fuerit labor, tum in pugna, quæ statim cum Batavis pugnata est, tum in fœda tempestate, quæ totos viginti dies classem huc illucque jactavit, majus est quam ut explicari commode possit. Adstiterunt militibus nautisque Patres inter pericula utriusque discriminis: omnibus quam tempus poscebat opem præbuerunt, tanta, non modo charitate, verum etiam constantia & fortitudine, ut mirarentur virtutem vulgari multo majorem nautæ, & nostros, quibus fuerant initio infensiores, haberent postmodum in honore, ac prope in oculis ferrent. Sed hujus primæ missionis labor, etsi gravis, non ita tamen diuturnus fuit. Post quatuor menses altera suscipitur ejusdem generis expeditio, sed longior multo, & laboris periculique multo gravioris. Præfectus Belgicæ classis Ludovicus Oliveira, jussus in Hispaniam tendere cum sex majoris alvei navigiis, profectionem indixerat nautis, militibusque classiariis. Adsunt continuo de Societate sacerdotes diversarum linguarum septem: duo in prætoriam, quinque reliqui in naves totidem imponuntur. Dum navigandi opportunitas expectatur Mardiki, Patres epibatis & turbæ nauticæ suaserunt, ne se mari prius committerent, quam conscientiam confessione piaculari purgassent, neu in tanto vitæ periculo salutem quoque sempiternam discrimini objicerent. Placuit consilium. Expiati sunt ad unum omnes, & contra omnem casum audentiores alacrioresque facti. Obsidebant interea portus ostia Batavorum bellicæ naves tredecim in anchoris stantes, & regiis, simul ac progredi cœpissent, imminebant. Hostem ut fallerent Hispani, vela fecerunt circa dimidium noctis, incredibili celeritate ac silentio. Res tamen latere non potuit excubantem diu noctuque Batavum, præsertim quod una navium, ut fors tulit, in ipso portus exitu hæsit illisa vadis; dumque eam moliri summa ope navarchus studet, facibus, & clamore fecit indicium. Protinus ergo, sublatis anchoris, accurrunt hostes lunato ordine: tormenta displodunt: a fronte, a latere regiam classem appetunt. Quandiu pugnam texerunt tenebræ, certatum hinc inde majore strepitu, quam damno. Ast ubi illuxit, tunc enim vero atrox prælium exarsit. In tanta disparitate virium sustinuerunt impressionem regii adeo fortiter, ut tres hostium naves male multatæ e pugna media fuerint subducendæ, ne mergerentur. Regiarum unam, injectis arpagonibus, jam prope ceperant Batavi. Advolavit quæ a S. Ignatio nuncupabatur, prohibuit hostes ne in eam transilirent, prædam recepit. Dirempta denique interventu noctis pugna, certior fit Oliveira, auxilio venire hostibus naves alias duodeviginti. Simul videt, non posse se quo cursum direxerat progredi, cadentibus ventis. Proras ergo dirigit ad proximum Angliæ littus, frustraque insequentibus hostibus, in portum Dubiensem evadit. Eodem haud multo post appulerunt Batavi cum duodecim navibus, omnino certi, vel Hispanos honestis conditionibus ad deditionem pellicere, vel ex illa statione digredientes opprimere. Neutrum successit. Totos quinque menses in Britannico portu regii substiterunt; quo tempore sæpe Batavus vim intentavit, semper cum ignominia repulsus est, donec

83. Expeditio altera, ac primæ nostrorum curæ.

84. Atrox pugna conseritur cum Batavis.

85. Classis Belgica evadit in Angliam.

me-

Digitized by Google

medius adveniens Angliæ Rex, ut immunitatem portus, & jus aſyli tueretur, ne quid ab alteris adverſus alteros hoſtile fieret vetuit. Sed ad ea quæ noſtri inſtituti ſunt veniamus, quæque fuerint noſtrorum per hoc tempus partes in regia claſſe, paucis expediamus.

86. Acta noſtrorum in regia claſſe.

Quoties dimicandum fuit, progrediebantur in mediam navim Patres, & coactos in modum concionis milites ad deteſtationem criminum prius, deinde ad fidem Deo ac Regi debitam incendebant. In ipſo æſtu certaminis inter milites diſcurrebant: ſauciis cadentibuſque abſolutionem, et ſi quam aliam poſſent opem impertiebant. Extra belli caſus, certas quotidie preces in communi obeundas curabant, atque ipſi cæteris verba præibant. Singulis diebus feſtis conciones habebant, & chriſtianarum inſtitutionum ſummam explicabant. Hæc publice. At privatim militibus nautiſque permixti, nulla non die ſingulos ad pietatem cohortabantur. Inſinuabant ſeſe in eorum maxime familiaritatem, quos norant linguæ eſſe ſolutioris, cum iiſque interdum, quaſi fallendi temporis cauſa, ludebant duodecim ſcrupis. Has tamen condicebant ludi leges, ut ſi adverſarii viciſſent, munuſculum a victo acciperent: ſin vincerentur, caverent toto octiduo, ne quod proferrent verbum irreligioſum, aut turpe, certa conſtituta pœna, quam contra facientes luerent. Præter hæc, cultum Deiparæ incredibili ſtudio promovebant. Curaverant initio, ut in ſingulis navibus proſtaret cum decenti ornatu imago illius, ad eamque de genu ſalutandam ſæpius intra diem pulſu æris excitarentur omnes. Pietas in morem abiit: & notatum eſt, a prima luce uſque ad meridiem nunquam fere defuiſſe, qui ante ſacram effigiem ſupplex procumberet. His artibus, mirum quæ facta morum emendatio fuerit in hominibus rerum talium inſuetis. Verborum obſcenitas, execrationes, juramenta, jurgia, rixæque, familiaria militum ac nautarum mala, fere ex toto ſublata. Mirabantur Duces, vigere inter arma religionis ſtudia: tantam vero, ac tam novam inter milites temperantiam, pietatem, modeſtiam, ſatis admirari non poterant. At ejuſmodi manipulos evangelici meſſores non ſine magnis animi corporiſque laboribus collegerunt. Quandiu fuerunt in ſtatione Britannica, cum verſarentur apud homines Romanæ fidei, & noſtræ præſertim Societatis inimiciſſimos, multis exerciti ſunt injuriis, ut æſtimare pronum eſt. Inter navigandum, ea interdum laborarunt annonæ difficultate, ut aqua putris, panis mucidus, carneſque olidæ pro deliciis eſſent. Acceſſit ægrotantium cura, quorum malis ærumniſque ſublevandis Patres ita ſe devoverunt, ut nullam quietis partem caperent. Profitebantur poſtea plures militum nautarumque, ſe Patrum beneficio vivere. Alii Patrum unice reſpectu ſe retineri ajebant, ne claſſem deſererent. Adde his pericula vitæ aſſidua, & ſexcentas mortes, nunc ab immiti mari, nunc ab hoſtibus intentatas. Adde ad extremum unius cruentam mortem, de qua ita comperio. Quintum jam menſem hæſerant navés in Dubienſi portu otioſæ: cum ſubito exorta tempeſtate propitia, viſum navarchis poſſe declinari Batavorum occurſum, & in Belgium tuto tranſmitti. Captata igitur nocte concubia, vela explicantur. At dum claſſis ſecundo vento in altum provehitur, prætoria, quæ omnium ultima diſceſſerat, in hoſtes incidit. Expediuntur arma raptim, & quamvis una cum multis certare cogeretur, certamen ſuſcipitur magno animo. Aderat in ea navi P. Franciſcus Brayus, vir natione Hibernus, ſtrenuus in paucis, & in miſſionibus caſtrenſibus multum exercitatus. Is vocem contendere ſtatim: omnium animos in ipſo ardore pugnæ excitare, omnes ad rem bene fortiterque gerendam incendere, prælii quaſi fax, atque anima. At dum huc illuc prælata Chriſti effigie diſcurrit, dum ſui prope ſecurus cæteris proſpicit, concidit repente majoris tormenti globo diſcerptus. Ejus caſu adeo collapſi ſunt militum animi, ut igne in pulverem bellicum injecto navim incenderint: quippe tolerabilius rati perire interitu voluntario, quam hoſtibus ſe permittere. Deflagravit continuo cum horriſono fragore navis; non omnes tamen vectores abſumpti ſunt. Pauci in aerem longe jactati, & inde in aquam relapſi, ut ſors tulit, in littus vivi

87. Eorum incommoda, labores, & pericula.

88. P. Franciſcus Brayus tormenti globo interfectus.

Digitized by Google

89. Mors & elogium P. Joannis Iſembrantii.

ſoſpiteſque enatarunt. Brayum, aliquanto prius quam hæc acciderent, præſenſiſſe divinitus eſſe ſibi brevi moriendum, crediderunt multi, nec temere. Id homini prænunciatum ajebant per viſum a P. Joanne Iſembrantio, qui haud ita pridem deceſſerat Antuerpiæ. Credibilem vero faciebat rem Iſembrantii pietas non vulgaris, cujus toto Belgio fama volitabat. Ejus labores pro animarum ſalute ſuſceptos nemo explicare ſatis poſſit. Ter minimum intra hebdomadam conciones habebat, nec ſcires utrum laborioſius, an fructuoſius. Quaſi hoc miniſterium ſatis non eſſet, eodem tempore pauperibus ægrotiſque conſolandis, confeſſionibus audiendis, confutandis qua voce, qua ſcripto hæreticis ita navabat operam, ac ſi non aliis occupationibus premeretur. Ex omnibus religioſis virtutibus obedientiam colebat præcipue, notumque erat apud domeſticos, majoribus qualiacunque præcipientibus, nullam ex eo vocem audiri, niſi hanc unam *libenter*. Tam promptum obediendi modum, ajunt, divinitus comprobatum fuiſſe poſt ipſius mortem. Cum enim ſarcophago fuiſſet incluſus, prodiiſſe ex eo dicitur diſtincta & clara vox, ter idem verbum ingeminans *libenter*. Cujus oſtenti hæc fuit communis omnium interpretatio, valde illi feliciter eveniſſe, quod majorum imperia excipere conſueviſſet, non ſolum æquo animo, verum etiam libenti. Moriendi cauſam Iſembrantius ex charitate contraxit. Solitus nimirum omne ægrotorum genus promiſcue adire, ex unius contagione peſtem hauſit, quæ virum longiore vita digniſſimum extinxit, anno ætatis trigeſimo ſexto, initæ Societatis decimo ſeptimo.

90. Hæretici ad Eccleſiam reducti.

Jam ut de rebus cæteris hoc anno geſtis in Belgio pauca dicam, laboribus ſociorum maritimis terreſtres non conceſſerunt. Brugis cum invenirentur Batavi plures bello capti, ex iis amplius triginta Eccleſiæ ſubjecti ſunt opera induſtriaque noſtrorum. Memorabilis in eo numero præ cunctis unus, quem Hollandi veluti patronum ſectæ obſervabant, & in illud ſuum, quod vocant, conſilium ſeniorum allegerant. Non ſolum veritati ceſſit ipſe, verum etiam idem conſilii per litteras perſuadere conatus eſt uxori liberiſque, nullam affirmans ſalutis ſpem extra catholicam Eccleſiam eſſe. Reſcripſerat uxor, ut ſtatim rediret domum: ubi rediiſſet, deliberaturos ſimul quid facto eſſet opus. Verum ille urbem execrans, in qua locus catholicæ religioni non eſſet, diſerte negavit ſe rediturum aliquando: malle videlicet inter orthodoxos vivere omnium inopem, quam cunctis vitæ commodis abundare inter hæreticos. Ypris

91. Præclara mors cujuſdam adoleſcentis.

celebrata eſt multorum linguis præclara mors adoleſcentis, qui in ſcholis ejus collegii educabatur. Natus annos haud amplius tredecim, eum attigerat virtutis apicem, quem pauci admodum aſſequuntur provecta ætate. Laborabat identidem calculis, & quamvis doloribus acerbiſſimis conflictaretur, hilari ſemper & exporrecta fronte erat. Rogatus olim a præceptore ſuo, qui poſſet animo lætus eſſe in tanto corporis cruciatu? viciſſim quæſivit ex eo, an triſtis eſſe poſſet is, qui Dei frueretur amicitia? Pridie illorum dierum, quibus Euchariſtiæ myſterium erat ſumpturus, non aliam admittebat curam, niſi ut divino hoſpiti quam mundiſſimum adornaret hoſpitium. Eo deinde ſumpto, diem reliquam meris religionibus conterebat. Quod ſi ad ludum, ut fit, ab æqualibus invitaretur, his exprobrabat libere, quod talis ſanctitatem diei jocis ineptiiſque corrumperent. Deiparam colebat in morem filii, nec eam fere alio compellabat nomine, quam parentis. Corpuſculum vel in tam tenera ætate ſubjiciebat ciliciis, flagris, nodoſiſque funiculis circa latera adſtrictis: ea cæteroqui innocentia puer, ut cujuslibet impudicitiæ nomen ipſum neſciret. Lethaliter ægrotus quærenti magiſtro, num quo teneretur deſiderio vitæ longioris? *Quid iſthuc*, inquit, *tibi venit in mentem, mi Pater? Me ne, Dei benignitate jam proximum vitæ beatæ & immortali, malle mortalem iſtam & miſeram diutius vivere?* Perrexitque de ſummo quod expectabat bono copioſius dicere, donec voce defectus, oculis in cœlum intentis, extremum ſpiritum duxit. Illatum cœlo parentes crediderunt, eoque præreptum ſibi, & hujus vitæ periculis minus doluerunt.

Si-

Digitized by Google

Similia de pueris ſæpe referunt omnium fere provinciarum litteræ annales. Verumtamen notant, fructus tam maturæ virtutis non alibi germinare conſueviſſe, quam in Marianis ſodalitatibus, quas ubique plurimas Societas inſtituerat. Erant illæ ſane veluti plantaria totidem, in quibus teneriores plantæ ad pietatem feliciter ſuccreſcebant. Quod cum uſu ipſo perſpicerent noſtri, ſodalitatum numerum in annos ſingulos augere ſtudebant. Tres hoc anno de novo inſtitutas invenio in Gallobelgica: Namurci unam pro pauperioribus filiis familias, qui litteris non darent operam: alteram Inſulis pro civibus inferioris ordinis: tertiam Duaci pro opificum adoleſcentibus. Hæc brevi ſodales amplius centum recenſuit. Audomari florebat quam ubi maxime ſodalitium ſcholaſticorum; hoc autem anno tale præbuit religionis exemplum, quod civitatem admiratione defixit. Inſtabat dies, qua ſacrum Chriſti corpus ſolemni ritu erat circumferendum per urbem. Pridie ejus diei progreſſi in publicum adoleſcentes ex nobilioribus, viam omnem, qua ducenda erat pompa, ſuis ipſi manibus everrerunt, ſordeſque certatim efferendo mundarunt: cumque ob eam cauſam ab æqualium nonnullis procaciter irriderentur, eorum ſannas dicteriaque ſpreverunt. Plus habuit admirationis apud Arienſes exemplum pietatis a militibus editum, quippe in ejuſmodi hominibus inuſitatum prorſus, ac novum. In hanc urbem contractæ fuerant ex magna parte copiæ ad Bredanam obſidionem evocatæ. Dum profectionis imperium opperiuntur, iis Patres collegii noſtri perſuaſerunt, ut adverſus incertæ expeditionis pericula munirent ſeſe perceptione ſacrorum. Accepta cum magno omnium aſſenſu re, dies conſtituitur, qua cuncti ſimul ad ſacram menſam accederent. Ea die itum eſt militari ordine, pluſquam militari modeſtia ad ædem ſacram, præeunte ex noſtris uno, ac Chriſti crucifixi ſignum, quod chriſtianæ militiæ primum vexillum eſt, præferente. Aderat ſpectaculo omnium ordinum multitudo promiſcua, hærebantque omnes attoniti novitate exempli, cujus nihil ſimile ſe vidiſſe meminerant inter milites. Ejuſdem generis multa ſunt in litteris hujus anni, quæ in annales referri ſine legentium faſtidio non poſſent: eoque narrari minus debent, quod res tunc quidem ob novitatem notabiles, nunc uſu ubique receptæ vix attenduntur. His igitur prætermiſſis, ad alia progredior. Delectus militum habebatur Bethuniæ, erantque jam ſub ſignis aliquot tironum centuriæ, & ad uſitata caſtrorum officia exercebantur. Accidit ut militem adhuc rudem, minuſque compoſite moventem ſeſe aliqui civium deriderent, ac petulanti dicacitate inceſſerent. Ea res, ut facile accenduntur animi, rixam ingentem movit. Milites convicium non ferentes, obvertunt arma. Conglobantur ex adverſo cives fiducia numeri, quo multum prævalebant. Centurio, cujus erat continere ſuos ne quid hoſtile inciperent, irruit in populum diſtricto ferro, & hominem ruſticanum convicium militi facientem peremit. Tum vero atrox exarſit incendium. Diffunditur tota urbe rumor, graſſari milites in populum. Clauduntur tabernæ, vocantur ad arma cives e turri ſumma, omnia tumultu & apparatu bellico perſtrepunt. Abdiderat ſe auctor cædis in vicinam domum, ad ejuſque defenſionem ſtabant in armis milites. Cives contra magno ruebant agmine, ulturi indignum facinus ſanguine interfectoris. Nihil aberat propius, quam ut lis ferro decerneretur. In tanto diſcrimine, cum ſilerent ii, quorum erat curam publicæ tranquillitatis ſuſcipere, unus in medium proceſſit rector collegii noſtri P. Ægidius Bucherius, ac ſe furenti populo objecit. Rogabat per quidquid ſanctum ubique eſt, ut quieſcerent, ut ab armis diſcederent. Negante populo ſe facturum, niſi ſceleſtum homicidam haberet in poteſtate, & nomen Conſulum obtendente, adiit recta Conſules, ſeditionis damna, calamitatem publicæ rei, Regis offenſionem demonſtravit eloquentia tanta, ut moti oratione Conſules prodierint denique ad concitatam multitudinem, & ſeditionem auctoritate compreſſerint. Agnovit beneficium civitas, quodque civili ſanguini fuerit parcitum, id noſtri hominis ſolertiæ acceptum retulit. Sed jam a rebus Belgicis gradum ad Anglicas faciamus.

92. Res Gallo-belgicæ. Sodalitiorum inſtitutio multiplex, & eorum fructus.

93. Exemplum pietatis a militibus editum Ariæ.

94. Bethuniæ atrox ſeditio a noſtris componitur.

Digitized by Google

95. Res Anglicanæ. Ortus tirocinii Watenensis.

Ac primo quidem, ut in ipso Belgio Societas Anglicana Watenense tirocinium, & Leodiense collegium adepta sit, quam breviſſime expediendum. Situm est oppidum Watenense in planitie montis, qui medius eminet inter Gravelinam & Casletum, e regione Angliæ, cœloque utitur saluberrimo. Anglis adolescentibus aptissima videbatur sedes, propterea quod ab ipsorum nativo solo vix differat. Distat Audomaro millia passuum haud amplius quinque, qua in urbe cum inveniretur celebre illud juventutis Anglicanæ seminarium, unde plures ad nos alumni quotannis transire solebant, ob hanc etiam commoditatem multa erat apud nos deliberatio de tirocinio Anglicanæ Societatis constituendo Watenis. Jam ante exequendi consilii ratio oblata fuerat, qua melior optari vix poterat. Erat Watenis pervetus monasterium, ex quo Episcopus Audomarensis censum peramplum percipiebat hac conditione, ut in eo octo minimum religiosos de suo aleret cujuscunque vellet ordinis. Id namque ita fieri constituerat S. Pius V. Pontifex, cujus beneficio monasterium illud a Canonicis Augustinianis translatum fuerat ad Ecclesiam Audomarensem. Conditio per plures annos abierat in desuetudinem, renuentibus Episcopis monasterii ædificium, quod hæretici incendio absumpserant, instaurare. At assumptus cum fuisset ad infulas Audomarenses ex Minorum familia Joannes Blasæus, vir nunquam satis laudandus, simul atque adiit episcopatum, cogitare secum cœpit, qua ratione reædificari possent Watenis ædes incensæ, in easque familia religiosorum restitui. Hæc reputans, audit quæri a Societate Anglicana locum tirocinio, & paratam esse pecuniæ non levem summam, olim in hunc usum legatam ab Hispana virgine Ludovica Caravagialia, cujus æque nota pietas, ac nobilitas. Visum optimo Antistiti ex Dei obsequio fore, si quod alendis religiosis admodum paucis impendi oportebat, adjungeretur illi summæ, & ad levandas Anglorum calamitates converteretur, collocata Watenis ea familia, ex qua prodituri subinde essent in Angliam evangelici operarii insignes, & catholicæ veritatis fortissimi assertores. Ne multa: Communicata ratione consilii sui cum Romano Pontifice, veniam petit addicendi Anglicano Societatis tirocinio fundos monasterii Watenensis. Responderat ad vota Pontifex Paulus V., quin Episcopi consilium valde laudaverat. Verum quia in litteris Pontificiis mentio fiebat operæ, quam Societatis tirones suo tempore navaturi essent Angliæ, litterarum notitiam assecutus legatus Anglicus, qui Bruxellis degebat, egit cum Alberto Austriaco Belgii principe, ne rem perfici sineret, causas obtendens graves, & in speciem honestas. Ea deprecatione conturbatus Archidux, negotium ampliabat. Non tamen ab incepto Blasæus destitit. Novas curavit a Pontifice litteras, quibus potestas eadem faciendæ quam dixi permutationis tribuebatur, tacito Anglorum & Angliæ nomine, omnique sublata causa querelarum ex parte oratoris Britannici. Tunc enimvero rem probavit Albertus, & copiam Pontificii diplomatis exequendi fecit. Sed quamquam traderetur jam tum Societati domus Watenensis ex magna parte instaurata, cautumque esset ut Anglicanis duntaxat tironibus usui esset, quod tamen optabatur ut in eam tirones e Leodiensi collegio immigrarent, id variis subnascentibus causis effici nunquam potuit, nisi post obitum Alberti Archiducis, quo sublato, Isabella Clara Eugenia pleno jure in Belgio dominans, liberum ejus rei arbitrium Societati permisit. Ita demum hoc excurrente anno tirones Watenas deducti sunt.

96. Ejusdem usus perdiu ampliatur, & quare.

97. Fundatur collegium Leodiense.

Iis Leodio amotis, cum vacua relinqueretur domus quam hactenus habitaverant, visum in ea posse constitui collegium Anglicanæ provinciæ maximum, ubi juventus nostra altioribus disciplinis erudiretur. Ac domus quidem familiam non exiguam capiebat. Favente enim cœptis Ferdinando a Bavaria Septemviro Colonienſi, Leodiique antistite, extructa fuerat fortasse amplior, quam modus tirocinii poscceret. At in expedienda collegii dote difficultas præcipua vertebat, cum solummodo iis, qui theologiam condiscebant Lovanii, certum esset constitutum vectigal, deesset autem unde alii sustentari possent alum-

Digitized by Google

alumni philoſophicis ſtudiis operaturi. Huic incommodo occurſum eſt liberalitate viri cujuſdam pii, qui & cenſus ad eam rem neceſſarios obtulit, & nomen prodi ſuum noluit. Sic ergo cum deeſſe videretur nihil, omnes pariter noſtri juvenes, theologi philoſophique, commigrare Leodium ſunt juſſi, ut ibi gravioribus ſtudiis informarentur, & ad refellendas Anglorum hæreſes exercerentur. At, quæ erat conditio temporum, collegium haud multo poſt ſuis proventibus deſtitutum eſt, ejus vero alumni ad extremam inopiam adacti locum deſerere cogebantur, niſi rem labantem patronus munificentiſſimus ſuſtentaſſet. Florebat tunc non minus bellica laude, quam eximio religionis ſtudio Bavariæ Dux Maximilianus, S. R. I. Elector jam ſalutatus: ac præter hæreditariam in noſtrum ordinem beneficentiam, quam intra fines ditionis ſuæ explicabat, tuendos etiam fovendoſque ſuſceperat ſocios in miſſione Anglica laborantes. Is cum audiſſet de anguſtia rei familiaris, qua collegium Leodienſe premebatur, ne concideret opus tam provide ad ſalutem Angliæ inſtitutum, penſionem illi annuam de ſuo liberaliter aſſignavit. Et quia ærario utebatur ob temporum difficultatem pene exhauſto, nihil dubitavit verſuram interea facere, ut penſionem promiſſam ſolveret. Neque hic ſe continuit Principis amantiſſimi liberalitas. Aliquot jam annos vivebat in ſterili matrimonio cum Eliſabetha Lotharinga, Deoque pridem voverat, ſi precibus B. Ignatii virilem prolem ſuſcepiſſet, nato filio facturum Ignatio nomen, & collegium Societati fundaturum ubicunque Præpoſito Generali placuiſſet. Jam vero cum videret, attributa penſione revixiſſe quodammodo collegium Leodienſe, anno ſequenti, qui fuit ſæculi vigeſimus ſextus, dotem illi addere perpetuam ſtatuit, & quidem tantam, ut fundati ex integro collegii titulum promereretur. Obſtabant anguſtiæ ærarii, ne neceſſariam ſummam repræſentaret ſtatim. Ipſe ſe, & hæredes quam arctiſſimis fidei vinculis obſtrinxit, ut donec ea ſumma vel numerato, vel æſtimatione ſolveretur, acciperent Patres ejuſdem quinas centeſimas in annos ſingulos. Uſque adeo cordi fuit optimo Principi, ne quo caſu minueretur collegio Leodienſi fructus benignitatis, quam illi impendere conſtituerat. Nondum cum hæc agebat optata ſobole erat potitus: ſed prævertere obſequio voluit beneficium, quod a B. Parente Ignatio certiſſime expectabat. Nec vero commiſit Ignatius, ut illum pœniteret ſuæ erga nos voluntatis. Sexageſimum vitæ annum egreſſus, ea prorſus ætate, quæ procreandæ ſoboli minus videbatur idonea, liberos ſuſcepit duos ex Marianna Auſtriaca Ferdinandi III. Cæſaris ſorore, ac filio natu majori, uti voverat, nomen Ignatii indidit. Princeps, cum univerſæ Societati, tum præſertim Patribus Anglis æterna cum laude memorandus, cujus inſigni beneficentiæ debet illa provincia quod habet unicum litterarum virtutiſque gymnaſium, ubi nunquam hactenus pro meſſe Anglicana operariorum ſupplementa defuerunt.

98. Maximiliani Bavariæ Ducis liberalitas erga illud.

99. Ejuſdem votum, & nova erga collegium beneficentia.

100. Duos ſuſcipit liberos ope S. Ignatii.

Sed ut ad annum, de quo modo nobis ſermo eſt, redeamus, recruduit hoc tempore acerbitas Puritanorum in Anglia contra Catholicos, noſtriſque in eo ſolo deſudantibus novas curas injecit. Solutis enim ſponſalibus, quæ Carolus Walliæ Princeps cum ſorore Regis Hiſpaniarum contraxerat, non ſolum reſciſſa ſunt quæ Rex Jacobus inter cætera matrimonii pacta promiſerat de Catholicorum impunitate, verum etiam novæ in conventu ordinum promulgatæ leges, quæ ſi effectum haberent, nullus in Anglia locus rei catholicæ relinquebatur. Profuit non nihil, quod eodem tempore Jacobus aliam matrimonii conditionem quærebat in Gallia, agebatque ut filio ſuo nuberet Henriqueta Regis chriſtianiſſimi ſoror, quod re ipſa poſt biennium perfecit. Hujus quidem certe affinitatis reſpectu, comprimendas paululum curavit immites leges, & fidem Gallico oratori dedit, non paſſurum ſe gravius quidquam ſtatui contra Catholicos. Verum hæc benignitas eo tantum pertinuit, ut innocentium ſanguini parceretur. Cæterum præfectis provinciarum injunxit, ut quæſtiones nihilo ſegnius exercerent, exigerentque conſtitutas contra Catholicos pœnas, capitalibus duntaxat exceptis. Quibus juſſa facientibus, Romani ſacer-

101. Ingraveſcit in Anglia perſecutio contra Catholicos.

Digitized by Google

cerdotes, eorumque hospites, præsertim ditiores, durius sunt habiti. Multi spoliati bonis, multi in carcerem rapti ex iis, qui in formulam sacramenti ante septendecim annos præscriptam jurare noluerunt. Affuerunt periclitantibus nostri, ne metu, aut molestiarum impatientia subverterentur. Erant inter ipsos Catholicos qui sentirent, docerentque, formulam illam juramenti, etiamsi ab Romano Pontifice damnatam, posse recipi religione salva. Hanc nostri opinionem pluribus exemerunt. Nec in reducendis hæreticis, utcunque tempore tam adverso, desudatum frustra. Quadringentos, & si quid amplius, hoc ipso anno catholicis adjunxit opera industriaque nostrorum. Catholicorum vero, qui in veritate sunt confirmati, numerum nemo recensuit. Fuerunt etiam ex his aliqui, non intimo tantum afflatu Numinis, sed & externis signorum ostentis ad sectandam pietatem impulsi. Exemplo sit quod subjicio. Mulier nobilis in agro Londinensi audierat unum quemdam ex nostris de cultu sacrarum reliquiarum pro concione dicentem, notaveratque narratam ab illo historiam de viro nescio quo religioso, quem refert Cæsarius thecam sacrarum reliquiarum gestare solitum, mirifico ejus pulsu interdum fuisse monitum, ut suborientes libidinis motus comprimeret. Exemplo permota, ut sunt mulieres, gestare post hæc appensum collo cœperat ænea inclusum theca agnum cereum, solemni Pontificis maximi prece consecratum, credo, simile quiddam sperans eventurum sibi. Ecce autem post paucos dies afferuntur ad eam procaces litteræ, quibus ab impuro amatore ad flagitium provocabatur. Dum labascit misera, ambigitque quid sibi faciendum putet, tinnire repente hærens pectori cereus, & cujusdam quasi campanulæ sonum reddere. Conterrita monstro mulier, sacerdotem Societatis, quo utebatur a confessionibus, adit propere: narrat quæ acciderint, rem ita esse jurejurando confirmat. Obstupuit sacerdos: tamen dubium relinquens an fidem narranti haberet, tantum mulierem docuit, qua ratione nefarias amasii insidias deinceps eluderet. Aliquot abierant dies, cum ecce iterum pellacibus codicillis lacessitur ab eodem juvene. Nihil illa voluit minus, quam improbo consentire. Parabat tamen rescribere, & fortasse officiosius, quam deceret fortem & pudicam feminam. At calamum vix bene strinxerat, cum audiri iterum tinniens circa pectus theca. Agnovit Dei monentis vocem femina parum cauta, pestilentes litteras igni tradidit, ac momento eodem mirificus ille sonus denuo conticuit. Tertio audiri cœperat post breve temporis intervallum, cum sola versaretur in suo conclavi, cum occasio peccandi subesset nulla. Atque hic enimvero angi mulier, quidve tali signo portenderetur quæreret. Dum respicit se diligentius, & conscientiam recognoscit, quasdam deprehendit retroactæ vitæ labes, quas nunquam piaculari confessione purgaverat, simulque hoc sibi velle cœleste monitum sensit. Noxas ergo omnes a prima usque ætate repetitas rite confessa est: nec ex eo tempore sonum illum amplius exaudiit. Scio futuros, qui in hoc eventu putent aliquid subesse ludibrii potuisse. Multa sane imaginantur mulieres, multa sibi fingit conscientia, multa demum emota mens audit, & videt, quæ nulla interdum sunt. Veruntamen, etiamsi ita esset, non unæ sunt gratiæ cœlestis viæ, nec ideo minus singulare Numinis beneficium, quo effectum ut bene verteret qualiscunque error, & salutis æternæ viam erranti aperiret.

102. Nostrorum labores & res gestæ hoc tempore.

103. Cultus sacrorum cerebrum mirabili ostento comprobatus.

Eodem interea anno desideravit provincia Anglicana operarium multis rebus gestis illustrem, & de re communi optime meritum, P. Thomam Stephensonum, de quo hæc memoriæ sunt prodita. Parentibus catholicis natus in provincia Windletonia, & adhuc adolescens missus in Galliam, humanas divinasque litteras in Rhemensi Anglorum seminario didicerat. Romam inde profectus est, ubi cum fuisset sacerdotio consecratus, rediit in patriam auctoribus Guillelmo Alano Cardinali, & Roberto Personio, qui virum strenuum & prudentem perspexerant. Ibi vixdum anno vertente comprehenditur, & in Londinensem turrim conjicitur, ex qua productus ad judicum tribunal, ostendit quantum veritas mendacio, quantum astutiæ & fraudibus simplicitas evangeli-

104. Mors & elogium P. Thomæ Stephensoni.

Digitized by Google

gelica præſtet. Mirati ſunt judices reſponſorum gravitatem, ſed reſpondentis fiduciam & libertatem, quam debuerant amare ac munerari, condemnarunt. Itaque in angulum tenebricoſi & olidi carceris dejectus eſt, oneratus ferro, perdiu inedia ac ſiti tortus. Cum interea quotidianæ Sacerdotum mortes, quos publica vox optimos eruditiſſimoſque teſtabatur, magnam Eliſabethæ conflarent invidiam, hanc ut placaret Regina, Sacerdotes aliquos paſſa eſt exulare, in quibus Stephenſonus fuit. Reverſum in Galliam amici veteres vix agnovere, quippe longa confectum macie, & ſævis articulorum capitiſque doloribus fractum. Non terruerunt tamen generoſum pugilem hæc apoſtolicæ patientiæ rudimenta, quin accenderunt potius, ut quod conceperat in ergaſtulo votum ineundæ Societatis, exequi maturaret. In eam poſt datum virtutis tam inſigne ſpecimen libenter acceptus, tirocinium poſuit Brunæ in Moravia: cumque aliquot annos Olomucii, ac Pragæ ſtudendo docendoque conſumpſiſſet, atque hinc Romam eſſet reverſus, teneri non potuit, quin patriæ ſolum, etſi inimicum, reviſeret. In eo per viginti annos partes implevit, non minus generoſi militis, quam ducis ad errorem profligandum periti, donec ætate debilitatus receptui cecinit, & Watenis in Belgio laureatam ſenectutem depoſuit IX. Cal. Apriles, anno ætatis ſeptuageſimo ſecundo. Atque hæc de rebus Anglicis. Jam ſtilum transferamus in Galliam.

105. Res Campaniæ. Damnatus capite ſacerdos ad confeſſionem adducitur.

Auguſtoduni in provincia Campaniæ Sacerdos fuit gravis annis, & Parochi miniſterio diu functus, qui magicæ artis, ac multorum maleficiorum accuſatus, convictuſque, ad ſupplicium erat propediem producendus. Cum pernegaret præfracte multa, quæ ſciri certo & explicate intererat publicæ rei, atque ea præſertim quæ deliquerat in adminiſtratione ſacrorum, ſubmittitur ad eum publica auctoritate unus noſtrorum, ut hominis contumaciam emolliat, & ſi qua poſſit, eliciat confeſſionem ingenuam veritatis. Res, ut videbatur, difficilis ſucceſſit ad votum, niſi quod plus multo de ſe prodidit reus, quam quærebatur. Narravit, annos omnino duodecim nunquam ſe myſteriorum cæremonias exercuiſſe eo animo, ut faceret quod inſtitutum fuit a Chriſto, ſed tantum ut externa ſpecie religionis falleret populum. Itaque nec vere ſacris operatum eſſe umquam, nec quemquam vero baptiſmo initiaſſe, nec in foro pœnitentiæ abſolutionis beneficium impertiri cuiquam voluiſſe. Addidit, denunciatum ſibi olim fuiſſe ſub atrociſſimis minis a malo dæmone, ne quid horum proderet ullo tempore. Quin, ſubjecit, aderat ipſe nunc humana ſpecie conſpicuus, & malum mihi intentabat, ſi pacti fidem frangerem: ſed evanuit furcifer, ſimul ac ingreſſus in carcerem Jeſuita hoc me donavit munuſculo. Quæ cum diceret, exprompſit agnum cereum ex iis, quos Romani Pontifices certa compreçatione ſacrare ſolent, ut contra præſtigias dæmonum præſidio ſint. Id enim noſter Sacerdos illi habendum obtulerat. Aderant dum ita loquebatur multi. Nemo fuit, qui non tanta flagitiorum immanitate cohorreſceret: nemo item, qui non multum delectaretur piis lacrymis, quas ubertim fundebat, aliiſque animi pœnitentis indiciis, quæ præ ſe ultro ferebat. Dolentem erexit noſter Sacerdos ſpe veniæ, & vitæ melioris fiducia, adfuitque miſero uſque ad patibulum conſolator, qui auctor veritatis aperiendæ fuerat. Curæ deinde fuit eccleſiaſticis magiſtratibus, ut quoſcunque ille irrito baptiſmo tinxerat, aut confitentes audierat, ii a ſuis quiſque ſacerdotibus rite initiarentur, ac denuo auditi pro confeſſione legitime abſolverentur. Dum hæc ibi gerebantur, Catalauni diem clauſit extremum Epiſcopus ejus urbis Coſmus Clauſſe, quem merito Patres collegii Catalaunenſis ut fundatorem, & parentem ſuum amantiſſimum diligebant, atque obſervabant. Morti proximus id unice querebatur optimus Præſul, auferri ſibi poteſtatem collegii, ut optaverat, amplificandi: quod vero impenſæ in eo ſtabiliendo fecerat, id ſibi nunc bene moriendi ſpem, & vitæ melioris expectationem ingentem infundere affirmabat. Adeo ſibi perſuaſerat, eo in opere divinum obſequium, utilitatemque publicam contineri. Animam efflavit inter manus noſtrorum, habuitque in epiſcopatu

106. Virtus ſacrati cerei contra malum dæmonem.

107. Epiſcopi morientis ſenſus de collegio nobis fundato.

Digitized by Google

patu succesſorem, & ſuæ erga nos benevolentiæ hæredem Henricum Clauſſe fratris filium, cujus præſentia recreati Patres, ademptum ſibi conditorem ſuum mitius doluerunt. Eodem anno, atque ipſa die B. P. Ignatii anniverſaria, 108. Mors Henrici II. Lotharingiæ Ducis. deceſſit Henricus Lotharingiæ Dux hujus nominis ſecundus, Princeps quam qui maxime religioſus, & de noſtro ordine egregie meritus, quo regnante, (regnavit autem annos duntaxat ſexdecim) duobus in Lotharingica ditione collegiis Societas aucta fuit, Barloducenſi, & Nancejano. Sub idem tempus eximius ille Dei famulus, qui nuper Beatorum honoribus eſt decoratus, Petrus Forerius, cum vellet ad antiquæ diſciplinæ formam revocare Canonicos Auguſtinianos in Lotharingia, noſtrorum hominum miniſterium in partem difficillimi operis advocavit. Ac primo quidem in re tantæ molis deliberanda conſiliis uti voluit noſtri Sacerdotis, cujus perſpectam habebat probitatem atque prudentiam. Tum, prius quam aliud moliretur, eidem ſe tradidit ſacris B. Ignatii commentationibus exercendum cum cæteris, quos ejuſdem propoſiti participes habebat. Cujus utilitatem rei expertus, hanc ſibi poſtremo impoſuit veluti legem, ut nec ad tirocinium, nec ad profeſſionem quemquam admitteret, qui non ab eodem probatus rite, & ſanctioris vitæ præceptis præparatus fuiſſet. Equidem ſcio, hæc in vita beati viri Gallice ſcripta non legi. Sed ſive ſtudio brevitatis, ſive alia quacunque cauſa ſcriptor omiſerit, hæc certe ſcribebat hoc ipſo anno ad generalem Præpoſitum P. Stephanus Binetus Campaniæ Præpoſitus provincialis, cujus fides nemini, quantum exiſtimo, ſuſpecta eſſe debeat.

109. B. Petrus Forerius utitur noſtris ad inſtaurandam ſui ordinis diſciplinam.

Multo tamen iniquius nobiſcum egit quiſquis ille eſt, qui hiſtoriam edidit Vitonianæ Congregationis reformatæ, Tulli Leucorum impreſſam. Non id ſatis habuit ſcriptor amarulentus ut ſilentio tegeret, quantum ad inſtaurandam in ea familia diſciplinam Societas noſtra contulerit, verum etiam nonnulla de nobis invidioſius ſcripſit, in quibus eſt emendandus. Juvat proinde rem totam a ſuis initiis repetitam paucis complecti, cum præſertim neceſſe non ſit excurrere longius extra ordinem temporum in eo negotio, quod ante aliquot annos cœptum, ad hæc uſque tempora deductum eſt. Deſiderius le Cur Abbas monaſterii Virdunenſis, cui a S. Vitono nomen, ordinis Benedictini, vir priſcæ ſeveritatis, & inſtitutorum ſuorum retinentiſſimus, cum ferre diſſimulanter non poſſet ſolutiores monachorum ſuorum mores, nec forte eos exiſtimaret ad religioſæ vitæ normam poſſe ullo modo reſtitui, ſeceſſerat in ruralem domum eo conſilio, ut deinceps uni ſibi ac Deo viveret nemine interpellante. Propoſitum hominis, utcunque ex bona mente profectum, haud ſatis probarunt duo Patres Societatis, Henricus Toronce, & Carolus a Turri, quibus Lecurius amiciſſimis, & omnium arcanorum arbitris utebatur. Negantes ad ejus indolem facere ſolitudinem, ac vitæ genus otioſum, auctores ei fuerunt, ut ſiquidem inter ſui diſſimiles monachos vivere non ſuſtineret, tranſiret potius ad ſacrum ordinem Minimorum, habiturus in eo quam quærebat ſeverioris vitæ copiam, citra pericula ſolitudinis. Quod conſilium accipiens Lecurius, inter Minimos ſe recepit. Sed virum talem Deus ad altiora deſtinaverat, quam ut eum ſineret otioſum deliteſcere intra clauſtra, & religioſa quiete perfrui. Pœnituit brevi Lecurium inſtituti non ſui. Mentem reflexit retro, & deſertis Minimis, rediit ad Benedictinos. Hic illum duo quos dixi Patres magnopere hortari, ut quod ſæpe mente conceperat de inſtauranda ſui monaſterii diſciplina, aliquando aggrederetur. Ne difficultate operis abſterreretur, monſtrabant rei gerendæ viam facilem, & expeditam. Nec enim, ajebant, poſtulandum, ut monachi a longo tempore laxius haberi ſoliti, & conſuetudine ipſa vitæ liberioris impunitatem adepti, coerceri ſtatim velint in formam primævæ ſeveritatis. Remittendum aliquid de rigore antiqui moris: mitiores præſcribendæ leges, quæ ſervari poſſint facilius. Id ſi fiat, jugum minus ægre ſubibunt monachi, ac diutius ferent. Sin vero rigidioris vitæ forma inducatur, ea ſectatores aut nunquam habebit, aut certe non diu. Hæc illi, nec,

110. Deſiderius le Cur reformandum ſuſcipit monaſterium Vitonianum.

111. Duo ex noſtris illum conſilio adjuvant.

ut

Digitized by Google

ut arbitror, imprudenter. Quæ tamen perperam interpretatus hiſtoriæ, quam ſupra nominavi, ſcriptor, ideo obſtitiſſe Toroncium & Turrium, ait, ne vir ille ſanctiſſimus ad primam ordinis formam reſtitueret familiam Vitonianam, quia ſecuti mollitudinem inſtituti ſui, ad ſuam imbecillitatem accommodare leges S. Benedicti maluerunt. Hæc profecto nec vere dici, nec ſine Societatis injuria potuerunt. Quid ſpectarent in eo negotio noſtri, dictum eſt ſupra. Addo nunc, qua fide conſilium amico dederant, eadem operam quoque ſuam ad conſilium exequendum contuliſſe. Non ferebant veteres monachi, vel minimum adduci legum vincula jamdiu ſoluta per deſuetudinem; eaque propter una ſupereſſe videbatur rei conficiendæ ratio, ut delecti juvenes deinceps in ordinem cooptarentur, & ab ipſo tirocinii initio inſtituerentur ad illum arctioris diſciplinæ modum, quem Lecurius deſcripſerat, & in mores inducere conſtituerat. Hujus curæ partem maximam in ſe receperunt Toroncius, & Turrius. Ipſi bonæ indolis adoleſcentes, qui novi tirocinii fundamenta jacerent, magno ſtudio conquiſiverunt: ipſi inventos, probatoſque, cum apud ſe, tum etiam ad S. Vitoni piis exercitationibus excolendos ſumpſerunt. Ventitabant tertio quoque die in monaſterium, novitios peccata confitentes audiebant, de animæ ſtatu conſulentibus reſponſa dabant, omnes tum privatim, tum publice ad perfectioris vitæ ſtudia excitabant. Quantum inde confectum ſit, nihil attinet exequi pluribus. Brevi temporis intervallo monaſterium Vitonianum ſtudio pietatis celebrari paſſim, ac cæteris ad imitandum proponi cœpit. Tum late diffuſo exempli odore, ad ejus ſe normam compoſuerunt plura ejuſdem ordinis monaſteria: quibus in unum quaſi corpus coeuntibus, conflata demum eſt quæ modo dicitur Congregatio S. Vitoni. Atque hæc ſumma rei, in qua noſter hiſtoricus multa carpit, multa aut diſſimulat, aut corrumpit, quæ cæteroqui ego parum aut nihil moror. Unum præterire non poſſum, quod ait viſos Jeſuitas parum bona fide agere cum P. Lecurio, idque propter duo pinguia ſacerdotia, quæ vir venerabilis, ne cœpta inſtauratio peſſum iret, coactus eſt Societati relinquere, & alienæ, ut ejus verbis utar, cupiditati ſacrificare. Inde, addit, multum fuiſſe detractum de fiducia, quam in noſtris hominibus Lecurius repoſuerat: inde fructum operæ per hos impenſæ retardari cœpiſſe. Nihil dici potuit a veritate alienius. Nam quod attinet ad ſacerdotium S. Martini prope Longovichium, iſtud multo ante quam de reformando cœnobio Vitoniano ageretur, collegio Virdunenſi addixerat ejus urbis antiſtes Henricus a Lotharingia, tunc Vitonienſis Abbas, ut loquimur, commendatarius. Et vero acceſſerat monachorum, quibus obnoxium erat, aſſenſus, ac traditionem Clemens VIII. Pontificio diplomate confirmaverat. Sacerdotium vero alterum, de quo unice ſermo eſſe poteſt, a S. Laurentio Fontis calidi nuncupatum, ita acceperunt Rhemenſis collegii Patres ab eodem Epiſcopo Virdunenſi, ut id præcipue debuerint Nicolao Henarto ſacerdotii poſſeſſori, qui cum Societatem ingrederetur, illud ad nos transferendum curavit. Porro Lecurius, prius etiam quam Henarto veniſſet in mentem de ineunda Societate, Epiſcopo ceſſerat quod in ſacerdotium iſtud habebat juris, nec poterat jam alienæ ſacrificare cupiditati rem, quam ultro abdicaverat. Quod ſi Societas non repudiavit oblata per legitimas poteſtates ad uſum vitæ bona, quid tandem commiſit, unde immodicæ cupiditatis notam contraheret? Ob eam certe cauſam Lecurius, nec a nobis eſt alienatus, nec ullam ſuſpicionem de bona noſtrorum fide ſumpſit, ſed perrexit nihil minus quam antea eorum opera & conſiliis uti uſque ad extremum: nec monachi, quamdiu ille vixit, nobis ea ſacerdotia poſſidentibus litem moverunt, aut quidpiam moleſtiæ exhibuerunt. Poſt obitum ipſius, ſcripſerunt illi quidem collegio Rhemenſi dicam de Prioratu Fontiſcalidi, quem minus legitime a nobis poſſideri contendebant. Itum proinde eſt in judicium. At diſceptata diu Pariſiis in ſanctiore Regis conſilio cauſa, jus poſſeſſionis valuit, fuitque nobis adjudicata res judicum conſenſu tanto, ut in toto conſilio, eoque frequentiſſimo, unus tantummodo ſecundum petitores ſententiam tule-

112. Acerbitas cujuſdam ſcriptoris contra nos in his referendis.

113. Aliæ ſcriptoris ejuſdem calumniæ.

114. De quadam lite nobis a Monachis Vitonianis intentata.

Digitized by Google

tulerit. Ex quo licet conjecturam facere, quam bono jure sacerdotium illud possideremus. Sed de provincia Campaniæ satis.

115. Res Lugdunenses. Domus professorum erigitur Gratianopoli.

In Lugdunensi dedit hic annus novam Societati domum professorum Gratianopoli, quæ tamen decursu temporis certis de causis in collegium est versa. Erat civitas Gratianopolitana nostri nominis adeo studiosa, ut jamdiu concionatores sumere non soleret nisi de Societate. Noviſſime, quamquam fundandi collegii facultatem non haberet, ultro jus domicilii nostris a Rege impetraverat, & domum aptam obtulerat. Domum istam, nullo licet certo proventu dotatam, habitare statim cœperant aliqui Patrum: qui cum post biennium, probe viderent civium erga se beneficentiam in dies crescere, spe certa ducti nunquam mendicantibus defuturum unde viverent, Mutio Generali persuaserunt, ut siquidem domicilium Gratianopolitanum non poterat in collegii formulam redigi, in eo saltem domum Professorum constitui juberet. Non ægre adductus est Mutius ut postulatis annueret: atque exinde quæcunque in domibus professorum ubique Societas solet, etiam Gratianopoli obiri cœperunt. Non dicam hic, quanto gaudio exceptum id omne fuerit ab amantissima civitate. Quod magis est, hæreticorum ferme quinquaginta cum Ecclesia conciliati, primordia novæ domus illustriora fecerunt. In aliis interea provinciæ locis utiliter desudatum est. Ucetiam missi duo nostrorum, heterodoxos triginta Christo lucrati sunt. Felicius rem gessit sacerdos unus Pillæ, quod oppidum est juris Pontificii in ditione Avenionensi. Erant eo in oppido familiæ duodecim Calvino pertinaciter addictæ, quæ palam & impune sectam colebant: nec operæ est dicere, cur magistratus contra illas non agerent legibus. Quæcunque esset causa, nisi contumaces sponte cederent veritati, nulla suppetebat ratio purgandi ab indigna labe oppidum apprime catholicum. Quod ergo experientia constabat sæpe alibi profuisse, Pillam immittitur operarius Societatis. Is monendo, hortandoque, calvinianos ita commovit, ut intra duos menses resipuerint ad unum omnes, seque ultro catholicis aggregaverint. Neomagi degere nuper cœperant nostri, non tamen ut in domicilio stabili, sed tanquam in hospitio temporis paulo longioris. Dum conciones habent ad populum, oppidanis quatuor supra sexaginta persuasum est, ut Calvinum desererent: quod gregales factum putantes pastorum suorum insciti socordiaque, doctiores alios magno sumptu evocandos statuerunt. Ibidem hæretici suo didicere periculo, quam non modo impium, verum etiam periculosum sit ritus catholicorum & sacra contemnere. Indixerant nostri supplicationem horarum quadraginta in urbis æde primaria, curaverantque ornatu quam posset apparatissimo peragendam, ut pompa ipsa exterior oculis vulgi speciem catholicæ religionis offunderet. Per hanc occasionem, circumvecta est cum insigni celebritate sacrosancta hostia, præeuntibus, uti solet, longis supplicantium ordinibus. Calviniani, qui frequentes aderant, conticuerunt aliquandiu admiratione defixi. At incitati postmodum ministrorum suorum vel exemplo, vel etiam voce, ridere omnem illam religionem, de sacro mysterio impie ac scelerate loqui; non tamen impune. Detegitur postridie pestilens Neomagi febris, quæ cunctas Hugonotarum familias celeriter pervagata, brevi spatio multas funeribus, reliquas metu complevit; sectæ vero principes absumpsit omnes intra spatium dierum octo. Apertius erat cœlestium irarum indicium, quam ut dubitare possent hæretici, pœnas exigi contemptæ religionis. Adeunt itaque nostros anxii, rogant, ut ad pacem superum exorandam lustrare urbem denuo, ac piam supplicationem iterare ne graventur. Placuit ita fieri. Iterum ducta est per oppidum sacra pompa, eodemque fere tempore quoscunque febris afflixerat, ii præter spem & opinionem omnium convaluerunt.

116. Labores sociorum in variis provinciæ partibus.

117. Divinæ animadverſionis exemplum in contemptores religionis.

118. Mors & elogium P. Timothei Rongerii.

Inter hæc laborum suorum mercedem sunt consecuti P. Timotheus Rongerius, & Fr. Jacobus Pauletus, duo viri ob sanctimoniæ opinionem spectabiles, nec sine luctu sociorum Lugdunensium elati. Ad Societatem venerat Rongerius annos natus triginta sex, exegeratque in ea triginta quatuor. Ejus lau-

da-

Digitized by Google

dabant præcipue in regendis conſcientiis dexteritatem, peritiamque plane ſingularem, qua ad perfectionem chriſtianæ virtutis quam plurimos provehebat. Ad vitæ noxas expiandas, optaverat morbo atteri moleſtiſſimo. Voti compos eſt factus. Extremos enim quindecim vitæ annos, ut erat affecta valetudine, nunquam ab angoribus incommodiſque vacationem habuit, quibus tamen minime eſt retardatus, quominus uſque ad extremum pergeret, & voce, & calamo prodeſſe quam plurimis. Deceſſit ſancte, uti vixerat, in collegio Camberienſi, VIII. Cal. Aprilis. Frater Jacobus Pauletus vitam clauſit VIII. Cal. Novembres Rodumnæ, ſæva paralyſi diſſolutus, quam immodica laboris aſſiduitate contraxerat. Vir ſumme laborioſus, & otii omnis impatiens, non aliam admittebat quietem, niſi quam divina meditando caperet. Præter binas quotidie horas, quas ſomno detractas orando impendebat, ad piam meditationem aut lectionem referebat ſeſe, quoties materies operis defuiſſet. Quæ vulgo magna videri ſolent hominibus, ea Pauletus ne obtutu quidem dignabatur. Accidit, ut duæ olim Reginæ, Ludovici juſti mater & conjux, ædem collegii Rodumnenſis ſubirent. Ipſe, non modo viſum non accurrit, ut cæteri, ſed quod habebat opus præ manibus nec ad punctum temporis intermiſit. Ex omnibus, quæ ad uſum corporis faciunt, optabat poſcebatque ſibi deterrima, dicere ſolitus, modo ne nudus incederet, ſatis ſe decenter & commode amictum fore. Si quem fratrum deprehenderet ſibi offenſum, licet nulla oblata cauſa, culpam offenſionis, & luendam pro ea pœnam in ſe recipiebat. Obiit ſenex annorum ſeptuaginta, quorum quinque & triginta amplius apud nos religioſiſsime vixerat.

119. Et Fratris Jacobi Pauleti.

Deſideratus eodem eſt anno Biterris in provincia Toloſana P. Carolus Janinus, venator inſignis, ut ajebant, hæreticorum, quorum amplius mille fertur diverſis temporibus reduxiſſe ad Romanam Eccleſiam. Ter peſtilentia tactis miniſtraverat, ter peſtem contraxerat, divina ſemper ope ſervatus, credo, ne unius morte multorum ſalus periret. Incidit ejus obitus in III. Idus Novembres. Eodem die Janinum eſt ſubſecutus Turnonii Fr. Joannes Panageus, vir in ſuo adjutoris gradu valde laudatus, & cum quibuſque ſanctiſsimis comparandus. Vitam produxit ad annum uſque nonageſimum. Cum poſuiſſet in Societate annos paulo minus ſeptuaginta, eſſetque effœtis ſenio viribus, oblatam communis diſciplinæ remiſsionem a majoribus deprecatus, unam tantummodo rem multis cum lacrymis flagitavit, ut ſe hominem nihili, & ordini gravem moleſtumque, ſinerent more pauperum victitare in publico noſocomio: quod tamen longe abfuit ut impetraret. Sæva multa pertulit ab infernis ſpiritibus, quibus infenſiſſimis utebatur. Sæpe ſumma hieme detractus eſt lectulo nudus: ſæpe nocte intempeſta auditus, cum inter inſultantium ludibria, & plagarum crepitus divinam opem expoſceret. Pœnitentiæ ſacramentum obibat diebus ſingulis, ſacram Euchariſtiam alternis ſumebat: utrumque religionis ſenſu tanto, ut ipſo corporis habitu pietatem intuentibus inſpiraret. Turnonii, ubi vixit diutiſſime, non alio paſſim compellabatur quam ſancti nomine, ejuſque cadaver ut vere ſancti plebs, & nobilitas coluerunt. Non erat de Societate, niſi animo & voluntate, vir clariſſimus Arnaldus Boret: quia tamen diem extremum inter nos clauſit Toloſæ, commiſitque immortalibus ſuis in nos meritis ut ejus hiſtoriam ederet P. Petrus Poſſinus, his modo annalibus ad memoriam Societatis conſignandum cenſemus. Toloſanæ domui probationis ædem ſacram cum extruxiſſet, & collegio ejuſdem urbis dediſſet liberaliter unde ſeminarium Theologorum aleret, pertæſus rerum humanarum, annos vitæ ultimos uni ſibi ac Deo vacare ſtatuit in convictu noſtrorum. Hac mente, fortunis, quas poſſidebat ampliſsimas, magnam partem in pauperes diſtributis, recepit ſe ad noſtros tirones, inter quos præclari hoſpes exempli vixit annos fere quatuor, donec vitam pie actam pari morte concluſit x. Cal. Maji. Fuerat Toloſanæ curiæ Senator annos amplius viginti octo, ea ſemper integritatis & prudentiæ laude, ut vulgo viva lex morum diceretur.

120. Res Tolosanæ. Obitus & elogium P. Caroli Janini.

121. Et Fratris Joannis Panagei.

122. Moritur Arnaldus Boret in tirocinio Toloſano.

Digitized by Google

123. Acta nostrorum Tolosæ ad publicam utilitatem.

Quod pertinet ad res gestas sociorum, sensere hoc anno Tolosates, quantas haberet utilitates nuper apud eos condita professorum domus. Ut alia minoris momenti sileam, excitatæ Patrum consiliis piæ nobilesque matronæ plures, consenserunt inter se, ut periclitanti puellarum pudicitiæ subvenirent. Hinc ære communiter collato, parandas curaverunt ædes idoneas, in quibus destitutæ parentibus virgines sub optima disciplina educarentur, & procul periculis viverent. Opus saluberrimum civitas mirifice probavit, & liberaliter juvit. Institutum ibidem est sodalitium opificum sub invocatione divinæ Matris, cœpitque jam tum numero sodalium, & pietate florescere. Simile opus ut conderetur Turnonii, pietas puerorum impetravit. Nam cum subinde conquererentur, se per ætatem excludi piis cœtibus, in quibus adultiores ad virtutem informabantur, visum conflare certam ex iis sodalitatem, quam ab Angelis nuncuparunt. Nec vero abnuerunt cœlestes spiritus teneri gregis patrocinium suscipere. Gravi laborabat pleuritide puer moris innocentissimi, angebaturque vehementer, non tam de vitæ periculo, quam quod timebat, ne non posset ad constitutam diem in sodalitium coire cum æqualibus. Ecce autem nocte, quæ illam præcedebat diem, adest decumbenti ignotus juvenis egregia forma, mœrentem verbis amantissimis consolatur, ac salutem pollicitus evanescit. Vix ille se subduxerat, & jam puer valebat ut qui optime. Eodem anno susceptæ sunt ex diversis provinciæ collegiis apostolicæ expeditiones, peractæque fructu ubique non pœnitendo. Ex collegio Biterrensi bis itum est Montignacum, oppidum tunc Hugonotis a Rege permissum, semel vero Samedrium. Montignaci extinctæ multorum quæ inveteraverant capitales inimicitiæ. Samedrii glisscentes seditionis motus compressi, & familiis aliquot persuasum, ut Romano Pontifici sacramentum dicerent. Convicto ibidem Calvini ministro petulanti, & pudore ignominiæ in fugam acto, impetratum, ut consulatu dejicerentur hæretici, nec ludimagistri in posterum nisi catholici sumerentur. Eodem prope successu ex collegio Albenacensi ad Cemmenios montes excursum est. Concionibus publicis, privatisque sermonibus, plures ibi ex grege Calvini in caulas Ecclesiæ traducti, plures in fide vacillantes confirmati. Illud etiam effectum bene, ut templa duo, quæ profanis hæreticorum ritibus polluta diu fuerant, Catholici recuperarent. Similiter ex collegio Mauriacensi in diversa circumpositæ regionis loca procurrerunt sociorum paria septem, quorum tamen res gestas non exequar diligentius, ne prolixior fiam. Tantum non committam ut in oblivione sit beneficium, quod ex eo numero bini suis Angelis tutelaribus debuerunt. Errabant noctu per saltus invios & salebrosos, sine duce ac via, non sine ingenti formidine. Implorato Angelorum præsidio, voces repente audiunt quasi hominum in proximo colloquentium. Amicum secuti sonum, vixque paulum progressi, iter quod quærebant tenuerunt, mortalium nemine occurrente. Ut non temere existimare potuerint, voluisse per eas voces quos invocaverant Angelos periclitantibus opem ferre.

124. Pietas puerorum Turnonii, & unius præsertim.

125. Missiones diversæ per provinciam.

126. Duo missionarii Angelorum tutelarium opē experiuntur.

127. Fundatur collegium Albiense. Primi ejus fructus.

Labores nostrorum tam multi, tam assidui, reique publicæ adeo salutares, cum multis in Gallia civitatibus incitamento erant ut Societatem apud se perpetuo collocatam vellent, tum hanc præcipue mentem Albiensibus injecerunt. Est Albia urbs in Septimania nobilis, caputque regionis, unde ortum & nomen habuit hæresis Albigensium, olim S. Dominici studio industriaque, & Simonis Monfortii armis extincta. Hujus urbis cum esset Episcopus Alphonsus Benius, & operam Societatis putaret suo gregi fore perutilem, tribuendum nobis Albiæ domicilium curavit, cum censu, & prærogativa collegii. Numerati statim in eo sacerdotes quinque, ac totidem juniores litterarum magistri, sub P. Hieronymo a S. Albino rectore. Nec dilatus civitati fructus novæ culturæ. Sedatæ multorum inter se jurgantium iræ, compressæ aliorum propudiosæ libidines, mores juventutis emendati, lætum faustumque Albiensibus collegii initium fecere. Eodem anno domum probationis Tolosanam illustravit duorum tironum constantia memorabilis, & sane digna quæ ad cæterorum exemplum litteris

Digitized by Google

teris consignetur. Prior colloquentem de dimittenda Societate patrem suum repulerat sic, ut speraret neminem sibi deinceps ob eam rem molestum fore. Instante nihilominus apud magistratum patre, & fidem publicam implorante, educitur decreto judicum adolescens ex ædibus tirocinii, & matri sistitur, experturæ scilicet, ut obtendebatur, voluntatem filii, re vera, si succederet, expugnaturæ. Paraverat mulier maternæ dilectionis omnes machinas: omnes egregie adhibuit, sed nullo effectu. Primos parentis impetus cum eluisset feliciter adolescens, transfertur in domum nescio quam tutam, ubi degeret velut hospes, donec probata satis videretur ipsius voluntas. Ibi quamdiu fuit (fuit autem spatio non adeo brevi) nulla præteriit dies, qua non se pane fortium reficeret: quippe recte existimavit, id sibi in tanto discrimine permittendum a tirocinii moderatore, si daretur ejus consulendi potestas. Sic armatum non quotidianæ parentis preces, non mixtæ precibus lacrymæ, non blanditiæ a proposito dimoverunt. Maternas curas, lac infanti præbitum, & longa educationis incommoda objectanti, Christum opponebat, ejusque crucem, & vulnera. Hunc sibi potius sequendum dicebat, a quo multo ampliora accepisset, ac sempiterna speraret. Semel præ magnitudine mœroris animi defectionem passam, & inter circumstantium manus collabentem, aliis miserantibus, aspexit immotus. Ubi denique compertum est, frustra esse omnia, nec posse ullis artibus fortissimum adolescentem de proposito dejici, tirocinio victor restituitur. Alter loco nobili, & in ampla fortuna natus Parisiis, provinciæ Præpositum exorare non poterat, ut se in Societatem reciperet. Repulsam excusabat Præpositus, causam referens in ejus patrem, virum in aula præpotentem, quem minime consentientem offendere periculosum esset. Cum nulla spes ostenderetur, aut patris, aut Præpositi voluntatem flecti posse, non ideo concidit animo pius adolescens. Quærendum alibi statuens, quod Parisiis non impetrabat, studiorum conficiendorum obtentu, abstulit a parente veniam proficiscendi Tolosam, ubi majorem, ut sperabat, facultatem habiturus esset explendi consilii sui. Hoc animo cum proficisceretur, ipso in itinere in gravissimam perturbationem mali dæmonis fraude circumventus incidit. Quod ante decreverat de eligenda Societate, id jam minus probabat, in alium quemlibet ex sacris ordinibus magis propendens. Anxio, & in omnem partem nutanti, venit in mentem experiri sortes. Experitur semel, iterum, ac tertio: semper Societas oblata est. Qua tam perspicua, ut putabat, divinæ voluntatis significatione permotus, reflexit denuo animum ad Societatem, eamque amplecti statuit. Et vero amplexus est, atque ita quidem ex animo, ut inde abstrahi nulla deinceps vi, nullo conatu potuerit. Adolescentem ad nos transgressum audierat ipsius pater. Rei nec opinatæ nuncio perculsus, nihilque non movendum putans ut filium ad se abduceret, venit citatis equis Tolosam, fidem regiæ curiæ implorat, sibi ut redhibeatur filius, quem ajebat a Jesuitis male deceptum, poscit. Id modo poscenti datum, ut semel congredi cum eo posset, remotis arbitris. Designata ad congressum præsidis domo, in eam novitius ex tirocinio deducitur. Quatuor ipsas horas adolescens patri suadenti, oranti, & quidquid patria dictabat charitas ingerenti, restitit, animo atque ore peræque immotus. Qua constantia pater præcisam sibi spem ulterius progrediendi videns, re ad extremum desperata, supremo omnium parenti filium obtulit non invitus, ab eoque multis cum lacrymis divulsus, Lutetiam rediit.

128. Cujusdam novitii constantia memorabilis.

129. Simile exemplum alterius adolescentis.

In provincia Aquitaniæ habuimus hoc primum anno domum professorum Burdigalensem, debuitque beneficium diu concupitum Societas tribus maxime viris, genere & dignitate clarissimis, Joanni Juberto de Barraut Episcopo Vasatensi, Jacobo Comteo senatori Burdigalensi, & ejusdem senatus primo Præsidi Marco Antonio Gaurgnesio. Initium operi fecit Comteus, coemptis in hunc usum idoneis ædibus, quas Societati donavit. Porro pergens Episcopus, cœptis perficiendis pecuniæ summam non contemnendam contulit. Sed neuter percepturus liberalitatis suæ fructum erat, nisi præses senatus Gaurgnesius, præ-

130. Res Aquitaniæ. Fundatur Burdigalæ domus professorum.

Digitized by Google

præter parem beneficentiam, vim quoque magiſtratus quem gerebat afferret. Eo deducta res erat, ut nova Profeſſorum familia propediem inducenda eſſet in paratas ædes: cum cives quidam ex primoribus interceſſerunt, ac ne liceret illas ædes in domicilium religioſorum convertere pervicerunt. Malo remedium adhibuit præſentiſſimum benevolus Præſes: obtulit enim in eundem uſum paternam domum, eamque ſine pretio: qua ejus munificentia domum obtinuimus ampliorem, & quod caput eſt, in opportuniſſimo urbis loco ſitam. Poſt hæc, cum non alia obſtare difficultas videretur, condicitur dies ad celebrandam ſolemni cæremonia dedicationem novæ ædis, quam Generalis Præpoſitus, ut Cardinali Surdiſio Burdigalenſium Antiſtiti morem gereret, a S. Franciſco Xaverio nuncupari juſſerat. Ecce autem, triduo ante illam diem, noſtris in jus vocatis interdicitur ex formula, ne quod intra urbem domicilium inſtituant. Hic enimvero Præſidis eluxit in tuenda Societate ſtudium, hic tota ſe explicavit auctoritas. Ut rem paucis abſolvam, ſublatis intra breve tempus omnibus calumniarum moris, omnibus adverſariorum conatibus feliciter ſuperatis, noſtros in poſſeſſionem novæ domus immiſit. In ea porro cum fuerunt conſtituendi Patres, placuit celebritatem adhibere. Affuit in loco ad III. Idus Novembris Cardinalis antiſtes, magna procerum & ſenatorum frequentia ſtipatus, ſacrum peregit, & verba facere exorſus, de Societatis laudibus *multa* copioſe ornateque dixit, illud poſtremo loco circumfuſam multitudinem graviſſimis verbis admonens, ut quorum opera ad animarum ſalutem eſſent uſuri, eos ne paterentur neceſſariis vitæ ſubſidiis indigere. Conſtituta in hunc modum domo profeſſorum Burdigalæ, cum in eam plurimi immigraſſent ex collegio ejuſdem urbis Patres, ſpatii quædam portio vacua intra collegium ipſum relinquebatur. Id perſpiciens qui forte aderat P. Petrus Cotonus Præpoſitus provincialis, aulam a reliquo collegio excluſit, in eaque ſodalitium pro pueris inſtituit ſub tutela Reginæ Angelorum. Parum fuit inſtituere. Ipſe, quamquam ſenex emeritus, & adminiſtrandæ provinciæ negotiis occupatus, leges dixit novæ ſodalitati, ipſe candidatorum recepit nomina: dignam ſe, dignam magiſtratu ſuo curam exiſtimans hæc perficere in ſpeciem leviora, quæ tamen ad formandum pietatis quoddam quaſi gymnaſium pertinebant. Ex nova ſodalitate prodierunt eodem anno exempla virtutis, unde appareret, non male a Cotono illam curam fuiſſe ſuſceptam. Ut alia omittam, unus quidam ſodalium, adoleſcens teneræ ætatis, ſed ſupra ætatem pius, ac ſacro fervens ardore, cum forte obvium habuiſſet hominem flagitiis tota urbe notum, temperare ſibi non potuit quin eum aggrederetur, ac blando ſermone pellicere ad pœnitentiam criminum conaretur. Multa ſubjecerat jam ad frangendam hominis contumaciam idonea, ſed nullo effectu. Ubi ſenſit perſtare ad omnia improbum, & verbis nihil moveri, diſſimulans quid animo volutaret, eum nihil ſuſpicantem abducit ſecum in ſacrarium templi, quod primum occurrit. Nudat humeros, flagrum educit, accidenſque ad ejus genua, diverberare ſe incipit immanem in modum: ſimul inter plagarum crepitus rogat, ut ſe reſpiciat, ut finem peccandi faciat. Ceſſit roganti vir pudore ſuffuſus. Mentem in melius retulit, ſpoponditque ſe fore in poteſtate ipſius. Lætus victoria puer, hominem e veſtigio traxit ad collegium Societatis, & ſacerdoti tradidit expiandum. Hæc in tam acerba ætate virtutis miracula, vix credibile quantum diſciplinam Societatis ubique commendarent.

131. Novum inſtituitur ſodalitium in collegio Burdigalenſi.

132. Adoleſcentuli ſtudium admirabile pro converſione hominis flagitioſi.

Per idem tempus collegium, quod ante annos duos excitatum fuerat Pali in Bearnia, felicius in dies progrediebatur. Calviniani Palenſes, contemptis miniſtrorum ſuorum denunciationibus, utebantur jam noſtris hominibus familiariter, eorum temperantiam modeſtiamque laudabant; quodque majoris momenti fuit, certi ſuos liberos litteris & moribus recte inſtituendos ſub diſciplina noſtrorum, eos ad collegii ſcholas mittebant. Domicilium ſtabile Societati non erat Neraci: huc tamen juſſu ſumptuque Regis mittebatur quotannis ex collegio Aginnenſi unus aliquis Patrum, tum ut civitatem, tum ut circumpoſi-

133. Res geſtæ in variis provinciæ partibus.

Digitized by Google

positam regionem excoleret. Idem per quadrageſimam eſurialium Condomium ſolebat excurrere, ad habendas ejus temporis conciones. Jam vero qui miſſus hoc anno eſt Neracum, præter alia bene ac ſalubriter ibi geſta, ſodalitium inſtituit piarum feminarum, hac illis impoſita lege, ut obirent interdum noſocomia, & egenorum neceſſitatibus providerent. Collegium charitatis ea ſodalitas dicta eſt. Fructuoſiorem habuit exitum expeditio, quæ ex collegio Tutellenſi ſuſcepta eſt ad oppidum Bellilocum. Erant oppidani ex parte maxima Calvino addicti, quodque plerumque uſuvenit, hæreſis æque vitiaverat hominum fidem, ac mores. Nihilominus ubi Patres audiri cœperunt, incredibiles undique concurſus ad eos facti. Argumento ſit, quod cum ſupplicationem publicam indixiſſent, coiſſe ad eam dicuntur hominum millia amplius ſexdecim. Eodem in oppido ſuus divinæ cruci cultus eſt reſtitutus, erectumque denuo multis in locis humanæ ſalutis ſignum, quod ante plures annos furor Calviniſtarum impie dejecerat. Nec cœleſtia defuerunt Belliloci ſigna, quæ Patrum labori pretium ac pondus adderent. Sodalitatem condiderant pœnitentium, qui cœruleo amicti ſacco, nudis pedibus irent identidem ſupplicatum. Ita incedentes deridebant hæretici paſſim. Quadam vero die, ut riſum ex eorum quoque moleſtia captarent, viam totam, qua ituros ſciebant, vitri fragminibus clanculum conſperſerunt. Mirum dictum! Ex tam multis, qui viam nudis peregerunt pedibus, nemo vel leviter læſus eſt: id quod pleriſque viſum miraculo quam ſimillimum. Parem habuit admirationem alia res, quæ per eandem occaſionem accidit. Qua hora progrediendum erat, repente cœlum obduxit caligo tam denſa, ut omnes caſuram mox procellam putarent. Et tamen toto ſupplicationis tempore, etiamſi cœlum eſſet ut cum maxime nimboſum, ne minimus quidem imber decidit: ea vero vix peracta, tam præceps dejecta eſt moles aquarum, ac ſi cœlum rueret. Reſcitum eſt poſtea, Calvinianos pactos fuiſſe cum malefico, ut magico carmine procellam induceret in ſupplicantes, ſed prohibitos divina virtute dæmones non potuiſſe præſtigiatoris conatibus obſecundare. His acceſſere in eodem loco ſupplicia quædam de contemptoribus religionis divinitus ſumpta. Tres germani fratres, ægre ferentes ante ſuas ædes præaltam crucem fuiſſe a noſtris erectam, obloquebantur liberius, minas jactabant, ac curæ ſibi fore ajebant, ut quamprimum dejiceretur. Unus poſt paucos dies, dum trajicit vicinum amnem, excuſſus a jumento, in ejuſdem conſpectu crucis miſere demergitur. Alii duo in iter ſe dederant ſimul, neſcio quo profecturi. Exorto inter ipſos jurgio, ventum eſt ad arma. Pugna niſi cum alterius cæde finiri non potuit. Qui ſupererat fratricida, male ſibi timens a magiſtratu, in ſilvam aufugerat. Dum quærit latibula, ex inſidiis interficitur ab inimico. Has illi dederunt pœnas impietatis ſuæ. Mitius actum cum alio quodam ſceleſto, qui auſus fuerat jurare falſo per martyres civitatis patronos, Primum, & Felicianum. Cum vix perjurii verba protuliſſet, tacta de cœlo ejus domus irreparabili incendio conflagravit.

134. Sociorum labor cœleſtibus ſignis confirmatur.

135. Exempla divinæ ſeveritatis contra religionis contemptores.

Hactenus res Gallicas quantum ſatis eſt executi, convertimur nunc ad Hiſpanienſes, quæ in litteris hujus anni multæ ſunt. Eas nos, quæ potiores viſæ fuerint, decerpemus noſtro more. In provincia Caſtellana perierat pene nobis ob anguſtiam rei familiaris collegium Abulenſe, niſi Indiarum Patriarchæ Didaco Guſmano fuiſſet injecta mens, ut æris alieni magnitudine oppreſſum ſublevaret, noviſque vectigalibus attributis denuo fundaret. Hac vero liberalitate, non modo ſervatum reſtitutumque eſt, verum etiam translatum ex loco, ubi hactenus fuerat, in alium multo commodiorem, & totius urbis facile frequentiſſimum. Patres in novas ædes induxit ipſe Guſmanus: ipſe altaris myſterium ex veteri templo in novum cum inſigni celebritate ac pompa tranſtulit, merito proinde Abulenſis collegii parens & conditor appellatus. Dum ſic Abulæ domicilium pene everſum inſtauratur, parum, ac prope nihil abfuit, quin funditus everteretur quod condi nuper cœperat in urbe S. Sebaſtiani. Eſt id oppidum in extrema Cantabria, ob ſitus portuſque opportunitatem totius provin-

136. Res Castellanæ. Collegium Abulenſe denuo fundatur.

137. Inchoatur collegium in urbe S. Sebaſtiani.

Digitized by Google

vinciæ celeberrimum: huc enim ad exercenda cum Hiſpanis commercia frequentes commeare ſolent Galli, atque Angli, cæterique maris ſeptentrionalis accolæ. Hoc in oppido Dominicus Ituralde, anno labentis ſæculi decimo nono moriens, cœnobium condi juſſerat ejus ordinis, quem Senatus civitatis maluiſſet, eumque in uſum pecuniam ſatis amplam teſtamento legaverat. Re poſtmodum in conſilio publico deliberata, placuerat legatam pecuniam donari Societati, cum apta domo, & ſacra æde, ut collegium excitaretur: quam donationem accipiens Præpoſitus provincialis Didacus Soſa, eo miſerat ſtatim duos ſociorum, qui publicis tabulis ſtipularentur, ac donec veniſſent ab urbe Roma reſponſa Præpoſiti Generalis (præter quem nemini fas eſt nova Societatis domicilia admittere) Sebaſtianopoli degerent, magis tamen ut hoſpites, quam ut in ſuo. Dum expectantur Roma litteræ, multa moliri cœperunt alterius ordinis Religioſi, ut nos inde depellerent. Religioſis adjunxerunt ſeſe aliqui e civium primoribus, quos ajunt atrociter fuiſſe irritatos contra P. Michaelem de S. Romano ſtationis præfectum, propterea quod inter concionandum depravatos eorum mores acrius interdum, liberiuſque reprehenderet. Utrum vere modum excederet vir ingenii cæteroqui ſeverioris, nec ne, nihil habeo quod affirmem. Utrumlibet fuerit, noſtros homines in jus vocarunt quos dixi religioſi, cauſamque agentes publico, ut ajebant, nomine civitatis, iis coram Nuncio Pontificio diem dixerunt. Illud petebant aperte, ut Societas urbe S. Sebaſtiani cedere cogeretur. Petitio cum videretur, ut minime dicam, parum æqua, nobis vindicias dedit judex, & jus poſſeſſionis valere juſſit. Non acquieverunt ſententiæ adverſarii. Tanquam injuriam manifeſtam paſſi, appellant conſilium Regis, conſiliarios vario genere querimoniarum implent: Societatis manſionem Sebaſtianopoli officere tranquillitati publicæ, ſummis infimiſque gravem, & moleſtam eſſe demonſtrant. Cum nemo tunc inveniretur Matriti, qui objecta nobis crimina refelleret, fit propere ſenatus conſultum, ut excedant loco Patres, uno tantum relicto aut altero ad bonorum adminiſtrationem fratre ex domeſticis adjutoribus. Acceptum eſt in urbe S. Sebaſtiani decretum poſtridie Cal. Aprilis, dum maxime agebantur dies hebdomadæ ſacratioris: nec religioſi, qui faciendum curaverant, tandiu ſaltem differri ſunt paſſi, donec dies paſchatis exiiſſent. Eadem ipſi die, ſcriba publico & teſtibus ſecum adductis, Senatus juſſa Patribus detulerunt: ipſi ut colligerent vaſa, & urbe quantocyus excederent denunciaverunt. Vis parabatur, niſi ſponte ceſſiſſent. Ita, uno tantum relicto domi, qui rem familiarem curaret, laico, ſacerdotes omnes pridie paſchatis abierunt. Auxit expulſionis indignitatem aliud decretum in conſilio civitatis factum, quo vetabatur portarum cuſtodibus, ne quempiam de Societate ſinerent pedem intra urbem inferre. Id quod adeo exacte ſervari cœpit, ut cum paulo poſt unus noſtrorum ex Belgio cum regiis navibus appuliſſet Sebaſtianopolim, prohibitus fuerit in terram exſcendere, licet ægrotus, nec ultra manſurus in urbe, quam quoad venam ſibi incidendam curaſſet. Sane conſtabat, ex parum ſinceris adverſariorum relationibus regios Senatores tam duriter contra nos & acerbe decreviſſe. Decretum abrogaturos, ſi ſemel veritatem cauſæ docerentur, nemo dubitabat. Quare Didacus de Soſa iterum provinciæ Præpoſitus, etſi ſocios hortabatur ut injuriam ſilentio ferrent, gnarus tamen veritatem, utcunque opprimatur interdum, nunquam extingui, Matritum miſit P. Alphonſum Canum ad refutandas æmulorum calumnias, & ſenatus fidem æquitatemque implorandam. Poſtulatorum hæc erat ſumma, ut in urbe S. Sebaſtiani perpetuo habitaret unus ſaltem ſacerdos ex noſtris, liceretque Societati ad eam urbem mittere evangelicos operarios quoties, & quamdiu viſum eſſet expedire. Æqua rogari cenſuit Senatus, & ſecundum poſtulata decrevit. Quibus impetratis, non modo deleta eſt accepta prius ignominia, verum etiam ſterni paulatim cœpit via ad ſtabiliendum ea in urbe collegium, quod intra duos annos, fruſtra repugnantibus æmulis, perfectum demonſtrabimus.

138. Multorum molitiones ad illud evertendum.

139. Noſtri coguntur loco cedere: quam inclementer exacti ſint.

140. Mitigatur decretum regii conſilii: denuo collegium inchoatur.

Ex-

Digitized by Google

141. Mors & elogium Ven. P. Ludovici a Ponte ex epiſtola Epiſcopi Valliſoletani ad Pontificem.

Extinctum interea eſt Valliſoleti lumen Caſtellanæ provinciæ, imo Societatis univerſæ clariſſimum, P. Ludovicus a Ponte, cujus vel audito nomine, virtutum omnium, ac totius religioſæ perfectionis ſpecies occurrit. Hujus hiſtoriam viri proprio volumine comprehendit P. Franciſcus Cacupinus. Nobis nec de illo prorſus ſilere fas eſt, nec quæcunque ſunt digna ſcitu his annalibus perſequi. Summam ergo referemus eorum, quæ Alphonſus Lopez Epiſcopus Valliſoletanus, poſt peractam accurate quæſtionem de vita illius, ſcripſit ad Urbanum VIII. Pont. Max., rogans ut tanti viri memoriam in faſtis Eccleſiæ conſecraret. Ejus itaque ut ordini inſiſtam, atque ipſis prope verbis utar, Ludovicum a Ponte in omni genere virtutum eminuiſſe, pro certo cognitum eſt. Principio charitate adverſus Deum & proximos ſic efferbuit, ut non ſemel ex ea prope ſupremum vitæ diſcrimen ægrotaverit. Totum vitæ ſuæ tempus diſtribuerat per hujus virtutis officia. Aut enim divinarum rerum contemplatione, precibus, ſacriſque faciendis occupabatur: aut proximorum utilitatibus ſerviens, rudes privatim ac publice docebat, concionabatur, confitentes audiebat, conſulentibus reſponſa dabat, male habentes conſilio, piiſque monitis ſublevabat. Eo uſque progreſſus eſt ardor chriſtianæ charitatis, ut ſemel juvandis peſtilentia tactis devoverit ſeſe, nec dubitaverit animam pro fratribus ponere. Illud non minus certo conſtat, magnam Ludovico, & valde intimam cum Deo familiaritatem fuiſſe. Vir ordine religioſus, gravis idem & doctus, juratus affirmavit, inventum ſibi aliquando, dum oraret, ſenſibus alienatum, & cœleſti lumine, velut igneo globo, circumfuſum. Summa afficiebatur pietate erga divinam Euchariſtiam, apud quam crebro pernoctare ſolitus, eamdem tam frequenter adibat interdiu, ut vix crebrius poſſet, cui id unum officium vitæ fuiſſet. Extrema licet conſumptus macie, tenuique tantum cute & oſſibus conſtans, modo pedibus poſſet inſiſtere, divinam faciebat quotidie rem, nec diem prætermiſit ullum, quo non ſaltem aliena manu de ſacro ferculo participaret. Tam aſſiduæ cum Deo conſuetudinis fructus fuere crebra & mirifica cœleſtium viſa, multiplices divinorum intelligentiæ, ac ſuperni luminis tanta vis, ut olim auditus fuerit cum exclamaret: *Non plus Domine, non plus: non tantum luminis, ſatis eſt.* Hæc tamen dona vir modeſtiſſimus, maximeque metuens humanæ laudis, ita condiderat apud ſe, ut niſi ea Deus mirabiliter detexiſſet, futura fuerint prorſus in occulto. Jam quis in tolerandis vitæ ærumnis Ludovico patientior? Multis acerbiſque valetudinis incommodis, præſertim doloribus articularibus perdiu vexatus, non gemitum umquam, non vocem ullam dolentis indicem fudit. Mirabantur medici, qui poſſet corpus ita defectum viribus vivere, negabantque omnino poſſe ſine miraculo. Capite tantum valebat, & manu dextera. His exceptis, nullam habebat corporis partem ſine ſenſu doloris fere perpetuo. Perrexit nihilominus uſque ad extremum ſpiritum, non dicam componere, ſed & ſua manu deſcribere undecim illos egregios libros, qui quantum ſcientiæ myſticæ contineant, notius eſt, quam hoc loco dicere neceſſe ſit, cum in omnes fere linguas Europæ translata ſint aurea volumina, cunctiſque prope nationibus diſciplinam ſapientis, ac religioſi ſcriptoris impertiant. Ejus deinde innocentiam quis ſatis digne explicaverit? Teſtabantur qui diu Ludovico fuerant a confeſſionibus, viri religione doctrinaque præſtantes, non modo nullam in eo læthalem noxam ſibi eſſe deprehenſam, ſed ne leviorem quidem ex earum genere, quæ notabiliores haberi ſolent: quod vero jampridem voverat, numquam ſcientem prudentemque quantumvis leviter peccaturum, id affirmabant ab eo integre religioſeque ſervatum. Paupertatis evangelicæ ſervantiſſimus, præter tegumenta corporis, & neceſſarios libros, nihil umquam habere voluit apud ſe. Viri abſtinentia plane admirabilis. Quamvis morbo laborans, genus nullum deliciarum admittebat. Victu utebatur parciſſimo, quodque ſumpſerat cibi, ſtomacho nauſeante cogebatur poſt paucas horas rejicere, tam acerba viſcerum contorſione, ut faſſus aliquando ſit, ſi optio daretur, futurum

Digitized by Google

sibi tolerabilius inedia confici, quam ita refici. Debilitato tot malis corpusculo addebat ipse quasi cumulum voluntarios cruciatus, cilicium assiduum, quotidiana verbera, brevissimum somnum, quem plerumque in asse nudo carpebat. Inter cæteras ejus dotes spectabatur insigne quoddam in regendis conscientiis magisterium, quo introspicere penitus videbatur quæ quisque in mente gereret. Ob hanc intelligentiam, & adjunctam doctrinæ consilii vim, ad illum unum tamquam ad oraculum passim in rebus dubiis confugiebant omnium ordinum homines, clerici pariter & laici, religiosi & antistites ecclesiarum, nobiles plebeique: nec fuisse quemquam perhibent, cui non ille omnino satisfaceret. Idem cordium arcana sæpe cognovit, & aliquando, cum id utile futurum erat, detexit, divina perfusus luce. Futura etiam prævidit prædixitque non raro, quæ suis deinde temporibus evenere: nec paucos ægrotantium solis adhibitis precibus persanavit, omnique corporis atque animi ægritudine liberavit. Vitæ tam innocenti, tam sanctæ, supremus consensit actus. Dum morientium sacris expiabatur, solemnes cæremonias summa religione prosequens, ad precationes singulas sua semper voce respondit: quibus peractis, cum sese paululum collegisset, auditus est supremam illam Christi morientis precem identidem usurpare: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Hæc ejus novissima fuit vox, qua sæpius iterata, spiritum placide emisit. Hactenus ex litteris Episcopi ad Pontificem, quibus deinde exequitur, quanta fuisset, & adhuc esset apud omnes de sanctimonia ipsius opinio, quibus honoribus celebrasset illi funus civitas Vallisoletana, quæ demum præter naturæ ordinem beneficia multi impetrasse dicerentur, ejus nomine invocato. Sed

142. Ejus vitæ compendium.

in his immorari nobis ad alia properantibus non vacat. Natus erat vir venerabilis Vallisoleti III. Idus Novembres, anno MDLIV., parentibus genere, ac pietate inclytis. Adolescens in sacrum ordinem Prædicatorum propensus, ut amplecteretur Societatem motus fuisse dicitur, partim apostolicis concionibus P. Martini Guttierez, partim nostrorum juvenum quam observaverat modestia singulari. Numerabat vitæ annos viginti, cum Methimnam Campi venit ad ponenda religiosæ vitæ rudimenta. Ea cum feliciter posuisset sub institutione magni illius magistri P. Balthasaris Alvarez, nondum plane exacto tirocinio, redire in patriam est jussus studiorum causa, ubi quamdiu fuit, licet eximie diligeretur a suis consanguineis, eos tamen adiit nunquam, ac ne nominabat quidem, nisi coactus. Vallisoleto, post confectum cursum studiorum, & sacerdotium susceptum, transiit Villamgarsiam, tertium probationis annum peracturus more Societatis. Ibi nactus iterum perfectionis magistrum quem supra dixi Balthasarem Alvarezium, primum omnium totam vitæ suæ rationem illi explicuit, corrigi, ac doceri flagitans. Loquentem patienter magis quam comiter cum audisset Alvarezius, lusisse illum hactenus more puerorum, respondit, qui virtutem puerili majorem nondum esset assecutus: virum ut indueret aliquando, & altiora persequeretur, monuit. Ea monitione, mirum ut sibi displicuerit Ludovicus, ut solidioris virtutis studio exarserit. Continuo, quasi tunc primum religiosæ perfectionis stadium ingrederetur, cunctis naturæ cupiditatibus bellum indicit, quæque in sanctitate vulgo difficillima existimantur, ea sibi deinceps consectanda proponit, fovente pium ejus ardorem Alvarezio, ac novos subinde stimulos subjiciente. Profectus ab hac palæstra, ut erat non solum pietate conspicuus, sed etiam ingenio doctrinaque multo supra æquales excellens, tradendis altioribus disciplinis adhibetur. Legione philosophiam, Salmanticæ ac Vallisoleti theologiam cum docuisset, tironum institutioni præfectus est, gravissimumque munus cum incredibili utilitate provinciæ ad plures annos produxit. Postremo collegium Vallisoletanum regebat: sed cum multiplici conflictaretur valetudine, nec ad vitam adeo actuosam sufficerent vires, coactus otio ac solitudine frui, privatam vitam instituit in collegio eodem, ubi, excepto quod domesticorum conscientias moderabatur, ultimos vitæ annos sibi tantum, ac suis libris vacavit. Obiit xv. Cal. Martii, an-

Digitized by Google

annum agens ætatis ſeptuageſimum, ab inita Societate circiter quinquageſimum. Sepultus fuerat loculo ſeparato, ut ſolent apud nos viri ſanctitate inſignes. Cum vero poſt menſes undeviginti placuiſſet ejus oſſa digniorem in locum transferri, ex omni corpore, quod fere jam putruerat, ſolum inventum eſt cerebrum in exeſo cranio penitus incorruptum: quod ita plerique interpretabantur, ut indicium eſſet ſanctarum cogitationum, quas vivens perpetuo verſaverat.

143. Res Aragonienses Obitus & elogium P. Ludovici Balleſterii.

Paucis poſt Ven. Ludovicum menſibus, alius in provincia Aragonienſi deceſſit Ludovicus, cognomento Balleſterius, ſacerdos hic etiam exempli ſemper recti, ac ſive ſacrarum litterarum ſcientiam, qua pollebat plurimum, ſpectes, ſive eximiam dicendi vim, ſive demum ſtudium animarum, quo prorſus inexplebili tenebatur, inter præſtantiſſimos Societatis operarios merito cenſendus. Solebat ad populum verba facere ubicunque ſe daret occaſio: in triviis, in foris, in ſacris ædibus, perindeque apud plebem infimam, ac florem nobilitatis. Ejus conciones magni ſemper audientium motus, magni gemitus excipiebant. Memorabile in primis quod olim Valentiæ geſſit, ad comprimendam bacchanalium inſaniam. Per urbem concionabundus inceſſit, cadaver hominis ſublatum inter ulnas geſtans, & effigiem Chriſti in cruce ſuffixi manu præferens: utque in greges perſonatorum ac laſcivientium inciderat, vocem intendens, eos brevi, ſed vehementi oratione detinebat, atque ipſa ſpectaculi ſpecie concutiebat. Tantus hinc terror inceſſit civitatem, ut reliquis bacchanalium diebus nihil uſpiam de ſolita ejus temporis licentia fuerit uſurpatum. Extat etiam nunc rei monumentum coloribus adumbratum in tabula, depictumque juſſu Pontificis Valentini, cui nota Balleſterii virtus, nec ſuſpectus quo agebatur ſpiritus. Supremo cum decumberet morbo, ac brevi exhalaturus animam videretur, edixerant medici, ut ad noviſſimum agonem inungeretur ſtatim. Negavit ipſe opus eſſe ante quintam diem, & ſacram inunctionem differri voluit. Die quinta, quæ incidit in Cal. Maji, compertum eſt, præſciviſſe illum multo certius medicis, quo prorſus tempore eſſet moriturus. Obiit Valentiæ, ubi ante annos undeoctoginta fuerat in lucem editus. Annum decurrebat in Societate tertium ſupra ſexageſimum. Pari ſociorum luctu elatus eſt Cæſarauguſtæ P. Garzias Alabianus, patria Tarraconenſis, cujus in re theologica peritiam, pietatem, prudentiamque omnes domi foriſque commendabant. Annos ferme viginti quinque vixerat in Polonia, eo miſſus inter paucos, quos olim Everardus Mercurianus ad fundandam in ampliſſimo illo regno Societatem elegerat. Ibi quamdiu verſatus eſt, operam & induſtriam ſuam valde probavit religioſiſſimis regibus, Stephano, & Sigiſmundo, qui ejus conſiliis plurimum uſi ſunt. Multos præterea procerum ſibi devinxit, atque omnium maxime Cardinalem Radzivilium, a quo Romam eſt ductus inter itineris comites, & familiares. At cum obiiſſet Romæ Cardinalis, rediit ipſe in ſuam Aragoniam, ubi collegio Cæſarauguſtano ſemel atque iterum rector impoſitus, pari probitatis ac prudentiæ laude magiſtratum geſſit. Erat ab ipſa natura ſumme ingenuus, & eximio quodam animi candore ornatus: ex quo ſolitus de aliis conjecturam facere, ægre credebat quæ quiſpiam peccaſſe diceretur, niſi eſſent exploratiſſima. Ob eam rem ſermones maledicorum ne ſummis quidem auribus admittebat, otioſorum vero colloquia & conſuetudinem quantum poterat refugiebat. Vivere deſiit v. Cal. Maji in optima ſpe vitæ melioris, anno a ſuſcepta Societate trigeſimo ſexto.

144. Obitus & elogium P. Garziæ Alabiani.

145. Controverſia Ilerdæ nata de ſcholis. Quæ fuerit occaſio.

Præter mœrorem iſtiuſmodi funerum, nata Ilerdæ eſt controverſia, quæ ad plures annos extracta, res ibi noſtras multis moleſtiis implicuit. Ante annos duodeviginti ita convenerat inter Ilerdenſes & Societatem, ut latinitatis ſcholæ, quæ ad gymnaſium academicum pertinebant, per noſtros deinceps homines adminiſtrarentur, intra collegii noſtri parietes haberentur, & a rectore collegii omnino penderent. Quod uti tunc cum aſſenſu mutuo partium inſtitutum, ita ſervatum deinde fuerat uſque ad hoc tempus, non ſine civita-

Digitized by Google

tis approbatione & commodo, consentientibus æquis iniquisque, recte suos liberos apud nos erudiri. Sed quamquam hæc ita essent, mutati repente sunt civium animi, & publica utilitate potior visa paucorum privata indignatio. Alienatæ voluntatis hanc maxime fuisse causam invenio. Pauci ex pueris gymnasium Societatis frequentantibus, commiserant cur vapulare in schola cogerentur. Verberibus efferati, coitionem inter se faciunt, urbanum magistratum adeunt, conqueruntur, quosdam collegii nostri magistros non videri satis ad docendum idoneos. Innotuit uni ex magistris de accusatione: quodque dissimulari prudenter debuit, juvenis parum prudens puniendum ratus, delatores, & eorum maxime ducem flagris multavit. Id adolescens parenti narravit suo, qui ob eam rem supra quam dici possit iratus, faciendum omnino sibi statuit, ut scholarum procuratio nobis abrogaretur. Hac mente, assumptis in partem consilii sui quos norat rebus nostris iniquiores, concursare huc illuc, civium animos sollicitare, multa in vulgus spargere, quæ Societati invidiam facerent. Neminem, ajebat, ex collegii disciplina bene litteratum hactenus prodiisse: mitti plerumque magistros, nec ætate graves, nec litteris satis cultos; apud hos unice in pretio esse nobilium ac potentium liberos, plebejorum vero, atque inopum prorsus negligi. Quibus, aliisque ejusdem generis criminationibus, vix credibile quantum exarserint multi, præsertim ex infimo ordine. Animis ita affectis, referuntur eadem mox ad consilium publicum civitatis, cui semper intererant de plebe aliqui cum jure suffragii. Discessere plerique in hanc sententiam, ut magistri Societatis juberentur in posterum habere scholas in gymnasio Academiæ: ni facerent, privarentur subsidio annuo, quod sustentandis ludimagistris de publico pendebatur. Collegio præerat id temporis P. Didacus Sala, eique decretum denunciatum est. Se quidem, respondit Sala, relaturum de negotio ad Præpositum generalem; sed interim rogare civitatem, ut donec ejus responsa adveniissent, stare vellet conditionibus, quibus ab initio transactum fuisset. Æqua postulari dixerunt Jurati (id summo Ilerdensium magistratui nomen), rem tamen agi in frequentissimo Senatu constitutam, quam nulli magistratui prorogare fas esset: se contra Senatus consultum nihil posse. His auditis rector, dari sibi Senatum petiit, ubi calumnias adversariorum dilueret. Datus est, sed nihil confectum. Obduruerant nempe contra nos animi, nullisque rationibus flectebantur. Animum non abjecit Sala. Deliberatum habens conari omnia, ut jus collegii tueretur, impetravit a Prorege litteras, quibus evocabatur Barchinonem causa, civitati vero ne qua circa scholas mutatio fieret vetabatur. Pupugit ea res civitatem in jus ambulare coactam. Hoc ergo gravius contra nos concitata, Barchinonem primo, mox etiam Matritum mittit procuratorem, qui jus scholarum legibus repetat. Post accuratam causæ disceptationem Rex, standum primis pactorum tabulis pronunciavit, cumque hoc medio tempore Ilerdenses novas aperuissent in Academia scholas latinitatis, eas occludi jussit: quo Regis decreto, ad exitum deducta lis videbatur. Jam civium bene multi suos liberos in disciplinam nostrorum restituerant: cum excepit contra procurator civitatis, frustra citari tabulas sine legitima facultate confectas. Qui nobiscum ab initio pacti essent de scholis, eos habuisse quidem a Senatu facultatem transigendi, sed non habuisse, uti necesse erat, mandatum obligandi pacto perpetuo, & irrevocabili civitatem. Exceptionem urgebant legulei summo conatu, litemque extrahebant. His rebus cognitis, Rex controversiæ judicium rejecit ad consilium Barchinonense, ubi triennio post victi fuimus, Scholas itaque tunc resignavit Societas, nec eas, nisi post aliquot annos, rogatu civitatis recepit.

146. Civitatis decretum contra illud collegium.

147. Itur in judicium. Rex causam nobis adjudicat.

148. Proponitur iterum causa, & scholæ nobis adimuntur.

149. Res Toletanæ. Gravis discordia componitur Compluti.

Dum his nostri molestiis Ilerdæ conflictabantur, dissidium multo gravius Deo bene juvante extinxerunt Compluti. Certabant a longo tempore de dignitate, ac principatu loci Collegium academicorum, & Magistratus urbanus, quæ lis armis disceptata non semel, urbem interdum cædibus funestaverat. Malo, quod vix sanabile videbatur, hoc labente anno remedium fecit nostrorum

Digitized by Google

rum induſtria. Nam cum medii adveniſſent Patres, non minus auctoritate quam canitie graves, iis ſequeſtribus certæ initæ ſunt utrinque pactiones, in quas conſentientibus ex æquo bonoque partibus, quidquid hactenus contentionum fuerat, ſublatum eſt. Ibidem graſſator fuit perditus, & flagitiis coopertus, qui de nece cuidam inferenda cogitabat. Dum id animo coquit, & occaſionem rei gerendæ captat, ſubito, ac terrifico oſtento ad ſaniora conſilia eſt revocatus. Vidit in ſomnis circumſiſti ſe, ac obſideri quodammodo ab immiti luporum grege: horribilem in modum ululantes audiit, ac ne in fruſta diſcerperetur extimuit. Metu expergefactus, Deiparam invocabat. Inſonuit repente vox cœlo delapſa, iret confeſtim ad unum aliquem ſacerdotem Societatis Jeſu, & apud eum onera conſcientiæ deponeret. Fecit ille imperata, non ſolum prompte, ſed & miro ſenſu pietatis. Peccata ingenti vi lacrymarum deterſit, peractaque vix confeſſione, *ut dignos pœnitentiæ fructus faceret*, ad religioſam ſeverioris diſciplinæ familiam ſe contulit. Per hæc in Toletana profeſſorum domo deceſſit P. Joannes Mariana, vir ille quidem magnitudine ingenii, & copia litterarum clarus in paucis, ut ejus ſcripta teſtantur: idem religioſis etiam virtutibus non mediocriter ornatus: quem tamen laudare ſine exceptione non poſſumus. Unum illi defuit, quod non ut cæteras animi cupiditates, opinandi quoque libidinem vinceret. Oblitus enim profeſſionis ſuæ, nihilque veritus beati noſtri legislatoris graviſſimum ſanctiſſimumque judicium, ſecus quam parerat ſenſit de Societatis legibus & inſtitutis, & quæ minus recte ſentiebat, eadem auſus eſt litteris tradere. Equidem ſcio, extitiſſe inter ſocios Hiſpanienſes qui putarent, libellum illum *De erroribus, qui in forma gubernationis Societatis Jeſu occurrunt*, falſo Marianæ fuiſſe inſcriptum ab aliquo noſtri nominis adverſario. Verum id ego magis optare poſſum ita eſſe, quam credere. Video quippe innotuiſſe Mutio Generali de opuſculo, ejuſque auctore Mariana, prius etiam quam typis editum vulgatumque eſſet Burdigalæ. Video, ſcriptas ab eodem fuiſſe graviſſimas ea de re litteras, cum mandatis, ut quæ deſcripta volitarent libri exempla, diligenter conquiſita flammis abſumerentur. Video demum, cum liber exitialis in lucem prodiit typis Gallicis, neminem tunc noſtrorum eſſe conqueſtum, quod ſpurius fœtus fuiſſet injuria ſuppoſitus Patri Marianæ. Magis ergo inclinat animus ut putem, quod certis argumentis demonſtravit Theodorus Eleutherius, * multis partibus corruptam fuiſſe illius lucubrationem in Gallia, nec ſenſa auctoris ſatis fideliter fuiſſe ab eis reddita, qui noſtri nominis odio editionem ſuſcepere adornandam. Hinc opus impreſſum, utpote authographo minus exacte conſentiens, Marianæ abjudicari non immerito poſſit. Utcunque ſe res habeat, fuerat Mariana inter præſtantiſsimos Toletanæ provinciæ Patres, niſi eximiis ejus laudibus hæc macula fuiſſet aſperſa. Et ſane miror, tali viro nunquam veniſſe in mentem ejus qui monuit: * *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* Erat ortu Talabricenſis. Obiit XIII. Cal. Martias, natus annos prope nonaginta. Sed ad provinciam Bæticam veniamus.

150. Perditi hominis converſio memorabilis.

151. Moritur Pater Joannes Mariana non ſine nota audacioris ingenii.

* *Hiſt. lib. 2. cap. 21.*

* *Prov. 22. 28.*

Vix fuit in hac provincia domicilium, ex quo non aliqui Patres ad opus Evangelii peregre proficiſcerentur anno labente. Duobus ultimis tantum menſibus P. Georgius Hemelmanus, provinciæ præſes, in diverſa loca ſacerdotes dimiſit triginta. Nam cum inſtaret annus piacularis, quo anno ceſſant ubique extra urbem Romam pœnarum gratuitæ remiſſiones, quas Indulgentias dicimus, prius quam earum uſus inhiberetur, placuit quam latiſsime circumferri indulgentiam ſacris addictam miſsionibus, eamque ut conſequi populi plures poſſent, itum eſt difficillimis itineribus ad loca inhoſpita, ac retruſa, quæ vel nunquam, vel non niſi a longo tempore filii Societatis adierant. Operæ non eſt exequi per partes frugem in locis ſingulis collectam, tum quod nimis in longum narratio excurreret, tum quod eadem iteranda nobis eſſent, quæ de ſimilibus peregrinationibus ſæpe alibi memoravimus. Tantum dico, non pœnituiſſe evangelicos operarios laborum, quos propemodum infinitos in illis circui-

152. Res Bæticæ. Sacræ miſsiones per provinciam peractæ.

Digitized by Google

cuitionibus exhauserunt. Interea septem & quadraginta capitibus provincia minuta est, ex quibus maxime desiderati Patres Hernandus Ponce, Michael Vasquez, & Didacus de Corduba. Poncius quatuor Hispaniarum provincias obierat cum potestate visitatoris. Bæticam semel, bis Sardiniam ordinario jure rexerat, fueratque ob religiosæ virtutis exempla semper, & ubique spectatus. Decessit Hispali XIII. Cal. Martias. Michael Vasquez, theologus post cognominem illum suum Gabrielem insignis, theologicam scientiam tradiderat Hispali, Romæ, Salmanticæ, & Granatæ, magna ubique approbatione doctorum; quodque magis est, cum singulari doctrina par studium pietatis in omni vita conjunxerat. Demum Hispali cum esset, & lucubrationes suas jussu Præpositi generalis prælo pararet, vitam cum morte commutavit VIII. Cal. Augusti. Didacus de Corduba ad Societatem venerat provecta ætate, eratque jam tum juris canonici doctus in tantum, ut hac unice scientia ad professionem quatuor votorum admissus fuerit. Res nostras, & instituta omnia Societatis magni faciebat, cupiebatque cuncta, uti a beato Conditore fuerunt tradita, exacte servari. Id unum moriens supremum admonuit Patres lectulo circumfusos, ac paulo post animam Creatori reddidit. Delatus olim ad moderatores perjurio mulierculæ, infamiam & pœnas conficti criminis tamdiu silentio tulit, donec conscientia subigente mulier calumniam retexuit. Finem vivendi fecit in *collegio* Cordubensi Nonis Februarii. Nostris eodem anno mortuis merito est accensendus Alvarus de Armenta, magni doctor nominis, idemque Sacerdos sanctimoniæ fama conspicuus: diu enim inter nos vixit Hispali, ac tandem sub vitæ finem in nostrum ordinem, quod summe concupiverat, adscriptus fuit. Pueritiam vix egressus, dum Salmanticæ altioribus disciplinis dabat operam, sæpe sodalium licentiam compressisse dicitur, tum vitæ innocentissimæ exemplo, tum etiam voce: id quod multi reputantes, jam inde conjecturam fecerunt vitæ sanctioris, ad quam proludere videbatur. Pingue sacerdotium consecutus Gadibus, ibique degens, quidquid temporis ab Ecclesiæ ministerio vacuum relinquebatur, studiis sacris, aut piis precibus impendebat, inclusus domi, aliisque curis prorsus abstractus. Cum ne sic quidem videretur sibi satis a vitiorum illecebris periculisque tutus, abdicato sacerdotio, secessit in nostram tirocinii domum Montilii, ubi per aliquod tempus ita vixit, ut nulla re alia a novitiis secerni posset, quam indumento. Vocatus inde fuerat, seu verius multorum auctoritate compulsus Hispalim, ut curam susciperet insignis nosocomii, cui a Cardinali nomen. Hujus administrationis adeo nulla emolumenta sectatus est, ut cum successori munus reliquit, confectis de more rationibus, apparuerit, Armentam nosocomio multum expensum tulisse de suo. Annos vitæ ultimos exegit in domo probationis Hispalensi, nec satis dici possit, ut novitiis ad omnem virtutem incitamento essent viri talis exempla. Ternas quotidie horas dabat meditationi cœlestium. Corpus, quamvis jam senio fatiscens, jejuniis, cilicio, flagris atterebat. Domo nunquam exibat moderatoris injussu. Sæpe a prandio, dum cæteri mutuis sermonibus animum relaxabant, abdebat ipse se in culinam, & sublatas e mensa patinas abstergebat. Sed ejus supra cæteras virtutes eminuit liberalitas erga pauperes. Solebat interdum id genus homines lauto convivio excipere. Adstabat ipse accumbentibus, fercula suis manibus ministrabat, flabello muscas avertebat: quæ cum factitaret, mira suavitate perfundebatur. Pauperes delicias appellabat suas. Quæ ipse possideret, sua ajebat non esse, sed pauperum. Circa vitæ finem divisisse inter eos dicitur aureorum millia ferme triginta. Denique in morbo extremo mendicorum ingentem gregem rogavit perduci ad se. Hos alloqui supremum voluit, eorum aspectu multo magis recreari se dictitans, quam frequentia procerum, a quibus officii causa adibatur. Morientium viaticum accepturus, prius vota concepit, quæ apud nos scholastici solent. Mox immortales Deo gratias agens, quod sacramento religionis adstrictus naturæ debitum reposcceretur, animam non pie minus quam placide exhalavit, ætatis anno duodeoctogesimo. Elatus est magna frequentia po-

153. Mors & elogium aliquot Patrum.

154. Moritur in Societate Alvarus de Armenta, vir sanctitate insigni.

155. Mira ejus charitas erga pauperes.

Digitized by Google

populi, cunctis ſanctimoniam viri merita laude proſequentibus.

Etiam Sardiniæ duos ademit hic annus viros ob ſanctitatis opinionem inſignes, quorum memoria eſt litteris conſignanda. Præivit F. Jacobus de Alagonio & Cardona, olim genere & opibus inter primos regni proceres clarus; poſtea virtutibus inter nos multo clarior. Cum eſſet annorum quadraginta quatuor, ſpreta matrimonii prænobilis conditione, & hæreditaria quatuor oppidorum ditione abdicata, ut regum regi Chriſto militaret, tranſiit in noſtrum ordinem Calari, maluitque inter fratres rei domeſticæ adjutores, quam inter clericos recipi, ſtudio humilitatis. Vix quinque poſt hæc annos confecit in Societate: ſed quaſi præſcius, brevi finitum iri laboris & patientiæ tempus, eoque magis feſtinandum ratus, uti cœperat initio ad omnem religioſæ virtutis perfectionem totis conniti viribus, ita perrexit uſque ad extremum. Hanc habebat curarum fere præcipuam, ut nihil omnium omitteret, unde poſſet hominibus contemptui eſſe. Quæcunque itaque ſunt humilioris operis in miniſterio domeſtico, ea exercebat libentius, cum præſertim in oculis civitatis erant gerenda. Sæpe conſpectus eſt mundare ſtabulum, ut mediaſtini ſolent: ſæpe plenam purgamentis corbem deferre humeris ad ſterquilinium: ſæpe a foro, a macello, a prædio devehere per urbem cibaria, quippe ſocius obſonatori additus. Par domi humilitas, par in arripiendo deſpicatiſſimo quoque munere alacritas. Hac animi præparatione venerat ad Societatem, ut perſuaſum haberet, ſe Patribus ut vere ſervum obſequi in omnibus, ac famulari debere: neque id homini de ſe humillime ſentienti umquam excidit. Paupertatem habebat in deliciis. Præter alimenta & veſtes, nihil omnium optabat, & in his etiam viliſſima ſectabatur. Coactus aliquando a cuſtode veſtiarii induere novam tunicam, commutavit illam ſtatim cum alia lacera, attritaque, qua tironem indutum viderat. Leges omnes, & conſuetudines diſciplinæ domeſticæ ita ſervabat, ut nemo magis. Quidquid faciendum in communi eſſet, aderat primus, vel inter primos. Quod ſi tamen interdum ad tinnitum campanulæ minus prompte accurriſſet, indicio id erat, ſtetiſſe divinorum contemplatione defixum, & a ſenſibus alienatum. Namque inter orandum divina patiebatur ſæpe, nihilque ſentiebat eorum quæ domi fierent. Supremum ægrotans, eam contraxerat ſtomachi debilitatem, ut quidquid cibi glutiiſſet, confeſtim rejicere cogeretur: malum viro religioſiſſimo permoleſtum, ut quo impediebatur Euchariſtiam ſumere. Rogavit ſupplex Deiparam, impetravitque quanto erat opus, ut ſacri viatici particeps fieret, quo accepto, quaſi ſummam votorum ſuorum conſecutus, ex hac vita migravit III. Nonas Januarii. Non uſitata ſanctitatis opinione domi foriſque florebat, ejuſque proinde funus Calaritani frequentia incredibili celebravere.

156. Res Sardiniæ Mors & elogium Fr. Jacobi Alagonii.

Alagonium eodem anno ſubſecutus eſt Saſſari P. Salvator Piſqueda, operarius apud nos virtutum magnitudine illuſtris, & immortaliter memorandus. In oppido Saſſaritanæ diœceſeos, quod Ploagam vocant, natales habuit P. Piſqueda, parentibus pietate & genere honeſtiſſimis. Prius quam naſceretur, ejus matri uterum gerenti prænunciatum fuerat ab homine prorſus ignoto, parituram ſuo tempore puerum, cujus futurum eſſet clariſſimum toto regno nomen: eum proinde Salvatorem appellandum, & Deo conſecrandum curaret. Oraculo fidem ex parte affirmavit pueri vix nati infantia, in qua mira videre licuit futuræ ſanctitatis indicia. Narrabat deinde ipſe ætate provectior arbitro conſcientiæ ſuæ, ſibi trium annorum infantulo obortum præter morem fuiſſe cœleſte lumen, quo Dei notitiam aſſecutus, jam tum divino obſequio ſe totum devovit, magnopere cavens ne qua noxa animum inquinaret. His initiis cætera conſenſerunt. In Societatem tranſgreſſum Saſſari, ubi litteris operabatur, urgebant cognati, ut rediret domum. Ille eorum preces & lacrymas fortiſſime repellens, diſerte affirmavit, malle interfici, quam ab arrepto vitæ curſu deficere. Quem in tirocinio concepit pium ardorem, nunquam deinde paſſus eſt refrigeſcere uſque ad ultimam ſenectutem. Sed quamquam cunctis virtutibus emi-

157. Mors & elogium P. Salvatoris Piſquedæ.

Digitized by Google

eminereт, obedientia viſus excellere luculentius. Moderatorum vel leviſſimos nutus pro legibus totidem accipiebat, ſervabatque exacte, nec illos patiebatur, ubi aliquid faciendum juſſiſſent, cauſas addere cur juberent: quippe obedientiam, ajebat, non rationibus, ſed ſolo majorum arbitrio dirigi, ac gubernari. Extremo in morbo, coactus imperio rectoris aliquid de ſe dicere, quod cæteris prodeſſe poſſet, teſtatus eſt palam, annos amplius quinquaginta ſe, nec majorum juſſa ulla, nec ullam ex tam multis legibus Societatis, ſcienter prudenterque violaſſe: id quod niſi a tali viro, & in eo rerum articulo pronunciatum fuiſſet, vix credibile videretur. Adeo multa, varia, & in ſpeciem exilia ſunt, quibus ratio noſtræ diſciplinæ conſtat. Ferebatur in Deum charitate ſumma, nec ulli parcebat operæ aut labori, ut ejus offenſas prohiberet, & publicas peccandi cauſas tolleret. Documento ſit quod ſubjicio. Mulierculas neſcio quas e meretricio quæſtu abducendas ſuſceperat. Id ægre ferentes perditiſsimi quidam juvenes, Piſquedæ minaciter denunciant, ut incepto abſiſtat: niſi fecerit, fuſtibus male multatum iri. Se vero, reſpondit Sacerdos impavidus, non ſolum fuſtes, ſed mortem ipſam excipere non recuſaturum ob ejuſmodi cauſam. Quo reddito reſponſo, perrexit nihilo ſecius quod inſtituerat exequi, ſui ſecurus. Irritati juvenes, viam obſident qua tranſiturum ſciebant, facturi ex inſidiis impetum in prætereuntem. Omnes fuſtibus inſtructi probe, ac peſsime animati, perturbatorem importunum voluptatum ſuarum avide præſtolabantur. Tamen ubi in conſpectu fuit Sacerdos pius, ſubito quaſi torpore correpti, non modo expedire fuſtes, ſed ne loco quidem ſe commovere auſi ſunt, oppreſsi, ut reor, viri ſpecie venerabili, & colore illo ſanctitatis, qui in ejus vultu plurimus elucebat. Multa dum viveret ſupra naturæ uſum præſtitiſſe dicitur, plura etiam poſt mortem beneficia invocantibus detuliſſe, a quibus tamen ego abſtineo, ne ſim prolixior. Obiit VI. Cal. Apriles, hydrope, & longa tabe conſumptus, annum agens ætatis ſeptuageſimum ſecundum, initæ Societatis ſecundum ſupra quinquageſimum.

158. Res Lusitaniæ. Obitus & elogium P. Hieronymi Alvarez.

Sua non defuerunt Luſitaniæ funera, digna litteris, & annalibus conſignanda. Eboræ XIII. Cal. Februarii diem clauſit P. Hieronymus Alvarez, anno ætatis ſexageſimo, poſt quam fuerat in Societatem allectus quadrageſimo ſexto: vir, cum aliis nominibus, tum maxime ob relatas de inferno ſpiritu victorias illuſtris. Puero annorum tredecim, & jam noſtri ordinis candidato, malus dæmon colaphum inflixerat, propterea quod de ineundo religioſæ vitæ ſtatu cogitaret, gravioreſque minas intentaverat, niſi conſilium abjiceret. Id optimum adoleſcentem a pio propoſito adeo non deterruit, ut imo ſtimulos currenti addiderit quodammodo. Recte exiſtimans, magnum aliquod bonum eſſe, quod ipſi hoſtis infenſiſsimus tantopere invideret, ut huic ægre faceret, maturavit a paterna domo fugam, impetravitque tironibus aggregari, cum vix annum ætatis decimumquartum expleviſſet. Tirocinium emenſo iterum ſe viſendum obtulit infernus furcifer, ac parentem ipſius nuper mortuum forma, ac noto vocis ſono referens, ipſum vero filii ſuaviſsimi compellans nomine, querula voce ſuadere adoleſcenti conabatur, ut male deſertam domum repeteret. Agnovit ſtigii veteratoris fraudem ſuperna perfuſus luce adoleſcens pius: loquenti ſalutis humanæ ſignum objecit, & ſpectrum exegit. Multo tamen gravius periculum adiit natu jam grandior, hoſtem nactus tanto pejorem dæmone, quanto blandiorem. Mulier fuit clara natalibus, forma opibuſque inſignis, quæ Alvarezium miſere deperibat, alebatque jamdiu cœcum intra venas ignem. Simulato demum negotio, quod cum illo communicatum vellet remotis arbitris, ſeductum in conclave intimum adoritur ſermone impudenti & inſidioſo: inſtat laſcivis artibus & illecebris, ut renuentem ad flagitium pertrahat. Cohorruit initio vir caſtiſſimus. Tum, relicto quod mulier petulans apprehenderat pallio, exiliit ex ejus manibus: ejiciebatque ſe foras e veſtigio, niſi abeuntem ſummis precibus detinuiſſet mulier, famam illi ſuam commendans, ac futurum oſtendens ut in manifeſto crimine teneretur, ſi ipſe ita ſe

daret

Digitized by Google

daret in publicum. Sed qui manendum parumper censuit, ne nobilis fœminæ infamiam proderet, simul vultum ad severitatem composuit, ac sermonem ejusmodi exorsus est, quo permota mulier respexit sese, facti turpitudinem recognovit, nec tale quid in posterum ausa est. Par in Hieronymo castitati charitas, par mansuetudo. Erat natura paulo fervidior, & in agendo subasper: at si quando durioribus quemquam verbis excepisset, solebat quamprimum ad ejus pedes accidere, & veniam de genu rogare: quem morem vel in magistratibus obeundis, ac rector etiam collegii Ulyssiponensis retinuit, ut indolis vitium virtute corrigeret. Paucis ante obitum mensibus calculorum doloribus acerbissimis conflictatus, eos mira quadam animi excelsitate pertulit, donec munitus rite morientium sacris, mortalem vitam reliquit.

159. Mors & elogium P. Hieronymi Diaz.

Eodem anno Conimbricæ, pridie Idus Augusti, vivere desiit P. Hieronymus Diaz, quem merito socii Lusitani quasi provinciæ columen, & communem parentem suum venerabantur. Inerant illi ab ipsa natura præclaræ dotes corporis animæque, quibus cum addidisset industriam, & bonarum artium multiplicem disciplinam, ita formaverat sese ad omnia instituti nostri munera, ut quodcunque capesseret, ad illud unice natus factusque videretur. A prima juventute concionibus habendis addictus fuit, vicitque in eo genere ministerii spem, quam de se maximam excitaverat, orator habitus illa ætate summus, & quem merito christianæ eloquentiæ studiosi sibi ad imitandum proponerent. Erat cæteroqui ejus oratio non nimis compta, nec inani verborum ornatu ad delectandum composita, sed plena succi ac sententiarum, gravis eadem, & vehemens, quibus accedente commoda actione, in audientium animos alte penetrabat, & facile mentes hominum ad studia virtutis inclinabat. Extra suggestum, vix alibi in conspectum hominum dabat se, solitus orandi scribendique studiis omne fere tempus impendere. B. Teresiam virginem sibi præ sanctis cæteris proposuerat, cujus virtutes imitaretur. Ad ejus proinde exempla vitæ suæ rationes, & acta componebat: eandem in meditando veluti ducem ac magistram sequebatur. Exstant conscripta ipsius manu adversaria, in quæ referre consuevit quas inter orandum experiretur divinarum rerum impressiones, indeque colligi non obscure potest, fuisse illi per quam familiarem cum Deo usum, & in hac vita mortali cœlestes interdum delicias animo prægustasse. A ministerio concionum ad gubernandum traductus, paternum ubique ac semper exercuit imperium. Nemo erat domi, qui non se rectori suo carissimum esse intelligeret: nemo, qui non illum vicissim in oculis ferret. Præerat collegio Conimbricensi tunc, cum eam urbem atrox pestilentia simul, & dira fames miserandum in modum premebant. Rebus tam afflictis, non eo contentus est providus rector, ut piacula multa sociis ad placandas cœlestes iras indiceret, sed eorum quoque necessitatibus opportune prospexit, perfecitque nequid illis ad vitæ usum, & ad tuendam salutem deesset. Eodem tempore, effusa ad externos charitate, ægrotis, egentibus, ærumnosis omnibus quacunque potuit ope subvenit, non sumptui, non labori parcens, ut publicam calamitatem levaret. Ejus charitatem par humilitas commendabat. De se, ac rebus suis Diazius tam abiecte sentiebat, ut se nullius hominem passim dictitaret, negaretque dignum esse, cui quisquam vel simplici detractione pilei honorem exhiberet. Cum morbo laboraret extremo, secandum urendumque præbuit chirurgis corpus tam placide, ac si sensum omnem doloris amisisset. Obiit plenus dierum, ac meritorum, annos natus octoginta duos, quorum tres & sexaginta transegerat in Societate. Mortuo concursu non usitato parentatum est.

160. Milites classiarii expiantur Ulyssipone.

Eorum interea, quos hactenus laudavimus, æmulatores non pauci supererant in Lusitania, quorum modo acta evolvenda suscipimus. Paraverat hoc anno Rex classem ingentem contra Batavos, qui, ut infra dicemus, Bahiam Brasiliæ caput invaserant. Cum Ulyssiponem convenissent milites in regiam conscripti classem, homines nostri faciendum sibi duxerunt, ne illi naves ante conscenderent, quam christiana sacra percepissent: namque ita fore, ut ad-

Digitized by Google

versus maris bellique pericula cœlesti præsidio munirentur, majoremque animum, ac virtutem in utroque discrimine præ se ferrent. Salubre consilium ipsi milites probaverunt. Ex omni eorum numero vix inventus, qui non apud nostros piacularem confessionem perageret. Unus præ cæteris, qui jamdiu ad omnes conscientiæ stimulos occalluerat, & confessionem ut omen vicinæ mortis horrebat, cum similiter induxisset animum ut onera conscientiæ deponeret, tanta est suavitate perfusus, ut videretur sibi revixisse quodammodo, nec cessaret Deo O. M. agere gratias, quod talem sibi mentem superne injecisset. Huic paulo post adstitit malus dæmon venustæ puellæ forma perspicuus, instabatque pellacibus blanditiis, ut in flagitia pristina consentiret. At surdo cecinit. Homo divini Numinis metuens, nihil ad ea, nisi quod supplex invocavit Deiparam, cujus vix prolato nomine, inanis forma in auras dilapsa est: ac ne dubium esset de inferni spiritus indignatione ac fuga, auditus eodem tempore dissonus quidam fremitus, quasi turmarum accepta clade fugientium. Ibidem adolescens fuit perditissimis moribus, qui domi vinctus attinebatur a patre, propterea quod sublatam furto ingentem pecuniæ vim ludo contrivisset. Is vinculorum impatientia in summam prolapsus animi ægritudinem, mali dæmonis opem quæsivit. Adfuit vocanti nequissimus, & operam obtulit suam, si modo de certis conditionibus conveniisset. Nullas recusavit leges incautus adolescens. Fit ergo pactio iniquissima, ut ille perpetuo se futurum spondeat in potestate dæmonis: hic vicissim libertatem illi reddat, pecuniam provideat, ludumque fortunet in posterum. Pacto subscripserat adolescens, & chirographum dæmoni habendum permiserat. Pacti fidem non fefellit stigius fœnerator. Solutus vinculis, & argento donatus, redierat jam in conventus pristinos aleator, ac brevi magnam pecuniam collegerat, numquam fallente ludi fortuna. Verum inter hæc miser sævis æstuabat conscientiæ fluctibus, recursabatque subinde menti, quo se præcipitem egisset, quod pactum exstaret, quod chirographum; quæ cum animo suo reputans, nullam partem quietis capiebat. Incertus quo se verteret, adit nostrum Sacerdotem, angores illi suos, & eorum causam aperit. Sacerdos benigne susceptum, & in spem salutis erectum admonet, ut malo remedium his maxime artibus quærat. Primo, facti pœnitens, labes eluat animæ confessione piaculari: deinde pecuniam male partam, aut restituat dominis, aut in pauperes eroget. Postremo, ut instet pacem Numinis exorare precibus, ac jejuniis. Fecit imperata adolescens, nec frustra. Dum pergit sese salubriter discruciare, ex insperato chirographum impiæ stipulationis inter purgamenta domus projectum recepit.

161. Unius mira virtus post confessionem.

162. Adolescens a servitute dæmonis liberatur.

163. Fructuosa missio ad urbem Pacejulienſem,

Eodem anno non unæ peractæ sunt missiones in Lusitania, ex quibus nos brevitati servientes unam & alteram duntaxat commemorabimus. Est ad fines ejus regni civitas, Pacem juliam nominant, quam hoc tempore nobilium odia factionesque miserabili modo scindebant. Magistratus urbis, ut publicæ tranquillitati consulerent, par nostrorum petierunt a rectore collegii Eborensis. Petentibus dati cum fuissent duo lectissimi, eorum labore & industria nihil acerbitatis in urbe relictum est. Capita factionum, non modo in mutuam gratiam redierunt, sed amplexibus & osculis redintegratæ concordiæ publica documenta præbuerunt. Quam jucundum id acciderit civitati, testatæ deinde sunt lacrymæ civium, qui abeuntes Patres longe extra urbis portas cum faustis comprecationibus, & largo fletu deduxerunt. Sic ab illis gesta res intra unam tantummodo civitatem. Interim alii duo e collegio Bracharensi in apertum progressi, totam peragrarunt regionem, quam Interamnensem vocant, nec mediocrem peregrinationis, & laboris fructum ceperunt. Cujusmodi tamen ille fuerit, non exequemur prolixius, ne res alibi sæpe expositas iterando, satietatem legentibus afferamus. Portuensibus utilem se Societas hoc anno præstitit in gravi periculo, quod nostrorum interventu discussum est. Nam cum novum urbi vectigal fuisset impositum, populus in cædem auctorum concitatus ad arma conclamabat. Medii advenerunt Patres, & seditionem gliscentem feliciter com-

164. Res gestæ in aliis provinciæ partibus.

Digitized by Google

compreſſerunt. Majoris negotii fuit ſedare procellam domeſticam, qua ſeminarium Hibernorum nonnihil jactatum eſt Ulyſſipone. Seminarium iſtud, jam inde cum Ferdinandi Ximenii liberalitate conditum, ac perpetuo cenſu dotatum fuit, rectores habere cœperat de Societate, nec habuerat hactenus, niſi petitos ex eadem Hibernorum gente Patres. Jam vero alumni, perinde quaſi ea conſuetudine jus quoddam adepti eſſent habendi ſemper rectorem e ſuis popularibus, non patiebantur imponi ſibi P. Alvarum Tavarium patria Luſitanum, ejuſque imperium contumacius aſpernabantur. Alumnorum cauſam cum tuerentur aliqui ex externis, ea res ſollicitos habebat Patres, ne quid Præpoſiti generalis auctoritati detraheretur. At hunc illis metum exemit æquitas Regis, ad quem cauſa delata. Placuit nimirum Regi, jus eſſe moderatoribus Societatis rectorem ſtatuendi quem mallent, nullo nationum diſcrimine. Quod decretum ſtatim atque alumnis denunciatum eſt, tumultus conquievit, & hiſcente nemine Tavarius magiſtratum iniit.

165. Turbæ ortæ Ulyſſipone in ſeminario Hibernorum.

Dum hæc in provincia Luſitana gerebantur, Goæ venerabile corpus S. Franciſci Xaverii ex veteri S. Pauli æde ad novam Profeſſorum baſilicam translatum eſt. Acta porro res cum inſigni celebritate. Loculum paraverant e ſolido argento, mira gemmarum varietate diſtinctum, cui ſacrum pignus cum fuiſſet incluſum, onus ſubjerunt ex Minorum ordine ſacerdotes ſacrificali tunica induti, & ferculum ſuppoſitis humeris devexerunt. Præiverunt longi ſupplicantium ordines, intercurrentibus per intervalla tenſis ornatiſſimis, in quibus ſplendida ſimulacra conſpiciebantur. Sed quam magnifico, quam vario pomparum genere res illa acta fuerit, nos non explicabimus fuſius, tum quod præter modum longa eſſet narratio, tum etiam quod extat earum rerum prolixa deſcriptio typis edita. Prius quam hæc agerentur, pari magnificentia ac pietate celebratum fuerat Goæ novendiale feſtum in honorem Ignatii, & Franciſci Xaverii, quos audierant recens Eccleſiæ faſtis adſcriptos: quod feſtum ea de qua dicebam ſupplicatione finiri placuit. Nec vero commiſerunt beati urbis patroni, ut cives ita de ſe meriti carerent fructu pietatis, & munificentiæ ſuæ. Multa ſuis clientibus beneficia contulerunt, multis miraculis inclaruerunt. Unum afferre in medium juvat miraculum B. P. Ignatii, quod viſum præ cæteris memorabile. Gerebat uterum mulier neſcio quæ, ſed gravi oppreſſa morbo, fœtum jam biduo mortuum abigere non valebat. Cum deſperaretur ejus ſalus, vocatur qui morienti aſſiſtat Sacerdos Societatis. Toto jacentem corpore, & omni ſenſu deſtitutam Sacerdos reperit, ut putaretur quam proxime animam efflatura. Eam nihilominus, contenta quantum poterat voce, admonet, ut ſupplex S. Ignatii opem expoſcat. Ad hanc vocem, quaſi excitaretur e ſomno ægrota, aperit repente oculos, & labia in modum tacite precantis movet. Nec multo poſt, abacto feliciter fœtu, reſedit ita valens, ac ſi nunquam ægrotaſſet. Geſtiebant gaudio domeſtici, & tam mirificam incolumitatem feminæ gratulabantur. Illa de infantuli ſalute ſempiterna ſollicita, exanime afferri ad ſe corpus jubet, quod ulnis ſuſtinens: *Ades*, inquit, *Ignati beatiſſime, & beneficium perfice. Quam pro eximia tua benignitate produxiſti matri vitam, filio reſtituas precor.* Nondum finierat precem, cum infans certum indicium vitæ præbuit, edito levi motu corporis, & emiſſa lacrymula. Baptiſmo tingitur ſtatim, ac poſt paulo animam cœlo inferendam exhalat. Eo facto aucta omnium admiratio in tantum, ut ex ipſis Anglis heterodoxis, qui tunc forte Goam appulerant, viginti ad Eccleſiam tranſierint, oſtenti tam manifeſti fama permoti. Rem porro, ut a nobis narrata eſt, magiſtratus Eccleſiæ publicis tabulis conſignandam curavit. Eodem anno erectum eſt Goæ ſub invocatione Deiparæ naſcentis ſodalitium, quod urbi utilitates ingentes attulit. Sodalibus, præter cætera pietatis ſtudia, hæc impoſita lex, ut bis intra menſem ægrotos in publico noſocomio decumbentes inviſerent, reficerentque: tum ut egenis operam gratuitam in cauſis agendis impenderent, & ad redimendas creditorum moleſtias pecuniam, ſi opus eſſet, repræſentarent. Quo inſtituto apertus chriſtianæ cha-

166. Res Goanæ. Corpus S. Franciſci Xaverii transfertur in novam ædem.

167. Inſigne miraculum S. Ignatii.

168. Pium ſodalitium de novo inſtituitur Goæ.

Digitized by Google

charitati latissimus campus, & multorum ærumnæ sublevatæ. Benaulini etiam, qui Salsettarum pagus est non ignobilis, sodalitas hoc anno est instituta sub titulo nostræ Dominæ de salute, quam magno sibi usui esse oppidani senserunt. Sodalitati allecti sunt promiscue cives ex omni ordine, nobilioribus ultro censentibus, nihil interesse quo quisque esset genere, modo christianus. Id vero, præter alias leges, omnibus in communi propositum, ut viverent ipsi conjunctissimis inter se animis, & suborientes discordias de sua civitate tollerent. Charitatis officium, cum ubique utile, tum in India maxime necessarium: vix enim arbitror esse, ubi sator dissidiorum diabolus majorem odiorum, ac simultatum sementem faciat.

169. Sodalitium aliud erigitur Benaulini.

Socios interim, qui in regno Mogolico versabantur, nullus laborum fructus recreabat, sola spes legendi olim fructus uberrimi sustentabat. Spem istam faciebat præcipue Rex promissis ingentibus, & egregia, ut apparebat, ingenii docilitate: at idem præsentis sterilitatis in causa erat. Quamquam enim pelli quotidie magis videretur christianæ legis sanctitate & pulchritudine, nunquam tamen inducebat animum, ut superstitiones patrias abjiceret, ejusque prohibebantur exemplo populi, ne fidei doctrinam reciperent. In hoc rerum statu novus ex insperato ager objectus est Patribus, ubi semen divini verbi jacere posthac fructuosius possent. Agram advecti peregre quidam christiani mercatores, narrabant, ad eam plagam qua Mogolicum imperium desinit, inter septentriones & ortum solis, regnum esse Thibeti, spatiis amplum, & incolis frequentissimum: gentis benignissimam esse indolem, mores honestos, instituta autem ejusmodi, ut regionem Christianorum crederes. Reipsa plantatam fuisse olim inter Thibetanos Christi fidem, multis exploratissimum erat, eaque laus tribuebatur religiosissimis magni Francisci filiis, quos constabat sæculo XIV. ineunte pervasisse ad Scythas, totamque fere Asiam inter Sinas & Euphratem peragravisse. Utcunque esset, moti hospitum relatione Patres, consilium ineunt illuc penetrandi, ubi tam læta spes ostenderetur rerum prospere gerendarum. Decernitur ergo expeditio Thibetana, de qua nos hoc loco dicturi, negligemus paululum rationem temporum, quæque acta sunt spatio annorum tredecim uno contextu exequemur, ne sæpe narratio ejusdem rei sit abrumpenda.

170. Sociorum Mogolensium labores infructuosi, & quare.

171. Decernitur expeditio in Thibetum. Quæ regio ea sit.

Primus omnium tentare iter, & explorare regionem statuit, qui sociis cæteris præerat, P. Antonius de Andrada, vir apostolici spiritus, & animi adversus difficultates invicti. Assumptis itaque viæ comitibus Fr. Emmanuele Marquesio, & duobus famulis, Aprili ineunte venit ad radices Caucasi, quo fines imperii Mogolici terminantur. Totam ferme Asiam ab occidente in orientem perpetuo jugo percurrit Caucasus, eamque bifariam dividens, simul protendit hinc inde aliquot quasi brachia, quorum ambitu regiones plures complectitur. Non idem ubique retinet nomen, nec præruptus ubique, ac confragosus est æque. Verum ubi veterem Indiam (nos Indostanum dicimus), & Mogolicum claudit imperium, attollitur in immensum: amœnus ille quidem a radicibus dimidio tenus, idem frugifer, & dulcium aquarum scatebris irriguus; at sursum usque ad verticem, nudis rupibus, & horrentibus scopulis tremendus. Per hujus abrupta jugi via difficilis, seu potius nulla. Tantum semita in vivo lapide velut excisa ferro, vixque unum lata palmum, unde si fallente pede excideris, ruas in præceps, inter acuta prominentium saxorum capita membratim discerpendus. Auget horrorem fragor aquarum, quas Ganges intra imas angustias rupium longe sonantes impellit; & plus etiam quam fremitus terret undarum rapiditas, quoties trajiciendus est amnis. Non enim ponte vel navibus transmitti potest, sed tantum funibus ex utraque ripa protentis.

172. Primus itineri difficillimo se committit P. Antonius de Andrada.

Has primi itineris difficultates Andrada feliciter superaverat, cum aliæ supervenerunt graviores. Est Mogori confinis Sirinagar, regio aspera & montana, nomen habens ab urbe totius provinciæ primaria. Qui tunc rerum potiebatur Sirinagare, vectigal pendebat Regi Mogolico, neque solum cavebat quam maxime, ne quam offensionis causam præberet principi tam prævalido &

173. A Rege Sirinagareno detinetur in carcere.

vici-

Digitized by Google

vicino, sed præterea nullam ejus demerendi occasionem prætermittebat. Præter alia obsequii documenta, si quem deprehendisset intra regni sui fines transfugam ex Mogolibus, eum solebat sistere, & cum fide reddere magistratibus magni Mogoris. Jam ergo de nostris viatoribus mota suspicio, an essent transfugæ? Essent, nec ne, eos Rex Sirinagarenus comprehendi jubet. Ita capti, hæserunt per aliquot dies in vinculis, donec veram itineris causam aperientibus fides est habita. Postea quam fuerunt dimissi, porro tendentes, pervenerunt ad rupes in immensum editas, omniumque quas hactenus viderant asperrimas, quarum per angusta divortia sæpe recurrebat a fronte Ganges, brevi alveo torrens, ac multiplici ambitu flexuosus. Hunc transmittere iis locis, atque hoc anni tempore, summe periculosum. Nullis enim jungitur pontibus, nisi temere factis ex nive gelu durata. Nimirum hieme sæviente, in editissimo illo jugo nivis immensæ coalescunt moles, quæ paulatim, vel sua gravitate, vel pulsu ventorum ruunt in præceps, obstruuntque hiatus scopulorum, quos Ganges intermeat: dum vero amnis suo impetu viam sibi per obstantem aperit nivem, relinquitur ex parte superiori quidam quasi arcus niveus, qui fluminis utrumque marginem jungit. Genus pontis, ut rigente hieme satis firmum tutumque, ita miteſcente anceps & fallax. Nix quippe ita concreta, gelu sensim imminuto, mollescit, pressaque supergradientium pondere, sub eorum vestigiis dehiscit interdum a summo ad imum. Horum nihil terruit Andradam. Deo protegente, montes illos altissimos, ac nive coopertos superavit, amnem quoties opus fuit trajecit incolumis, ac denique Manam venit, ultimum Sirinagarenæ provinciæ vicum. Ibi paululum respiranti novæ difficultates objiciuntur. Processerat jam dies ferme quadraginta, & adhuc aberat Thibeto viginti circiter dierum itinere. Quod erat viæ reliquum, per meras solitudines, nive perpetua constratas, nec nisi æstivis mensibus pervias peragendum erat. Manenses negotiatores cum Thibetanis mercimonia exercentes, etsi regionis periti, non solebant proficisci nisi provecta æstate, ibantque plerumque omnes uno & maximo comitatu: nunc vero rogati ut se comites adjungerent nostris, diserte negabant se facturos, itineris difficultate deterriti. Nihilominus Andrada, relictis Manæ Marquesio & sarcinis, dat se in viam cum duobus duntaxat famulis, & viæ duce, quem mercede conduxerat. Ferebant singuli humeris cibaria dierum viginti, & stragulum, contra vim frigoris munimen unicum, at nimis tenue: quo pressi onere, ægre in prælta nive vestigia moliebantur. Toto biduo spatium confecerant admodum breve: cum deprehensi a cursore, quem Manensis Præfectus post eos miserat, jubentur Manam confestim regredi, infortunium habituri, ni jussa facerent. Territus minaci denunciatione viæ dux, pedem continuo retulit. Andrada nihil commotus, institit cum duobus famulis porro pergere. Ibant mersi nivibus, alicubi humero tenus extantibus. Tectum ubi quiescerent, nusquam occurrebat: manentibus noctu sub dio, nix pro lecto erat, quo in lecto afflati plerumque prægelido sævoque vento, & interdum niveo imbre compluti, somnum frustra captabant. Tamen fiducia animum sustentantes, animo corpus, ac modicis itineribus progredientes, evaserant post aliquot dies in jugum eminens, unde in subjectam Thibeti planiciem prospectus patebat. At planiciem istam, cæteroqui conspicuam, nemo ipsorum videbat vitio oculorum, quibus tamdiu nihil nisi nivem intuitis, lux niveo candore repercussa aciem hebetaverat sic, ut jam alba omnia, & nive conspersa viderentur. Hoc igitur primum loco defecit nostros viatores animus, & constantia. Destituti duce, fessi, nec indicia viarum internoscentes, recurrere Manam statuunt ad comparanda cibaria, quorum perexigua portio supererat. Ille suberat metus, ne a præfecto Manensi attinerentur in vinculis, propterea quod vocanti non satis prompte paruissent. Verum id tolerabilius videbatur, quam in deserta solitudine frigore, & penuria emori. Ecce autem retro viam relegentibus, & jam iter tridui remensis commodum occurrit missus a Marquesio vir cum utilium copia, & litteris.

174. Dimissus progreditur inter gravissimas difficultates.

175. Deseritur in mediis nivibus a viæ duce.

176. Decreatur opportune, & usque in Thibetum pervenit.

Erat

Erat in his litteris, placatum esse donis præfectum, nec abnuere quominus ulterius progrederentur: quem viderent hominem, gnarum esse regionis, & itinera demonstraturum: brevi etiam venturos cum amplo comitatu Manenses negotiatores, a quibus fuisset impetratum, ut consuetum itionis tempus præverterent. Recreatus litteris Andrada, & viatico opportune instructus, propitio Numini gratias egit. Tum novum ducem secutus, descendit in planiciem, ubi nix magna ex parte defluxerat. Specus erat in latere vicini montis ampla, & ad qualemcunque diversorii usum accommodata. Ibi substitit cum sociis, donec post dies non ita multos adfuere mercatores, & Frater Marques, quibus se comitem addens, viam reliquam feliciter confecit.

177. Excipitur perhonorifice in urbe Thibeti primaria.

Prius quam Thibeti fines ingrederetur, antegressi ad urbem regiam Caparangium aliqui mercatorum, retulerunt ad Regem de nostrorum adventu, eorum laudibus aulam universam impleverunt. Permotus relatione Rex, misit continuo extra urbem delectos viros, qui subeuntes hospites ipsius nomine salutarent, ac totidem equis egregie instratis donarent: quæ res de advenientibus Christianorum ministris miram expectationem excitavit. Itaque cum affuerunt nostri, ab urbis ingressu usque ad paratum hospitium, quacunque transeundum fuit, viarum latera referta viris, oppletas feminis fenestras, omnium oculos in se defixos viderunt. Cæterum toto triduo Rex, ad tuendum regiæ majestatis fastigium, abstinuit publico, nec sui copiam fecit hospitibus. Triduo exacto, adest missus ab aula internuncius, quidve sibi velint Patres tam peregre venientes, quærit nomine principis. Respondit Andrada, id nempe unum esse, quod valde cuperet ipsi coram exponere, si daretur colloquendi facultas. Rex, qui colloquium istud optaret avidissime, responso delectatus, vocat ad se Andradam postridie, remotisque arbitris præter interpretem, Regina tamen post velum audiente, effari fidenter jubet quæ velit. Longam orationem exorditur Sacerdos de christiana religione, quæ via ad æternam felicitatem unica, ac certa esset. Hujus, addit, interpretem ac ministrum esse se: venisse per immensa oceani ac terrarum spatia, perque viarum sexcentas asperitates, ut rectam christiani cultus formam traderet Thibetanis: non aliud modo quærere, nisi jus domicilii, & divinæ legis promulgandæ facultatem. Hæc ubi interpres retulit, vix credibile quanta Regem, & regiam conjugem admiratio ceperit. Ambo sacerdotem Christianorum suspicere, ambo pari flagrare studio christianæ legis penitus cognoscendæ. Nec vero relanguit hic ardor mora, sed crevit potius: ut miraretur populus, tantopere coli a Rege ac Regina advenam cultu inopem, abjectumque, admitti in aulam quotidie, ad plures horas familiariter detineri. Donis & honoribus cumulari. Andrada interea, res fluere satis belle videns, & ex tam lætis initiis spe majora præcipiens, festinabat in Indiam recurrere, tum ut Provincialem de statu rerum doceret, tum vero maxime, ut sociorum auxilia exposceret. Commeatum petenti ægre dedit Rex, nec aliter dedit, quam fide prius accepta, reversurum brevi cum manu sociorum. Addidit amplissimis conceptum verbis chirographum, quo hæc spondebat: Liberum fore Patribus divinam legem ubicunque vellent intra fines regni Thibetani tradere: daturum se illis locum idoneum Caparangii, ubi ecclesiam ædificarent: christianam religionem allatrantibus nunquam se aures præbiturum: denique non alium sibi, præter ipsum Andradam, fore Lamarum principem, idest magistrum religionis. Lamas enim Thibetani suos sacrificulos vocant. His ita ex sententia confectis, Andrada, viam eandem qua venerat relegens, sed mitiori tempore, paucioribus diebus, nec ita magno incommodo ad stationem suam Mogolicam rediit; missaque continuo Goam ad provincialem Andream Palmerium eorum quæ acciderant relatione, tres accepit pro Thibetana missione socios, P. Adamum de Angelis, P. Joannem Oliveira, & rei domesticæ adjutorem Faustinum Barreiros. His deinde comitibus, in Thibetum quam celerrime regreditur, anno postquam discesserat nondum elapso. Non est dictu facile, quam cupide reducem expectaret Rex, quibus benevolen-

178. Regem docilem, ac religioni propitium reperit.

179. Thibeto digreditur: redit cum tribus sociis. Missionis primi fructus.

Digitized by Google

lentiæ ſignificationibus venientem exceperit. Neque vero diſtulit promiſſorum fidem ſervare. Structa eſt paucis menſibus Caparangii in uſum chriſtianæ religionis eccleſia. Baptiſmo donati nonnulli, plurimorum inter cathecumenos recepta nomina. De ſe Rex affirmabat, velle quamprimum cum conjuge, & filio parvulo baptiſmi ſacris initiari: ſed obſtare in præſentia Lamas, homines maxime turbulentos, numero opibuſque prævalidos, quos non poſſet iraſcentes contemnere, niſi prius eorum vires attriviſſet. Id ſe facturum ſenſim, ac ſine ſtrepitu promittebat. Verumtamen pauciores videri ſibi pro rerum gerendarum magnitudine Patres: augendum eorum numerum: pecuniam in ſumptus neceſſarios ſe daturum. Quæ cum ex animo diceret, donavit nummorum cruciatorum quatuor millia & quingentos. Serio agi ſentiens Andrada, mittit e veſtigio Goam Fr. Emmanuelem Marqueſium, ut inde duos ſaltem adducat in Thibetum ſocios. Simul e ſtatione proxima Mogorenſium, cui adhuc præerat, Patres Franciſcum Godinium, Gundiſalvum de Souſa, & Antonium Pereiram ad ſe evocat. Jam enim majora volvebat animo. Poſuerat novum domicilium Rodoæ, quæ urbs eſt reguli Thibetano accolæ, parabatque inde gradum facere ad ulteriora Scythiæ, quæ immenſo terrarum tractu diffuſa, a pluribus, & inter ſe diverſis habitatur populis Tartarorum. Brevi affuerunt ſocii Mogorenſes, jamque opus urgebant non pœnitendo ſucceſſu. Verum inter hæc, Andrada ad provinciæ regimen evocato Goam, ſpes de Thibetanis conceptæ penitus evanuerunt. Eadem porro clades Regem, ac religionem afflixit, ut modo aggredimur explicare.

180. Alii ſubmittuntur in Thibetum Patres.

Rex Ladacenſis gerebat cum Thibetano bellum internecinum, veterem injuriam perſequens, quam ſibi immerenti irrogatam dolebat. Pugnatum hactenus hinc inde fuerat ſucceſſu vario, alternante ut ſolet belli fortuna, jamque in unam, jam in alteram partem inclinante. Sed Thibetani, impatientius ferentes quæ conſequi bellum diuturnum ſolent ærumnas, Regi ſuccenſebant ſuo, utpote malorum auctori unico, ac parum juſto. Æquius putabant ſcilicet de illata injuria honeſtis conditionibus ſatisfacere, quam læſo reſiſtere pertinaciter, & ſanguine populorum defendere malefactum. Populo ſic animato novas odii faces ſubjecerunt Lamæ, quorum minuendis viribus Rex, uti promiſerat, erat intentus. Dum enim in eos inquirit ſeverius, dum quoſdam in manifeſtis criminibus deprehenſos opibus ſpoliat, alios loco movet; efferati mortalium nequiſſimi, atque hoc, ut rebantur, dehoneſtamentum ordinis ſui non ferendum rati, in perniciem Principis conſpiraverunt. Sollicitatis ad defectionem multis, multis item in ſceleſti conſilii ſocietatem adſcitis, ſignificant Ladacenſi, niſi cunctetur accedere cum qualicunque copiarum numero, ſe cum parte maxima popularium ad ejus ſigna tranſituros. Neque vero fefellerunt fidem. Venerat cum exiguo exercitu Ladacenſis. Accurrentibus undique conjuratis, ſtatim eſt auctus in tantum, ut non auderet Thibetanus in tanta inæqualitate virium aperto marti ſe committere. Includit ergo ſe in arcem natura & opere præmunitam, inſtructam milite, commeatibus abundantem, deliberatum habens longam obſidionem ſuſtinere, donec fatigatus irrito labore hoſtis ad formam aliquam honeſtæ compoſitionis deſcenderet. Conſilium prudenter compoſitum, ſi modo Rex homo eſſet, feliciter ſuccedebat. Sed deceptus ſuorum conſiliis princeps parum ſagax, ſtulteque exiſtimans, placatum libera deditione barbarum libertatem & regnum victo redditurum, cum poſſet bellum trahere, maluit victoris arbitrio ſe permittere. Senſit tamen brevi, quam rara ſit moderatio in victoria, quam non ſperanda regni largitio. Oneratus vinculis, Ladacium abductus eſt cum conjuge, & filio regni hærede unico, ubi quem habuerit miſer exitum, ex noſtrorum litteris comperire non potui. Quod nimis certo conſtat, regis Thibetani tam acerbo caſu, ſpes noſtrorum in ea terra penitus conciderunt. Neophytorum alii fuga dilapſi ſunt, alii in ſervitutem abducti: grege autem diſperſo, paſtores in ſummam rerum deſperationem acti. Duæ, uti diximus, erant ſociorum ſtationes in Thibeto: prima & potior Caparangii in urbe

181. Lamæ contra Regem Thibetanum conſpirant.

182. Qui Regi Ladacenſi ultro ſe dedit, & regno ſpoliatur.

183. Cladem Regis ſequitur Eccleſiæ naſcentis excidium.

Digitized by Google

urbe regia, Rodoæ altera. Hanc Ladacensis funditus evertit, quique in ea degebant Patres, suis omnibus dispoliati, & in turba captivorum abacti fuerunt. Priorem reliquerat ille quidem intactam: sed Præfectus urbis, homo immansuetus & ferox, adeo vexare eam cœpit, ut Patres omnium inopes, desolati, contempti, nec ullum invenirent inopiæ subsidium, & inanem potius gererent Apostolici ministerii speciem, quam qualemcunque sperare ex suis laboribus fructum possent.

184. P. Andrada Provincialis missionem Thibetanam conatur restituere.

Hæc utcunque tristia, Goam delata, minime movebant provincialem Andradam, ut Thibetum deserendum putaret. Certus conari prius omnia, quam opus auctore Deo inchoatum abrumpere, P. Franciscum Azevedum ire jubet ad Regem Ladacensem, ut per eum liceat nostris hominibus in Thibeto consistere. Quam facultatem cum exsculpsisset a barbaro, alios atque alios misit delectos ex flore totius provinciæ operarios, qui rem eo loco afflictam ac perditam, si qua fieri posset, restituerent. Nihil confectum est. Ut sibi non deesse Patres, laboris immensi nullum pretium faciebant. Thibetani, de futuris post vitam rebus parum solliciti, indicas tantum poscebant a nostris merces, nihilque afferentibus aliud quam fidem Christi, & salutis æternæ spem, nec aures dabant. Quæ Patres secum agitantes, post aliquot annorum inutilem moram, deliberare inter se cæperunt, an non verius utiliusque futurum esset inde migrare, ubi nulla ostenderetur meliorum temporum spes, & evangelicum semen alio transferre. Non ausi facere moderatorum injussu, socium ablegarunt Goam cum litteris ad Provincialem, ut perspecto rerum præsentium statu, decerneret quid facto esset opus. Successerat Andradæ in administratione provinciæ P. Alvarus Tavarius. Is, ad rem tantæ molis deliberandam, tredecim in consilium adhibuit Patres, ætate, ac rerum usu graviſſimos. Una omnium fuit sententia, Thibetanam missionem omnino dissolvendam videri, tum propter soli miram sterilitatem, quæ tot operariorum industriam tandiu fefelliſſet, tum etiam quod constitutis Goæ pensionibus diutius sustentari non posset. Quam sententiam comprobans Provincialis, socios revocavit, ea tantum adhibita cautione, ut Sirinagare morarentur Patres Ludovicus Malpica, & Andreas Pereira, revolaturi scilicet in Thibetum, si qua spes exitus melioris affulsisset. Et vero reditum tentavit, ut mox dicam, post aliquot annos Malpica, nullo licet effectu. Pereiræ ne tentandi quidem facultas fuit, quippe quem ob Judaici sanguinis maculam, cujus non ambigua afferebantur indicia, Mutius exauctoravit. Soluta in hunc modum Thibetana missione, doluit vehementer Mutius, periisse ingentem spem ex prioribus relationibus conceptam de successu illius. Augebant ejus ægritudinem Goensium sociorum nonnulli, qui Provincialis in re tali festinationem secretis litteris accusabant. Quare Tavario rescribens, magnopere questus est, negotium Thibetanum non pro rei magnitudine, nec ut monstrabant majorum exempla gestum fuisse. Debuisse filios Societatis adversus gentis quamcunque contumaciam obdurare magno animo: debuisse minas, odium, & infectationes quaslibet constanter ferre: omnia experiri prius debuisse, quam loco cedere. Jubebat postremo, ut mitteretur in Thibetum nova sociorum manus, quæ desertam stationem repeteret. Obierat Tavarius, cum hæc Generalis mandata Goam venerunt. Qui illi successerat P. Emmanuel Almeida, facile vidit in ea re Mutium paucorum quorumdam opinionibus nimis tribuere. Tamen vir moris antiqui, non interpretanda præsidis imperata, sed obedienter facienda existimans, tres elegit statim ex tota provincia sacerdotes omnium judicio probatos, Thomam Barros, Ignatium a Cruce, & Aloysium Gamam, curavitque ut quam primum itineri se committerent cum Fratre Emmanuele Marquesio, qui ob regionis & gentis peritiam magno futurus usui putabatur. Profecti sunt alacritate incredibili Patres. Sirinagarim cum attigissent, unum alterumve de suo numero præmittendum censuerunt ad explorandos Thibetanorum animos, & quasi tentandi vadi causa, ne simul omnes in ejusdem discriminis aleam se darent. Ad periculum

185. Andradæ successor P. Alvarus Tavarius missionem dissolvit.

186. Mutius factum improbat, & instaurari missionem jubet.

187. Alii mittuntur Patres ad rem tentandam.

faciendum

faciendum nemo aptior visus P. Ludovico Malpica, sextum jam annum agente inter Thibetanorum accolas Sirinagarenos, & Fr. Marquesio, qui proinde in Thibetum pariter contenderunt. At spe citius rediit Malpica, rerum omnino desperatarum durus nuncius. Narrabat, in ipso Thibeti aditu se & Marquesium fuisse captos ab incolis, conjectosque in vincula, propterea quod alii olim Patres, contra quam denunciatum ipsis fuisset, Thibeto excessissent injussu regis, nec abeundi facultatem pecunia redemissent. Se quidem ex vinculis, elusa custodum vigilantia, feliciter aufugisse: sed Marquesium ex fuga retractum, traditumque in arctiorem custodiam, urgeri plagis, ut libertatem ingenti pretio pacisceretur. Æquatam solo esse Caparangii ecclesiam, infensum Regem, concitatos contra nomen christianum Lamas, gentem universam a Christianorum sacris incredibiliter abhorrere. Hæc se certo cognovisse ex relationibus accolarum, quorum multos sedulo ac diligenter interrogasset. His rebus cognitis Patres, non ultra progrediendum putantes, scripserunt ad Provincialem de statu rerum, ut tunc erat, prorsus irreparabili, ejusque placitum exquisierunt. Ut compertum est Goæ, quo res Thibetanæ essent loco, mutarunt enim vero sententiam illi quoque, qui Tavarii consilium antea improbaverant. Visum omnibus temerarium in re tam ardua, quæque magno sumptu, fructu nullo tentata toties fuisset, obstinare diutius. Quocirca Provincialis missos in eam expeditionem socios in Indiam revocavit, nec ab eo tempore usque ad hanc nostram ætatem quemquam alium Societas in Thibetum misit. Nam Thibetum illud, quo postremis hisce temporibus Præpositus generalis Tamburinus misit Roma P. Hippolytum Desiderium, est quidem provincia ejusdem nominis, sed loco longe diversa, multo scilicet orienti propior, & Sinarum fere confinis. Sed neque hic sedem fixit Societas. Desiderius enim, altioris imperio potestatis, coactus est ea novalia alterius ordinis operariis excolenda relinquere. Atque hæc summa rerum ad Thibetanam missionem pertinentium.

188. Male excipiuntur in ipso Thibeti aditu.

189. Rebus desperatis Thibetum omnino deseritur.

Revertimur ad seriem temporum, unde nonnihil excessimus, intraque provinciæ Goanæ fines stilum continentes, quæ hoc anno gesta sunt in Africa paucis exequenda suscipimus, initio ducto a Cafris, qui extremam Africæ plagam a meridie incolunt. Vix annum egerat P. Emmanuel Medonza in vico, cui nomen Chembe, & jam gregem neophytorum non aspernandum collegerat. Vulgo persuasum erat, Cafros ingenii tam rudis agrestisque esse, ut quantavis cura docerentur, religionis mysteria nec discere ullo modo, nec retinere possent. Tamen Medonza agmen ducebat puerorum circiter quadraginta, qui catechesim tenebant probe, & memoriter concinebant. Accidit inter hæc ut dux latronum insignis, magnis collectis viribus, & occupata parte Cafrariæ, bellum inferret Lusitanis. Cum essent hi numero pauci, ac per diversa præsidia longo intervallo dispositi usque Mozambiquem, ad sustinendam belli ingruentis molem coacti sunt auxilio vocare ex ipsis Cafris regulos sibi fidos, quorum deinde suffulti viribus, non solum belli sceleratum auctorem acie fugarunt, verum etiam contra faventes illi populos arma feliciter converterunt, & captivorum multa millia omnis ætatis & sexus in servitutem abduxerunt. Hinc Medonzæ facultas infantes plurimos baptizandi, & in cœlum transmittendi præbita. Nam cum prohibere non possent Lusitani, ne Cafri auxiliares uterentur in victos jure victoriæ, ex omni præda, quæ abacta fuerat, viri pariter puerique ab iis mactabantur, eorumque carnibus inhumani helluones more patrio vescebantur. Dum ergo impii vultures ex illa miserabili turba diram explent esuriem, Medonza discurrens per tentoria, festinabat baptismo abluere pueros parvulos, quos, utpote teneriorem & lectam dapem, barbari liguriebant avidius, & lautioribus conviviis reservabant. Multis hoc modo cœlum reclauserat sua manu. Sed quia alicubi voraces belluæ venientem Sacerdotem accessu prohibuerant, dimisit per castra milites Lusitanos, qui jure commilitii omnia scrutarentur, ac reliquos infantulos aqua salutari similiter aspergerent. Quo pars multo maxima ex illo puerorum grege, paulo ante quam laniarentur, baptis-

190. Labores & res gestæ P. Emmanuelis Medonzæ in Cafraria.

191. Pueros ab indigenis comedendos baptizat.

Digitized by Google

mo consignati fuerunt. Felicius successit P. Michaeli Rodericio, cui occasio eadem, & par facultas oblata. Regulus Lusitanorum fœderatus, istorum cohorte adjutus, de alio quodam fœdifrago victoriam insignem tulerat. Victores barbari cœperant suo more pueros bello captos, & infandis epulis destinatos in ipsis Rodericii oculis interficere. Non tulit atrocitatem Sacerdos. Ut multum apud eos auctoritate & gratia poterat, alios intercepit vi, alios pretio redemit, quos deinde alendos tradidit Lusitanis. Quosdam ferro jam percussos, sed adhuc vivos spiranteſque, cœlestis doni participes fecit.

192. Simile exemplum P. Michaelis Rodericii.

Haud minus feliciter eodem anno gesta res in Æthiopia. Sed nos prius quam regionem ipsam ingrediamur, paululum extra ejus fines, non tamen extra operis institutum immorabimur. Jam pridem Indiarum visitator P. Palmerius versabat animo, sicunde possent operarii Societatis in Æthiopiam transmittere per loca Turcis non subjecta. Nam tametsi nunc Prætor Suaqueni, donis inescatus, per oram Arabicam transeuntibus tutum iter præberet, scitum tamen erat, fuisse olim inter arcana turcici imperii prohibere Æthiopes omni commercio cum Christianis Europæ; nec dubitandum videbatur, quin aliquando barbari ad ingenium redirent, ac denuo nostris aditum illum occluderent. Re cum peritis regionum deliberata, vidit Palmerius, duas esse extra sinum arabicum maritimas urbes, Zeilam, & Melindam, indicis navibus frequentari solitas, ex quibus arduum non esset itinere terrestri in Æthiopiam pervadere. Qui illis in urbibus rerum potiebantur, eos nostris hominibus fauturos facile credidit. Zeilam enim esse in imperio Regis Adelensis, qui princeps amicitiam coleret cum Æthiope: Melindam vero parere regulo societatem habenti cum Lusitanis. Has reputans novi itineris commoditates Palmerius, cum destinasset nuper Æthiopicæ missioni Patres quatuor, Franciscum Machadum, Bernardum Pereiram, Joannem de Velasco, & Hieronymum Lobum, priores duos recta ire jussit Zeilam, duos reliquos Melindam: periculum facturus scilicet, quaeniretur commodius in Æthiopiam, eamque præfinituras deinceps nostris hominibus viam, quam hi tutiorem facilioremque essent experti. Profecti sunt Patres magno animo. At duo posteriores, Velascus, & Lobus, eas nacti sunt difficultates Melindæ, quibus deterriti Goam redierunt, re, non dicam infecta, sed penitus desperata. Duobus vero alteris, Machado, & Pereiræ, Zeila, non in Æthiopiam, sed in cœlum iter expeditum ac tutum præbuit. Exceperat illos quidem comiter Rex Adelis, spemque fecerat, brevi in Æthiopiam incolumes dimissum iri. At postea quam hac illos spe detinuerat ab idibus Aprilis usque ad nonas Augusti, abjecta repente quam sumpserat humanitatis larva, nihil tale metuentes catena vincit, conjicitque in carcerem. Inique facti culpam homo vecors rejiciebat in Imperatorem Æthiopiæ, a quo cum accepisset nuper legationem, missa sibi querebatur munera non satis lauta, nec omnino se, & fastigio suo digna. Nec vero dubitavit rex, nihil habens regii præter nomen, & male creditam potestatem, exiguitatem munerum ipsi per litteras exprobrare Æthiopi, addens, nisi misisset ampliora, nunquam fore ut videret quos expectabat ex India sacerdotes. Sic scribebat perfidus, nihil pensi habens cujus esset sceleris innocentes opprimere, ut amico parum liberali ægre faceret. Cæterum falso hæc ipsa obtendebat, ad velandum inclusum sinu odium christianæ religionis, causam sæviendi veram, atque unicam. Nam cum dies post hæc abiissent ad summum duodecim, innocuos Patres gladio percussit, nec expectato ad eas quas dixi litteras responso Imperatoris. Voluisse barbarum iniquissima illa cæde christiano nomini contumeliam facere, & duas quasi victimas avitæ superstitioni mactare, colligi liquido potuit ex aliis ejusdem litteris, quibus rescribens ad quemdam ex Æthiopiæ proceribus, qui sumptis armis tuebatur errorem Dioscori, gloriabatur, se nuper dedisse neci duos advectos ex India sacerdotes, qui ad propagandam Romanam superstitionem iter direxerant in Æthiopiam. Utcunque fuerit, de cæsorum corporibus prodigium fama pervulgatum invenio. Ajunt, cum tumulata fuissent, ex humo desuper

193. Quatuor Patres novum instituunt iter in Æthiopiam.

194. PP. Franciscus Machadus, & Bernardus Pereira necantur in regno Adelis.

195. De quodam miraculo ad eorum tumulum.

Digitized by Google

per aggesta prorupisse limpidissimam aquæ scatebram, eamque ab indigenis nec sisti umquam, nec opprimi potuisse. Sed rem nullius certo testimonio confirmatam, ut tacere ego non debui, sic nec ausim tradere pro comperta. Patriam habuerat Machadus Villam regalem, Lusitaniæ oppidum, Societatique dederat nomen Conimbricæ, cum esset adolescens annorum quindecim, ac post sexennium, inter plures competitores ad indicam expeditionem electus, Goam navigaverat. P. Jacobus Madeira, vir gravis, & magnæ in India auctoritatis, ad Mutium scribens, dignum putavit, cui singulare testimonium daret, cum aliarum virtutum, tum præsertim religiosæ prudentiæ. Decurrebat in Societate annum undevigesimum, ac theologiam docebat Goæ, cum in agrum Æthiopicum ut mitteretur obtinuit. Pereira, Visæi in Lusitania natus, in Societatem receptus fuerat Goæ, quo se contulerat, ut rem multorum exemplo faceret militando. Militavit sane, sed contra errores & vitia, sed religiosis in castris, ac diuturnæ militiæ mercedem optatissimam tulit, cum beata pro Christo nece donatus est. Olim ad opus evangelicum Tanam profectus, dum renavigabat Goam, interceptus fuit a prædonibus Batavis, & Jacatram devectus, ubi diram captivitatem toto anno pertulit. Cum inde in Hollandiam deportaretur, casu factum est ut navis, coacta de medio cursu vela retro in Indiam flectere, & vi tempestatis allisa littori, inter Suratem & Damanum periret, vectoribus salvis. Eo naufragio Pereira libertatem consecutus, Goam rediit. Cæterum Jacatræ Batavorum inclementiam, & ærumnas horridi carceris, ea toleraſſe dicitur fortitudine, ut proludere jam tum videretur ad glorioſam mortem, qua denique inter Mahometanos vitam clausit.

196. Utriusque elogium.

Ut rescitum est in Æthiopia de duorum Patrum crudeli cæde, nullis satis verbis explicari possit, quantum inde mœroris ceperint Orthodoxi omnes, & omnium maxime Imperator. Is, acceptis mense Septembri contumeliosis quas supra memoravimus litteris, tyranno Adelensi rescripserat, daturum se pro Patrum libertate quantum ejus exposceret avaritia: quo responso sperabat delinitum iri barbarum, aut certe nihil propere contra innocentium caput decreturum. Fraudatus sua spe, ac fœdum in modum irrisus, tamen certis de causis dolorem injuriæ pressit. Ut duorum jacturam ex parte consolaretur, effecit adventus oppido lætus, ac faustus aliorum octo de Societate, qui arabicam legentes oram, iter usitatum fecerant per turcarum portus, Dium, Mazuam, & Suaquenum, ac post multiplices periculosæ navigationis moras, in Æthiopiam incolumes appulerant, partim mense Januario, partim Julio: nam in duos manipulos distributi vela fecerant. Fuerunt hi PP. Emmanuel Almeida, Ludovicus Cardeira, Emmanuel Barradas, Franciscus Carvallius, Emmanuel Lameira, Thomas Barnetus, Gaspar Paez, & Hyacinthus Franciscus, operarii omnes impigri strenuique, & ad excolendam Æthiopicam vineam cum magno delectu transmissi. Non est ut referam, quibus honoris & benevolentiæ signis excepti fuerint ab amantissimo Principe novi hospites. Fremonam recta venerant priores quatuor, præside omnium Almeida; nec dum fessas vires refecerant ab itinere, cum affuit ab aula tabellarius, Imperatoris litteras & mandata perferens, ut ad eum quantocius ire ne gravarentur. Patres, nulla interposita mora, dant se in viam jumentis dono missis, diesque unum & viginti progrediuntur. Ecce autem, cum aberant a regia propius, apparent ex adverso militares copiæ equitum peditumque, cum magna nobilium manu, quos Imperator occurrere subeuntibus jusserat, gratulationis & honoris causa. Peractis mutuæ salutationis officiis, accipiuntur in medium nostri a delectis proceribus, & ad regium usque cubiculum deducuntur. Sedebat Imperator more gentis in lecto pulcherrime instrato, stante circum ad parietes corona procerum. Ingressos Patres humanissime salutavit, oblataque singulis dextera, sellis prope appositis considere jussit. Post pauca ultro citroque jactata, surrexit Almeida, & litteras Præpositi generalis obtulit Principi. His litteris gratias ingentes agebat Imperatori Mutius, tum pro eximia ejus voluntate erga

197. Acta in Æthiopia. Adventus aliorum octo de Societate.

198. Quam honorifice deducti fuerint ad aulam.

199. Quam benevole excepti ab Imperatore.

Digitized by Google

Romanam Eccleſiam, tum pro ſingulari beneficentia, qua jam pridem cœpiſſet, pergeretque in dies inſignius mereri de hominibus Societatis. Quod vero ſibi fuiſſet ab ipſo mandatum, ut ejus nomine ſalutaret Chriſti Vicarium, & pedum oſculo veneraretur, id obedienter ac prompte factum affirmabat. Epiſtolam Princeps recitari totam juſſit Æthiopice redditam: lectione autem delectatus majorem in modum, eandem ſua manu tradidit regii ſcrinii præfecto, edicens ut regni annalibus inſerendam curaret. Ita tunc Patres admiſſi auditique fuerunt. Digreſſos a colloquio ſecuta ſunt regia munera ex omni genere utilium. Viciſſim Patres munuſcula miſerunt Principi, exilia illa quidem, & qualia pauperum eſſe poterant; quæ tamen ille perquam benigne ſuſcepit. Placuit præſertim Chriſti in cruce ſuffixi ſignum affabre factum, & inſtrumenta quædam muſica, quæ noſtri ſecum extulerant ex Europa, ut divina poſthac inter Æthiopes celebrius peragerentur. Sed in primis capiebatur optimus Princeps eorum colloquiis, & conſuetudine, redditos ſibi affirmans Petrum Paezium, Laurentium Romanum, & Franciſcum Antonium de Angelis, inſigni probitate doctrinaque viros biennio proximo extinctos, quorum ſimiles putaverat nuſquam inveniri. Eos ad ſe quotidie arceſſebat, & familiaribus ſermonibus detinebat. Poſtremo veniam petentibus ſecedendi Gorgoram, diſtulit in diem octavum, & tunc etiam indulſit invitus.

200. Novum Imperatoris edictum de nuptiis.

Quod vero magis eſt, erectus talium miniſtrorum fiducia, perrexit præclaris cœptis inſiſtere, & rem præſtitutam urgere ingenti animo, omnia conari certus, ut orthodoxum cultum in Æthiopia reſtitueret. Aderat illi conſiliorum, & arcanorum omnium particeps P. Antonius Fernandez, quo præſertim auctore, atque arbitro, negotia religionis tractabantur. Res interea momenti longe graviſſimi eſt conſtituta. Inveteraverat inter Æthiopes, ut alibi dictum eſt, prava conſuetudo diſſolvendi pro libito matrimonia. Si quem priorum nuptiarum pœnituiſſet, ille modico pretio perſoluto, facultatem obtinebat ad novas tranſeundi. Pravitatem ut tolleret Imperator, convenire ad ſe juſſit regii conſilii ſenatores, ac judices: tum doctiſſimos quoſque monachos, atque omnes ſacrarum litterarum peritos. In eo conſeſſu Fernandez, ad perorandum progreſſus juſſu Principis, rationem chriſtiani matrimonii ex divinis oraculis ita explicavit, ut omnes intelligerent, conjugium rite contractum conſummatumque diſſolvi non poſſe, niſi morte alterius conjugum. Audita eſt cum magno aſſenſu oratio: cumque æquum videretur conventui, iiſdem in poſterum legibus teneri Æthiopes, quas initio Chriſtus juſſiſſet, Imperator circummiſit per provincias edictum, quo priorem in diſſolvendo vinculo nuptiali licentiam graviſſimis verbis coercebat. Fremere ad hanc novitatem ſchiſmatici: obloqui, vociferari, gravius ſibi jugum imponi quam ferre poſſent, dicere. Sed illis fruſtra ringentibus, perſtitit Princeps vim legis tueri magna conſtantia, donec reſtituta eſt inter Æthiopes, quæ tot ante ſæculis exoleverat, ſanctitas matrimonii. Nec minus interim Patres alias offenſiones, quæ inter homines ordinis ſacerdotalis inoleverant, feliciter removerunt. Solebant alicubi ſacerdotes rem divinam facere turcarum induti ſagulis, aut alio ſimili ornatu, qui ſanctitatem myſteriorum non deceret. Alibi ſacræ veſtes ad profanos uſus pomparum adhibebantur. Ut alia præteream, quidam a noſtris ſacerdotalia indumenta flagitaverant, quibus ornarent ſponſos in apparatu nuptiarum. Hæc omnia labore induſtriaque noſtrorum, & Principis auctoritate paulatim ſublata ſunt. Diſſlatæ pariter monachorum nonnullæ ſuperſtitiones & fraudes, quibus ſimplici populo egregie imponebant. Erat in regno Tigrenſi celebre monaſterium, cui nomen Abba-Garima, cum pervetuſto templo ad formam Salomonici extructo. In intimis templi penetralibus, quæ monachi Sancta Sanctorum appellabant, veliſque obduxerant, jacebat arca lignea, quam ſi quis introſpicere auſus eſſet, eum ſubita morte de cœlo immiſſa plectendum affirmabant. Ea in arca ajebant cuſtodiri alteram tabularum, in quibus Moyſes legem Dei digito ſcriptam accepit. Colebatur proinde locus religione ſumma,

201. Sua rebus ſacris dignitas reſtituitur.

202. P. Thomas Barnetus monachorum inſigne commentum detegit.

Digitized by Google

ma, & incredibili hominum concurſu frequentabatur. His de rebus edoctus P. Thomas Barnetus, e Fremonenſi ſtatione templum illud cum delectis catholicis petiit. Eo ut ventum eſt, advocata concione, reduci hinc inde vela jubet, trahi in medium arcam, & quidquid intus eſſet repoſitum, in lucem efferri. Reclamabant monachi, infortunium certiſſimum denunciabant. Qui aderant e populo, pendebant animis, partim metu, partim viſendi ſtudio. Refixo arcæ operculo, nihil repertum, præter arundinem tres longam palmos, holoſerico intectam: quæ prolata, & publice ad ludibrium expoſita, vanam opinionem vulgi abolevit, & monachos ignominia obruit. Toto triduo manſit ibi Barnetus, eoque tam brevi ſpatio ſchiſmaticorum mille nongentos Eccleſiæ conciliavit. Similem mentitæ religionis larvam diſpulit P. Didacus de Mathos in altero ejuſdem regni cœnobio, cui celebritatem quæſiverant monachi mendacio, non minus craſſo, quam turpi. Quieſcere apud ſe mentiebantur a pluribus ſæculis viros ſanctitatis eximiæ, ſopore divinitus immiſſo devinctos. Oſtendebant a longe cubiculum maligna perfuſum luce, in quo diſpoſita conſpiciebantur quædam cubilia, tumentibus ad eum modum ſtragulis, quaſi humana corpora tegerentur. Neminem accedere patiebantur propius, ne forte pedum ſtrepitu dormientes expergefierent. Tantum rogabant ſuppeditari ſtragula, quibus obtegi viri ſancti poſſent rigente hieme: quibus fallaciis ſycophantæ, credulitate vulgi nequiter abutentes, ſtragulorum ingentem numerum auferebant. Huc Didacus cum magno comitatu venit, velut videndi cauſa miraculi, cujus gratia ex remotiſſimis quibuſque locis obiri religioſæ peregrinationes ſolebant. Spectatum admiſsus cum cæteris, occupavit illico limen reſerati conclavis, fruſtraque monachis obnitentibus, rogantibuſque ut abſiſteret, intro ſe penetravit. Obiit lectos ſingulos, ac viatorio ſuſpendens baculo ſtragula, ſalſeque ſubridens, rogitabat ſubinde, quo nam ſancti homines avolaſſent. Urebantur pudore ac rabie nefarii deceptores, qui ſe in aperta fraude deprehenſos viderent. Non tamen auſi ſunt Didacum violare, quippe cui ſciebant favere Imperatorem impenſe.

203. Similem fraudem detegit P. Didacus de Mathos.

Dum ſic interea vileſcebat monachorum auctoritas, fiebant ad fidem catholicam incredibiles inclinationes. Ex ipſis monachis multi ex parte Dioſcori ad Eccleſiam ſubinde tranſibant. Noſtri ex iis ſeligebant probatiores, & quos norant fidei doctrina melius inſtructos, jubebantque rudimenta chriſtianæ inſtitutionis rudi populo tradere. Hujus porro conſilii multiplex erat utilitas. Præterquam quod catholica veritas latius ſpargebatur, videntes monachi manſuram ſibi apud vulgus auctoritatem magiſterii, veritatem facilius amplectebantur. Cæterum ſchiſmaticorum tranſitiones, quæ in ſingulis fere provinciis factæ ſunt anno labente, longum eſſet per partes exequi. Unus Emmanuel Barradas, ut de aliis ſileam, etſi recens in Æthiopiam advectus, cum peregrinationem ſuſcepiſſet ad Sireos (id nomen habet regio maxime alpeſtris in latere boreali provinciæ Tygrenſis) peragrata novem omnino menſium ſpatio regione, lucratus eſt hominum amplius quatuor millia. Etiam in regno Amaharano, quo noſtri ob paucitatem ſuam nondum penetraverant, ſpargi cœpta catholicæ fidei ſemina, cum ſpe proventus uberrimi. Mons ibi eſt ingentis altitudinis (Guexen ſua lingua Æthiopes nominant), in quo ſummo lata diffunditur planities, hominum habitationi non incommoda. Hic olim cuſtodiebantur Iſraelitæ, ideſt principes regii ſanguinis, ita dicti, quod familiam regnatricem putant originem trahere ex Salomone per Sabam Æthiopiæ reginam. Ad præcidendas quippe civilis belli cauſas, contentioneſque, quæ ex imperii ſucceſſione poſſent inter regios principes ſuboriri, inſtitutum fuerat a majoribus, ut in Guexenam arcem deferrentur adhuc impuberes quicunque nati eſſent de regio ſemine. Committebatur eorum educatio & cuſtodia viro gravi, qui cum militari præſidio locum obineret, caveretque, ne quo cum popularibus commercio uterentur. Ubi vero mors Imperatoris vacuam fecerat regni ſedem, ex eadem arce aſſumebatur ad imperium quicunque eſſet mortuo co-

204. Schiſmaticorum tranſitiones ad Eccleſiam.

205. De Guexeno monte, & Iſraelitis.

Digitized by Google

cognatione proximior. Tempore de quo ſcribimus, non vigebat hæc conſuetudo. Fuerat enim ante annos circiter centum Imperator, qui victus filioli charitate, eum habere maluerat apud ſe, cæteros vero illuc antea deportatos cuſtodiri in poſterum juſſerat laxius, poteſtate illis facta habitandi, ſi vellent, in circumpoſitis vicis, modo ne extra certos fines vagarentur. Ex eorum tamen ſemine cenſebantur adhuc in Guexeno monte Iſraelitæ fere ducenti, viri magna apud omnes auctoritate, & reverentia generis honore præcipuo culti. Hi nuper incitati monachorum calumniis, contra Imperatorem conſpirationem fecerant, utque everſorem impium avitæ religionis, (ſic enim loquebantur) & auctorem novæ hæreſeos regno ſpoliarent, prodierant in apertum, tractis in ſociale bellum finitimis populis, quibus tales ſequi duces pulchrum, & pro tali cauſa certare pulcherrimum. Seditio in ipſo ortu compreſſa fuerat, non tam armis, quam litteris & officiis Proregis. Ipſi mox Iſraelitæ, ad concordiam adducti, venerant ſupplicum ritu ad aulam, ut de præteritis injuriis ſatisfacerent principi. Per hanc occaſionem, cum audiſſent diſſerentes de religione Patres, dici vix poteſt ut judicium mutaverint. Querebantur palam, ſe a ſuis monachis fuiſſe deceptos: accuſabant temeritatem ſuam, quod in negotio tam gravi illorum fidei ſe credidiſſent: demum plerique catholicis aggregari voluerunt. Atque hæ fuerunt primitiæ religionis in regno Amaharano, hic præſentis anni fructus ultimus in Æthiopia.

206. Eorum plerique ad catholicos tranſeunt.

Provinciæ Malabaricæ memorabilem fecit hunc annum obitus Franciſci Rozi Archiepiſcopi Cranganorenſis, cujus in ſuperioribus libris ſæpe a nobis cum honore eſt facta mentio. Deceſſit vir eximius XII. Cal. Martii in collegio Cranganorenſi: huc enim ſub vitæ finem deferri voluit, ut apud optatiſſimos ſodales ſuos, cum quibus conjunctiſſime ſemper vixerat, ſupremum ſpiritum redderet. Hiſpanus gente erat, patria Gerundenſis. Societati dederat nomen anno ſuperioris ſæculi ſeptuageſimo quinto, ætatis ſuæ duodevigeſimo; vixque emenſus orbem ſtudiorum, miſſionem Indicam impetraverat. Vir ingenio ſumme experrecto, & cujuslibet doctrinæ capaci, ſed ad peregrinas præſertim linguas perdiſcendas in primis idoneo, Syriacam, & Chaldaicam, quarum altera Thomæorum litteraturam continet, altera liturgiam, itemque Tamulicam toti Malabariæ vernaculam, callebat apprime; earumque linguarum uſu tantum potuit apud homines erroribus Neſtorianis innexos, ut quæ feliciter ſecuta eſt conjunctio illius gentis cum Eccleſia Romana, ipſi potiſſimum, poſt Alexium Meneſium Indiæ Primatem, accepta ſit referenda. Summi Pontificis imperio compulſus ad infulas, quem reſpuere honorem non licebat, ſumpſit invitus: at iiſdem deinde artibus geſſit, quibus meruerat. Præter nuda Epiſcopatus inſignia, tum in cultu corporis, tum in tota ratione vivendi, agnoſceres uti prius operarium Societatis. Quos labores pro ſalute ſui gregis tulerit, quibus moleſtiis conflictatus fuerit, ſuis alibi locis indicavimus. Debet illi Societas collegium Cranganorenſe, cum proventu annuo, quo dotatum eſt. Paulo ante quam moreretur, multa fuit Rozo deliberatio, cuinam Eccleſiam committeret adminiſtrandam pro tempore interregni: nam id juris attributum illi fuerat ab Apoſtolica ſede, niſi adeſſet ſucceſſor. Aderat quidem, aut certe non multum aberat P. Stephanus de Britto, quem Archiepiſcopi ſucceſſorem deſignatum alibi dicebamus. Verum is, etſi litteras deſignationis accepiſſet, nondum tamen habebat diploma Pontificis maximi, ſine quo Eccleſiæ poſſeſſionem adire non poterat, quod enim miſſum fuerat Roma, naufragio perierat. Et juſtis præterea cauſis movebatur Rozus, ut iſtam procurationem alteri traderet. Reputabat ſcilicet, quales ciere poſſet turbas, niſi hunc honorem conſequeretur, Archidiaconus, vir natura ferox, ſuperbus, inquies, qui res novas verſaret animo, & adhuc reſpectare Babylonem videretur, unde peti antea conſueverant Thomæorum antiſtites. Hominis malam fidem, & ingenium turbidum magnopere pertimeſcebat. Sin vicaria poteſtas traderetur ipſi, futurum ſperabat, ut beneficio delinitus diſcederet ab intemperantia ſua pri-

207. Res Malabaricæ. Mors & elogium Franciſci Rozi Archiepiſcopi Cranganorenſis.

208. Proepiſcopum nominat Archidiaconum ſibi inimiciſſimum.

Digitized by Google

priſtina, & mentem ad meliora converteret. Hæc reputans, ſcribit ad Archidiaconum litteras charitatis officiique pleniſſimas, unum modo rogans, ut in eo ſaltem rerum articulo ne gravetur ad parentem ſuum jam prope morientem, ac ſuprema verba locuturum accedere: eſſe ſibi graviſſima, quæ cum ipſo communicata vellet, negotia. Ne id quidem impetrare potuit a contumaci, ut reſponderet. Et nihilominus, eum inſigni benevolentiæ documento devincire ſibi, & Eccleſiæ ſuæ cupiens, ſcriptis tremente manu codicillis poſt ſuum obitum reſignandis, ipſum Proepiſcopum nominavit. Uſque adeo privatis rationibus antepoſuit publicum commodum ſui gregis, cujus ſalutem & tranquillitatem ex hac maxime deſignatione pendere exiſtimabat. Conſilii rationem approbavit eventus. Ut nunciatum eſt Archidiacono, quid de ipſo Rozus ante obitum ſtatuiſſet, primo vix credidit. Sibi conſcius iniquitatis ſuæ, manſuetudinem ita de ſe meriti Antiſtitis valde eſt demiratus. Tum potentatum, cujus cupidine flagrabat, ſibi delatum ab Antiſtite catholico videns, ac porro gaudens, non modo nihil rei habere voluit cum ſchiſmatico, verum etiam ad tollendam inter Thomæos diviſionem, cujus ipſe auctor fuerat, ſtudium ſuum omne auctoritatemque convertit. Redegit in ordinem ſuarum partium Curiones, hiſque demptas curias paſtoribus olim a Rozo conſtitutis reſtituit. Poſtremo circa finem anni novum Archiepiſcopum Stephanum de Britto ita excepit, ut ſpem faceret, perpetuam ſibi cum illo concordiam fore. Quæ qualicumque tandem animo facta ſint ab homine, non minus mobili, quam fallaci, profecto ad tollenda præteritæ diſcordiæ mala plurimum profuere.

209. Qui honore delinitus ad ſaniora conſilia ſe convertit.

Interim in imperio Sinenſi, mortuo qui rebus noſtris acerrime adverſabatur Xino, potenti illo Mandarino, de quo ſæpe alibi dictum eſt, reſpirabant a ſuperiorum temporum metu Patres, & religionis negotium confidentius agebant. Multum ad hanc proſperitatem conferebat ſcientia rerum naturalium, qua erant non leviter inſtructi omnes, ſed omnium maxime Nicolaus Longobardus, & Adamus Schallus. Documento ſint duæ præſertim res, quæ ſequuntur. Laboraverat luna terræ objectu, ſemel anno ſuperiore, iterum hoc de quo ſcribimus. Utrumque defectum Schallus longe antea proſpexit, & proprio explicavit commentario, tam accurate, nullum ut punctum temporis aſtrologi diligentiam fefellerit. Ea res miro plauſu excepta, & exiſtimationem doctrinæ conciliavit Schallo, & apud aulicos veterem refricuit curam de corrigendis Calendarii Sinici erroribus, & Patribus huic negotio præficiendis: quod tamen, variis ſubnaſcentibus moris, in aliud tempus dilatum eſt. Sub idem tempus in provincia Pekinenſi terra motibus inſolitis concuſſa magno metu populum conſternaverat. In publica trepidatione jactaverunt ſe litterati Sinenſes, & in veſtigandis tumultus ſubterranei cauſis plurimum deſudarunt. At cum cœperunt elaborata ſcripta prodire, & hominum manibus teri, facile ſenſerunt noſtri, parum illos in phyſicis, ac prope nihil intelligere. Adeo aberrabant omnes a vero, atque inter ſe diſſidebant. Siluerunt tamen, ne pudorem incuterent hominibus doctrinæ opinionem habentibus. Silentem præ cæteris P. Longobardum rogavit neſcio quis, ut quid ſentiret de terræ motibus, & eorum cauſis libere loqueretur. Ille rem totam brevi libello complexus eſt tam appoſite, ut eo vix edito, lucubrationes ſuas recondiderint litterati Pekinenſes, & faſces Europæo doctori ſubmiſerint. Quo loco non eſt diſſimulandum, facile adduci Sinenſes ut credant, in arcanis naturæ plus videre Æuropæam philoſophiam, dum interim ſibi moralis doctrinæ palmam, quaſi ſine controverſia debitam, arrogant. Hunc in modum refloruit, quæ paulum exoleverat, erga nos potentiorum benevolentia: præſidium inter humana opportuniſſimum ad fidem feliciter propagandam. Faventibus itaque Mandarinis, libere jam verſabantur in urbe regia Patres Longobardus, Diaz, & Schallus: conſpiciebantur palam in ipſa aula, edebant libros, conventus celebrabant, ac procerum patrocinio tuti fultique, in reliquas quoque imperii provincias curas & beneficia dividebant. Acceſſit ad cumulum felicitatis, quod præ-

210. Res Sinicæ. Specimen ſcientiæ mathematicæ a P. Adamo Schallo editum.

211. Simile ſpecimen datur a P. Longobardo in phyſicis.

212. Omnia ſuccedunt proſpere Pekini.

Digitized by Google

præclari illi defensores rei christianæ, Paulus, & Michael, revocati in aulam, & honoribus pristinis, quibus adjuncta erat ingens potentia, insigniti fuerunt.

213. Præclara mors cujusdam Neophyti.

Hæc aspiciens optimus quidam senex (Benedicto nomen erat viro), quem omnium primum Pekini P. Matthæus Riccius baptizaverat, lætitiis omnibus incedebat. Quasi nihil supereſſet quod optaret in terris, erupit in eas voces, *Nunc dimittis servum tuum Domine*, ac se moriturum affirmavit quatriduo. Hac persuasione, compositis domi negotiis, salutatis amicis affinibusque, omnibus valere supremum jussis, quarta luce venit in templum Societatis, rogavitque enixe Patres, ut se proxime moriturum munirent sacrorum præsidiis ultimis, & ad bene moriendum instruerent. Ægre adducebantur Patres ut ei morem gererent, quem viderent valere quam qui optime. Fecerunt tamen, sive misericordia permoti, sive superiore instinctu. Ille voti compos effectus, redit continuo domum, familiam ad se congregat, cohortatur domesticos, ut dignam sancta quam profiterentur lege vitam ducant. Demum illis in mentem revocans propositum pietati præmium felicitatem sempiternam: *Hanc ego quidem*, inquit, *semper ob oculos habui vivens: ejusdem nunc spe lætus excedo*. Quæ vix profatus, spiritum extremum edidit, mente cæteroqui sanus, nulloque debilitatus morbo, præter quam senectutis.

214. Res Japonicæ. Crudelitatis conatus ultimi ad extirpandam christianam fidem.

Per hæc in Japonia deteriorem faciebat christianæ rei conditionem ira & crudelitas principis, in eodem semper proposito permanentis, ut opprimeret Christi nomen invisum, & divinam legem intra fines imperii sui deleret. In idem quasi certatim conspiraverant reguli, ac provinciarum rectores, quippe certi, hanc esse viam expeditissimam ad ineundam tyranni gratiam, nec fore sine periculo qui erga Christianos mansuete ageret, aut remissius: quæ nequaquam falsa persuasio, dici vix potest quantam ubique molem persecutionis conciverit. Vix fuit in Japonia locus, qui non redundarit innocenti sanguine. Erecta passim patibula, accensi ferales rogi, crudelitatis instrumenta omnia explicata. Sævitum alicubi igne, aqua alibi, alibi ferro: atque hoc aliis præcisa cervix, aliis discerpta membratim corpora, aliis adacti punctim in viscera pugiones. Quis vero illorum ineat summam, qui probrosa stigmata, qui vincula, qui bonorum direptionem, qui exilia pertulerunt? Quis illorum, qui dum carnifices & oppida fugiunt, exilio voluntario extorres abierunt, perque agros & saltus errabundi, sine tecto, sine victu, hiberno enecti frigore, fame consumpti, in altis nivibus, aut in silvarum lustris sepulti, vitam ærumnosissimam toleraverunt? Non ergastula claudendis pro Christo vinctis, non torquendis satellites, vix tabularia publica numerandis sufficiebant. Multi quidem prostrati metu sunt, & a religione turpiter defecerunt. Sed hanc maculam abunde absterſit constantia aliorum, qui multo plures maluerunt fortunarum, liberorum, ac vitæ ipsius jacturam facere, quam obligatam Christo fidem deserere. Eorum qui necati hoc anno sunt numerus, quantum potui ex monumentis colligere, excessit ad ducentos & undecim. Fuerunt autem in his dynastæ nobiles, matronæ olim opibus florentissimæ, teneræ virgines, senes longævi, adolescentes, pueri: ut omnino appareat, non sine peculiari gratiæ cœlestis ope tam æqualem in tam diverso statu virtutem, ac fortitudinem extitisse. Parum est eos oppetiisse constanter mortem, quam effugere uno nutu, una verborum significatione poterant. Ultro se aliqui immitibus judicibus objecerunt. Timuerunt alii, ne a tortoribus præterirentur. Plerique in ipso cruciatu, & inter atrociora supplicia, non modo imperterriti, sed læti, alacres, exporrecti, riserunt crudelitatis conatus ultimos, vitam, & quæ hominibus cariora esse solent, cum quodam quasi fastu prodegerunt: prorsus se, ac conditionem naturæ suæ superarunt. Longum, atque operosum esset exequi per partes omnia, quæ labentis anni memoriam illustraverunt, nec operis ratio patitur, ut a rebus nostris tam longe digrediamur. Exstant eadem fuse descripta apud Bartolum, rerum Japonicarum scriptorem locupletissimum. Tamen nec otiosum, nec omnino alienum erit de fortissimis illis Christianis aliqua ad specimen cæterorum carptim attingere.

215. Quæ fuerit multorum constantia tam sævo tempore.

Nulla

Digitized by Google

Nulla Japoniæ pars feracior illuſtrium palmarum fuit, quam inſulæ regni Firandenſis. Regnabat ibi vir truculentus, Maſſura Figendonus, qui cum iratum ſibi certis de cauſis Imperatorem ſciret, placare illum mactandis Chriſtianis ſtatuit: nec enim demerendo ejus animo certior patebat via. Porro inperquirendis, quos neci dederet, non multum laboravit, nec diu. Arripuit affines, uxores, liberoſque eorum, qui pro Chriſti fide perempti fuerant annis ſuperioribus, hoſque ut æque reos trucidavit. Inventa fuerat familia integra cujuſdam Gabrielis, quem ſecuri percuſſerat ipſe ante biennium. Cenſebantur in ea novem capita, mater, uxor, frater, ſorores duæ, itemque avia, anus annorum octoginta, cum duabus ancillis, & unius ancillæ infante trimulo. Mori una omnes jubet, propterea quod Chriſtum colerent. Sententiam beatæ victimæ haud ſecus acceperunt, quam ſi nuncium allatum eſſet rei optatiſſimæ. Confeſtim vocem tollere, & Numini laudes læto cantu perſolvere. Ut erat forte nox intempeſta, imperatur illis ſilentium, ſed fruſtra. Intendunt certatim vocem, nova in honorem Dei carmina modulantur. Non prius cantare deſierunt, quam vivere. Præivit cæteris ad ſupplicium vetula, & cervicem acinaci ſubjecit; quam unus e propioribus conſanguineis (nam id honori ducitur apud Japones) uno ictu demeſſuit. Proxime necanda cum eſſet mater, rogavit, ut liberos ante ſe mori cerneret. Vidit, ac deciſis capitibus blande arridens, ut jam de filiis ſecura, libens ſuum caput addidit. Reliqui poſt eam obtruncati fuerunt. Factum id Uſucæ, ad V. Nonas Martias. Ibidem Antonius Girobiojus, venerabilis ſenex annorum octoginta ſex, & Lucas Feibiojus, hujuſque filius Alexius, veteres noſtrorum hoſpites & amici, cum recuſarent a Chriſti cultu deficere, parem coronam adepti ſunt cervicibus amputatis. Lucæ conjux erat Maria, maſculæ virtutis femina, ac tum forte aberat Uſuca; cum de ipſius marito ac filio ſupplicium ſumptum eſt. Ut audivit ſe martyrum uxorem, & matrem eſſe, advolavit continuo in urbem, perire ſimiliter geſtiens, & necem flagitans. Diu tentata & vexata eſt, ut vellet negato Chriſto vivere, ſed conatu irrito. Ad omnia perſtitit immota, donec quam optaverat palmam abſciſſis cervicibus tulit. Percuſſit ea novi generis virtus animos ethnicorum, & obortum divinitus lumen multis tenebras ſuperſtitionis diſcuſſit. Ægre tulerunt magiſtratus. Inſtitutum proinde ut Chriſtiani deinceps, non uti prius in oculis civitatum, ſed in carcerum, aut privatarum ædium angulis necarentur. Nobiliores aliqui duntaxat eligebantur a provinciarum gubernatoribus, ut famam crudelitatis, & inde gratiam Imperatoris captarent. Ob eam maxime cauſam in inſula Iquiſuchia publico ſupplicio affecta fuit Catharina, dynaſtæ potentiſſimi filia, quam ita carnifices cruciarunt, merito ut dubites, plus ne eorum impudentia & immanitas, an mulieris generoſæ virtus eluxerit. Similiter Cubotæ, cum eſſent capitali pœna afficiendi Chriſtiani triginta duo, omnes ex nobilium ordine, eos tyrannus xv. Cal. Auguſti vivos combuſſit in aperto foro, atque igne tam lento, ut hullius crinem flamma perſtrinxerit.

216. Novem chriſtianorum virtus in extremo ſupplicio.

218. Aliorum triumphi leviter indicantur.

Ex iis, qui intra privatas ædes necati ſunt, memorandus in primis Toyama Franciſcus, infer Aquitenſis regni dynaſtas nobilitate generis, atque opulentia apprime clarus. Domus huic erat ampla Faroximæ, quæ noſtris ſemper patebat hominibus, iiſque ſubinde adventantibus, in templum ſcholamque pietatis mutari ſolebat. Accidit, ut urbem, & eam quam dixi domum regii ſatellites ſcrutarentur, dum aberat forte Franciſcus in ſuburbana ruſticans villa. Qui aderat œconomus, interrogatus, num quem ſciret eſſe in heri familia chriſtianum? neminem eſſe affirmaverat. Reſcivit Franciſcus de hoc mendacio. Nec mora. Revolat e veſtigio in urbem, gubernatorem convenit, mentitum eſſe œconomum denunciat: ſe chriſtianum eſſe, ac dum viveret porro fore. Perculſus denunciatione tam libera gubernator, & ſalvum Franciſcum cupiens, amicos ejus & cognatos admonet, ut ad labefactandam viri conſtantiam machinas quaſcunque poſſint adhibeant. Certatum ab illis eſt menſe

219. Vir nobilis ultro ad pœnam ſe offert Chriſti cauſa.

Digitized by Google

integro, nihil confectum. Erant præter eos Francisco plures in aula consanguinei, opibus ac dignitate prævalidi, qui cognito ejus periculo, gravissimas dedere ad ipsum litteras, multum rogantes ut sibi, ut familiæ consuleret. Unam resignavit ipse, ex eaque conjiciens cæterarum sententiam, reliquas in ignem conjecit. Adfuit demum missus a gubernatore miles; & domum cinxit. Ingressus centurio rogat, num Imperatori tandem morem gerere constituerit? cui vir fortissimus: Morem sane geram, ait, quatenus sinet lex Christi, cui mortales omnes, atque ipsos imperatores obtemperare par est. At siquidem alios præter se deos Christus adorari vetat, huic certum est fidem servare. Atqui, subjecit centurio, certa mors est, si ita pergis. Et accidet nobis, retulit Franciscus, optatissima. His auditis, exponit centurio quæ haberet a gubernatore mandata de ipsius cæde, & in aulam milites introducit. Nihil ea denunciatio, nihil hic feralis militum apparatus hominem movit adamante duriorem. Evadit in superiorem contignationem, ubi mater, lectissima femina, cum aliquot nobilibus sedebat; accidensque ad ejus pedes, vultu ad lætitiam explicato: Gratulare mater, inquit, & mihi, & tibi. Adest diuturnis expetita votis dies, qua pro Christo moriar. Ignosce si quid a me tibi molestum accidit, & filio hac ipsa hora perimendo bene precare. Cujus non diriguisset animus, tam inopinato nuncio, tam tristi! Defixis stupore cæteris, assurgit intrepida parens, filium ab humo sublatum complectitur, osculatur; cumque detersisset paululum quas natura expresserat lacrymas: Macte, inquit; fili, & dignum te, dignum me vitæ finem impone. Te brevi, ut spero, consequar: quid enim in vita jucundum esse mihi jam possit, sublato te? Hoc uno senectutem & orbitatem solabor meam, quod matrem esse me martyris nunquam excidet. Plura voluit dicere, sed obortæ lacrymæ prohibuerunt. Accurrens interim diro excita nuncio conjux; lamentabili comploratione domum totam implebat. Luctu perditam sponsus paucis affatus, flere vetuit sua causa: ut datam Christo fidem perpetuo servaret, monuit; ab eaque celeriter divulsus, in aulam se proripuit, ubi militum & nobilium manus expectabat. Salutatis ore læto cunctis, procidit in genua supplex, perstititque divinam opem implorare, & se Christo victimam voluntariam offerre, donec precibus absolutis, collum ferro subdidit. Dignus sæculorum memoria hæros, eoque dignior, quod numerabat vitæ annos tantum viginti quatuor.

220. Capitalem sententiam excipit constantia incredibili.

221. Novissima ejus verba ad matrem, & conjugem.

222. Carnifici caput præcidendum offert.

Hæc nobilitatis exempla intuens Christianorum vulgus, non modo non remittebat animos, id quod ethnici spectabant, verum illa imitari, seque suis nobilitare virtutibus gestiebat. Cum viris feminæ, cum utrisque pueri de constantia certabant. Adolescens fuit, qui impiorum æque promissa ac minas ridebat. Iratus judex, focum candentibus prunis horridum afferri jubet, & Quoniam, inquit, vivus modo cremabere, interim periculum tui fac, & huic foco digitum injice. Nihil cunctatus ille, injecit, nec ante amovit, quam totus cremaretur, Romanum illum Scævolam tanto superans virtute, quanto erat inferior ætate, & causa melior. Obstupuere quicunque aderant, nec ipse sibi temperavit judex quin generosum adolescentem laudaret, & neophytos triginta in ejus gratiam vita & libertate donaret. Plus habuit admirationis pueruli annos tantum tredecim nati in excipienda nece alacritas. Ductus fuerat ad locum supplicii cum universa familia, processeratque facem accensam gestans, tanto cum lepore, modestia, & venustate, ut omnium oculos in se converteret. Jam patris, ac sororis parvulæ revulsum a cervice caput interritus viderat. Dum ipse collum expedit, comam sensit esse longiorem. Veritus, ne qua per eam acinaci mora fieret, accurrit propere ad vicinam matrem, utque fluentes capillos apte colligat in nodum, rogat. Mater, filiolum suavissime osculata, comam composuit, eumque redire ad suum locum jussit. Redierat: cum carnificem aspectans adstantem districto ferro, blande subrisit, eumdemque sedato vultu compellans: Videris mihi, inquit, paulo timidior, ac forte parum in tua arte exercitatus. Omitte, quæso, metum, & cave ne quid in me per inexci-

223. Generosi adolescentis præclarum facinus.

224. Pueri, ejusque matris mira fortitudo in excipienda nece.

Digitized by Google

ſcitiam pecces cum tuo dedecore. Jam experiar, ſubjecit immitis carnifex: & quaſi ludibundus, uno levique ictu tenellum caput ad matris genua dejecit. Non animum, non vultum mutavit mater. Tantum metuens, ne martyrio eriperetur filiola bimula, quam ſinu complexam tenebat, hujus cerviculam ſuo ſic admovit collo, ut caput utriuſque uno pariter ictu decuſſum ceciderit. Mira profecto hæc, & vix credibilia, ſi quid incredibile de virtute cœleſtis gratiæ videri poſſet.

225. Quid ageret P. Didacus Carvallius in regno Voxuano.

Sed his omiſſis, quorum eſt nobis laus communicanda cum multis, ad ea quæ noſtra omnino ac propria ſunt veniamus. Regnum Voxuanum jam ſexennio excolebat P. Didacus Carvallius, degebatque plerumque Xendai, quæ civitas regni caput erat, & regia principis Maſamunis. Inde procurrens in vicinam regionem, recipiebat ſubinde ſe Minacam, oppidum Chriſtianis frequens, ubi rerum potiebatur Joannes Goto, dynaſta chriſtianus, & Chriſtianorum patronus. Non latebant hæc Maſamunem: ne quid tamen in Carvallium ſtatueret acerbius, retardabatur Joannis nobilitate inſigni, & magnis in rem publicam meritis, quorum reſpectu condonandum aliquid ipſi, ipſiuſque hoſpiti & amico cenſebat. At ſentiens eam rem vulgo innoteſcere, & male ſibi metuens ab Imperatore ſi connivere pergeret, repente inquiri chriſtianos Minacæ, plectique jubet. Quod attinet ad Joannem Goto, decernit, ut ad infringendam hominis contumaciam (namque ita barbarus loquebatur) prius viæ mitiores tententur: ſin vero in ſententia perſiſteret, publicentur ejus bona, ipſe cum univerſa familia in exilium ejiciatur. Verſabatur hoc prorſus tempore cum Joanne P. Carvallius, Minacam accitus ad celebrandos dies Chriſto circumciſo, & a regibus adorato ſacros: apparebatque, ut erant initia, ulterius prorupturam iram reguli, inire gratiam ab Imperatore cupientis. Sacerdoti quidem certe eſſe intra dies paucos moriendum, nemo dubitabat. Ei proinde magnopere ſuadebat hoſpes & amicus Joannes, ut inſtantem procellam declinaret paululum, & ad multorum ſalutem ſe reſervaret. Idem conſilii dabant reliqui chriſtiani. At ſacerdos, commemorans, non ſuum tantummodo quæri caput, ſed contra ſalutem publicam neophytorum tempeſtatem ingruere, diſerte negavit ſe diſceſſurum eo tempore: advolaturum ab ultimis Japoniæ finibus ſi abeſſet, nedum vellet gregem ſibi commiſſum in tam præſenti periculo deſerere. Ne tamen exitio eſſet hoſpitibus, ſi in eorum ædibus deprehenderetur, delegit in propinquo nemoroſam vallem, ubi ſimul deliteſceret, ſimul ad gregis cuſtodiam excubaret. Paſtorem e proximioribus pagis ſecuti Chriſtianorum multi, ſive ut ejus aſpectu & colloquiis fruerentur, ſive ut impiorum inſectationem vitarent, in eandem vallem deſcenderunt, conpactiſque ligno & ſtramine mapalibus, novas in ea ſedes fixerunt, ſatis illas quidem, ut videbatur, reductas & tutas, ſi quid a proditione tutum, ſi quid perfidiæ clauſum eſſet. Minacæ interim procella invaleſcebat. Tentata fuerat modis omnibus conſtantia Joannis, de quo ſupra dictum eſt. Ubi ſenſit Maſamunes nullis poſſe machinis generoſum pectus concuti, aut a propoſito dimoveri, impetum in ejus fortunas facit, agros & oppida ferro flammiſque vaſtat, diripit ſupellectilem, domum diruit hoſtilem in modum, non amicis, non affinibus famuliſque parcit. Ipſum denique omnibus ſpoliatum, inopem, ac ſeminudum in exilium agit. Seceſſit vir fortiſſimus in provinciam Nambuenſem, ſolas ſecum avehens opes pietatis, quas e ſuis jacturis collegerat non exiguas. Poſt hæc in omnes Chriſtianorum ordines ſævitum acerrime. Aufugerunt metu quamplurimi. Eorum qui ſupererant, multi cum ignominia ejecti, plerique fortunis everſi, nonnulli etiam, quod miſerrimum, terrore proſtrati ſunt. Dimiſſi interea cum fuiſſent in omnem partem ſatellites ad perquirendos Chriſtianos, venerat cum manipulo armatorum centurio ad oppidulum Orixienſium, haud Minaca procul, ubi indicatum fuerat Chriſti religionem coli, & Sacerdotem latere: at vacuis inventis ædibus, vanum putabat indicium, ac nulla re geſta revertebatur. Cum ſubito circumſpicienti apparent in alta nive pedum impreſſa veſti-

226. In magno vitæ periculo captare fugam renuit.

227. Secedit in vallem abditam cum multis neophytis.

228. Perſecutio ingraveſcit in regno Voxuano.

Digitized by Google

veſtigia. Sequi jubet hæc indicia milites. Illi paulum extra viam militarem progreſſi, ad mapalia, de quibus ſupra dicebamus, deveniunt. Mirati in loco tam abdito tam frequentes & novas caſas, facile intellexerunt offerri ſibi quam quærebant prædam. Nec mora. Impetum in eas faciunt. Ad primos clamores, progreditur e latibulo ſuo Carvallius, vocem intendit, latrones impios objurgat, & abſiſtere procul jubet. Addit minas, denunciat contumaciæ pœnas, ſi reſpuere oblatam veritatem, ſi ſævire pergerent. Quæ non ideo dicebat, quod ſperaret immites homines ſuis vocibus flecti poſſe; ſed ut furentes paululum moraretur, & ſpatium interea eſſet chriſtianis in ſpeluncas & nemora evadendi. Conſilium ex parte ſucceſſit. Ex tanto neophytorum numero decem tantum fuere cum P. Didaco comprehenſi. In his vetuli duo, cum propter ætatem ingredi nequaquam poſſent, ſtatim a militibus jugulati fuerunt. Cæteri, vinctis manibus, per itinera nive ac ventis horrida, Madruſavam primo, & inde Xendajum pertrahuntur.

229. P. Carvallius comprehenditur cum aliis decem.

In hac urbe triumphum egerant per eos dies Chriſtiani undeviginti, partim lentis conſumpti ignibus, partim in profluentem abjecti, partim aliis & inſolitis mactati ſuppliciis. Prædicabatur in primis tormenti genus non antea uſitatum, quo pridie Idus Februarias necati fuerant par inſigne conjugum, Joachinus Anſajus medicus nobilis, ejuſque uxor Anna. Nam cum nullis neque minis, neque blanditiis flecti potuiſſent ut Chriſto fidem fallerent, nudati veſtibus, tandiu perfuſi fuerant aqua congelata, donec enecti frigore animam exhalaverant. Supplicium iſtud præ cæteris mirifice comprobatum fuerat ab ethnicis, cum propter atrocitatem, tum etiam gratia novitatis, qua vel crudelitas delectatur. Idem ergo decernitur Patri Carvallio, ejuſque octo comitibus, ſed ratione paulo diverſa, & forte ad cruciatum atrociore. Scrobem ingentem excavant ad ripam fluminis, in eamque flumen derivant per incile. Scrobem ipſam confecto e palis vallo cingunt. Cum rigeret hiems frigidiſſima, in hoc brevi lacu nudi jubentur conſidere beati pugiles, adſtante circum globo militum, & inſana plebe, quæ cæteros quidem ad defectionem provocabat, at Carvallium graviſſimis onerabat probris & contumeliis, quaſi per eum ſtaret unum, ne reliqui viverent. Retundebat impiorum dicteria mitis Sacerdos, comites aſſidua cohortatione ad patientiam animabat. Jam tres ferme horas in immiti lacu conſtiterant: cum judex, pœnam trahere, & ſævire prolixius volens, extrahi cunctos imperat. Duos ex neophytis in veſtigio beata mors oppreſſit. Cæteri, quia pedibus inſiſtere non poterant (erant enim toto debilitati corpore, ac fere ſemianimes) per humum crudeli modo raptantur ad Gubernatorem. Sollicitati, partim minis, partim promiſsis, ut Chriſto nuncium remitterent, cum æque contemnerent promiſſa & minas, poſt quatriduum denuo in lacum immittuntur, duabus ante meridiem horis, ut lenta nece conficerentur. Mutare tamen ſtatum corporis identidem, & nunc jacere, nunc ſtare, & parumper emergere jubebantur, ut his vicibus augeretur dolor, & conſtantia tentaretur. Fluxerant horæ ſex, jamque in occaſum ſol inclinabat, nec adhuc quemquam vita defecerat. Verum appetente nocte, & ingruente validius vento, aqua congelaſcens imminentis exitii cunctos admonuit. Hic ſalutare ſeſe invicem martyres, ut proxime migraturi: invicem ſe ad conſtantiam cohortari: orare, ut prout quiſque ad coronam præceſſiſſet, deprecatorem ſe pro reliquis conſtitueret apud Deum. Audiebatur præ cæteris Carvallius, noviſſimis verbis excitans unumquemque nominatim, omnes admonens, ut ultimam lineam fortiter tranſilirent. Inter hæc humor lacunæ ſtringi, ac gelu durari cœpit, quo neophyti paulatim alius poſt alium obriguerunt. Carvallius reſtabat unus cum morte colluctans, ſed adeo placidus & quietus, nullum ut gemitum, ac ne motum quidem ederet. Eum non prius vita deſtituit, quam paulo ante mediam noctem, poſt horas ferme duodecim in ſævo cruciatu ductas. Poſtridie mane ſacræ martyrum exuviæ aquis eductæ, ac membratim conciſæ, in flumen conjectæ ſunt. Carvallii tamen, & alio-

230. Chriſtiani decem & novem varie mactati.

231. P. Carvallius cum aliis octo in glaciali ſtagno jubetur cõſiſtere.

232. Duo brevi moriuntur. Aliis tormentum protrahitur.

233. Vi frigoris enecti animam exhalant omnes.

Digitized by Google

aliorum quatuor exceperunt Christiani capita, & velut res sacras religiose servarunt. Incidit beata istorum mors in VIII. Cal. Martii. Agebat P. Didacus ætatis annum quadragesimum sextum, ab inita Societate trigesimum. Nostris fuerat adscriptus Conimbricæ, ubi etiam in lucem editus. Anno sæculi nono transmiserat in Japoniam eo animo, ut Christi fidem voce fereret, sudore ac sanguine irrigaret. Hinc cum cæteris Evangelii præconibus exulare jussus, petiit Cocinciam, ubi novam Ecclesiam cum P. Francisco Buzomio fundavit. In Japoniam regressus, evasit usque in ultimum ejus angulum Tzugaram, ut sacrorum ministerio recrearet nobiles Christianos, qui patrio ejecti solo, fortunisque spoliati, vitam in luctu & ærumnis trahebant. Primus in provincias Aquitensem, Scionajam, & Xembocam, evangelicam lucem intulit. Voxuanum, ac Devense regnum perdiu lustravit, & erudivit. Nec contentus Japoniæ campo operarius infatigabilis, ultra ejus fines excurrit in Giezum, ubi rem divinam, ut supra memoravimus, primus fecit. Tantum vero in his perficiendis hausit laboris & ærumnarum, ut intolerabile glaciati fluminis frigus, non tam laboriosæ vitæ, quam diuturnæ morti finem attulerit.

234. P. Didaci Carvallii elogium.

Didaco simillimus virtute, laborum tolerantia, cognomine, atque ipsa necis causa fuit P. Michael Carvallius, quem eodem anno Japones crudeliter interfecerunt: una re multum dissimilis, quod ille aqua, hic flammis extinctus est. Menses jam tredecim servabatur Michael in carcere Omurano cum tribus diversorum ordinum sacerdotibus, Petro Vasquez Dominicano, Ludovico Sotelo, & Ludovico Sassanda Franciscanis, quibus accesserat alter Ludovicus gente Japon, Soteli olim famulus, & nuper in tertium, ut vocant, ordinem S. Francisci assumptus. Unum, & commune omnium crimen, religio Christi per Japoniam disseminata: quod cum capitale esset, eos pariter damnavit rogo tyrannus, & una die vivos comburi jussit. Id ut viris fortissimis nunciatum est, vix credibile quibus incesserint gaudiis, quantaque significatione lætitiæ optatum diu nuncium exceperint. Exilire, sibi invicem gratulari, Numini ut de maximo beneficio gratias reddere. Diceres ad triumphum, non ad acerbissimam necem vocatos. E custodia producti sunt VIII. Cal. Septembres, singuli religioso instituti sui vestitu amicti, vinctis manibus, fune cervicibus illigato. Dum ad locum supplicii duo indo millia passuum transvehebantur mari, psalmos læto cantu concinuerunt, mirante hilaritatis novæ speciem multitudine, quæ ex omnibus circum pagis prope infinita confluxerat. Ut fuerunt in conspectu rogi, cœperat Carvallius ad confertum populum verba facere, se christianum, imo Christi ministrum libera voce contestans, & sempiternum exitium denuncians ethnicis, nisi christianam fidem amplecterentur. At stomachati præsides, reum capitis damnatum, in ipso loco supplicii, tam audacter eloqui, & minas etiam jactare, tortoribus innuerunt, ne differrent ad suum singulos stipitem alligare. Alligati sunt, vinculis consulto adstrictis laxius, ut possent erumpere, si quem patientia deficeret. At spem impiam eluſit constantia martyrum, qui oculis in cœlum conjectis steterunt immobiles, quamvis non tam ardere, quam ustulari paulatim cogerentur, quippe remotioribus lignis, & sparsim ac maligne congestis. Quin male conceptus artificum dolus in laudem christianæ fortitudinis cessit. Nam cum Ludovico laico flamma propior vinculorum nexus exsolvisset, accurrit medios inter ignes ad sacerdotes, illorumque pedes pie osculatus, ad suum se retulit palum, cui leniter acclinis victricem animam primus efflavit. Haud diu post illum superstes Carvallius fuit. P. Ludovicus Sassanda, exustis funibus, ad reliquos duos qui supererant sacerdotes ire cœperat, ut eos ultimum complecteretur: sed cum non posset correptis igne pedibus ingredi, eos e suo stipite veneratus, concidit. Sotelus, & Vasquez vitam, & patientiam ad tres ipsas horas produxere, quia ignis ab ea parte remotior fuit, & parcior. Hunc mortalis vitæ finem habuerunt viri præclari, quorum reliquiæ, ne quid Christiani ad venerandum surriperent, in cineres redactæ, & procul in alto mari dissipatæ fuerunt. Sit ergo reliquiarum

235. P. Michael Carvallius ad regum ducitur cum aliis quatuor religiosis.

236. Cum iisdem comburitur igne lento. Mira omnium fortitudo.

loco

loco memoria ipsorum, ac de nostro Carvallio (nam de aliis alii scripserint) quæ scitu digniora sunt quam brevissime expediamus.

237. P. Michaelis Carvallii elogium, & vitæ compendium.

Natus erat P. Michael Bracharæ, nec dum vigesimum ætatis annum expleverat, cum nomen Societati dedit. Goam quinquennio post missus, ibi theologiam didicit prius, mox ob ingenii doctrinæque magnitudinem etiam docuit. Translatus inde fuerat Bazainum, eoque in collegio apostolici operarii partes egregie implebat: cum Goanæ provinciæ Præpositus Joannes Madeirus, nescio quid molestiarum illi metuens a potentioribus, frustra conscientiæ fiduciam obtendenti præcepit, ut confestim longissimo per Philippinas ambitu navigaret Romam. In itinere navis qua vehebatur, dum occursum Anglici myoparonis fugit, quassata ventis, & vi tempestatis adacta ad proximam Sinarum oram, naufragium fecit: ipse ejectus in littus, Macaum se recepit. Aderat tunc Macai P. Hieronymus Rodericius, Japoniæ & Sinarum visitator, qui causas tam longi itineris edoctus, eum non ultra progredi passus est, sed paratum ad omnia, & æstuantem desiderio martyrii, ire in Japoniam jussit. Delatus Nangasachium Carvallius, ibique per dies aliquot commoratus, secessit in insulam Amacusam, ut procul a tumultu illorum temporum linguam gentis perdisceret. Jam nonnullam ejus copiam erat adeptus, jam frugiferam christianis ethnicisque navabat operam, cum detectus ab exploratore, defertur ad præfectum regionis, & comprehenditur. Cum nondum esset constitutum quid capto fieret, & adhuc in privatis ædibus custodiretur, affuit adulta nocte regius minister, remotisque arbitris, vitam illi, & libertatem obtulit, imo & commeatum, & navim, qua deportari extra Japoniam posset, si modo indicaret de hospitibus, apud quos hactenus diversatus fuisset. Negavit breviter ac præcise Carvallius se facturum: quare die postero in Omurensem carcerem abripitur. Hujus angustias ergastuli vir patientissimus per tredecim ipsos menses, non æquo solum animo, sed etiam hilari, & exporrecto pertulit, ærumnas loci cumulans voluntaria corporis castigatione. Quotidie se flagris immitibus concidebat. Mollius existimans cilicium ex hircinis equinisve setis confectum, utebatur alio quodam ferreis cuspidibus introrsus extantibus aspero. Terna singulis hebdomadis jejunia tolerabat: feriam vero sextam, & pervigilia festorum, arido pane, ac puro latice transigebat. Tantam patiendi famem acuebat orandi contentione assidua, & mente in Deum fere semper erecta. Quis jam satis commode explicet, qua exiliret lætitia ob expectationem beatæ pro Christo necis, utque ad ejus vel levissimum rumorem triumpharet?

238. Quo flagraret desiderio martyrii ex quadam ejus epistola.

„ Nunquam ego in animum induxissem (sic ille in litteris ad P. Benedictum Fernandium, qui nono post anno in odium religionis pariter cæsus est), tam „ suave esse pro Deo pati. O me beatum, carissime Pater, si medio in rogo „ deflagrarem, tam boni Numinis causa! Quibus incederem lætitiis, si membratim concisus, hanc qualemcunque vitam offerre possem tam dulci Domino, „ qui me tot beneficiis immerentem cumulavit, qui tanta sollicitudine quæsivit „ errantem, qui tamdiu, tam amanter, licet ingratum & rebellem, expectavit, „ ac tulit! O amantissime Jesu, ecquam rependere tibi gratiam de me tam bene „ merenti possum! Quibus suppliciis satisfacere justitiæ tuæ! Quibus officiis referre par bonitati! Ubi rotæ, ubi equulei, busta, secures, & lanienæ! Præsto sum. *Da Domine quod jubes, & jube quod vis.* Jam mihi terrena sordent „ omnia: jam placere nihil potest, nisi unum, pati pro Christo, & mori „.

Hæc martyris quondam Ignatii, nunc Carvallii vota erant, quæ habemus utriusque litteris consignata. His ego facile adducor ut credam, quod tradit Bartolus, Carvallium aliquando rejectum fuisse a judicibus, veluti fatuum, aut temulentum. Divinæ nimirum charitatis musto ebrius, aliena loquebatur a communi hominum sensu, quoties Christi & religionis nomen in sermonem veniebat. Numerabat vitæ annos quadraginta septem.

239. De quadam epistola in Societatem contumeliosa.

Est hic dicendi locus de quadam epistola in Societatem contumeliosa, quam cum aliis calumniis in Europam delatam, ac longe lateque dissemina-

tam

Digitized by Google

tam indicavimus libro hujus hiſtoriæ ſeptimo. * Tribuebatur enim venerabili viro Ludovico Sotelo Franciſcano, cujus glorioſum pro Chriſto certamen modo retulimus. De falſitate accuſationum non quærimus, probe gnari, ad eas refellendas ſatis ſuperque argumenti eſſe in iis, quæ de noſtris narrata ſunt hactenus, & in decurſu annalium narrabuntur. Qui ſic vivere, ſic mori non dubitarent, eos plane defenſione noſtra egere non arbitramur. Adde quod criminationes eaſdem, ut ibidem dictum eſt, contempſerunt ex æquo Philippus Rex Catholicus, & Urbanus VIII. Pontifex maximus, quorum graviſſimum ſanctiſſimumque judicium facit, ut potiori jure a nobis contemnendæ videantur. At vindicanda Soteli ipſius fama, cui qui talem adſcripſerunt epiſtolam, non tam nobis, quam ipſi injuriam irrogarunt. Eam ſane Joannes Cevicus Archiepiſcopi Manilenſis vicarius, poſt peragratam Japoniam fere omnem, peractamque de re tota quæſtionem accuratiſſimam, manifeſtis mendaciis refertam deprehendit. Cui jam credibile videatur, Sotelum, virum optimum, quo maxime tempore vinctus pro Chriſto tenebatur, & necis denunciationem per momenta ſingula expectabat, voluiſſe mentiri adeo turpiter, idque in detrimentum alienæ famæ graviſſimum, & gravius conſcientiæ ſuæ? Hac profecto conjectura, aliiſque rationibus & teſtimoniis non dubiæ fidei convictus Cevicus, ſuppoſititiam eſſe epiſtolam, & adulterinam confecit, editoque opuſculo demonſtravit. Cujus auctoritatem viri ſi quis forte infringi exiſtimaret teſtimonio Colladi illius, qui calumnioſam epiſtolam ſpargendam ſuſcepit, is velim paulum memoria repetat quæ de Collado, ejuſque molitionibus alibi diſſerebamus, ac facile ſibi perſuadebit, neminem illo minus debuiſſe noſtris hominibus obloqui. Non alius certe fuit in Japonia religioſus, qui tyrannum acerbius irritaverit, & gravius religioni vulnus inflixerit. Sed odioſa hæc prolixius exequi, nec otii, nec operis noſtri eſt: & quocunque demum erga nos animo Colladus fuerit, major a nobis debetur religioſiſſimis ejus ſodalibus reverentia, quam ut de illo plura dicamus. Ad ea igitur, quæ hoc anno acta ſunt, regrediamur.

* *Num.* 226.

240. Falſo fuiſſe ſuppoſitam P. Ludovico Sotelo Franciſcano.

Prætor Philippinarum miſerat ad Imperatorem Japoniæ ſplendidam legationem, ad amicitiam, & jus commercii redintegrandum. Eam ſuperbe rejecit tyrannus, legatos vero nec auditos dimiſit cum ignominia, aperte conteſtatus, ſcire ſe quo ſpectarent fraudulenta Hiſpanorum officia. Amicitiæ, & negotiationis obtentu aditum quæri ſcilicet chriſtianæ legis præconibus, qui publicam perturbarent Japonum rem, & ſecuturis mox legionibus viam ſternerent. Hoc olim conſilio adventaſſe non paucos, ac præ reliquis illum Firandenſis carceris effractorem. Sed jam intelligerent Caſtellani, ſibi tota Japonia ſub pœna capitis interdictum eſſe, nec futurum impune, ſi quis intra illius fines auderet pedem inferre. Sic Hiſpani ab Japonia in perpetuum excluſi. Mitius conſtitutum de Luſitanis Macao navigaturis. His, non negata præciſe poteſtas in Japoniam adveniendi, certis tamen legibus definita eſt, pœna capitis propoſita, ſi vel unum apicem tranſilirent. Prima lex, ne quo deinceps appellerent, præterquam Nangaſachium. Ibi præſto futuros regios ſatellites, qui vectores, ſarcinas, navium penetralia omnia diligenter excuterent. Altera, ut quoties vela facturi eſſent, magiſtratus Macaenſis mitteret iiſdem navibus nautarum vectorumque omnium indicem ad prætorem Nangaſachienſem, qui neminem ſineret in terram exſcendere, niſi eſſet deſcriptus in ſillabo; repetentibus vero Macaum navibus, omnes abire pariter cogeret, ne uno quidem in Japonia relicto. Poſtremo Macaenſibus diſerte denunciatum, capitale fore, ſi occaſione commeatus clam religioſorum quempiam adveherent ad chriſtianam ſectam diſſeminandam, quam Imperator totis regni ſui finibus exciſam vellet. Lex præterea Yedi poſita, ac per omnes provincias circummiſſa, ne Chriſtianis in poſterum copia fieret navigandi extra fines imperii, niſi prius ſuam ſectam publice ejuraſſent. Neque id ſatis. Multi, cum Hiſpani, tum Luſitani negotiatores domicilium fixerant intra Japoniam, & matrimonia junxerant cum indigenis.

241. Imperator legationem Hiſpanorum rejicit, iiſque Japonia interdicit.

242. Luſitanis in Japoniam navigaturis certas leges præſcribit.

243. Alia Imperatoris edicta ad excidium religionis.

Digitized by Google

genis. Cunctis indictum, ut relictis uxoribus liberiſque, regno quamprimum excederent: quæ res ut innotuit, dici vix poteſt quam gravi & acerbo luctu regionem omnem compleverit, æque complorantibus qui manere, quique migrare jubebantur, ut qui mutuas, & arctas adeo naturæ neceſſitudines abrumpere cogebantur. Solis permiſſum Batavis & Anglis, ut libere ſubſiſterent in imperio, & ſua mercimonia impune exercerent. Hos quippe dictitabat Imperator, minime eſſe in Chriſtianorum numero habendos, qui chriſtianæ religionis ſigna, cruces, roſaria, imagines ſanctorum, aliaque id genus proculcarent, religioſos vero ac ſacerdotes educerent e ſuis latebris, & in judicum manus traderent. Denique quod de religioſorum hoſpitio conſtitutum antea fuerat, non modo firmatum hoc anno, ſed & ſeverioribus legibus circumſcriptum. Nam cum antea capite plecterentur ſoli patres familiarum, qui prope religioſos domicilium habuiſſent, eſſentque hujus propinquitatis definiti termini ædes quinque ex una parte, & ex alia totidem; nunc additum, nullo ætatis, ſexus, aut conditionis diſcrimine, ut parem lueret pœnam quicunque ad magiſtratus non detuliſſet religioſum intra eandem viam, & in eodem tectorum ordine habitantem. Quo, ut nihil excogitari potuit inhumanius, ſic neque ad religionis perniciem accommodatius. Nullus enim uſquam locus in urbibus relinquebatur divinæ fidei magiſtris, cum omnium æque intererat, ne quo in angulo deliteſcerent. His machinis ſævus Imperator nutantis religionis ruinam ultimam urgebat. Sed relicta Aſia, in Americam excurramus.

244. Res Brasiliæ. Bahia a Batavis expugnatur.

Clades Braſiliæ acciderat anno ſuperiore, qua non alia gravior, aut luctuoſior. Nulla erat ibi reſpublica, nulla religio, niſi utramque perditam, & afflictam Luſitani pariter & Hiſpani conjunctis viribus reſtituiſſent. Rem, cujus pars non exigua pertinuit ad Societatem, libet in noſtros annales referre. Poſtridie nonas Maji, nec opinantibus Luſitanis, apparuit claſſis Batavica navium viginti ſex, cum decem lembis, ante oſtia ſinus, cui adjacet Soteropolis, urbs regionis primaria, quam uſitatiore vocabulo Bahiam nominant. Rei admonitus Braſiliæ gubernator Didacus de Mendoza, ſtatim expediri arma jubet, communiri loca opportuna, excubare militem: omnia providet, quæ a prudenti viro, ac perito belli duce tam ſubitum rei ſummæ periculum poſtulabat. Si parem ejus induſtriæ virtutem milites adhibuiſſent, redibant procul dubio Batavi re infecta. At neſcio quo fato accidit, ut hoc illi loco deeſſent ſibi, nec recordarentur ſe Luſitanos eſſe. Steterant Batavi diem integrum in conſpectu urbis, ac primo, velut incerti quo ſe ejicerent, huc illuc proras ſimulate converterant. Diviſerant poſtea claſſem, ſpecie quidem quaſi plures in partes immineret, re ipſa ut fallerent defenſores, eorumque vires diſtraherent. Id ubi eveniſſe e ſententia vident, conjunctis quam celerrime navibus, irruunt uno impetu in littus, qua parte facilior videbatur ad urbem acceſſus. Eminebat haud procul propugnaculum S. Antonii, erantque ibi in præſidio milites haud ita pauci, qui facile poſſent exſcenſionem hoſtium prohibere, aut ſaltem remorari tandiu, donec aliæ cohortes ſubſidio veniſſent. At, ſive conſilium, quod in ſubitis caſibus facile perturbatur, ſive dux aptus deeſſet, præſidiarii in fugam conſternati vim nullam fecerunt, ac ne tentaverunt quidem. Itaque egreſſi in littus nemine obſiſtente Batavi, numero fere mille & quingenti, primis tenebris ad urbem contendunt. Cœnobium occupaverant ad teli jactum ab urbe, parabantque eum locum raptim operibus communire, ut obſidione premerent civitatem. Hac illos cura liberavit eadem nocte militum, & oppidanorum ignavia, qui terrore ſummo correpti, obteſtante fruſtra gubernatore, ac per ſuperos omnes rogante, ne communem patriam tam indigne proderent hoſtibus, & hæreticis, alii alio dilapſi ſunt, urbemque indefenſam, ac pene vacuam reliquerunt. Reſtabat cum parva militum manu Mendoza: ſed cum tueri urbem non poſſet ullo modo, ſponderentque contra Batavi, ſi ſe tradidiſſet, dimiſſum iri incolumem & armatum, poſtridie deditionem fecit. Bahia in hunc modum capta, facile invenerunt victores quam obten-

245. Quid geſſerint in urbe capta victores.

Digitized by Google

tenderent perfidiæ cauſam. Pactorum quidem certe fidem non ſervarunt, ſed dedititios ad naves traduxerunt, & in cuſtodiam tradiderunt. Poſt hæc urbem depopulari aggreſſi, cum domos pleraſque vacuas, & ſummam ubique ſolitudinem invenirent, adjecerunt animum, ut urbi deſolatæ frequentiam priſtinam redderent. Eo conſilio edictum propoſuerunt, quo cives & colonos profugos in patriam revocantes, ſancte pollicebantur, ſuas ſingulis ædes fortunaſque reſtitutum iri, ſi modo parati eſſent ſacramentum dicere Arauſienſi Principi Mauritio, ſoluturi deinceps Batavo tributum nihilo gravius, quam hactenus Regi Catholico pendere conſueviſſent. Clericis etiam, & religioſorum familiis eodem edicto ſua domicilia, ac templa reſtituebantur, cum facultate catholici cultus privatim exercendi: exceptis tamen ab hac indulgentia Jeſuitis, qui nominatim jubebantur totius Batavicæ ditionis finibus abſtinere. Cæterum edicti uſus fuit nullus, ne uno quidem invento, non modo ex miniſtris Eccleſiæ, ſed neque ex civibus paulo honeſtioribus, qui hoſtium beneficio uti vellet. Adeo viſum cunctis tolerabilius exilium, quam hæreticorum imperium. Ea res Batavos irritavit. Iram ut explerent, minime temperantes a violanda religione, ſacra omnia Catholicorum indigne admodum, impieque fœdarunt. Aras proruerunt, ſuperum imagines everterunt, veſtigium omne religioſi cultus ſuſtulerunt. Templum urbis primarium addictum eſt Calvinianæ ſuperſtitioni: cætera in apothecas mercium mutata. Ex noſtro cellam vinariam fecerant, permiſſo ad habitandum collegio negotiatoribus, qui claſſem ex Belgio ſecuti fuerant. Verum his inquilinis (ſi vera narrant) nunquam licuit pacatis, quietiſque eſſe. Quoties ſomnum ceperant, nocturnis fragoribus excitabantur, & quodam veluti irruentium armatorum fremitu terrebantur. Cum nulla ſe proderet cauſa, venit eis in mentem ſuſpicari, forte magnam auri argentique copiam fuiſſe a noſtris relictam humi conditam: errore quodam, atque opinione vulgi, cui perſuaſum eſt, circa theſauros terræ viſceribus abditos ejuſmodi ſtrepitus audiri ſolere. At omnia diligentiſſime perſcrutati, nihil invenerunt. Quid vero invenirent? Socii Bahienſes, tunc ut cum maxime oppreſſi ære alieno, non habebant ſane quod terræ infoderent: ſacram vero & domeſticam rem in illa tumultuaria fuga, nec efferre potuerant, nec abdere, ſed totam hoſtibus diripiendam permiſerant.

246. Peculiare eorum odium erga Societatem.

247. Nocturni audiuntur ſtrepitus in collegio.

Nec eo tamen finita eſt noſtrorum acerbitas, ut amiſſum dolerent collegium cum omni re familiari. Acceſſit ad cumulum mœroris alia calamitas, quam modo explicandam ſuſcipimus. Paulo poſt deditionem Luſitanorum, de qua dictum eſt ſupra, P. Dominicus Coelhus Præpoſitus provincialis, Bahiam revertebatur mari, rerum quæ acciderant prorſus ignarus, unaque veniebant alii novem de Societate, in quibus P. Antonius Mathos, Coelhi in adminiſtranda provincia ſucceſſor deſignatus. Dum ſinum Bahienſem nihil hoſtile ſuſpicantes ſubeunt, intercipitur ex improviſo qua vehebantur oneraria, ipſi in hoſtium acerrimorum poteſtatem veniunt. Non dicam ut triumpharint ea præda Batavi, quantaque ſævitie captos vinculis & ferro oneraverint. Quod dolendum magis, nulla Patribus relinquebatur ſpes libertatis pretio redimendæ. Ita namque prædones antea conſtituerant, ut quicunque religioſorum capti eſſent, ii deportarentur in Hollandiam, permutandi cum nobilibus quibuſdam ſuæ gentis militibus, qui apud Hiſpanos captivi detinebantur. Ecce autem, ut eſt quædam conſociatio inter infortunia, illis mox adjunguntur alii duo diræ captivitatis comites, P. Gaſpar a Silva, & P. Simon Sotomayor, quos in Luſitaniam navigantes iidem hoſtes oppreſſerant. Atque hinc viri omnino duodecim de Societate, cum ſuo provinciali Præpoſito, onuſti vinculis, & præter modum inclementer habiti, cum diu partem navis olidam & anguſtam habuiſſent pro carcere, Amſtelodamum devehuntur, & in cuſtodias publicas conjiciuntur. Ibi per menſes amplius viginti vitam ærumnoſiſſimam egerunt, donec interventu Mutii apud Iſabellam Belgii gubernatricem, hujus vero, & Gallici oratoris officiis apud Batavos, dimiſſi ſunt, facta quam dixi captivorum per-

248. Capitur Præpoſitus Provincialis cum aliis undecim de Societate.

249. Qui ſimul deportantur in Hollandiam.

Digitized by Google

permutatione. Sed de his alibi sermo recurret. Destitutam interea suo moderatore provinciam regendam sumpserat P. Ferdinandus Cardimus., rector collegii Bahiensis, quaque erat solertia vir, familiæ suæ qualecunque tectum providerat extra Bahiam. Verumtamen tam difficili angustoque reliquæ res erant loco, ut humanis consiliis expediri vix posse viderentur. Nam cum collegium Bahiense esset provinciæ maximum seminarium, alumnis proinde ac professoribus frequentissimum, neque solum domicilio, sed etiam proventuum parte maxima spoliatum fuisset, ei alimenta subministrare difficillimum erat: quam multi difficultatem pro merito æstimantes, provinciam Brasilienſem putabant, aut periisse jam Societati, aut proxime perituram. Deo tamen bene favente, spe citius calamitas est omnis depulsa: ejecti Batavi, sedes imperii legitimo regi, & sua nostris hominibus recuperata. Quod quemadmodum gestum sit, nunc quam brevissime explicandum.

250. Quas in angustias devenerit provincia.

251. Bahiam Regii recuperant.

Anno ab urbe capta nondum evoluto, IV. Cal. Aprilis, adest Fridericus Toletus cum classe navium sexaginta in conspectu Brasiliæ, & quinque legiones ad Bahiæ littus exponit. Eodem mox contrahens quidquid uspiam erat copiarum in Brasilia, habuit sub signis exercitum florentissimum, armatorum quindecim millia, & si quid amplius. Hinc urbem agmine tripartito aggreditur: obsidionales accessus, cuniculos, tormenta promovet. Cum simul vetaret, ne qua parte annona in urbem inferretur, brevi in eas conjecit angustias Batavos præsidiarios, ut ante finem mensis ad deditionem compulsi fuerint. Deditis servata ex pacto vita, & libertas. Arma, & reliquas belli opes victores tulerunt, relicto duntaxat centurionibus & præfectis ense. Redituris in Bataviam, naves & commeatum Toletus dedit. In hunc modum recepta est urbs Brasiliæ caput, insigni victoria, & magna commendatione victoris exercitus. Urbi deinde sua quies, & frequentia reddita. Sed ut tribuenda militi laus ob rem præclare gestam, ita nostrorum non tacendus labor, Deo, Regi, ac rei publicæ per eam occasionem impensus. Patres duodeviginti in regiis castris erant, ita per castella stationesque militum distributi, ut præsto esse possent ad omne obsequium, quod necessitas posceret. *Principio* universum exercitum expiaverunt, pane Angelorum refecerunt, ad gratuitam noxarum veniam, quæ indulgebatur ex formula Pontificii diplomatis, excitaverunt. Nec postea intra munitiones, aut in umbra tabernaculorum continuerunt sese, sed in aperto pulvere, inter igneas glandes, & omne missilium genus, pugnantibus affuerunt. Sæpe enim, erumpentibus ex oppido Batavis, in pugnam procursum est, sæpe confertæ manus, nec pauci ex regiis in acie prostrati. Fuit in his summus castrorum metator, Petrus Osorius, cui saucio contigit plane feliciter, ut sub ipsam expiationis formulam occumberet, iterum hostili jaculo transverberatus. Postquam bello finem victoria imposuit, primum omnium pro felici exitu expeditionis Deo O. M. solemnis gratiarum actio est persoluta. Tum ad restituendum catholicæ religionis cultum, purgandasque ab hæreticorum sordibus sacras ædes, studium omne conversum. Brevi spatio sacra omnia ad nitorem pristinum redierunt. Non ita facile nostri resarcire potuerunt illata collegio damna, quorum etiam longe post victoriam incommoda experiebantur. Amissis ex parte vectigalibus, direpta domo, hujus præterea parte tormentis diruta tempore obsidionis, vix habebant quo vitam tuerentur. Novum addidit incommodum præda ex hostibus capta, quæ cum fuisset in collegio nostro congesta, ad ejus custodiam intra ipsos collegii parietes statio militaris collocata fuit, unde imposita Patribus necessitas recipiendi sese in interiorem ædium partem, habitandique ad aliquot menses angustius, ne commercia promiscua sociorum militumque offenderent rationem domesticæ disciplinæ, & solita religionis officia turbarent.

252. Nostrorum res gestæ in obsidione urbis.

253. Damna collegio nostro illata.

254. Acta nostrorum in colonia fluminis Januarii.

Quo tempore Bahiam occupabant Batavi, difficile non fuit nostris, ut in extremo infortunio, Brasiliæ populis persuadere, ut sincera detestatione criminum, & morum emendatione placarent iram Numinis. Id cum ubique præ-

Digitized by Google

præſtitum, tum præcipue in colonia fluminis Januarii, ad quam putabantur Batavi cum infeſto exercitu progreſſuri. Excitati Patrum concionibus cives militeſque, contra inſtantis belli pericula munierunt ſeſe jejunio, precibus, expiatione conſcientiæ: tanto nimirum alacrius, ſi ſe daret occaſio, pugnaturi, quanto minus eſſet cur mori pertimeſcerent. Nec interim omiſſa cura muniendi operibus oppidum, cæteraque expediendi, quæ belli uſus poſceret: qua etiam in re magnopere laudatam invenio noſtrorum induſtriam. Ipſi ex proximis, quos curabant, neophytorum pagis munitores adduxerunt, ipſi inſtantes operi, & ſuis ſæpe manibus aggerem comportantes, munimenta quam citiſſime perfecerunt: quod adeo probatum eſt civitati, ut Patrum in eo opere ſolertiam, ac diligentiam ſatis prædicare non poſſent. Et viſus per eam occaſionem Deus laborem pro communi ſalute ſuſceptum, non ſolum probare, ſed etiam præſenti mercede remunerari. Dum ex omnibus circum locis neophyti Januarium ad munitiones perficiendas confluunt, ſine robuſtiori ætate deſerebantur pagi complures. Id ſubodorati Guaitacaſii, gens ſilveſtris, & ferociſſima, conſurgunt repente cum armis, & ad unum ex deſertis pagis convolant infeſto agmine. Nihil præſidii, nihil ſpei erat in incolis, quippe ſenibus duntaxat, feminis, pueriſque. Cum tamen actum videretur de miſerabili, & imbelli turba, & jam terrorem inter, & luctum omnia femineis clamoribus perſtreperent, periculum adeo præſens, quæ fuit Dei benignitas, nullo negotio diſcuſſum eſt. Contra furentes barbaros duo tantum ex noſtris prodierunt, eoſque amice ſalutatos alloquio demulſerunt ſic, ut momento eodem ferociam poſuerint hominum immaniſſimi, & ſine cujuſquam injuria terga dederint. Hæc in ea parte Braſiliæ, quæ ad auſtrum vergit. In oppoſita, quæ præfecturam complectitur Pernambucenſem, ſpectare licuit, qua eſſent adverſus Regem fide neophyti Societatis curæ concrediti. Batavis intra Bahiam obſeſſis auxilio veniebant bellicæ neſcio quot naves ejuſdem gentis, refertæ milite, & omni belli copia inſtructæ: cum Præfectus claſſis certior factus, perditas eſſe ſuorum res Bahyæ, proindeque fruſtra futuram opem, quia nimis ſeram, proras convertit ad ſinum, quem inſidiarum vocant. Exſcenſione facta in tractum præfecturæ Pernambucenſis, quinque jam pellexerat pagos neophytorum, ut fœdere ſecum inito, deficerent a Luſitanis. Idem mox conari cœperat in aliis, quos regebat Societas: at perſpicere potuit, quibus imbuantur præceptis qui nobis in diſciplinam traditi ſunt. Edocti neophyti, ſanctiſſimam rem apud Chriſtianos eſſe fidem regi debitam, nec licere eam quacunque cauſa violare, adeo nihil capti ſunt ejus pollicitationibus & muneribus, ut imo amicitiam offerenti arma obvertorint. Et quamvis ille ab incepto deſtitiſſet, miſerunt nihilominus ad præfectum Pernambucenſem delectos e ſuo corpore ſagittarios trecentos, quibus in regias copias adſcitis uteretur ad repellendos hoſtes, & ulciſcendos rebelles. Notavit fidelitatem eximiam Præfectus, eamque non immerito tribuens inſtitutioni noſtrorum, aliam nobis eodem anno curiam neophytorum tradidit in pago, cui nomen Unio.

255. Duo ex noſtris pagum quemdam tuentur.

256. Neophytorum quos regebat Societas fides erga Regem.

257. Nova Societati traditur curia.

Provinciæ interea Peruanæ luctuoſum hunc annum obitu ſuo fecit P. Bartholomæus de Eſcobar, vir ſanctitate inſigni, nec minori doctrina, quam multis editis concionum voluminibus in publicam utilitatem corrivavit. Natus erat Hiſpali ex illuſtri familia. Translatus ab ineunte ætate in Peruviam, Societati ſe adjunxit adoleſcens annorum ſeptendecim, tranſcripta prius in uſus pios ampla hæreditate, quæ ipſi obvenerat: nec exinde, quamdiu apud nos vixit, per annos omnino quadraginta ſex, alias quæſivit unquam, aut in pretio habuit opes, niſi cœleſtes. His autem ut diteſceret, virtutes omnes, tum quæ ad privatam ipſius perfectionem, tum quæ ad ſalutem proximorum facerent, eximie coluit. Ut mortalium quam plurimos ad pietatis ſtudia traduceret, excurrebat identidem difficillimis itineribus ad Indorum & Hiſpanorum colonias, ac præter divini verbi pabulum, quod ad omnes circumferebat, dies ſæpe totos ac noctes audiendis confeſſionibus, aut ægrotis ſublevandis conterebat. Domi, quam-

258. Res Peruviæ. Obitus & elogium P. Bartholomæi de Eſcobar.

Digitized by Google

quamvis præeſſet interdum cæteris, de ſe ut homine nihili, & communi omnium famulo, ſentiebat, ac loquebatur. Veſtem induebat nullam, niſi uſu detritam. In victu, in cultu corporis nihil lautum, nihil ſingulare admittebat. Bellum ſecum ipſe gerebat implacabile, pravas animi cupiditates perpetuo comprimens, corpus cilicio, flagris, jejunio ſubigens. De Chriſto Jeſu meditabatur quotidie, eaque cogitatione plurimum afficiebatur. Inde ſacrum ardorem, inde patiendi cupiditatem, inde magnum rerum terrenarum contemptum trahebat. Poſtremo vitæ triennio amplam patientiæ materiam habuit, unde minime expectabat. Eſt in India genus culicis inſtar muſcæ grandioris (Utam indigenæ vocant), tam præſenti infectum veneno, ut quem ſemel aculeo compunxerit, ei caro intumeſcat ſtatim, livorem poſtmodum, & ulcus durat: malum, niſi igne ferroque cohibeatur in tempore, inſtar cancri ſerpens, ac prope inſanabile. Accidit, ut a venenata beſtiola Eſcobarius morderetur in ipſa facie, quæ propterea fœdum in modum eſt deformata, gliſcente ſenſim ulcere, & proxima exedente. Peſtem ut depelleret chirurgus, ſæpe carnem vitiatam ac purulentam ſecuit, ſæpe aduſſit, extrema omnia expertus eſt, ſed nullo ſucceſſu: adeo ſe malum virus in intima penetraverat. Moleſtiſſimam curationem, & acerbiora ipſo malo remedia, patientiſſime excepit vir patiendi avidus: nunquam auditus conqueri, nunquam mœrere viſus, prorſus ac ſi ad omnem doloris ſenſum obſtupuiſſet: ac tandem, vi morbi prævalente, animam Deo reddidit Limæ, III. Nonas Aprilis.

259. Res Mexicanæ. Obitus & elogium Fr. Franciſci de Caſtro.

Provinciæ Mexicanæ invidit idem annus Fratrem laborum ac virtutum magnitudine ſumme utilem, Franciſcum de Caſtro, cujus laudes nefas non attingere. Gineſii, quod oppidulum eſt agri Hiſpalenſis, ortum habuerat Caſtrius. Migraverat in Mexicum adoleſcens cum Marchione Villæ Manriquiæ Prorege, cui ob indolis elegantiam, & morum integritatem erat apprime carus. Ibi, dum ædem ſacram Societatis frequentat, contracta cum noſtris familiaritate, facile incenſus eſt noſtri ordinis deſiderio, impetravitque cum bona Proregis venia, ut inter fratres rei domeſticæ curatores reciperetur. Erat tunc annorum viginti quinque. Quadraginta poſt hæc annos vixit, eorumque partem maximam traduxit in Cinaloa. Principio comes additus fuerat P. Gonzalo de Tapia, primo ac celebri illius gentis Apoſtolo. Hunc ut audivit a barbaris crudeliter interfectum, advolavit ad locum cædis, cadaver ſanguinolentum largo deterſit fletu, & chriſtiano ritu compoſuit, unam præcipue rem dolens, ac ſibi multum exprobrans, quod ſine filio pater, quod ſacerdos ſine miniſtro ad ſacrificium eſſet progreſſus. Parem moriendi pro Chriſto ſortem Caſtrius, ut ſumme diſcuperet, nunquam obtinuit: ſed ejus tamen non unam compenſationem quæſivit ſibi. Vel illud quantum eſt, quod vitam inter ſummos labores totam exegit, nulla unquam ceſſatione admiſſa! Cum primum venit in Cinaloam, viderat habitare Patres perincommode in tuguriis e ſtramine. Ipſe, adhibitis ſtatim in laboris partem indigenis, domum bene materiatam extruxit ſua manu, addidit domui templum ejuſdem operis, Deo, ejuſque famulis hoſpitium pro loco non ſpernendum adornavit. In eo poſtmodum domicilio partes omnes domeſtici miniſterii ſumpſit, coquus idem, janitor, olitor, valetudinarius, ædituus, & ſi quid aliud uſus familiæ poſceret; quæ omnia ita curabat, ut ad barbarorum etiam inſtitutionem nonnihil conferret, quoties Patres ex hibernis, ut ita dicam, ad opus evangelicum egrederentur. Neque id ſatis. Labores robuſtiſſimo cuique opprimendo pares cumulabat voluntario cruciatu, cibo utens tenuiſſimo, ac fere arido, ſtrato cubans nunquam, flagris ſe quotidie, acriterque concidens. Auſus præterea eſt negatam inter barbaros beatæ mortis palmam quærere inter ægrotos, quorum ut ærumnas levaret, diſcrimini præſentiſſimo ſe objecit. Sæviebat in Cinaloa lues puſtularum, malum ibi frequens, & qualibet peſte exitialius. In tam dira calamitate Caſtrium cerneres Indorum mapalia dies noctesque concurſare, moribundis infantibus baptiſmum impertiri, ægrotos ſanie taboque diffluentes alloquio, cibo, &

qua-

Digitized by Google

quacunque posset ope recreare, mortuos ad sepulturam efferre, nullum vitæ mortisque respectum habere: ut mirum acciderit, qui sic periculo se exponeret, eum contagione ejusdem mali non fuisse prostratum. Martyrium denique tantopere concupitum rependit illi ex parte genus mortis ærumnosissimum, quo extinctus est. Egressus enim, nescio qua causa, e sua statione, longe progressus fuerat: cum subita vi morbi jacere in deserto mapali cogitur, omni humano solatio destitutus. Ibi cum acerbissimis doloribus tandiu certavit, donec in tristi solitudine, in summa rerum omnium inopia, quodque gravius, procul a conspectu sodalium, in amplexu tamen Christi crucifixi, animam exhalavit, annos natus sexaginta quinque. Contigit ejus obitus intra annum de quo scribimus, sed quo potissimum die, incertum.

260. Res Paraquariæ. Quædam generatim indicantur.

Librum, qui præ manibus est, claudere libet in Paraquaria, de qua nihil proximis duobus annis attigi, non inopia, sed natura rerum, quarum series si in exiles partes discerperetur, hiulca nimis, & interciſa narratio esset. Nunc quæ toto triennio gesta sunt colligam, inde historiam repetens, ubi fuit abrupta. Post Petrum de Ognate regebat Societatem Paraquariensem P. Nicolaus Mastrillus Durandus, huc translatus e collegio Limensi, cujus præfecturam gesserat. Eo provinciam obtinente, novæ barbarorum nationes deteguntur, & Christo primum, tum etiam Hispaniarum Regi subjiciuntur. Auctores istiusmodi accessionum, iidemque primarii administri, homines Societatis fuerunt. Fuerunt præ cunctis Patres Didacus de Boroa, & Antonius Ruizius de Montoya, quorum labores apostolicos paulo infra exequemur. Fuit etiam P. Rochus Gonzalez, operarius in conquirendis acquirendisque ejus oræ gentibus æque strenuus ac felix, cujus nunc difficillimam, sed tamen prosperam expeditionem explicandam suscipimus. Inter plurimos, qui in Paraquarium influunt amnes, celeberrimus est, tum spatii longitudine, tum copia aquarum Urvaica. Oritur in finibus Brasiliæ, illabiturque in mediterranea regionis per millia passuum fere quingenta, ubique aquas intercurrentium fluviorum excipiens. Sensim reflectitur postea, ac versus mare longo tractu procurrit, æquali ferme spatio a Paraquario, cujus opulentiam æmulatur, donec in eum lato flexu exonerat se, paulo supra portum Boniaëris. Hoc loco, coalescentibus duobus eximiæ magnitudinis fluviis, unus efficitur immensi alvei, qui novo nomine Argenteus dicitur, & adhuc centum quinquaginta millia progrediens, in oceanum intrat per ostium ejus latitudinis, quam qui minimam faciunt, patere affirmant millia passuum ducenta. Urvaicæ utramque ripam frequentari pluribus & variis nationibus barbarorum, minime dubitabant Hispani: ne tamen ea adire auderent loca, prohibebantur ferocia incredibili gentium proximiorum, ad quas sæpe aggressi armata manu pervadere, semper cum magna suorum clade repulsi fuerant. Sed quid inaccessum, aut impervium christianæ charitati sit? Profectus e statione Itapuana P. Rochus Gonzalez cum exigua neophytorum manu, loca diu perambulavit inculta, horrida, nullis hominum trita vestigiis, crebro ferarum occursu formidolosa, donec venit ad confluentem modici amnis, qui in Urvaicam illabitur. Venienti occurrit ex adverso cohors barbarorum, referre pedem jubens, & mortem interminans, si porro pergeret. Nihil territus sæva denunciatione vir fortissimus: *Tantum ne inhumanitatis*, inquit, *filii optatissimi, ut necem illaturi sitis homini prorsus innoxio? Tantum insaniæ, ut inermem timeatis, ut benevolum & amicissimum arceatis? Atqui, nec si moriendum mihi sit, hinc abibo, aut bene vobis facere desinam.* His vocibus comprimi tantisper visa hominum ferocia. Hærent taciti, respectant sese, ac nullo reddito responso dilabuntur. Neophyti, quam mox redituros cum armis suspicantes, orabant impense Rochum ut abscederet. Ille contra timorem intempestivum coarguens, dimissis cæteris, duos manere apud se jubet firmioris animi juvenes, quos ad sacrorum ministerium duxerat. Aram excitat in eodem loco, & incruenta litans hostia, Deo O. M. enixe supplicat, ut secundet cœpta, quodque ad ipsius gloriam susceptum sit, velit feliciter evenire. Non irritæ fuerunt pre-

261. Brevis notitia Urvaicæ amnis, & accolarum.

262. Expeditio ad Urvaicam P. Rochi Gonzalez, ejusque mira fortitudo.

Digitized by Google

preces. Adest haud multo post cum ingenti comitatu Casiquius, id est princeps regionis: affatur amice Rochum, multa curiosius exquirit. Postea vero quam intellexit, cujus rei causa Sacerdos Christianorum tam peregre advenisset, ei se, ac populares suos in disciplinam tradit. Successu lætus Sacerdos, erecta ad ripam fluminis prælta cruce, designat locum statim, quem collecti hinc inde incolæ frequentarent ad modum civitatis. Planities erat sex millia passuum a flumine, soli amœnitate & feracitate, humanæ vitæ usibus opportuna. In eam transferri sua a singulis mapalia jubet: quæ jussa facientibus certatim barbaris, surrexit dicto citius lati ambitus oppidum, cui nomen ab immaculato Virginis conceptu factum. Censebantur in novo oppido familiæ plures, capitum ferme duo millia. Brevi spatio oppidani omnes, alii post alios, Christo renati sunt: Hoc decursu temporis oppidum Urvaicensis provinciæ caput fuit. Quod enim futurum sperabat Rochus, ut moti ejus exemplo accolæ in societatem vitæ civilis coire similiter vellent, id successit ad votum, licet nec brevi tempore, nec parvo labore. Adeo barbaris qualibet alia commoditate potior erat vagandi licentia, & nullis constricta legibus vita, cui a primis annis insueverant.

263. Oppidum condit ab immaculata Conceptione appellatum.

Dum ita Rochus Gonzalus rem gerebat ad Urvaicam, pari fructu P. Didacus de Boroa circa Paranem desudabat. Substiterat aliquandiu vir eximius cum P. Claudio Ruyero in oppido recens ad Iniam amnem condito, quod a Christi corpore appellatum alibi dicebamus. Progressus hinc adverso Parane millia passuum amplius nonaginta, venit ad ostium Acaraji, qui amnis in Paranem influit; cumque ad utramque ripam sparsæ invenirentur barbarorum familiæ plures, eas unum in oppidum contraxit, & novo oppido a nativitate Virginis nomen indidit. Perrexit hinc secundo adversoque amne decurrere, donec ex omni circum ora ingentem indigenarum numerum in eundem locum adduxit. Illud ægre impetrabat a novis oppidanis, ut sibi quisque domum extrueret. Homines quippe ignavi, & laborum inexperti, malebant dies ac noctes in aperto transigere, quam manus operi admovere. Desidiam excussit tigris infesta, at divino reor consilio immissa, quæ cum singulis noctibus exiliret e vicina silva, & multa inferret indefensæ multitudini damna, cessantes admonuit ut consulerent sibi, excitarent propere tecta, iisque se includerent. Vix opus absolverant, utque constaret de prodigio, irretitam cassibus belluam timere desierunt. Pauci aliqui, haud ita multo post, libertatis pristinæ desiderio capti, fugam tentabant clanculum: sed aufugientes terruit ejusdem generis fera, & in sua tecta redire compulit. Constabilito Nativitatis oppido, ad ejusque curam relicto Claudio Ruyero, progreditur Boroa adverso Parane ad eum usque locum, ubi Iguazuum, quod lingua gentis magnum flumen sonat, evolvit se in Paranem. Magnum profecto est flumen, sed æque aditu difficile. Ad duodecimum ab ostio lapidem erigitur alveus in præruptam rupem, unde aquas præcipitat tam gravi lapsu ac ruina, ut ultra duodecim millia passuum fragor exaudiatur. Hujus objectu rupis Iguazuani, non solum tuti ab Hispanis, verum etiam Evangelii ministris inaccessi usque ad hoc tempus fuerant, nemine ausu ad explorandas fluvii ripas propius accedere. Non ideo Boroa despondit animum. Mittit terrestri itinere in interiora regionis certos homines secus flumen inventos, qui contribulibus suis nuncient, adesse Sacerdotem veri ac summi Numinis, paratum ad eos ingredi, & felicitatis æternæ viam errantibus commonstrare: sed velle prius de ipsorum voluntate cognoscere: ex eorum responsis consilium sumpturum. Progressi cum his mandatis nuncii, redeunt post paucos dies, ac responsum optatissimum referunt, placere Iguazuanis quod de peregrini Sacerdotis adventu nunciabatur, nec quidquam futurum in mora, quominus venientem læti susciperent, & docentem audirent. Eo responso apertam sibi messem amplissimam vidit Didacus, ac porro gavisus est. Quod tamen summe cupiebat, ad eam confestim properare non potuit, vocatus ad provinciæ conventum, qui tunc forte indictus fuerat

264. P. Didacus de Boroa in oppidum contrahit Acarajenses.

265. Ædificationem oppidi promovet tigris infesta.

266. P. de Boroa ad Iguazuanos progreditur.

267. Creatur rector, & nihilominus ad Iguazuanos revertitur.

Cor-

Cordubæ in Tucumania. Data ergo Iguazuanis fide, ſe poſt aliquot menſes rediturum, Cordubam proficiſcitur. Verum in comitiis ſe rectorem collegii Aſſumptionis deſignatum intelligit, quæ res ipſius cœpta turbabat, ſpemque omnem de Iguazuanis conceptam præcidebat. Doluit homo Apoſtolicus ſupra quam dici poſſit vicem ſuam. Cum non liceret delatum a Præpoſito Generali honorem ſubterfugere, id ſaltem ſummis rogavit precibus Provincialem Maſtrillum, ſibi ut magiſtratus ineundi diem proferret, donec obligatam Iguazuanis fidem liberaſſet: quo impetrato, viam retro relegens, redit ad Acarajenſes in oppidum Nativitatis contractos, atque inde, aſſumpto expeditionis comite Claudio Ruyero, iterum ad Iguazuanos contendit. Credi vix poſſit, quam cupide ab iis, ne dicam impatienter expectaretur. Antegredi paululum juſſerat nuncios adventus ſui, quos pone ſequebatur ipſe. Vix ſuperato pedibus jugo, unde flumen in præceps devolvitur, gentis legatos invenit obviam miſſos, & expeditos lintres, quibus in regionem intimam deveheretur. Ad certum uſque locum devecto frequentia incredibili occurſum eſt, honoris, & gratulationis cauſa. Didacus barbaros cohortatus, ut ſiquidem erudiri commodius vellent, ſimul apud ſe conſiderent in eodem loco, morigeros habuit uſque adeo, ut intra paucos dies pluſquam ſexcentæ familiæ in unum populum coaluerint. Domiciliis itaque tumultuario opere excitatis, ſtetit oppidum magnitudinis non pigendæ, quod primum ejus provinciæ, ac ſemen multorum fuit. Oppido nomen a S. Maria majori factum. Fidei chriſtianæ doctrinam, quæ ſtatim explicari cœpta, ſecundiſſimis animis combibebant novi cives, ſeque ultro, ac ſuos liberos ad baptiſmum offerebant. Dilati ſunt adultorum plerique, donec uberius eruditi fuiſſent. Ex pueris tamen amplius ſeptingenta capita primis diebus ſacro latice abluta. Quibus poſitis chriſtianæ religionis fundamentis, gregem Boroa cuſtodiendum tradidit Claudio Ruyero: ipſe, quantumvis mœrens, ad regendum Aſſumptionis collegium ex obedientia diſceſſit. Atque hæc de Urvaicenſibus, & Paranenſibus.

268. Extruit oppidum a S. Maria majori nuncupatum.

Plus interea laborum & viciſſitudinum fuit in Guairana, nec ſcio an non etiam ſeges animarum uberior. Eminebat inter cæteros hujus agri cultores P. Antonius Ruiz de Montoya, vir ad magna natus, & ſæpe nobis cum laude nominandus. Idem ſparſis per ea loca ſociis præſidebat. Contigit ut Lauretanos, qui populus erat totius Guaranæ princeps, gravis lues invaderet. Viceni quotidie, tricenique mortalium efferebantur, interdum uſque ad ſexaginta. Motus tanta neophytorum clade Ruizius, ex oppido S. Ignatii Lauretum contraxit ſocios quatuor, qui languentibus præſto eſſent. Affuit ipſe quintus, & multorum partes unus implevit. Rerum gerendarum curas ita diviſerat, ut bini corporibus mederentur, alii duo ſacra morientibus miniſtrarent; qui vero reliquus erat unus, mortuos humi conderet. Patribus ad ſua ſingulis munia intentis, vix credibile quantum, ut in malo, ſolatium neophyti habuerint. Qui revaluerunt, Patrum præcipue charitati acceptum referebant quod viverent. Qui deceſſerunt, iis nullum præſidium ad bene beateque moriendum defuit. At enim caro ſtetit Patribus tam aſſiduus, & periculi plenus labor. Data fuerat humandorum cadaverum cura P. Joanni Vaſæo, homini laborum tolerantia, virtute, induſtriaque præſtanti inter paucos. Is, dum opus injunctum nullo valetudinis ſuæ reſpectu exequitur, peſtilenti aura afflatus occubuit, neſcias utrum graviore damno ſociorum, an luctu. Natus erat Tornaci in Belgio, tenui quidem fortuna, ſed generoſa indole, ac liberali. Ob artem muſicam, quam callebat eximie, primo apud Albertum Archiducem, deinde apud Iſabellam Belgii gubernatricem gratioſus, duo obtinuerat adhuc juvenis ſacerdotia, quibus vitam ſatis commode tuebatur. Ille abdicare omnia, & mereri inter nos maluit. Pietate coactus tirocinium deſerere, ut patris inopiæ ſubveniret, rediit tantiſper domum: at, impetrato in ejus uſum cenſu annuo unde viveret, iterum Societati ſe reddidit. Miſſionem indicam enixe petiit, cumque inter plures provincias optio a majoribus data eſſet, Paraqua-

269. Labores P. Ruizii de Montoya in Guairana, lue ſæviente.

270. Mors & elogium P. Joannis Vaſæi.

Digitized by Google

quarienſem eo tantum delegit nomine, quia cæteris laborioſiorem, ac minus ſplendidam. E portu Boniaeris, ad quem appulit ex Europa, Lauretum recta petiit in Guairana, ubi per ſexennium in excolendis expoliendiſque neophytis totus fuit, donec vitæ actuoſiſſimæ coronidem quam dixi impoſuit. Præter navatam egregie per uſitata ordinis miniſteria operam rei chriſtianæ, ad ſplendorem divini cultus, ſacrarumque religionum multum contulit modulis muſicis, quam artem apud eas gentes invexit primus, & inſtituta ſchola propagavit.

271. Teſtimonium P. Ruizii Montoyæ de innocentia ipſius.

De reliquis Vaſæi virtutibus nihil amplius dicam, niſi quod ſcripto teſtatum reliquit P. Ruizius de Montoya, teſtis omni exceptione major, qui ejus conſcientiam toto ſexennio rexerat. Eum, affirmabat, caſtimonia fuiſſe angelicæ proxima, quam nullus unquam vapor impudicitiæ infeciſſet, ne in ſomnis quidem: innocentia vero tanta, ut in confeſſionibus vix aliquid afferret certæ culpæ, in quod cadere abſolutio poſſet. Semel proinde fuiſſe monitum, ut de mendaciis pueritiæ confiteretur: at reſpondiſſe ingenue, quantum repetere memoria poſſet, nunquam ſe eſſe mentitum. Hæc, & ſimilia multa de Vaſæo narrat Ruizius, quæ niſi de viro ſancto ſanctiſſimus affirmaret, vix credibilia viderentur. Agebat annum ætatis quadrageſimum ſecundum.

272. P. Ruizius Ibitirambetam progreditur. Quæ regio ea ſit.

Tali deſtitutus ſocio Ruizius, adeo nihil remiſit de labore, ut imo, ſtatim atque in oppido Lauretano ſævire deſiit lues, feſtinaverit novi operis materiam alibi quærere. Eſt in Guairana regio campeſtris, Braſiliæ obverſa, Ibitirambetam indigenæ vocant, ad quam nemo noſtrorum adhuc pervaſerat, nemo pervaſurus impune videbatur. Gens videlicet numero frequens, indole ſupra communem modum inhoſpitalis & ferox, aditus obſidebat omnes, ne qui intro Hiſpani penetrarent. Præter communia barbarorum vitia, id illi proprium ac ſingulare, quod humanis carnibus epulari ſoleret, nihil æque in deliciis habens, ac lautam ſibi menſam inſtruere cadaveribus hoſtium. Cum deerant hoſtes, quo loco & numero advenas quoſque habebant, ipſi ſe mutuo venabantur indigenæ, ipſi ſe mactabant, non odio, aut inimicitia, ſed ut hilariora convivia celebrarent. Oſſa interfectorum in ſagittas acuebant, quibus deinde alios interficerent. Ad eos olim progreſſus P. Joſephus Cataldinus, cœpto deſiſtere coactus fuerat, non dicam nulla re ad votum confecta, ſed cum dedecore potius chriſtiani nominis, & ignominia. Nam cum præmiſiſſet ad proximiorem Caſiquium nuncios adventus ſui duos, alter trucidatus fuerat ſtatim; alter vero proſtratus metu, vitam flagitio redemerat, & fidem Chriſti turpiter ejuraverat. Non hæc Ruizio ignota, ſed nec magnopere penſi habita. Divino patrocinio fretus, comites ſibi adjungit quem dixi Cataldinum, & P. Didacum Salazarium, cum neophytorum lecta manu: tum adverſo aſcendens amne Tibaxiva, ad Ibitirambetanos contendit. Ventum erat ad eorum fines.

273. Barbarorum ferociam mitigat.

Neophyti, exſcenſione facta, materiam erigendis tuguriis quærebant. Cum ecce tibi ex adverſo barbarorum agmen infeſtum, cum intentis arcubus, & clamore incondito irruit. Eo aſpectu trepidare neophyti, fugam circumſpicere. Ruizius redire illos cum Salazario jubet ad naviculas: ibi diſcriminis exitum opperiri: ſi quid adverſi accideret, fugam ſecundo flumine maturare. Ipſe in eodem veſtigio immotus cum Cataldino perſtat. Barbari, duorum hominum ſecuritatem inſolitam admirati, continuerunt gradum, nec ultra progredi, nec hoſtile aliquid incipere audentes. Procedit demum unus, cujus præcipua videbatur inter ſuos auctoritas: ſalutat amice Patres, quid ſibi velint iis in locis rogat. Sacerdotes Chriſtianorum eſſe ſe, & religionis inferendæ cauſa adveniſſe, reſpondent Patres: ſimul ei peregrina quædam munuſcula exhibent. Perplacuit barbaro hominum comitas, liberalitas, & modeſtia. Ne multa. Patronum ſe illis, defenſorem, ac ducem offert, comitibuſque ut advenas benigne ſuſcipiant innuit. Neophyti, quos hærere ad naviculas dicebamus, admoniti quo res loco eſſent, procedunt in medium nullo metu, & indigenis conſociantur.

274. Oppidum condit ſub tutela ac nomine S. Xaverii.

Propoſuit continuo Ruizius, ut eo prorſus in loco oppidum extrueretur, conjunctis deinceps ædibus habitandum. Miro omnium aſſenſu accepta

Digitized by Google

pta res, ac ſtatim operi manus admotæ contentione tanta, ut quo die Patres aream deſignaverunt, eodem mapalibus inædificatam aſpexerint. Novum oppidum a S. Franciſco Xaverio nuncupari placuit, quod initio paucorum capitum, brevi familias mille & quingentas amplius numeravit. Cum enim ſocialis vitæ genere mirum in modum delectarentur novi oppidani, dederunt operam ut ad contribules ſuos ejus rei fama pervaderet, atque ipſi ex circumpoſita gente multos, qui ferarum ritu vagari ſolebant, ejuſdem inſtituti cupiditate incenderunt. Hinc ad Xaverianos crebræ acceſſiones. Accurrebant quotidie patres familiarum cum ſuis liberis & conjugibus, ut apud eos ſibi domicilium ponerent. Una die quidam ex proximioribus Caſiquiis magnum agmen e ſuis popularibus in novam civitatem adduxit. Ut in ea confeſtim radices egerit chriſtiana religio, mox differemus.

275. De Tajobenſibus, eorumque implacabili odio erga Hiſpanos.

Montoya interim, relicto ad curam Xaverianorum Cataldino, ac ſecum aſſumpto Salazario, difficili admodum ac periculoſo itinere proficiſcitur ad Tajobenſes. Magnam Guairanæ partem hæc regio complectitur. Natio, non ſolum barbara, ſed omnis omnino humanitatis expers. Humanis ſe ingurgitabant carnibus feri helluones, adeo ſine horrore, ut non alias haberent ſapidiores dapes. Genti nomen a Tajoba, viro bellica laude claro, & Caſiquiorum potentiſſimo, cujus quam formidabilis poteſtas, tam atrox & inſanabile erat in Hiſpanos odium, nec, ſi vera loqui fas eſt, prorſus injuſtum. Namque hæc odii cauſa. Haud ita pridem qui Villaricanam coloniam adminiſtrabat Hiſpanorum Præfectus, ſimulata amicitia, Tajobam ad ſe invitaverat cum tribus aliis Caſiquiis, eiſque fide publica interpoſita promiſerat, non ſolum inviolatos, ſed honoribus etiam ac donis auctos in patriam redituros. Ineſcati promiſſis homines ſimpliciſſimo ingenio, Villaricam inermes, ac ſecuri (nam quis fraudem ſuſpicaretur?) venerant. Quos perfidus ut in caſſes adductos vidit, corripi ſubito a ſuis lictoribus, & in carcerem detrudi jubet, fruſtraque ſuperum atque hominum fidem implorantibus ſupplicium ultimum denunciat, niſi certum numerum puerorum ac puellarum ſibi continuo penderent. Illi, tametſi onuſti vinculis, ac mortis metu conterriti, iniquam petitionem conſtantia incredibili repulerunt. Fœdam proditionem qua intercepti fuerant execrantes, nullo adduci pacto potuerunt, ut populares ipſi ſuos proderent. Tres ipſorum fame voluntaria perire in ſqualore carceris maluerunt. Tajoba, meliore uſus conſilio, clam rupit vincula, & celeri fuga ad ſuos evaſit incolumis. At quanto exinde odio adverſus Hiſpanos arderet ipſe, quanto ſuam gentem inflammaret, exiſtimare promptum eſt. Eorum nec nomen audire ſine ſtomacho poterat. Quoſdam ſua manu mactaſſe dicitur hac una cauſa, quod ad eum pacis conditiones deferre auſi eſſent nomine Hiſpanorum. Quos deinde tam acerbe oderat, haud minori faſtu contemnebat. Sæpe illum coloni Villaricani bello petierant, ſemper victi, & cladibus attriti diſceſſerant, ut jam talem laceſſere hoſtem non auderent. Hæc cum ita ſe haberent, ſatis intelligebat Ruizius, cujus periculi futurum eſſet ejuſmodi hominibus ſe committere. Tamen abreptus divini cultus amplificandi ſtudio, ac ſpe cœleſtis præſidii confirmatus, pervadere ad Tajobenſes ſtatuit. Fruſtra interceſſerunt amici, certam vitæ jacturam objectantes. Nullis neque conſiliis, neque precibus victus, aſſumit in ſocietatem glorioſæ expeditionis quindecim probatæ fidei neophytos, & quem ſæpe nominavi Salazarium, hiſque comitibus longam & impeditam viam ingreditur. Iter octo dierum emenſus, reperit ad fines Tajobenſium vicum familiarum circiter ſexaginta, nactuſque homines ingenio mites ac dociles, bimenſem apud eos poſuit: quo ſpatio temporis ab incolis benigne habitus, viciſſim illis amplam hoſpitii mercedem reddidit, cunctis ad Chriſtum adductis. Aberat iter diei pagus, Tajobenſium quaſi arx, & janua. Huc ſibi facilem ut pararet aditum, per certos ex indigenis nuncios munuſcula paganis mittit: ſimul aperiri illis cauſam adventus ſui jubet. Regreſſi

276. Ad eos pervadit P. Ruizius cum neophytis quindecim.

Digitized by Google

die postero nuncii, se amice susceptos narrabant, tuta omnia promittebant. Nihil ergo cunctandum putans Ruizius, succedit illuc cum reliquo comitatu, uno tantum dempto Salazario, cui custodiam collecti nuper gregis commissam voluit in eo, de quo modo dicebam, pago.

277. Septem neophyti trucidantur. Unius egregium facinus.

Ut ventum est ad locum, quamquam benevole in speciem exciperetur, perspicere sibi videbatur in mussitantium cæco fremitu, atque in ipso barbarorum vultu quiddam procellosum, ac turbidum, cui subesse aliquid adversi suspicans, noctem proxime consecutam expiandis neophytis, precibusque fundendis totam impendit. Mane summo adest ex improviso turba maleficorum, qui multi in ea gente, & clamore dissono perstrepit. Egreditur e tugurio suo Sacerdos, & ad circumfusam multitudinem sermonem blande convertens: *En adsum*, inquit, *minister unici ac summi Numinis, ut vos ad promissam Christianis felicitatem perducam. Vera docentem, quæso, ne abjicite; nisi forte ruere ultro in æternum interitum magis libet*. Succlamatum ad hæc, mentiri insigniter hominem, qui tales afferret fabulas: deceptorem improbum, ac forte exploratorem ab Hispanis submissum, nec audiendum, nec ferendum esse. Quibus ferociter pronunciatis, discedunt quasi lymphati in vicinam silvam, ubi globum armatorum in abdito collocaverant. Advolat momento post agmen infestum cum horrisono ululatu: adducuntur arcus, stridet sagittarum densa grando. Explosione una septem neophyti telis confixi ceciderunt. Dum reliqui salutem fuga quærunt, eluxit unius fides erga Ruizium præclara, ac sane digna quæ ad posteritatis memoriam transmittatur. Joanni Guarajo nomen erat juveni. Is, unum præcipue peti a barbaris Ruizium videns, raptim induit ejus pallium ac petasum; tum seorsum a cæteris dat se in fugam eo consilio, ut in se unum converteret insequentium manus, tegentibus interea Sacerdotem aliis neophytis, eumque in nemus proximum rapientibus. Successit pius astus ad votum. Decepti latrones nigro amictu, solum insectati sunt Guarajum aufugientem, nec tamen, quod miraculo proximum videri merito possit, tam multis evolantibus in unum sagittis, ulla hominem læsit. Ereptus instanti periculo Ruizius, captabat silvæ latebras, errabatque cum tribus comitibus, anceps ubi esset, quo se conjiceret. Erranti occurrit, ingens ex improviso gaudium, Guarajus, qui per varias ambages in eundem saltum penetraverat. At neque tutum ibi erat perfugium ab insequentibus barbaris, neque via ostendebatur, qua se proriperent. Semitam itaque ingrediuntur angustam, uligine lutulentam, ac densis virgultis obsitam; perque crebra spinarum intercurrentium offendicula manibus genibusque reptantes, evadunt in apertam planiciem secus ripam ignoti amnis. In ea cum parumper consedissent, Ruizius, qui toto cruentus ore erat, atque ita defectus viribus, ut pedibus ægre insisteret, nedum progredi ulterius posset, comitibus suadebat, ut abirent ipsi in tutum, relicto se. At erupit omnium una vox, longe sibi fore optabilius circa latera patris ac Sacerdotis sui cadere, quam ipsum eo loco ac tempore deserere. Hancine perfidiam, ajebant, in nos posse cadere putavisti? Nos ut te deseramus? Nos ut parentem optatissimum, quem plus nostris oculis amamus, in tanto discrimine solum, atque indefensum esse patiamur? Dum hæc loquuntur, feriit aures sonitus aquæ remis impulsæ. Rati accedere per amnem hostes, ad silvæ latebras propere recurrebant: cum retro flectentes aciem, duos vident in navicula senes placidos, & inermes. Procedunt illis obviam posito metu, vixque data ac reddita salute, Casiquios agnoscunt ejus vici, unde ipsi pridie exierant. Erant christiani ambo, & amici, veniebantque ut Ruizio laboranti opem ferrent. Rogati, unde hæc illis fuisset injecta mens, auditum sibi, dixerunt, de Patris periculo, & fuga: ne vero oram inhospitalem pererrare diutius cogeretur, ad eum quærendum, & excipiendum properasse. Mirari licuit providentiam Numinis singularem. Auxit vehementer admirationem, quod duo senes annorum circiter octoginta, tantum itineris sesquihora perege-

278. Ruizius providentia singulari in tutum evadit.

Digitized by Google

gerant, quantum vix octo juvenes validiſſime remigantes potuiſſent horis novem. Gratiis igitur Deo O. M. perſolutis, accipiuntur in naviculam cum Ruizio neophyti, & ad ſua ſoſpites redeunt.

279. Oppidum S. Joſephi condit inter Tucutienſes.

Ac Ruizius quidem, tametſi doleret periiſſe fructum laboris & conſiliorum ſuorum, ſpem tamen de Tajobenſibus conceptam non abjecit omnino, ſed tantum diſtulit. Interim ad Xaverianos reflectens iter, novi fundandi oppidi occaſionem arripuit. Inter veteres neophytorum colonias, & Xaverianam recens conditam, medii erant Tucutienſes, quorum multos in oppidum Lauretanum deductos alibi vidimus. Ruizio opportunus in primis videbatur excitando oppido locus, cum alias ob cauſas, tum ob eam maxime, ut commercium inter Chriſtianos continuaretur. Namque id maximi eſſe momenti putans vir prudens, in oppidis conſtituendis rationem loci habebat præcipuam, novaſque illas religionis velut arces ita diſponebat, ut iter per eas eſſet perpetuum ac tutum, nullique a tergo hoſtes relinquerentur. Illuc ergo progreſſus, nactuſque Caſiquium conſiliis ſuis non adverſum, effecit ſpe citius, ut ex omni valle, quam ſparſim habitabant Tucutienſes, plerique unum in locum domicilia transferrent, quem ipſe locum S. Joſephi titulo inſignivit. Tum evocato P. Simone Mazeta, qui puſillum cuſtodiret gregem, cum paucis comitibus perrexit terreſtri itinere ad Xaverianos. At compendia viarum quærens, in extremas ſe conjecit anguſtias, quibus ut eximeretur peculiari Dei providentia effectum eſt. Diu per avia ſilvarum ac montium erravit, inter ſexcenta pericula, ignarus ubi locorum eſſet, nec ullum habens indicium viæ, qua progrederetur, aut rediret. Triduum ipſum ſine potu tranſegit ob inopiam aquæ, donec extinguendæ ſiti repertum eſt genus ligni uliginoſi, ex quo compreſſo qualiſcunque humor eliciebatur. Famem aliquandiu meris foliis arborum fefellit verius, quam expleret. Venerat denique ad ripam Tibaxivæ amnis. Eo loco, ut erat labore fractus, procidit in genua, tum ut quieſceret paululum, tum ut opem ſuperum, ac nominatim Raphaelis Archangeli expoſceret. Dum ipſe tacitus piam peragit precem, venit in mentem forte uni ex comitibus inflare cornu bellicum, quod apud ſe habebat. Mirum dictu! Redditur continuo ex altera ripa par ſonitus: nec multo poſt apparet ex adverſo manus Xaverianorum, qui cum audiſſent de Ruizii adventu, ipſum expeditis lintribus quæſitum veniebant. Attonitus tam præſenti Numinis patrocinio Sacerdos, exclamaſſe dicitur quod olim Petrus: *Exi a me Domine, quia homo peccator ſum*. Poſt mutua gratulationis officia, in cymbam excipitur cum ſociis, & in oppidum S. Xaverii deducitur. Quam benevole ſuſceptus ibi fuerit, facilius quivis poſſit cogitatione fingere, quam ego verbis conſequi. Neophytos reperit, non ſolum multis partibus auctos numero, ſed anno uno unius Cataldini opera ſic excultos, ut ab antiquiſſimis Chriſtianorum vix differrent. Nihil amplius dicam, niſi quod dignos cenſuit, apud quos altaris myſterium perpetuo ſervaretur. Nondum inde exceſſerat, cum legationem accepit a Tajatienſibus, in civitatem unam conjungi poſtulantibus more Chriſtianorum. Guairanæ montana hæc natio incolebat, ingenio ſubdola, inſidiiſque ac fraudibus graſſari ſolita. Non deerant qui ſuſpectam Ruizio legationem facerent. Barbaros ejus indolis, quæcunque obtenderent humanitatis ac benevolentiæ ſigna, negabant adiri poſſe ſine manifeſto periculo. Verum ille, ſuſpiciones ut inanes contemnens, eo advolavit, quo fuerat evocatus. Homines reperit, non ſolum amicos ex animo, & bonæ fidei, ſed etiam baptiſmi cupientiſſimos. Itaque ſuſceptus ſupra quam ſperaret humaniter, brevi mille & quingentas familias in unum coegit oppidum, cui nomen ab Incarnatione fecit. Conſiſtere in hoc loco juſſit P. Chriſtophorum Mendozam: ipſe, poſt traditam oppidanis doctrinam fidei, ac pleriſque baptiſmum, ad Tajobenſes denuo ſe convertit. Sed hæc erunt alterius loci.

280. In extrema anguſtia præſentem Dei opem experitur.

281. Quales invenerit neophytos in oppido S. Xaverii.

282. Oppidum Incarnationis extruit inter Tajatienſes.

283. Regnum Chilenum in Viceprovinciam erigitur.

Nunc evolvenda breviter reliqua ſcitu digna, quæ toto hoc præterito tempore evenerunt. Primum obtinet locum diviſio provinciæ eodem hoc anno exeun-

Digitized by Google

exeunte facta. Auctor diviſionis Provincialis Maſtrillus Durandus fuit, qui cum experientia cognoviſſet, immenſum provinciæ corpus, quippe Chilenum regnum, Paraquariam, & Tucumaniam complectens, non poſſe commode ab uno præpoſito adminiſtrari, ſocios autem tam longe lateque diſperſos inſpici coram, uti oportebat, omnino non poſſe; perſuaſit Mutio, ut detraheret illi regnum Chilenum, natura ipſa, & perpetuo montium jugo diſcretum, ex eoque conſtitueret peculiarem viceprovinciam, quæ a ſuo ſeorſum præpoſito regeretur. Conſilium probavit Mutius, quibuſque litteris id ita fieri decernebat, Chilenſibus domiciliis adjunxit collegium coloniæ Mendocinæ, quæ in montibus Chilo imminentibus ſedet. Præfecturam novæ viceprovinciæ accepit ex deſignatione Præpoſiti Generalis P. Joannes Romerus, vir prudentia inſigni, & opinione virtutis domi foriſque laudatus, de quo iterum in his annalibus ſermo recurret. Cæterum, etiam poſt detractionem regni Chilenſis, longiſſime protendebatur provincia Paraquariæ, ac novis ſubinde incrementis augebatur. Tot enim de novo domicilia acquirebat, quot fiebant indigenarum reductiones in oppida, quibus ſingulis Parochus de Societate relinquebatur. Noviſſime, præter Urvaicenſes, Iguazuanos, Ibitirambetanos, Tucutienſes, Tajatienſes, quos noſtris hominibus commiſſos dicebamus, Salta, colonia Hiſpanorum exigua in Tucumania, collegium Societatis acceperat. Sumptum extruendis ædibus ac templo fecerat Magiſtratus urbanus, ejuſque liberalitatem Præpoſitus Provincialis eo admiſerat libentius, quod illa ex urbe facilis erat acceſſus ad Calchaquinæ vallis incolas, quos tametſi noſtri contumaciſſimos, ut alibi dictum eſt, experti fuiſſent, ſperabant tamen crebris excurſionibus aliquando ſubigendos. Etiam Villarica, quæ Hiſpanorum princeps colonia erat in Guairana, Societatis collegium hoc tempore depoſcebat. Quamvis enim Villaricani pridem eſſent noſtris hominibus capitaliter infenſi, propterea quod ipſorum præcipue opera impediebantur, ne miſeros Indos immiti ſervitio premerent; tamen cum ad eos veniſſet hoc anno Durandus Provincialis, mutatæ voluntatis indicia luculentiſſima præbuerunt. Non eo contenti ſunt, ut venientem excipierent honore inſigni, quo vix Epiſcopum Prætoremve potuiſſent, ſed præterea habendæ Societatis ſummam cupiditatem præferentes, negarunt ſe paſſuros ut abſcederet, niſi prius Villaricæ initium aliquod ac rudimentum collegii poſuiſſet. Quod ardore tanto pronunciaverunt, ut Durandus ſocium illis ſuum dimittere coactus fuerit, P. Chriſtophorum a Turri, quippe alium non habens in promptu. Turrio mox adjutorem addiderat P. Paulum de Benavides, ut ambo conjunctis ſtudiis coloniam excolerent, quæ ſubſidiis æternæ vitæ penitus deſtituta erat. Sed collegium ita cœptum ne perficeretur, prohibuerunt egreſſi paulo poſt e Braſilia latrones, qui coloniam illam funditus everterunt. Felicioribus ad perennitatem auſpiciis poſita per idem tempus ſunt fundamenta collegii Riocenſis. Riocam ut induceretur Societas egerant ſæpe Tucumaniæ Prætores, at ſemper conatu propter ſociorum paucitatem irrito. Rem denuo tentavit qui nunc provinciam cum imperio obtinebat Joannes Quinionius, & aſſignato juſto vectigali confecit. Nam cum noſtrorum præſentiam magno ſibi futuram uſui cives profiterentur, ipſorum precibus, ac Prætoris auctoritate vinci ſe paſſus eſt Præpoſitus Provincialis, ut exiguam ſociorum familiam Riocæ poneret, quæ progreſſu temporis jus nomenque collegii adepta eſt.

284. Saltæ collegium Societatis inſtituitur.

285. Collegium inchoatur Villaricæ, & mox diſſolvitur.

286. Collegii Riocenſis initia.

287. Mors & elogium P. Joannis Vianæ.

Succreſcente in hunc modum per dies prope ſingulos meſſe, optandum ſane erat ne operarii minuerentur. Plures defuerunt tamen, atque ex iis aliqui inter paucos egregii, quorum eſt memoria litteris conſignanda. De Joanne Vaſæo peſte conſumpto, dictum eſt ſupra. Paucis diebus illum præceſſerat P. Joannes Viana, qui eadem ac magnus Xaverius patria genitus in Navarra, ejuſdem virtutes, laboreſque apoſtolicos æmulabatur. Ante annos triginta circiter ex Europa in Peruviam, inde in Tucumaniam venerat, ubi cum didiciſſet quatuor diverſarum gentium difficillimas linguas, multa variis in locis barbaro-

Digitized by Google

barorum millia ad Christi ovile pertraxit, Labores exantlabat unus, quibus obrui multi, iique valentissimi possent; dignam apostolico viro usurpare vocem solitus, nulla laborum magnitudine æquari pretium unius animæ. Romam venerat provinciæ suæ procurator, Ea in urbe, atque in ea prorsus domo, quæ summis omnium gentium viris abundare solet, mirum ut omnibus satisfecerit. Eum Mutius, ob animi candorem ingenuum, & religiosam in agendo simplicitatem, suum columbulum vocitabat. Finem vivendi fecit Cordubæ, anno sæculi vigesimo tertio, mense Februario, cum paulo ante collegii illius magistratu defunctus esset, Par sui desiderium reliquit anno proxime consecuto P. Dominicus Gonzalez, dum maxime collegium Mendocinum rector administrabat; vir æque divinæ gloriæ appetens, & adversus naturæ cupiditates inexorabilis, Solemne illi erat se bis terque in diem flagris concidere. Cibo utebatur parcissimo, somnum carpebat brevem, & perincommodum, cilicium setis horridum perpetuo gestabat. Quanto flagraret studio animarum, ex una tantum re conjecturam fieri velim. Solebant degentes in collegio Mendocino Patres per intervalla temporum ad proximos Cujoenses excurrere, nec tamen laboris immodici fructum referebant, nisi perexiguum, vitio gentis, quæ ingenii asperitate intractabilis, & metu servitutis suspicionissima, eorum non solum consuetudinem, sed aspectum prope ipsum refugiebat. Ea res Patrum cæterorum ardorem retardabat: nam quem non pigeat laboris gravissimi, & irriti? Gonzalus contra, satis quæstuosum laborem putans, qui esset Christi causa susceptus, eos adire nunquam cessabat. Fugaces, & refractarios pari alacritate quærebat, ac si morigeros docilesque esset habiturus, felix, si vel unum Christo subjiceret. Ulterius progressa est hominis virtus eximia. Voto se obstrinxit, si modo per moderatores liceret, nunquam ab illa excolenda provincia destiturum. At excursione ultima, cum peragrasset millia passuum ferme quingenta, lethalem ex labore morbum contraxit, quo intra paucos dies extinctus est. Patria illi fuit Tenarife, una ex insulis fortunatis. Numerabat vitæ annos novem supra triginta. Præter hos, quorum erat peculiaris facienda mentio, alii plures decesserunt intra breve tempus operarii, magno reipublicæ damno, nec minore Patrum reliquorum incommodo, qui pauci cum essent, tam multis gerendis rebus pares non erant. Ob eam rem Durandus Provincialis misit in Europam P. Gasparem Sobrinum, qui supplementa quæreret, & nova sociorum auxilia conscriberet. Discedenti dederunt Præfecti regii litteras ad Regem Hispaniæ perferendas, quibus nihil Societati honorificentius. Erat in iis litteris de egregia nostrorum fide erga Principem, de ipsorum laboribus apostolicis, de industria in conquirendis subjiciendisque barbaris, quantum denique illis religio, quantum Hispania deberet. Missæ alia parte dicebantur occultæ, ac minus æquæ contra nos relationes ab Episcopo Paraquariensi: sed eas Philippus, aut non accepit, aut contempsit. Illud constat, ministrorum suorum testimonio Regem valde delectatum fuisse. Hinc e re publica futurum putans Societatis cœpta promovere, non solum Sobrino permisit, ut quam posset maximum sociorum numerum in Paraquariam deveheret, verum etiam singulis alimenta suppeditari e regio ærario jussit. Sed hæc in aliud tempus excessere. Sobrinum in Paraquariam reducem, ac secum adducentem delectos socios quadraginta duos, videbimus post triennium.

283. Obitus & elogium P. Dominici Gonzalez.

289. P. Gaspar Sobrinus in Europam navigat ad conquirenda sociorum auxilia.

HI-

Digitized by Google

HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ

LIBER DECIMUS

ANNUS CHR. 1625. SOC. 86.

I. Res Romanæ. Mors & elogium P. Francisci Sacchini.

ANNO piaculari, labentis sæculi vigesimo quinto, pie moritur Romæ P. Franciscus Sacchinus, unus ex historiæ nostræ scriptoribus, ac sane dignus, qui quam tot illustribus viris æternitatem donavit in annalibus Societatis, eandem a nobis referat. Natus in tenui fortuna Paciani, quod oppidulum est Perusinæ diœceseos, indolem tamen sortitus auream, ingenium acre vividumque, ac liberalem educationem, facile est consecutus anno ætatis suæ duodevigesimo, ut in nostrum ordinem reciperetur. Confecto orbe studiorum, cum in amœnioribus præsertim litteris eminere videretur, Rhætoricam profiteri est jussus in collegio Romano. Eo in munere, quod cæteroqui molestum ac laboriosum est, plures annos posuit, nec recusabat in eodem consenescere, nisi moderatores transferendum censuissent ad continuandam post Orlandinum historiam, cui provinciæ, cum propter limatum scribendi genus, tum propter prudentiæ solertiæque laudem videbatur aptissimus. In ordinandis conscribendisque suis illis, quæ habemus, voluminibus, annos ipsos confecit decem & octo, quo tempore intra Quirinalem probationis domum abditus, raro admodum se dedit in publicum. At eum Mutius latere perpetuo non permisit. Virum nostri moris experientissimum dignum censens, qui ad tractandas ordinis universi habenas adhiberetur, eundem sibi assumpsit a secretis, suorumque consiliorum omnium conscium, & curarum participem esse voluit. Ita post illustratam calamo Societatem, ipsius etiam administrationem Sacchinus opera consilioque juvit per annos octo, donec XVII. Cal. Januarias diem extremum in Romana domo Professorum clausit, annos natus quinque supra quinquaginta. Cum tot ingenii industriæque ornamentis certabant in Sacchino reliquæ dotes, quibus viri religiosi maxime commendantur. Mutius Vitelleschus, qui utique hominem habebat intimo usu ac familiaritate perspectum, affirmare solebat, videri illum sibi virtutum pulcherrimarum exemplar numeris omnibus absolutum, in quo tamen humilitas, & modestia multo supra communem modum excellerent. Sane, quod ad modestiam attinet, oris atque oculorum compositione, incessu ipso,

Digitized by Google

ipſo, ac totius fere corporis habitu, nullus illum novitius ſuperabat. Raro efferebat e ſuo cubiculo pedem, multo rarius domo. Quoties vero prodiret in publicum, oculos humi defixos continebat ſic, ut ad palatia, fontes, fora, ſimulacra, obeliſcos, aliaque id genus, quæ multa Romæ, ac ſplendidiſſima ſunt, nec obtutum converteret. Qua eſſet animi demiſſione, ex una duntaxat re conjectura fieri poterit, quam ad ſpecimen cæterarum ſubjicio. Scitum eſt, qua cura obſcuritatem natalium celare ſtudeant ii, qui ſperant celari poſſe. Eſt id humanæ infirmitatis, quod cum in omni mortalium claſſe videre eſt, tum magis fortaſſe inter eos, quos pares quodammodo color veſtium, & commune inſtitutum vitæ facit. Sacchinus humilitatem originis ſuæ adeo non diſſimulabat, ut oſtentaret potius, atque ultro ignorantibus ingereret. Accidit, ut Romam e nativo pago adveniret pater ipſius ſenior. Is, viſendi filii percupidus, contendit in collegium Romanum recta; utque erat in amictu ruſticano, ac parum ſane decenter comptus, ita filio ſe obtulit, dum maxime ille in ſplendida litteratorum ac nobilium corona orationem luculentam habebat. Vetulum ut conſpexit Sacchinus, nihil conturbatus, ſurrexit honoris cauſa, ſubeuntem amantiſſime ſalutavit; eoque conſidere parumper juſſo, auditoribus, qui hærebant admiratione defixi, ſignificavit, quem viderent hominem, ſuum parentem eſſe: attonitis ad eam rem pleriſque adſtantium, quibus utrumque novum accidit, & tam obſcuro eſſe illum genere, & tam illuſtri virtute. Tantæ demiſſioni, ut ferme uſuvenit, virtutes cæteræ conſentiebant. Obedientia ad majorum nutus ſemper prompta, amor paupertatis ſummus, cuſtodia legum domeſticarum exacta, uſus demum orandi, & conjunctio cum Deo tanta, ut inter multiplices ſui muneris curas unum cogitare Deum videretur. Qua animi tranquillitate ſemper vixerat, eadem mortem etſi immaturam excepit: nec temere exiſtimarunt domeſtici, inſtantem migrationis diem fuiſſe illi divinitus prænunciatum. Triduo certe ante quam moreretur, cum rem divinam feciſſet, videreturque ut cum maxime valens, miſit ad Præpoſitum Generalem nuncium, ſe tunc ad valetudinarium properare, ac brevi eſſe moriturum, quod re ipſa accidit.

2. Collegium Illyricum Laureto Romam translatum.

Eodem anno excurrente, reſtituitur Laureto ſimul, & Societati collegium Illyricæ juventutis, quod utrique plures ante annos ademptum, aliumque in locum, & ad alios moderatores translatum fuerat. Ut quæcunque pertinent ad hoc argumentum quam breviſſime peragam, Gregorius XIII. jam inde ab anno ſuperioris ſæculi octogeſimo inſtituerat, ut delecti ex Illyrica natione clerici triginta alerentur Laureti, ac bonis artibus formarentur ſub diſciplina noſtrorum, quem in uſum penſionem annuam aſſignaverat ex ſacræ ædis proventibus perſolvendam. Contubernium ita conditum, nec minus pietate quam litteris florens, Clemens VIII. duodecimo poſt anno diſſolverat: ne tamen fructu Gregorianæ beneficentiæ omnino Illyrica gens fraudaretur, duodecim collegii ejuſdem alumnos tranſtulerat in Seminarium Romanum, alendos uti prius expenſis Lauretanæ domus, & a noſtris hominibus educandos. Eos loco moverat denuo poſt annos ſeptem: cumque hoc medio tempore collegium erexiſſet Romæ, quod nunc ab ipſius nomine Clementinum appellatur, huc alumnos Illyricos migrare juſſerat, fruituros in poſterum inſtitutione Patrum de Somaſcha, quibus collegium illud nobiliſſimum commiſſum eſt. Sed neque hic perpetuo conſtiterunt. Urbanus VIII. animo reputans, commodiſſimum eſſe trajectum ex Illyrico in Picenum, Adriatico tantum ſinu interjecto; æquum præterea exiſtimans, ut gentis illud unicum ſeminarium quam minimum abeſſet a ſacrata Virginis domo, quæ ex ora Illyrica in Picenam fuiſſet olim advecta: alias demum Lauretani oppidi commoditates, quas ob oculos habuiſſet collegii fundator Gregorius, pro merito æſtimans; optime conſultum iri cenſuit Eccleſiis Illyrici, ſi contubernium nationis illius in ſedem ſuam priſtinam, & in formam a fundatore decretam reſtitueretur. Auditis ergo Cardinalibus Congregationis de propaganda fide, iiſque conſilium

3. Iterum Laureto, & Societati redditur.

cum

Digitized by Google

cum magno assensu probantibus, decrevit ut remitterentur Lauretum alumni, augerentur numero, atque iterum Societati subjicerentur. Diploma hac de re dedit Pontifex ordini nostro præclarum, amplissimis verbis prælocutus, ea se ad id decernendum moveri præsertim causa, quod experientia compertum esset de singulari diligentia, integritate, fide, qua educari solerent ab hominibus Societatis adolescentes in ejusmodi seminariis, & olim Illyrici nominatim educati fuissent.

4. Res Provinciæ Venetæ. Academia in collegio Mantuano inchoata.

Simili judicio in provincia Veneta nostrum ordinem illustravit Ferdinandus Mantuanorum dux, novum instituens in collegio Mantuano gymnasium, ubi publice traderentur disciplinæ omnes ac litteræ, & aliqui semper nostrorum juvenum philosophicis ac theologicis studiis operarentur. Princeps humanis divinisque litteris non leviter tinctus, & pridem S. R. E. Cardinalis, non ita regnandi curis absorbebatur, ut non identidem superioris ætatis studia recoleret. Hæc sæpius retractanti, venerat in mentem aperire Mantuanis lyceum omnium disciplinarum, earum vero quas docere solet Societas, professores sumere de Societate. Negotium apud se deliberatum, & Romæ apud Præpositum generalem compositum, Mantuæ feliciter inchoaverat anno labentis sæculi vigesimo tertio. Evocati fuerant in illud collegium ex omni provincia professores idonei, publicatum novum generale gymnasium, primas prælectiones ipse Dux magna nobilium corona stipatus honestaverat præsentia sua, summis infimisque recognoscentibus commune civitatis beneficium, sibique gratulantibus, quod litterato subesse Principi contigisset. At cœptis adeo secundis objecta mox fuerat præter expectationem mora, quæ nihil fere spei reliquum faciebat. Dotem novi gymnasii constituerat Ferdinandus in pingui sacerdotio, quod jure, ut vocant, patronatus beneficiarium erat ipsius: nec enim dubitabat, quin donationem Pontifex maximus ratam habere vellet. At sua illum fefellerat opinio. Sacerdotium abstulerat a Pontifice magnus Præsul, cui Princeps justas ob causas cogebatur illud utendum permittere: hoc autem sublato censu, non apparebat unde confici negotium posset. Actum proinde putabant nostri de academia vix instituta. Princeps de ea nec verbum faciebat, illatum de industria sermonem abrumpebat; prorsus ut videretur ejus perficiendæ curam penitus abjeciisse. Et forte abjecerat: cum accepit litteras Eleonoræ Imperatricis sororis suæ, quæ cessantem ad perficienda cœpta incitaverunt. Iis litteris amantissima nostri ordinis femina significabat, perjucundum accidisse Cæsari ac sibi, quod audierant de collocato Mantuæ gymnasio academico, primisque in eo partibus Societati traditis: id enimvero glorioſum ipsi fore, nec leve commodum civitati allaturum: tantum optare se, ut opus egregio consilio cœptum, stabile ac perpetuum esset. Sororis nequaquam ficta gratulatio vetus refricuit studium, eosque stimulos addidit Principi, ut operi manum ultimam continuo adhibuerit. Quosdam possidebat fundos, sibi nuper in ditione Corrigienſi acquisitos. Eos collegio attribuit statim, coemptisque ædibus, & ad præsentem scholarum usum accommodatis, academiam perfecit. Quam large dotata fuerit, argumento esse potest, quod fine anni censebantur in collegio Mantuano socii amplius quinquaginta.

5. Hortatu Imperatricis Eleonoræ, ac Ducis sumptu perficitur.

6. Templum Societatis Bononiæ multis incommodis obnoxium.

Beneficium in speciem exilius, quod optatissimum tamen erat, debuerunt eodem anno socii Bononienses Archiepiscopo ejus urbis Ludovico Cardinali Ludovisio, cujus erga nos egregia voluntas & merita tandiu vivent in memoria Societatis, quamdiu ipsa Societas vivet. Ædes Luciæ sacra, quam ante annos sexaginta Pius IV. Pontifex attribuerat nobis Bononiæ, curialis erat, & curiæ quidem perfrequentis: quæ res, ut æstimare pronum est, non exiguum nostris ministeriis incommodum afferebat. Canonici præterea quidam regulares vetus in ea jus veluti patronatus exercebant, & a nostris certa quotannis servitutis signa exigebant, quorum illud gravissimum, quod sæpius intra annum in S. Luciæ majorem peragebant liturgiam, & omnino ut in templo sui juris dominabantur. Ob hæc deliberaverant sæpe nostri de transferendo in aliam urbis

Digitized by Google

urbis regionem collegio, aliaque ſibi comparanda æde, quæ tot incommodis non eſſet obnoxia: ac feciſſent plane, niſi intra ædes Lucianas cubiculum extitiſſet Xaverii quondam hoſpitio conſecratum, quod tanti viri monumentum relinquere moleſtum erat. His ita ſe habentibus, Bononiam venit ad ineundam Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem Ludovicus Ludoviſius Cardinalis: atque ut audivit noſtrorum querelas, faciendum ſibi ſtatuit, ut tot incommodis Societatem eximeret, ſuumque illi templum liberum, & immune ab omni ſervitute præſtaret. Et vero præſtitit. Ad Canonicos regulares quod attinet, inter illos & noſtros certas conditiones dixit, in quas utrinque ex æquo & bono conventum eſt. Parocho S. Luciæ annuam penſionem obtulit, ac facile perſuaſit, ut munus laborioſum, ſalvo muneris emolumento, dimitteret. Gravioris negotii erat amovere antiquiſſimam curiam, quæ in æde Luciæ ſemper fuiſſet: tamen partitus plebem inter duas proximiores parœcias, rem nobis optatiſſimam ſine cujuſquam damno, aut querela confecit. Hujus lætitiam rei auxit incredibiliter oblatum repente ſubſidium in fabricam ejuſdem ædis, quam ante duos annos noſtri, magis pro tantæ urbis dignitate, quam pro præſenti copia moliri cœperant. Affuit porro ſubſidium, qua parte minime expectandum videbatur. Patres Victorianus Premolus, & Franciſcus Stadiera, venerant cum evangelico miniſterio Gazium (montanum oppidum id eſt territorii Bononienſis, diei iter a Bononia), ac præter alia multa non improſpere geſta, veteres extinxerant inimicitias, quas inter ſe capitaliter exercebant duæ nobiles & opulentæ familiæ, Tanaria hinc, inde quæ dicebatur a Villa. Ejus officii cauſa cum benevolum erga nos animum induiſſet Scipio Tanarius, vir ordine ſacerdos, ſtatuerat bona ſua relinquere collegio Bononienſi, cum hoc ut in ædificium novi templi impenderentur. At pium viri propoſitum multis litibus & contentionibus remorabatur ejus frater Bernardus, neque id tamen ulla erga nos malevolentia (erat quippe rebus noſtris addictus), ſed tantum ut hæreditatem ad ſe traheret. Accidit, ut gravi morbo Bernardus corriperetur. Perculſus metu vicinæ mortis, curſorem continuo mittit Bononiam ad collegii noſtri rectorem, unum aliquem ſociorum flagitans, qui morituro aſſiſteret. Adeſt nulla mora Sacerdos: ægroto peccata confitenti animum & aures præbet, angores eximit, ſpem optimam vitæ melioris ingerit. Agi cœperat de teſtamento. Sacerdos procul abſiſtere, ac ne audire quidem de illo velle: non de caducis rebus, ſed de ſempiternis acturum ſe veniſſe dicere. Scribuntur nihilominus tabulæ, quæ cum poſt teſtatoris obitum reſignatæ fuerunt, magnam vulgo admirationem commoverunt. Iis tabulis Bernardus, non ſolum quod decreverat ipſius frater de bonis in uſum ſacri ædificii relinquendis probabat, verum etiam ſua ipſe bona in eundem uſum tranſcribebat. Uſque adeo variant hominum viventium, ac morientium judicia.

7. Iis eximitur auctoritate Archiepiſcopi Cardinalis.

8. Novum ex inſperato ſubſidium in ejuſdem fabricam.

Deceſſerunt interea provinciæ Venetæ Patres egregii duo, Ludovicus Foliatus, & Alexander Caprara, quorum eſt memoria annalibus conſignanda. Foliatus, patria Brixienſis, numerabat vitæ annos tantum quadraginta, quorum viginti circiter in Societate confecerat. Peregrinationem indicam ſummis precibus expetierat eo animo, ut pro Chriſto mori contingeret. Diu dilatus a Mutio, dum Ravennæ collegii proventus adminiſtrat, eodemque tempore juvandis proximis haud ſegniter operatur, laborum ac vitæ finem attigit, poſtridie Idus Septembres. Nulla eſt hominis religioſi propria laus, qua non inſigniter emineret. Curator licet rei œconomicæ, nec frigidæ ciathum audebat haurire, niſi prius veniam impetraſſet. De ſe tam humiliter ſentiebat, ut nihil infra duceret. Ægrotus rogavit medicos, ne ſe nullius hominem curarent medicamentis ullius pretii, quæ aliis deberi ajebat, non ſibi. Morientium viaticum, licet differendum cenſerent medici, precibus propemodum importunis obtinuit, eoque vix ſumpto, præ ardore febris mente motus eſt, nec ante ſibi redditus, quam ſacro inungendus oleo fuit. Tunc, integris omnino ſenſibus, iterum atque iterum monuit circumfuſos lectulo Patres, ut humi procum-

9. Obitus & elogium P. Ludovici Foliati.

Digitized by Google

cumberent, & præsentem venerarentur Virginem Dei matrem : nec multo post extremum spiritum duxit, Caprara, ex nobili familia natus Bononiæ, raram ingenii præstantiam cum pari virtute ac pietate conjunxit, merito ut dubites utra re plus eminuerit. Vixit apud se usque ad annum ætatis vigesimum secundum; quo tempore latinis græcisque litteris eruditus sub disciplina Caroli Sigonii, tantum profecit, quantum colligere est ex libello *De Benedictione Episcopali*, & ex *Vita S. Petri*, quæ duo opuscula adhuc adolescens latine conscripsit eleganti stilo, ediditque haud vulgari approbatione doctorum. Quantum vero Sigonius discipulo tribueret suo Alexandro Capraræ, quanti ingenium ejus ac judicium faceret, testamento significavit, quo suas lucubrationes illi committebat uni, ut expolitas nempe, ac pro arbitrio suo emendatas vulgaret. Et id quidem Caprara egregie perfecit ex parte. At simul ac volumen est editum *De Regno Italiæ*, vir potentior invasit in cætera magni illius ingenii monumenta, maluitque sua unius esse, quam publica : quo effectum maligne, ne alia similiter in lucem proferrentur. Cæterum in Societate Alexander, etsi litteras colere diligenter perrexerit, præcipuam curarum contulit ad exornandum religiosis virtutibus animum. Variis ministeriis occupatus, privatus & rector, semper domesticis ad omnem sanctitatem exemplo præluxit. Divinarum rerum contemplationi, præter constituta legibus spatia, plures quotidie horas dabat, neque cubitum ante se recipiebat, quam oraset in templo, & ad multam plerumque noctem. Inde illi rerum humanarum contemptus summus, inde amor paupertatis, inde animi demissio, & in omnes effusa charitas, sed maxime in pauperes, quorum grege nunquam non obseptum videres, cum dabat aures in templo pœnitentibus. Ob eximiam sacrarum litterarum, & canonici præsertim juris scientiam, magna erat Alexandri auctoritas, cui momentum addebat non leve integritas vitæ, atque opinio sanctitatis. Mantuæ, ubi diu vixit, ac demum vivere desiit, ad illum unum, tanquam ad oraculum, referebantur quæstiones quæque de moribus difficillimæ. Illum ex ordine quolibet viri gravissimi, illum fidei Quæsitores in rebus dubiis consulebant. Episcopus Mantuanus Franciscus Gonzaga sua illi aperire consilia omnia, nihilque gravius statuere eo inconsulto solebat : ut amicum prorsus, adjutoremque præcipuum pastoralis ministerii habebat. Obiit vir præclarus pridie Nonas Octobris, ætatis anno septimo supra sexagesimum, elatusque est pari domesticorum ac externorum luctu. Canonici primariæ ædis honores funeris illi persolverunt, populus ut virum omnium opinione sanctum concursu maximo celebravit. Nostri vero, non promiscue cum cæteris, sed proprio seorsum sarcophago, qui honor apud nos rarus, eumdem condiderunt.

10. Mors & elogium P. Alexandri Capraræ.

Pari sociorum mœrore abripitur provinciæ Siculæ P. Franciscus Torres; nisi quod hujus jacturam viri acerbiorem fecit ipsius adhuc firma & florens ætas, ac præterea mortis genus, quod non tam naturali morbo, quam tristi eventui luctuosoque fuit imputandum. Nam cum equum conscendisset Messanæ profecturus nescio quo, dejectus humi est tam graviter, ut crus fregerit : quo ex vulnere, post sævissimos cruciatus mira fortitudine toleratos, diem clausit extremum ad Nonas Martii, annos natus quadraginta septem. Cæterum ingenii, doctrinæ, ac sanctimoniæ præsertim magnitudine Torresius sociorum Sicilienium nulli secundus habebatur. Adhibitus initio fuerat tradendis altioribus disciplinis, idque Panormi ac Messanæ præstiterat cum incredibili acclamatione doctrinæ. Eum deinde Mutius traducendum censuerat ad præfecturas, & collegio Drepanitano primum, paulo post Mamertino rectorem imposuerat. At hunc maxime magistratum dum gerit, acerbissimo funere, ut supra demonstratum est, occubuit, regiminis triennio nondum exacto. Fleverunt illum socii Messanenses, ac merito ; vix enim fingi potest religiosi præsidis propria virtus, quæ non esset in Torresio summa. Illud primo fixerat loco, non modo nihil emolumenti esse sibi capiendum ex potestate, sed quæcunque essent domi deterrima, sive in victu, sive in vestitu, ea ad se potissimum pertinere.

11. Res Siculæ. Mors & elogium P. Francisci Torres.

12. Qua norma uteretur in regendis collegiis.

Hoc

Hoc rectoris jus primum ac præcipuum esse affirmabat, quod posset arbitratu suo sibi seponere asperiora, ac viliora. Sic animatus, nunquam inducbat vestem, quam non ante aliquis ex domesticis adjutoribus exuisset. Cubiculum suum adeo non patiebatur ab ullo Fratrum curari, ut potius Fratrum in se curas, & ministeria reciperet ipse identidem, obiretque incredibili alacritate. Septima quaque die, qua die juniores nostri solent in suburbanum animi causa secedere, remanens ipse domi, eam mundabat, atrium & scholas suis manibus everrebat. Persuasum deinde habens, potestatis gladium non esse exerendum, nisi cum necessitas cogit, nihil imperiosius præcipiebat cuiquam, nec fere præcipiebat quod impetrare rogando posset. Multo minus pœnis coercebat quod solis emendandum verbis speraret, atque ex ipsis verbis nunquam adhibebat asperiora, cum tantundem valiturum putabat mite & urbanum alloquium. Postremo reputans, patrem se suorum esse, non principem, nec illam unam religioso præsidi curam incumbere, ut legum & disciplinæ custodiam exigat, verum etiam ut familiæ suæ necessitatibus consulat; sollicite curabat, ne quid domestici desiderarent, quod ad valetudinem & honesta commoda pertineret: qua paterna charitate eos ita devinciebat sibi, nemo ut contristare illum vellet, nemo hortantem monentemque fastidiosius audiret, sed magis ejus nutus voluntatesque exequerentur cuncti certatim, & quasi obsequio præverterent. At non item Torresius erga se mansuetus, ac mitis. Diceres, exhausta erga alios benignitate, nihil illi fuisse reliquum quod sibi impenderet. Victu utebatur parcissimo, nunquam delicatiore, aut exquisito. Pervigilia B. Virginis solo pane & frigida transigebat. Quotidie se flagris immitibus concidebat. Somnum carpebat brevissimum, nec unquam sine doloris sensu, molestiaque. Ubi cætera deessent, hærebat lateri cilicium setis asperum, quod sibi olim præcinctum, deinceps nunquam abjecit. Paupertatem ita colebat, ut nemo magis. Sæpe in triclinio gaudebat mendicato vivere, non alios gustans cibos, nisi quos de genu corrogasset ab assidentibus mensæ Patribus. In illo diffracti cruris infortunio, quod supra narratum est, vir tantus, & collegii rector, minime passus est scindi calceum, qui non aliter extrahi videbatur posse: negavit nempe tanti esse se, ut pro salute sua perdendus esset calceus, cætera detritus. Moriens nihil amplius admonuit circumfusos lecto socios, nisi ut beatam Dei Parentem impense colerent ipsi, ejusque cultum pro viribus amplificarent. Ediderat illum in lucem Panormum, Societas ab annis undetriginta inter suos censebat.

13. Quam rigidum exerceret imperium erga se.

Etiam provincia Germaniæ superioris luctuosum habuit anni labentis initium obitu P. Jacobi Gretseri, cujus eruditione & virtutibus, non ea solum provincia, sed universa Societas illustrabatur. Quam non æstive instructus esset a litteris, quam solida, quam multiplex, quam exquisita ejus esset litteratura, diserte testantur libri amplius centum ab eo editi, quorum indicem legere est in Bibliotheca scriptorum Societatis. Aciem ingenii perspicacis præcipue strinxit Gretserus contra errorum architectos: Societatis deinde institutum contra calumniatores egregie propugnavit, non tantum adductus amore veritatis, & odio mendacii, sed etiam quia Societatis famam arbitrabatur ad Ecclesiæ munimen non mediocriter pertinere. Theologiam annis uno & viginti docuit in Academia Ingolstadiensi; eodemque tempore, quod vix credibile videatur, otium nactus est, quod aliis quoque ordinis ministeriis impenderet, promptus semper ac paratus ad omnes moderatorum nutus, seu dicere juberetur ad populum, seu confitentes audire, seu ad proximos pagos excurrere diebus festis. Neque vero minori tenebatur orandi studio, quam legendi scribendique. Ad quotidianas, & communes apud nos preces, quod pensum religiosissime semper peregit, bene multas addebat pro defunctis, & iis maxime, qui bene de re nostra communi essent meriti. Ut audierat, novum alicubi domicilium Societati fuisse conditum, pro fundatore quinquagies tertiam quam vocant rosarii partem decurrebat. Et fama est, quosdam post mortem sese illi spectan-

14. Res Germaniæ Superioris. Mors & elogium P. Jacobi Gretseri.

Digitized by Google

dos exhibuisse, ut precum suffragia expoſcerent, Splendorem & pompam, quidquid ageret ſcriberetve, Gretſerus ſemper fugit, ſilentium ubique ac tenebras captans, Hominum laudibus adeo nihil delectabatur, ut offenderetur illis potius, ac turbaretur. Nomen ſuum libris, quos edebat, præſcribi moleſte ferebat: oris vero effigiem coloribus adumbrari, nunquam eſt paſſus. Ortum habuerat Marckdorfii, in oppido Acronianæ regionis. Marckdorfienſes, qui tali cive plurimum gloriarentur, miſerant Ingolſtadium legatos cum mandatis, ut ejus imaginem coloribus conficiendam curarent; hanc nimirum decreverant in ædibus publicis perpetuo ſervandam, ad communis patriæ decus & ornamentum. Ut multum conarentur legati, nunquam ab homine modeſtiſſimo impetrare potuerunt, ut ſe pingi ſineret. Jumentum, ajebat, cives mei pingendum curent, habebuntque imaginem mei quam ſimillimam. Tam de ſe abjecte ſentiebat, qui erat omnium opinione doctiſſimus, totaque Germania ut ævi ſui miraculum celebrabatur. Tot virtutibus cumulum addidit patientia diuturnis probata morbis, quibus demum conſumptus eſt Ingolſtadii III. Cal. Februarii, anno ætatis ſexageſimo tertio, ab inita Societate ſeptimo ſupra quadrageſimum. Sed omiſſis tantiſper laudibus mortuorum, ad viventium labores ſtilum convertamus.

15. Spiritualium exercitiorum fructus Landiſhuti.

Landishuti duo noſtrorum excolendum ſuſceperant ſacrarum virginum monaſterium, cujus erat diſciplina ex magna parte collapſa. Sacris B. Ignatii commentationibus perfecerunt, ut brevi ſua loco dignitas redderetur. Excitata eſt inter virgines pietas priſtina, ſancita animorum concordia, mores ad primævæ inſtitutionis formam revocati. Inducta ibidem pia conſuetudo divinas quotidie res meditandi, neque id tamen ad cujuſque libitum, ſed ad præfinitam temporis menſuram. Denique, ne præſens ardor iterum diuturnitate temporis refrigeſceret, communi virginum conſenſu lata lex, ut in poſterum religioſæ profeſſionis ſacramentum inſtauraretur in annos ſingulos, præmiſſo trium dierum ſeceſſu, in quo ſingulæ moniales uni Deo ac ſibi vacarent. Erant alii duo parthenones in Helvetia, Rathuſenſis, & Eſchembachenſis, quibus per annos triginta collegium Societatis Lucernenſe miniſtros pœnitentiæ dederat. Hoc noſtri onus, etſi a legibus inſtitutiſque ſuis alienum, ſuſceperant ex obedientia Romani Pontificis, tulerantque præſcripto temporis ſpatio, quod in hunc annum deſinebat. Jam ergo rector collegii Lucernenſis P. Jo. Baptiſta Cyſatus, ſolutum ſe ab ea cura exiſtimans, virginibus utriuſque monaſterii ſignificari juſſit, ut deinceps aliunde ſibi quærerent ſacerdotes, quibus a confeſſionibus uterentur. Id ſtatim atque Lucernæ reſcitum eſt, dici vix poteſt quam indigne acceptum vulgo fuerit, maxime a Senatoribus. Nullo modo permittendum ajebant, ut Societas ſe abdicaret munere ſemel ſuſcepto. Erant qui noſtris minarentur exilium, niſi pergerent quas dixi virgines, ut hactenus fecerant, audire pro confeſſione, & ad pietatem inſtituere. Commotus præ reliquis eſt Apoſtolicus Nuncius, Alexander Scappius: utque habebat a Pontifice mandata, ne noſtros ſineret ab impoſito ſemel miniſterio deſiſtere, de rectore queſtus graviter, quod rem ejuſmodi inceptaſſet inconſulto ſe, eidem pro Nuncii poteſtate præcepit, ne monaſteria deſereret. Juſſa fecerat jam obedienter rector, jam procerum indignatio conquieverat: cum novum Pontificis diploma allatum eſt, quo injuncta pridem illarum virginum procuratio Patribus prorogabatur ad plures annos.

16. Noſtri duorum Parthenonum curam gerere coguntur inviti.

17. Moleſtiæ noſtro miſſionario illatæ ob ſodalitates Roſarii.

Gravioris negotii fuit litem componere, qua inſignis operarius Societatis, P. Joannes Faber, implicitus inveniebatur ob cauſam nunc explicandam. Celebrabantur tota Helvetia apoſtolici viri excurſiones, pietati utiles, populis ſaluberrimæ: erat autem illius ſtudium fere præcipuum, ut cultum divinæ Matris quibuſcunque poſſet modis augeret. Inter cæteros colendæ Virginis modos, Roſarium maxime prædicabat, ac paſſim ditionis Lucernenſis Curionibus perſuadebat, ut in ſuis quiſque eccleſiis roſarii ſodalitates inſtituerent: quod tamen ut rite fieret, prius impetrandum curaverat a generali Magiſtro ordi-

Digitized by Google

ordinis Prædicatorum diploma, ut quaſcunque Parochi erexiſſent ſub roſarii titulo ſodalitates, eodem eſſe jure cenſerentur atque illæ, quæ in eccleſiis ordinis Dominicani ubique gentium ſunt inſtitutæ. Ecce autem id agenti obloqui ex adverſo vir ordine religioſus, multaque in vulgus ſerere, quæ pio concionatori conflarent invidiam. Nullas nempe eſſe ſodalitates ita conditas: quod obtenderetur diploma, dolo malo extortum fuiſſe; Jeſuitam in eo negotio ſimoniacæ labis infamia non carere. Quibus ſermonibus difficile eſt explicatu, quantum offenderentur credulæ plebis animi. Offenſio ut tolleretur, placuit deferre cauſam ad Apoſtolicum Nuncium Alexandrum Scappium, cujus ſententiæ parerat omnes ex æquo acquieſcere. Cauſæ cognitionem cum peregiſſet accurate Nuncius, accuſatorem calumniæ damnavit, Fabrum vero, non modo crimine, ſed etiam ſuſpicione criminis liberavit, juſſitque pergere, uti cœperat, ſodalitia roſarii pro viribus propagare. Eo decreto videbatur omnis controverſia compoſita, non fuit tamen. Extitit haud multo poſt alius ejuſdem ordinis religioſus, qui haud minore contentione adverſus Fabrum, & inſtitutas ab eo ſodalitates inſurrexit. Is quo facilius ad ſilentium compelleretur, itum eſt per litteras ad generalem Magiſtrum ordinis Dominicani Seraphinum Siccum, impetratumque ab eo tale diploma, quod omnem in poſterum dubitationem eximeret. Per hanc occaſionem Siccus, beneficium ut cumularet, dediſſe dicitur ad Fabrum officioſiſſimas ſuper negotio litteras, eique impenſe commendaſſe, ne remitteret de pio ſtudio, quo roſarii religionem amplificare inſtituiſſet. Illud ſane conſtat, perrexiſſe exinde Fabrum inſtitutum exequi, nemine interpellante. Nec oſtenta defuerunt, quæ ipſius cœpta divinitus comprobarent. Glaronæ, dum oppidani certatim novo ſodalitio ſe aggregabant, conſpecta eſt ſupra curialem ædem Virgo beatiſſima in aere ſublimis una cum S. Dominico, quaſi delectaretur pio concurſu & ardore civium, eoſque nomen dare ſodalitati geſtientes in ſuam clientelam acciperet: cujus rei fama regionem pervagata, mortalium innumeros excitavit, ut vellent Angelorum Reginam tali genere obſequii demereri. Jam ergo ſodalitia civitates quæque depoſcebant, in iis profiteri nomen ſummi infimique feſtinabant. Aræ in ejus honorem paſſim communi ſumptu erigebantur, utque ornarentur quam ſplendidiſſime, certabatur. Solummodo pagi cujuſdam incolæ oblatum a Fabro ſodalitium contumacius repulerunt: at non impune. Pagus haud multo poſt, quod non ſine vulgi admiratione notatum eſt, incertum quo caſu, ſubito incendio conflagravit: rem ita pleriſque interpretantibus, ac ſi pœnas illi darent contemptæ religionis.

18. Præciduntur auctoritate generalis Magiſtri ordinis Prædicatorum.

19. Cultus Roſarii miraculis comprobatur.

Per hæc Friburgi in Helvetia, quod dudum erat in votis ut corpus ven. P. Petri Caniſii ab æde curiali, in qua jacebat, ad propriam Societatis transferretur, perfectum eſt: magno tamen labore, & longa negotiatione perfectum, ut hoc loco aggredimur a ſuis initiis exponere. Ante annos viginti octo, cum deceſſit Caniſius, erat quidem Friburgi collegium Societatis, ſed proprium collegio templum nondum erat. Quocirca illato funere in S. Nicolai, ædem urbis primariam, ibi compoſitum fuerat venerabilis viri corpus ante aram principem. Hunc locum, increbreſcente fama beneficiorum, quæ Caniſium invocantibus præſtabantur, cives & accolæ incredibili concurſu, ac religione celebrabant: cum noſtri, qui propriam interea ſibi extruxiſſe ædem, æquum exiſtimantes, ſodalem ſuum apud eoſdem requieſcere mortuum, inter quos vixiſſet, repoſcendum a Canonicis pretioſum pignus ſtatuerunt. Auditi hac de re ſemel, iterum, ac tertio; ſemper, qui erat planus negandi modus, dimiſſi fuerant ſine reſponſo. Cum appareret, ſine valida deprecatione confici haudquaquam poſſe negotium difficile & impeditum, deprecatorem denique adhibuerunt Sedis Apoſtolicæ Nuncium apud Helvetios, Alexandrum Scappium, qui, ut erat vir æquus in paucis, & noſtri nominis amantiſſimus, minime recuſavit tam juſtæ cauſæ patrocinium ſuſcipere: cumque adveniſſet forte Friburgum, nihil non egit cum Canonicis, ut Caniſii

20. Patrum Friburgenſium curæ de recuperando corpore V. P. Caniſii.

reli-

Digitized by Google

reliquias redderent Societati. Post multa ultro citroque jactata, eo denique rem adduxerat, ut Canonici responderent, se enim vero reddituros, si tamen Senatus urbis consentiret, si Societas certas quasdam conditiones admitteret: quo responso erectus in spem negotii feliciter conficiendi, dari sibi senatum petiit. Datus est: non ille tamen ordinarius capitum viginti quatuor, sed qui extraordinarius dicitur, constans senatoribus omnino ducentis. In eo consessu peroravit Nuntius pro jure Societatis tam diserte, graviter, & apposite, ut re in deliberationem missa, perrogatisque suffragiis, vicerit eorum sententia, qui Societati favebant. Verumtamen quæ additæ sunt conditiones, nisi saltem ex parte mitigarentur, minime videbantur nostris admittendæ. Prima erat, ut si Canisius Ecclesiæ fastis aliquando inscriberetur, Canonici servandum in æde sua reciperent ejus caput, & unam costarum. Altera, ut servaretur interea depositum sub tribus clavibus, quarum unam nostri custodirent, Canonici alteram, tertiam Magistratus urbanus. Postrema, ut quæcunque ad Canisii sepulchrum offerrentur a pietate fidelium, eorum dimidium Canonicis cederet in usum fabricæ, & sartatecta templi. Primam nostri conditionem admittebant facile, nec inviti. In secunda non nihil hærebant. At postremam de pecuniis ad Canisii tumulum sponte inferendis, minime inducere poterant animum ut ratam haberent: inde enim videbant consequi, ut exstare deberet in ipsorum templo arcula ad excipiendas piorum largitiones, quæ res, licet usurpetur alibi passim, a nostris moribus & institutis alienissima est. His de causis tunc ab incepto destiterunt, malueruntque rem cæteroqui optatissimam in aliud tempus differri, quam iis conditionibus confici. Post aliquot menses, denuo itum est ad Senatum ordinarium, neque id tamen postulatum, ut majoris consilii decretum mutaret statim, sed tantum ut designaret de suo corpore lectos viros, qui nostrorum querimonias exciperent, & ad ipsum referrent. Æqua postulari Senatus censens, præfecit huic negotio septem ex prudentioribus civitatis, qui, auditis per otium Patribus, facile intellexerunt, eos de duabus ultimis conditionibus juste queri, facile id etiam suis collegis persuaserunt. Quod tamen poscebatur, ut mitigarentur a Senatu conditiones, quas & Societati graves, & minus æquas esse constaret, id impetrari nullo modo poterat. Obstabant Tribuni plebis, ac tale decretum negantes posse fieri sola ipsius auctoritate, cogendum contendebant, ut in negotiis gravioribus, consilium extraordinarium, ad ejus judicium cognitionem causæ rejiciendam: qua moti interceſſione Senatores, id modo statuerunt, ut res ad consilium publicum referretur. Dolebant nostri, corruptum ita esse negotium quo maxime tempore videbatur prope confectum, ac de illius exitu penitus desperabant. Nam quis putaret, consilium extraordinarium, cœtum illum tot, tam variis constantem capitibus, a priore sua sententia discessurum, & in eam rem, de qua nec audire vellet, consensurum? Perspicere tamen licuit, quam facile ad Dei nutum flectantur hominum voluntates. Ad dictam diem tota consiliantium multitudo confederat. Proferuntur in medium postulata nostrorum, sententiæ perrogantur. Mirum dictu! Mutaverunt momento animi sic, ut præter primam illam ex propositis conditionibus, in quam nostri ab initio consenserant, nihil amplius exigendum censuerint, nisi ut Patres ossa Canisii custodirent sub gemina clave. Fit hac de re Senatus consultum, quod cum scriberetur, illud addendum curarunt Tribuni plebis, ut clavium una urbano magistratui traderetur.

21. Conditiones exiguntur parum æquæ.

22. Mitigantur conditiones, negotium ex insperato conficitur.

23. Corpus Canisii coram testibus recognoscitur.

His ita ex sententia confectis, constituitur transferendo corpori dies secunda ex paschalibus, quæ mensis Martii erat ultima: ad eandem diem indicitur solemnis supplicatio, apparatu quam posset splendidissimo, quantumvis funebri, peragenda. Ut illuxit quam dixi dies, cerneres urbem totam miro hominum concursu, ac motu æstuantem. Fama insolitæ celebritatis ex omnibus circum locis tam multos exciverat, ut nemo tantam Friburgi frequentiam se vidisse diceret. In S. Nicolai conventum est adeo confertim, ut multitudi-

Digitized by Google

tudinem ſe comprimentem ædes quantumvis ampla non caperet. Relictum fuerat ex templi parte ſuperiori, prope Caniſii tumulum, loci ſpatium pro Senatu, pro Burgundiæ præſide Catholici Regis legato apud Helvetios, itemque pro noſtris, & quibuſdam paucis ex ordine ſacerdotali. Altera poſt meridiem hora affuerunt Senatores, ſummotaque utcunque turba, in templum introducti fuerunt. Iis inſpectantibus, refoditur venerabilis viri ſarcophagus, in medium trahitur, recluditur. Reducto operculo, quod humore loci pene putruerat, apparent oſſa carnibus magnam partem exuta, integro tamen capillo, & barba. Nullus inſpiciendi, ac venerandi erat modus. Ut ſatis intuentium cupiditati factum, excipitur velo linteo compages oſſium, & in apto feretro, quod erat holoſerico conveſtitum pulchre, collocatur. Tum, gravioribus collegii Patribus ſuccollantibus, feretrum extra eccleſiam effertur. Ad ducendam pompam adhibendos noſtri cenſuerant collegii ſui ſcholaſticos, qui proinde bini, & in longos ordines diſtributi præiverunt. Singuli accenſas manu faces ferebant: modeſtia, gravitate, ſilentio, ſpectantium animos defigebant. Agmen claudebat ſacerdos Societatis, lineo amiculo, & pulla ſtola ſpectandus. Circa feretrum alii adoleſcentes in veſte lugubri faces ſublimes geſtabant. Pone ſequebantur collegii noſtri Patres, quos Clerus urbis excipiebat. A tergo Magiſtratus cum Senatoribus, Burgundiæ præſes, demum omnis ætatis atque ordinis multitudo promiſcua. Quacunque iter fuit, viæ hominum agminibus obſidebantur. Vix alicubi perrumpere turbam licuit, viſendi ſtudio irruentem, & precarios globulos feretro admoventem. Ut ventum in noſtram ædem, ſpargitur de induſtria rumor, non niſi perendie Caniſii corpus humatum iri: ejus itaque videndi copiam fore die poſtero. Subdubitantibus e populo multis an hæc vere dicerentur, ægre impetratum hora poſt ſolis occaſum tertia, ut omnes abſcederent. Par poſtridie frequentia, major tumultus. A ſummo mane uſque ad veſperam exundavit templum viris feminiſque, nobilibus, ac plebejis, cunctis videre exuvias venerabilis viri, atque oſculari cupientibus. Die tertia replebatur ſimiliter templum, niſi occluſæ fores fuiſſent. At nemo admiſſus ea die, præter utriuſque ordinis, eccleſiaſtici & civilis, principes. His coram e feretro educuntur oſſa pretioſa, & breviori in loculo componuntur. Loculus vero ipſe, incluſus in arca lignea, ante aram maximam tumulatur, addito brevi titulo, cum indicio diei & anni, quo hæc acta fuiſſent. Exinde populi concurſus, qui antea fieri ſolebant in S. Nicolai, ad ædem Societatis translati. Ac ſecundum hæc noſtri rogarunt Antiſtitem Lauſannenſem, ut quæſtionem de Caniſii virtutibus inſtitueret, tacita ſpe, ac forte non vana ducti, fore aliquando ut ab Apoſtolica ſede beatorum honores decernerentur viro, cujus immortalia ſunt in Eccleſiam merita.

24. Defertur in ædem Societatis, ibique conditur.

Tridenti interea, quæ notiſſima urbs eſt Comitatus Tirolenſis, novi collegii fundamenta jaciebantur. Ea nimirum civitas, quæ naſcentem olim Societatem tam benigne exceperat in œcumenica ſynodo, quæ recordatione Lainii, ac Salmeronis ad eam amandam excitabatur, ipſius domicilio carere diutius noluit. Ut collegium expeterent Tridentini, multis movebantur cauſis, ſed illa præſertim, quod ad inſtitutionem juventutis ſuæ deeſſe querebantur litterarum & morum magiſtros idoneos. Duæ tamen multum oberant res, inopia cenſus, & Epiſcopi mens a nobis alienior. Ac prior quidem obex fuerat ſuperatus ex parte: Civitas enim offerebat liberaliter ex ærario publico penſionem, qua ſuſtentari poſſent ad quinquennium tres latinitatis magiſtri: at in altero difficultas non levis, nec facile ſuperanda objiciebatur. Tridentinam obtinebat Eccleſiam Carolus Madruccius, magni nominis Cardinalis, eamque, Romæ degens ipſe, adminiſtrandam commiſerat fratris ſui filio Carolo Madruccio, quem etiam ſibi in epiſcopatu ſucceſſorem deſignari curaverat. Epiſcopus, uti dictum eſt, rebus noſtris parum favebat: adminiſtrator, ad ingenium patrui ſe fingens, omnia conabatur, ut Societatem Tridento excluderet. Cum non id ageretur initio, ut noſtri ſtabile domicilium figerent Tridenti, ſed tantum

25. Ortus collegii Tridentini multis implicatur difficultatibus.

ut

Digitized by Google

ut Societatis aliqui ludimagistri scholas ibi exercerent ad annos quinque; Civitas, quæ soleret magistros quos mallet arbitratu suo conducere, bona fide, existimans ad hanc rem sibi quærendum non esse assensum Episcopi, rogavit P. Christophorum Grenzingum Præpositum provincialem, ut nulla mora mitteret tres latinitatis magistros, curæ sibi fore promittens, ne quid illis ad vivendum defieret. Minime abnuebat Grenzingus amantissimis civibus morem gerere: prius tamen ire Tridentum jussit P. Joannem Weltzium collegii Œnipontani rectorem, ut coram inspiceret quo res essent loco, & si quid opus facto esset, deliberaret cum consulibus civitatis. Weltzio in urbem advecto honor a cunctis habitus: locus apud virum consularem, & lautia præbita. Solus ejus adventu conturbatus Episcopus administrator. Non ignarus cujus rei causa advenisset, denunciari illi jubet, ut cum socio quem adduxerat laico quamprimum Tridento excedat, non reversurus nisi accitu Episcopi Cardinalis. Parabat Weltzius jussa facere, sed abire volentem Consules prohibuerunt. Missas a se, ajebant, de toto negotio litteras ad Cardinalem, nec esse dubitandum quin responderet ad votum: & qualiacunque futura essent responsa, eorum saltem adventum expectari oportere. Hoc magis irritatus est infensus Præsul: tamen iracundiam sinu premebat. Venerant ab urbe responsa Madruccii Cardinalis ad eas litteras, quas a civitate missas dicebamus; nec satis explicate colligi poterat quæ circa scholas mens scribentis esset, nisi quod arbitrium ejus rei permittebatur Madruccio episcopatum administranti. Hic contra, ut publicam declinaret invidiam, negabat quidquam a se posse confici, aut debere, nisi ex præscripto illius. Sic ambo, rem alter ad alterum rejicientes ex composito, civitatis vota eludebant, ac rem ipsam trahebant. At tandem, auctoritatem suam interponentibus Ferdinando Imperatore, ejusque fratre Leopoldo Archiduce Tirolis Comite, composita sunt omnia, ac plus etiam quam speraretur confectum. Jam ante Archidux ad Grenzingum Provincialem scripserat, ne Weltzius Tridento moveretur injussu suo: se enim daturum operam, ne ob eam rem Cardinalis Episcopus offenderetur. Nunc vero aggressus negotium de scholis tractare, ad Cardinalem ita perscripsit ipse, ita perscribendum curavit a Cæsare, ut verecundia illi fuerit talibus ac tantis deprecatoribus rem æquissimam poscentibus obsistere. Consensit itaque ut homines Societatis ludum litterarium aperirent Tridenti, unam modo conditionem postulans, ut prius inde Weltzius demigraret. Quo impetrato, ut erat animi vir excelsi, non solum quod de scholis fuerat constitutum probavit, verum etiam Mutio significavit, pergratum fore sibi, si justa sociorum familia Tridentum induceretur, & qualecunque initium collegii fieret: cumque respondisset cum magna gratiarum actione Mutius, nihil futurum moræ quin socii aliquot mitterentur, Madruccio fratris filio mandavit efficacissimis litteris, ut quotquot advenissent homines Societatis Jesu, benigne susciperet, & quacunque posset commoditate juvaret. Ita demum, consentientibus ex omni parte animis, secundissima civium gratulatione, novum a nostris gymnasium apertum est Tridenti VI. Cal. Decembres, eodemque die discipuli in tres classes distributi, sub totidem professoribus institui cœperunt. Magistris additi Patres duo, qui curam rei œconomicæ, ac disciplinæ gererent. Atque hæc habuit primordia domicilium Tridentinum, quod tunc nihil aliud quam paucorum capitum residentia Œnipontano collegio obnoxia, paucis post annis piorum largitionibus ad justi collegii statum pervenit.

26. Quæ interventu Cæsaris, & Leopoldi Archiducis superantur.

27. Res Austriacæ. Viennæ domus Professorum constituitur.

Facilius multo Viennæ novam hoc anno domum Professorum obtinuimus. Dictum est alibi, jussu Ferdinandi Cæsaris addictas fuisse Societati ædes Academiæ Viennensis, in easque nostros ex veteri suo domicilio migrasse. Per eam occasionem vacuum cum fuisset relictum collegii nostri ædificium, illud Cæsar acceperat sibi: non eo tamen acceperat animo ut retineret, sed ut conversum in domum Professorum iterum Societati addiceret. Quod tunc Princeps munificentissimus decreverat, perfectum est anno labente. Vacuas ædes denuo bene-

Digitized by Google

neficio Cæſaris occuparunt noſtri IV. Idus Martii, ac ſub præpoſito Raphaele Cobenzelio ſocii quinque ſupra quadraginta cœperunt, ut in domo Profeſſorum, mendicato vivere, & ſacra duntaxat miniſteria tractare. Nec diu quæſita Patribus rerum gerendarum occaſio. Edixerat Imperator, ne qui Viennæ relinquerentur hæretici, quadrimeſtri præfinito ſpatio, intra quod qui nollet catholicam religionem amplecti, alienatus eſſet jure civium, & ſolum verteret. Curam exequendi decreti cum recepiſſet Magiſtratus urbanus, ſumpſit ex nova Profeſſorum domo duodecim operarios, per quos heterodoxi prava ſectarum dogmata dedocerentur. Ii vero nec ſegniter ad opus aggreſſi ſunt, nec oblatam provinciam ſine fructu peregerunt. Diſtributi per plurima urbis templa, inſtiterunt Lutheranis inſtituendis multos continenter dies, donec publicis ac privatis ſermonibus ad Eccleſiam reduxerunt paulo pauciores mille, inter quos de nobilium ordine numerati quatuordecim. Per hæc, detecta Viennæ, & in aliis finitimis Auſtriæ, & Bohemiæ urbibus peſtilentia exitiali, novus patuit noſtrorum charitati campus, quem non infeliciter decurrerunt. Egreſſi ad loca circumpoſita ſocii Viennenſes, languentibus opem tulerunt: ſimulque præſenti calamitate ad concutiendas hæreticorum mentes uſi, quatuor in oppidis antiquatum catholicæ religionis cultum omnino reſtituerunt. Pergæ, quod oppidum eſt non infrequens ad Danubii ripam, paucis diebus, paucioribuſque concionibus rem confecerunt. Et notatum ibi eſt, cum plerique ex nobilitate & populo ſolemne ſacramentum Romano Pontifici dixiſſent, iis tantum exitialem fuiſſe peſtilentiam, qui animos ad contumaciam obfirmaverant. Apud Padenſes (civitas eſt ad quartum a Vienna lapidem ſedens, thermarum ſalubritate, & nobilium huc valetudinis cauſa confluentium frequentia celebris) jamdiu hæreſis lutherana, opportunitatem loci nacta, placide regnabat in Cæſarum & religionis dedecus. Ut inde exturbaretur, commiſſum Cæſareis miniſtris, ſimulque Societatis Patribus negotium fuerat. Ad nomen Societatis clamor, tumultus, conſpiratio. Arma minitabatur nobilitas: Lutherani paſtores ſexcenta crepabant anathemata: res ad ſeditionem ſpectabat. Viſum optimum factu, ſi publica inſtitueretur concertatio, in qua veritas amice propoſita pateret. Invitati ad eam tres præcipui doctores novitatis, & cæterorum ductores, ſemel, iterum, tertio negarunt ſe adfuturos. Juſſi cauſas recuſandi proferre ſcripto, reſponderunt, nihil eſſe opus concertatione: ageret populus quod cuique videretur: utramque fidem bonam, & ſalutarem eſſe. Hoc reſponſo cauſam ſuam inepti doctores jugularunt. Nihil quippe negotii noſtris fuit perſuadere oppidanis, ut cum bona ſuperum, Cæſaris, ac paſtorum etiam ſuorum venia, catholici, & ſalvi eſſe vellent. Sic ibi, ſic alibi geſta res, multo felicius gerenda, ſi miniſtri Cæſaris pari ubique conſtantia executi fuiſſent ejus decreta. Labaci tamen, in urbe Carnorum principe, reductorum paucitatem compenſavit unius claritas, & amplitudo. Theodoricus ab Averſpergio, provinciæ, ut loquuntur, Mareſcallus, nec ſolum genere & dignitate, ſed etiam ingenio inclytus, licet Calviniſtarum erroribus innutritus a pueritia, offendebatur ratione parum decenti, ac plane tumultuaria, qua ſuam illi cœnam miniſtrabant, ac ſæpe libros de fidei controverſiis lectitabat. Nuperrime, cum fluctuaret in utramque partem, & vehementioribus conſcientiæ ſtimulis ad veritatem impelleretur, adhibere ſtatuit in conſilium Patres Societatis. Eos ut audiit, nulla fluctuatio. In Romanæ Eccleſiæ verba juravit in templo noſtro Labacenſi, & Euchariſtiam ritu catholico ſumpſit, ſpectante frequentiſſima multitudine, ac præ lætitia collacrymante. Factum id Calendis Januarii, quem deinde diem vir eximie catholicus habere conſuevit ex omnibus vitæ ſuæ auſpicatiſſimum, nullum finem faciens gratias agendi Patribus collegii Labacenſis, cui etiam tria florenorum millia donavit grati animi cauſa.

28. Hæretici ad Eccleſiam revocati Viennæ.

29. Aliæ hæreticorum reductiones in locis proximis.

30. Labaci veritatem amplectitur Theodoricus ab Averſperg.

Eodem tempore Tyrnaviæ in Hungaria ætas tenerior ad cultum veræ religionis feliciter adoleſcebat. Noſtrorum diſciplinam ipſimet laudabant hæretici, præſertim nobiles, nec ullo jam reſpectu prohibebantur, ne ſuos liberos ex

31. Opinio de noſtris ſcholis in Hungaria.

Digitized by Google

locis etiam remotioribus mitterent ad Tyrnavienſe gymnaſium, in quo perſuaſum habebant ſic inſtrui litteris & bonis moribus pueros, ut non alibi melius poſſent. Hæc de ſcholis noſtris opinio multo increbuerat magis apud graviſſimos quoſque Catholicorum. Gentis Antiſtites, cum ad deliberandum conveniſſent de re communi, ac de modis præſertim reparandæ religionis, primum omnium multiplicanda cenſuerunt toto regno collegia Societatis, idque in gratiam ſcholarum maxime. Videntes enim, quotquot apud nos educarentur adoleſcentes, cujuſcunque ſectæ parentes haberent, eos ſerius ocyus catholicos fieri, unaque cum politioribus litteris verum dogma condiſcere; ſequi conficiebant, ut ſi multæ eſſent hujus generis palæſtræ in Hungaria, concideret paulatim hæreſis, & catholica ubique res refloreſceret. Cæterum non ſic noſtri circa pueros occupabantur, ut adultorum curam negligerent. Quanta ſedulitate, & quam alieno a rebus terrenis animo ſua miniſteria tractarent, ex una tantum re colligi volo, quam ad ſpecimen cæterarum ſubjicio. Parochus fuit in territorio Judemburgenſi, qui cum vitam egiſſet vitiis ac ſceleribus inquinatiſſimam, nec morti proximus adduci poterat ullo modo, ut reſipiſceret, purgaretque conſcientiæ maculas confeſſione piaculari. Multi illum adierant diverſorum ordinum ſacerdotes, multi admonuerant, ut deſperata præſenti vita ſaltem æternæ conſuleret: omnes redierant re infecta. Suadentibus, rogantibuſque unam infelix reddebat vocem, actum eſſe de ſe, nullam ſalutis ſpem eſſe reliquam. Audivit ea de re unus ex Patribus collegii Judemburgenſis. Nec mora. Ad locum advolat, experturus ſi quam afferre opem morienti poſſet. Hominem reperit jam prope cum morte colluctantem, & corona hæreticorum obſeſſum. Nam quia magnum habere dicebatur pecuniæ numerum, huic rapaciſſimi vultures inhiabant. Nihil motus iſtorum aſpectu pius ſacerdos, accedit ad ægrotum recta, ejuſque in aures ingerit quæ ad excitandam pœnitentiam criminum, & veniæ ſpem videbantur aptiora. Æger ad eas voces, quaſi e gravi ſomno excitaretur, oculos aperire, loquentem aſpectare, emollitæ mentis indicia quædam præbere. Ne multa. De peccatis audiri poſtulat, qui paulo ante velut furioſus bene monentes præfracte contemnebat. Auditur per otium, expiatur, in ſpem vitæ melioris erigitur: nec multo poſt, cœleſti viatico, & ſacro oleo rite munitus, placide expirat, attonitis tam ſubita rerum converſione quos dixi hæreticis, qui nunquam abſceſſerant. Verum his multo majorem admirationem injecit noſtri hominis temperantia, cujus exemplum per eandem occaſionem eluxit. Prius quam Parochus ſupremum ſpiritum duceret, ſeductum tantiſper Patrem admonuerant nequiſſimi helluones, ut percunctaretur ex eo, ubi nam pecunias, quas relinquebat poſt ſe maximas, condidiſſet? Ille indignanti ſimilis, reſpondit, ut evangelico operario dignum erat, libere ac præciſe, non pecunias, ſed animam ægroti ſe quæſitum veniſſe: perrexitque de piis tantum rebus agere uſque ad extremum, confuſis reſponſo improbis, & mentem omni terrena cupiditate majorem admirantibus.

32. Parochi morientis converſio memorabilis.

33. Noſtri Sacerdotis reſponſum notabile.

Dum hæc gerebantur in provincia Auſtriaca, Bohemicam annus peſtilentis graviter exercebat. Pragæ, ubi vis morbi atrocius graſſabatur, dimiſsæ fuerant ſcholæ, ſoluta convictorum, pauperum, & alumnorum Pontificiorum collegia: namque ea contubernia lues, prius etiam quam in apertum prodiret, clade plurium adoleſcentum funeſtaverat. Ex noſtris miſerat extra urbem Rector juniores cum ipſorum magiſtris, tantum retentis domi qui ſacra populo miniſtrarent. Ex his peſte correpti fuerunt tredecim, undecim extincti, quorum vel tantum nomina, nedum virtutes referre longum ſit. Reliqui, licet totos ſex menſes noctu & interdiu in media ægrorum tabe verſati, incolumes evaſerunt. Crumlovii, ut primum detecta ſunt morbi peſtilentis indicia, ægrorum miniſterio ſe devoverat P. Joannes Janus, excellenti virtute operarius. Intra duodecimam diem in acie illa charitatis feliciter cecidit. Vitam egerat Janus dignam tali exitu, multis ſemper ſpectatus virtutibus, ſed præſertim eximia in proximos charitate. Paulo poſt initum tirocinium remiſſus fuerat ad

34. Res Bohemiæ, Sociorum labores Pragæ graſſante peſtilentia.

35. Obitus & elogium P. Joannis Jani.

pater-

Digitized by Google

paternam domum, cauſa ulceris, quo vix non inſanabili laborabat. Valetudine præter ſpem, nec tam medicamentis, quam precibus recepta, rediit ad Societatem, in qua annos deinde ipſos viginti per diverſa ordinis miniſteria, non minus ſtrenue quam utiliter laborans, traduxit, donec laborum ac vitæ quem dixi finem invenit, poſtridie Idus Octobris. Ejus funus curandum ſtatuerant noſtri ſilentio noctis, & ſine pompa, ut tempus & cauſa mortis poſcebat. Sed civitas, ſupremorum celebritate privari non ferens parentem, ut ajebat, ſuum, interfuit magno concurſu. Senatus ipſe, cum univerſo ordine ſacerdotali, & ſymphoniacis, exceptum humeris feretrum inter lucentes circum faces, & concentus lugubres ad tumulum deduxit: quo honore efferri non poterat eo tempore, niſi vir omnium opinione ſanctus.

36. Hæretici magno numero ad Eccleſiam revocati.

At enim, ut nocentior multo eſt animarum peſtis quam corporum, nulla autem exitialior hæreſi, quæ hominum non modo voluntates & mores, verum etiam mentes & judicia corrumpit; ita contra hanc in tota Bohemia Moraviaque noſtri impenſius decertarunt. Sponte currentibus addebat ſtimulos religioſiſſimus Imperator Ferdinandus, qui perduelles tandem ex toto ſubactos novis in dies edictis urgebat, ut vel Romanos ritus ſuſciperent, vel in exilium irent: nuperrime vero diploma quoddam abrogaverat, quod olim extortum fuerat a deceſſoribus ſuis, de falſi cultus impunitate & licentia. In idem ergo conſpirantibus locorum præfectis, expetebantur noſtri homines paſſim, ut populis prava ſentientibus falſam perſuaſionem eximerent. Non facile recenſuerim pagos & oppida, ad quæ ex omnibus provinciæ domiciliis itum eſt. Multo minus rationem inire poſſim eorum omnium, quos intra hujus anni ſpatium noſtri cum Eccleſia conjunxerunt. Sunt oppida non ita pauca, de quibus nihil aliud memoriæ traditum eſt, niſi omnino catholica facta eſſe. Præter hos, quorum eſt numerus in obſcuro, ad Eccleſiæ ſigna revocatos invenio amplius undecies mille: quæ meſſis notabilem ſane annum, & lætum Bohemiæ fecit, meſſorum autem induſtriam magnopere commendavit. Namque, ut anno præterito dicebam, non eſt putandum, aut nullo, aut perlevi negotio actam eſſe rem, ut quam terror legum, & Principis imperia promoverent. Multi, niſi charitate ſubigerentur, nec principalibus edictis, nec pœnis propoſitis flectebantur. Multis tolerabilius erat exilium, quam Romanæ fidei profeſſio, atque illud maluiſſent, niſi errorem dedocti mutaſſent perſuaſionem. Breſnicenſes, ad primam Cæſarei edicti denunciationem refugerant in ſilvas, ſeu territuri, ſive perterriti. Reducti domum cura Premislai Geniſcheki Proquæſtoris Bohemiæ, cohortatione noſtrorum ad ovile Chriſti convenerunt. Pari contumacia fidem apoſtolicam reſpuebant initio Thucovicenſes, Blatnenſes, & Horzowicenſes. Fuit ubi incolæ pro defenſione paterni erroris arma ſumpſerunt. Budditienſes (quod oppidum Cæſar collegio Pragenſi donavit) præfectum ſuum crudeliter interfecerant hac una cauſa, quod eos ad deponendam hæreſim vehementius urgeret. Manetinenſes, noſtri ſacerdotis adventu in ſeditionem coorti, deliberatum habebant ipſum, & totam cui parebant Mitrovuſchiorum familiam prius ferro perimere, quam ſectam deſerere. Marckersdorffienſes, ut avitam ſuperſtitionem tuerentur, dynaſtam ſuum edicta Cæſaris exequentem obtruncaverant. Similia narrari poſſent de aliis populis, quos ad contumaciam obfirmatos noſtrorum flexit induſtria, & paulatim ad ſaniora conſilia revocavit. Diutius certatum cum Czuſtolovicenſibus, quod oppidum jacet prope Zambergenſes montes, occultis olim Huſſitarum, & Thaboritarum conventiculis infames. Rerum ibi potiebatur Otho Operſtorffius, vir ille quidem eximie catholicus, ſed uxorem habens in hæreſi retinenda pertinaciſſimam, cujus exemplo oppidani errorem mordicus defenſabant. Mulier diu ad omnia contumax, multorumque manus eluctata, ceſſit demum noſtri ſacerdotis facundiæ, & ad catholicos ſe recepit. Hac autem velut arce expugnata, deditionem fecerunt ex oppidanis viginti ſupra quadringentos, & criminibus expiati ad ſacram menſam accepti fuerunt. Non nihil ad flectendos iſtorum

37. Cujus laboris fuerit eorum contumaciam frangere.

Digitized by Google

38. Charitatis exemplum a nostro operario editum.

animos contulit exemplum christianæ charitatis, quod ab eodem nostro operario editum conspexerunt. Costeleczii, quod oppidum est Czustolovicio proximum, detinebantur in carcere sontes aliquot, capitali pœna damnati, & ad patibulum propediem producendi. Pridie quam producerentur, ad eos consolandos se contulit noster sacerdos, & impetrata facultate miseros alloquendi, singulos recreavit, expiavitque: mox eosdem ad mortem fortiter obeundam compositos usque ad supplicii locum deduxit, nec ante deseruit, quam ex infelici trabe dejectos vidit. Ea res Czustolovicensibus, qui nihil tale umquam vidissent in suis ministris, id genus officii superbe dedignantibus, adeo præter expectationem accidit, ut dissimulare non potuerint admirationem suam. Itaque redeunti obviam effusi primores loci, eum cum magno plausu & gratulatione exceperunt, amplissimis verbis profitentes, nunquam sibi venisse in mentem opinari, catholicum Sacerdotem, atque ejus auctoritatis hominem, eo usque se demissurum fuisse, ut vellet mortalium abjectissimis inter ministeria carnificum benignitatem impendere: atque exinde ipsius monita promptioribus animis susceperunt.

39. Gitzinensium mira a rebus nostris alienatio.

Uni fuerunt Gitzinenses, apud quos toto anno frustra sudatum est. Coiverant nimirum inter se fœdus impium oppetendæ pro secta mortis, futuri, ut ajebant, beati martyres, si pro tali causa necarentur; si quis vero male promissa non servaret, hunc diris omnibus execrabantur. Præter adolescentes, qui apud nos litteris operabantur, nemo nostros de fidei doctrina differentes audiebat. Civium plerique, non modo colloquium, sed occursum quoque nostrorum vitabant. Neque id satis. Etiam finitimis populis afflaverant nostri nominis odium inexpiabile. Albertus Walsteinius loci dominus, & Fridlandiæ Dux, domum Gitzini fundaverat alendis gratuito centum adolescentibus sub regimine Societatis. Nemo omnium inveniebatur, nec in urbe, nec in oppidis circumpositis, qui vellet beneficio uti. Mille prætexebant causas patres familias, ne suos liberos mitterent ad novum contubernium, ac nisi actum fuisset imperiosius a Principe, ne unus quidem misisset. Venerant aliquando tandem aliqui in collegium pueri; sed iis contra nos opinionibus imbuti, adeo a rebus nostris alieni, ut numquam plane subigendi viderentur. Societatis nec nomen ferre poterant. Suos magistros & præsides, tamquam certissimos deceptores intuebantur, torvis semper oculis, & malignis. Non amice salutantibus salutem, non interrogantibus responsum reddebant. Diu mansit pueris hic habitus animorum, donec comitate, beneficentia, cæteriisque officiis, quibus illa ætas gaudet, paulatim deliniti, diligere ac venerari cœperunt quos prius oderant Patres, atque illis dociles ac morigeros se præbuerunt. Hoc purgandæ ab hæresi civitatis præludium quasi primum fuit. Puerorum exempla sensim grandiorem quoque ætatem post se traxerunt, quodque mirum videri debeat, adolescentuli senibus, liberi parentibus, tum de Societate, tum de religione catholica novos sensus inspiraverunt. Erant illi in amplificando divino cultu nostrorum veluti adjutores, & sedulo suas partes agebant. Æquales veram fidem docebant: damnatæ doctrinæ libros quoscunque habere poterant, suis præceptoribus comburendos dabant; magnam Dei Matrem colebant ipsi incredibili studio, utque ab aliis etiam coleretur, summa ope curabant. Unus magistrum hæreseos, & in illa urbe principem litteratorum interpellare ausus est, unaque interrogatiuncula ad silentium adegit. Affirmaverat homo impudens, non minus impie, quam confidenter, nullo modo posse sub specie panis latere corpus Christi. Id unum quæsivit ex eo puer, crederet ne quod in primo symboli articulo profitebatur, Deum esse omnipotentem? Cui ille nihil inveniens quod contra diceret, pudore suffusus obticuit. Robustiorem virtutem videre licuit in aliis, qui susceptam semel catholicam fidem adversus parentum blanditias, & minas, inter immania verbera, & atrociores injurias constanter retinuerunt. Ut de uno tantum ad specimen cæterorum dicam, filium adhuc teneræ ætatis spoliaverat vestibus pater inhumanus & ferox, muta-

40. Vincitur paulatim comitate nostrorum.

41. Virtutis exempla præclara a pueris edita.

tæ

Digitized by Google

tæ religionis cauſa; calcibuſque dire contuſum, ac ſeminudum, cum horrendis imprecationibus projecerat domo. Recepit ille ſe in collegium Societatis, *gaudens quod dignus eſſet habitus pro nomine Jeſu contumeliam pati*: ubi a noſtris quidem amantiſſime ſuſceptus, decenter indutus, benigne habitus eſt ad multos dies, nec patri niſi ſub certis conditionibus redditus. At quo die in ædes collegii venerat, triumphum pietatis vidiſſes. Ut auditum de adoleſcente profugo, in collegium ovantes & gratulabundi advolarunt reliqui condiſcipuli, factoque ſupplicantium agmine, ſodalem ſuum virenti fronde redimitum in templum deduxerunt, ac certas pro gratiarum actione preces læto cantu peregerunt. Adeo interdum ætatem ſuperat virtus, & pueri grandioribus natu pudorem ineutiunt. Sed de Bohemia ſatis.

42. Res Lithuaniæ. Peſte laborantibus noſtri opitulantur.

Poloniam, ac Lithuaniam anno jam altero vaſtabat atrox peſtilentia, unde noſtris ampla de more patebat ſeges agendi, patiendique. Ut a rebus provinciæ Lithuanæ ducam narrationis initium, quocunque in tam vaſta regione pervaſit lues, ſi ibi erat domicilium Societatis, nec languentibus conſolatores, nec ſacrorum miniſtri morientibus defuerunt. Utque ita plerumque fit, ut luem penuria rei cibariæ, calamitas haud multo levior, conſequatur, huic quoque malo ubique pro viribus ſubventum eſt. Grodnæ per menſes quatuor, quamdiu peſtis graſſari perrexit, egenorum fere trecentis alimenta quotidie præbita. Nieſviſii ſemper patuit ad collegium Societatis, velut ad communem domum, inopi cuique perfugium. Polocii magnum frumenti numerum Patres habebant in ſuos uſus repoſitum. Totum tam ſævo tempore inter pauperes diviſerunt: id quod ſchiſmatici reputantes, facile intellexerunt quantum intereſſet inter noſtros ſacerdotes, & ſuos, ut ipſi loquuntur, Popas, qui lue ingruente omnes aufugerant. Inde etiam moti ſunt aliqui, ut Catholicis ſe adjungerent. Verum hæc leviora. Non ſolum annonam, ſed, quod multo præſtantius, vitam ipſam filii Societatis proximorum ſaluti ultro devoverunt, & animam ſuam pro fratribus poſuerunt. Collegium Lomzenſe Patres amiſit quinque in obſequio tabidorum extinctos, videlicet Joannem Gogoleuſchium, Paulum Piancium, Joannem Prezdieſckium, Joannem Miloncium, Stanislaum Kuezieviczium, & ex domeſticis adjutoribus Nicolaum Gruda. Domui profeſſorum Varſavienſi perierunt in eodem charitatis officio ſacerdotes tres, Joannes Pruſinoskius, Andreas Voluerenus, & Martinus Sczerbinius, cum duobus laicis, quorum nomina interciderunt. Vilnæ deſiderati Patres Petrus Klukonskius, Gabriel Radzodkouskius, & Fr. Joannes Spirau. Pultoviæ P. Lucas Radzicovienſis, Plociæ P. Albertus Piotrouskius, & Fr. Jacobus Pielaskenskius, aliique fortaſſe alibi, quos recenſere longum eſſet. Nec interim, ſi tantum excipias ſcholas, quas alicubi occludere oportuit, cætera ordinis miniſteria ſunt intermiſſa. Plura ſociorum paria, laborantibus intra urbes reliquis, quaquaverſum in ſacras expeditiones exierunt, eaſque non ſine fructu peregerunt. Qui Nieſviſii tertium probationis annum decurrebant Patres, palatinatum Novogrodenſem pagatim obeuntes, integros nacti erant populos, qui paſtorum, vel paucitate, vel incuria, prima ipſa elementa chriſtianæ inſtitutionis ignorabant, nec piacularem confeſſionem in omni vita fecerant. Hos quantum licuit excultos expiatoſque reliquerunt. Eodem tempore operarius collegii Croſenſis, per Samogitiam diſcurrens, laboris pretium non pœnitendum retulit inter ruſticos, quorum innumeram multitudinem reperit divinarum rerum omnino rudem, & omni ſacerdotum miniſterio deſtitutam. Similiter ex domo profeſſorum Vilnenſi itum eſt ad remotiora ampliſſimæ dioeceſeos loca, eaque peregrinatione, præter cæteras fruges ubique collectas, exciſæ penitus nonnullæ ſuperſtitionis reliquiæ, quæ alicubi adhuc ut a majoribus acceptæ fuerant, impune colebantur. In ipſa urbe Vilna ſodalitium novi generis eſt inſtitutum, quod ſub auſpiciis beatorum Nicodemi, & Joſephi ab Arimathæa collocare placuit. Sodalibus hæc præter alias impoſita cura, ut perquirerent ſollicite ægrotos ſub dio paſſim jacentes, inventos ad publicum noſocomium de-

43. Socii in obſequio tabidorum extincti.

44. Res geſtæ ad animarum ſalutem.

45. Novum inſtituitur ſodalitium Vilnæ.

Digitized by Google

deferrent, corporis animique ſubſidiis juvarent, ac ſi qui forte occubuiſſent; eos humi conderent. Nemo fuit, qui non rationem pii operis magnopere collaudaret. Multi pecuniam conferre, plures ſodalitati nomen dare feſtinaverunt. De uno quodam tradunt, quod cum mortuorum amplius trecentos rite compoſuiſſet, huic tandem operi feliciter immortuus eſt.

46. Res Poloniæ. S. Ignatium invocantibus lues innoxia.

In Polonia videbatur peſtilens lues noſtris hominibus parcere. Quamquam enim ſocii plures Cracoviæ, Toruni, Gedani, Premisliæ, & Breſtæ in ægrorum miniſterio verſarentur, plerique tamen evadebant incolumes, ac peſtilentiæ ſupererant. Res paſſim accepta referebatur B. P. Ignatio, cui quicunque vota nuncupaſſet, mali contagionem aut evadebat, aut ſuperabat. Compertum id eſt præſertim in oppido quodam prope Bidgoſtium, quo noſter Sacerdos ſacræ miſſionis cauſa venerat. Cum reperiſſet oppidanos peſtilentiæ metu valde conterritos, ſuadere cunctis publice ac privatim cœpit, ut opem expoſcerent B. Ignatii, ſponderentque ſe diem ejus anniverſariam ritu feriarum, & pridiano jejunio celebraturos. Conſilium acceperunt plerique, nonnulli contempſerunt: nec multo poſt hi morbo conſumpti ſunt omnes ad unum, illorum nemo interiit. Sed quamquam ita eſſet initio, fuit ad extremum annus Polonæ etiam Societati peſtilens, & funeſtus. Eorum, qui in miniſterio ægrotantium abſumpti ſunt, agmen duxit Poſnaniæ Fr. Martinus Potorius, vir probitatis eximiæ, ac tanta morum innocentia, ut eo peccata confitente, vix inveniret conſcientiæ arbiter quod levioris noxæ damnaret. Haud longo poſt intervallo, Poſnaniæ pariter deceſſerunt P. Joannes Tremeſnenſis, & Fr. Jacobus Sobet. Hi, cum eſſent ad curam tabidorum deſtinati, in ſecreta collegii parte degebant ſeorſum ab aliorum commercio. Alia per idem tempus collegia ſuas victimas protulerunt. Toruni elatus P. Gaſpar Petinkoviezius, Gedani P. Simon Valterus, qui alias in eodem periculo fuerat impune verſatus: Graudenti P. Joannes Grozkoviezius: Ravæ Fr. Joannes Zertkovius: viri omnes excellenti virtute, & digni glorioſa quam adepti ſunt corona.

47. Socii ægrotis famulantes abſumpti.

48. Mors & elogium P. Nicolai Krouskii.

Præter hos, quorum non tam acerbum funus, quam glorioſa funeris cauſa fuit, collegium Poſnanienſe IX. Cal. Junii ſuum rectorem extulit, P. Nicolaum Crouskium, exempli ſemper recti virum, & cum cæteris virtutibus, tum præſertim uſu meditandi aſſiduo, & inexplebili ſtudio animarum inſignem. Ferebatur ejus familiare dictum, operario Societatis tria hæc ineſſe oportere, genua cameli, dorſum aſini, & os ſuis: nempe ut ſit in orando aſſiduus, nihil recuſet oneris aut laboris, ciboque quantumvis miſero uti ſciat. Ad hanc formam ipſe factus, alios quoque rector fingebat: quæ cauſa fuit, ut videretur aliquando non nemini in exigenda legum domeſticarum cuſtodia, caſtigandiſque vel leviſſimis noxis durior. De hac re monitus ab amico, facile purgavit ſe, narrans, apparuiſſe ſibi unum quemdam de fratribus pridem mortuum, in quem frequentius animadvertere conſueviſſet, ab eoque gratias ingentes ſibi actas fuiſſe pro ejuſmodi ſeveritate. Delatus olim in Moſcoviam cum regio exercitu, captuſque, ut in parum proſpera expeditione, a ſchiſmaticis, duriſſimæ captivitatis incommoda toleravit menſes ipſos triginta: quo tempore, non tam ſui, quam Polonorum qui una in vinculis manſerant curam gerens, dici vix poteſt quanto ſolatio illis, præſidioque fuerit. In lenta ac diuturna tabe, qua ſenſim defecit, compoſuit materna lingua ſacros rithmos, qui poſt ejus obitum typis editi, paſſim cantabantur. Obiit x. Cal. Junii, ſexta, ut optaverat, feria, hora poſt meridiem tertia, qua Dei filius expiravit, elatuſque eſt ſumma civium celebritate & frequentia. Numerabat vitæ annos ſeptuaginta tres.

49. Labores ſociorum, & res ſalubriter inſtitutæ.

Tot imminuta funeribus provincia, adeo nihil remiſit de uſitatis laboribus, ut novos potius impoſuerit ſibi. Sane Patres, publica hominum conſternatione ad eorum ſalutem utentes, emendationi morum diligentius inſtiterunt, & ad avertendas cœleſtes iras multa ubique piacula excogitarunt. Luceoriæ, ubi præter terrorem imminentis peſtilentiæ, timebantur Scythæ in Volhi-

Digitized by Google

Volhinia graſſantes, ternæ quothebdomadis ſupplicationes indictæ ſunt, peractæque cum voluntariis verberationibus, & pœnitentiæ publicæ apparatu. Lublini conflatum ſub clientela magnæ Virginis ſodalitium, quod ab ipſis initiis pietate ac numero civium ſpectari cœpit. E Cracovienſi profeſſorum domo Sandecum uſque, ac Corcinium operarii noſtri excurrerunt. Digreſſi inde ad circumpoſitos pagos, ruſticorum rudes greges excoluerunt ſacra miſſione, ac multos etiam nobilium, qui more gentis habitabant in ſuis prædiis, ad pietatis ſtudia excitarunt. Indidem egreſſus P. Adamus Uſtinus cum Epiſcopo Laodicenſi, qui Cracovienſem diœceſim luſtrabat vice Antiſtitis, immenſum regionis tractum peragravit. Latiſſime patet ea diœceſis, ut quæ Poloniam amplectitur pene totam, quam minorem vocant. Curias numerat ad mille, quarum quæ minimæ, capita millena cenſent, aliquæ uſque ad decem millia. Totum biennium in hac peregrinatione Uſtinus poſuit, quo tempore pro ſalute animarum ea geſſit, quæ Antiſtes ipſe, datis ad Mutium litteris, profitebatur humanas prope vires excedere, nec fieri potuiſſe niſi divinitus. Verum in hoc genere excurſionum eminuere qui Bari, Vinnicæ, Fauſtovii, & Oſtrogii, in ſtationibus nuper conditis reſidebant. Vix in tota Podolia, Volhiniaque alii præter noſtros inveniebantur ſacrorum miniſtri, qui proinde regionem obeuntes, non modo communia Societatis, verum etiam propria parochorum exercere coacti ſunt. Nec interim degentibus in collegiis Camenecenſi, & Luceorienſi Patribus licuit otioſis eſſe. Poſita fuerant in proximo contra Coſachos regia caſtra, in quibus permixti catholicis ſchiſmatici militabant. Ad ea procurrerunt ex utroque collegio ſtrenui operarii: milites catholicos miniſterio ſacrorum recreaverunt, ſchiſmaticis laborum aſſiduitate & patientia, aut uſui, aut ſaltem admirationi fuerunt. Ex his duo capite damnati, dum ad ſupplicium rapiebantur, repulere Presbyteros ſuæ ſectæ, nec alios adeſſe ſibi conſolatores voluerunt, præter noſtros, cum quibus nunquam antea de religione conſenſerant. Cæterum de ſchiſmaticis hæreticiſque pauci, pro eorum numero, ad Eccleſiam reducebantur. Toto triennio ad eam transfugiſſe dicuntur haud amplius centum ſupra mille: cujus paucitatis in cauſa fuiſſe tradunt veteratorias miniſtrorum artes, ſane multas, & varias, ſed illam maxime, quod gregalibus per quidquid ſanctum eſt interdixerant, ne ſermonem cum noſtris ſererent de controverſiis fidei. Eamdem ipſi legem impoſuerant ſibi, quamvis arrogantiſſimi; eaque propter cavebant quam maxime, ne quando cum Patribus colloquerentur, nedum in contentionem venirent. Vetitum id ſibi ajebant a ſenioribus: ſilentium perfidioſum & contumax reponentes inter religionis arcana, ne inſcitiam proderent.

50. Fructuoſæ excurſiones ad diverſa loca.

51. Schiſmatici ad Eccleſiam revocati.

Multo ſapientius Judæus quidam, magni in Polonia nominis medicus, natus tamen, & educatus in Luſitania, qui familiaritatem cum noſtris contractam vertit in occaſionem ſalutis. Is latinas litteras, & arcana naturæ didicerat in Conimbricenſi Societatis gymnaſio: nam chriſtianum puer ſimulabat. Hinc ſtudio medicinæ in Italiam primo, deinde in Aſiam abreptus, peritiſſimos ejus facultatis audierat. Venerat demum Conſtantinopolim, ubi cum inter medicorum principes haberetur, licet judaici generis originem cultumque aperte præſeferens, ſui deſiderium injecit legato Sigiſmundi regis. Cum eo delatus in Poloniam, erat ibi beneficio famæ ac fortunæ, quæ duo maxime in arte medica dominantur, conſultiſſimus, & peritiam ſuam cum magno quæſtu exercebat. Accidit, ut noſtrorum neſcio quis graviter ægrotaret Oſtrogii. Loci domina, eademque collegii fundatrix, Palatina Vilnenſis, accerſiri illico medicum Judæum jubet, licet abſentem procul: qui confeſtim advolans, ægroti curationem inſtituit, & quem reliqui depoſuerant medici, paucis diebus feliciter perſanavit. Vertuntur mox vices, Æger, dum lente convaleſcit, mederi ſuo medico ſtudet ea parte, qua miſere extabeſcebat. Nec vero longa, aut difficilis curatio fuit. Judæus factus noſtro homini familiaris, frequenter ſermonem inferens de religione, ſenſim inductus eſt ut fateretur, quæcunque

52. Cujuſdam Judæi converſio memorabilis.

ſunt

sunt oracula Profetarum de Messia, in Christo Domino impleta esse: qua semel exsculpta confessione, facili mox negotio persuasum est illi, ut Christi fidem & sacramentum acciperet. Est etiam memoratu digna conversio cujusdam Scythæ, in quo videre licuit, quantum ad salutem animæ sempiternam valeat patrocinium Deiparæ. Sive ille Mahomethem coleret, sive idola (nam id in incerto est), periculoso morbo decumbebat Graudenti, quæ parva urbs est Prussiæ regalis in palatinatu Culmensi. Instabat apud eum Sacerdos Societatis, ut nisi perire æternum mallet, ne differret profiteri nomen inter christianos. Cum nihil neque precibus, neque suasionibus impetraret à contumaci: *At saltem*, inquit, *hoc a te impetrem, ut mecum brevissimam precem peragas, & verba præeuntem subsequare*. Simul percurrere lente cœpit Angelicam salutationem, quam Scytha pariter pronunciabat, ignarus licet quid illud rei esset, quidve sibi vellet. Ut ventum ad extrema illa verba *Et in hora mortis nostræ*, mirum dictu! vir modo tam contumax, mutato repente animo, baptismum poscit. Eruditus, ut in angustia temporis licuit, in Christum credidit, ac paulo post ablutus rite felix neophytus, animam cœlo inferendam emisit.

53. Infidelis paulo ante mortem fit christianus beneficio Deiparæ.

Virginis beneficentiam expertus eodem anno est pius adolescens, qui erectam in collegio nostro sodalitatem frequentabat Gedani. Exemplum augendæ erga Deiparam pietati idoneum, nefas silentio tegere. Adolescens ergo peregre navigaturus, sumpserat de more litteras testimonii a Præfecto Marianæ sodalitatis, cui erat adscriptus, easque secum auferens, navim conscenderat. Inter navigandum, conspicatus illum ex adverso vectorum unus, sive parum sanus esset, sive adolescenti pridem infensus, nihil tale metuentem ferociter invadit, sternitque, adacto in pectus pugione. Omnes exanimatum credidere. Surrexit tamen, nullo accepto vulnere, ac ne leviter quidem violatus: quodque juro admireris, incolumitatem debuit iis quas dixi litteris. Nam cum eas sinu complicatas gereret, ferri acies progressa usque ad interulam, simul atque illas attigit, perinde retusa est; ac si in loricam æneam impegisset. Mirum id omnibus, & patrocinio magnæ Virginis non immerito attributum, ut quod in nullas naturales causas referri prudenter poterat.

54. Aliud insigne Virginis beneficium erga pium adolescentem.

Prius quam pedem efferamus ex Polonia, indicanda breviter primordia seminarii Sandomirienſis, & collegii Ostrogienſis, quæ in hunc pariter annum inciderunt. Sandomiriæ, & in circumpositis oppidis, cum frequens esset nobilitas, nec multi suos transmittere possent liberos ad remotiora collegia, de condendo nobilium adolescentium seminario jampridem deliberabat vir nobilissimus, & eximiæ erga nos benevolentiæ Andreas Bobola, avus Andreæ illius Bobolæ martyris, quo tantopere Societas gloriatur. Rem diu meditatam perfecit anno labente; atque ita seminarium condidit, ut ejus administrationem nostris unice hominibus commissam voluerit. Ostrogii, quod oppidum est frequens in Volhinia, Anna Palatina Vilnensis, Joannis Caroli Kodkzevicii vidua, parvam sociorum manum collocaverat, jamque alter hic annus erat, cum illam de suo liberaliter alebat; quod tamen constituerat collegium stabile ac perpetuum condere, id præstare sine maxima difficultate non poterat. Difficultatis ea pars fere præcipua, quod bona pro censu familiæ oblata, cum detrahenda essent publico schismaticorum nosocomio, respuebantur a Societate, minus æquum existimante eorum possidere fortunas, quorum salutem quæreret. Id probe intelligens Palatina, & nihilominus deliberatum ac fixum habens præclara cœpta quocunque pacto perficere, certum sepositi fundum patrimonii sui, eumque nascenti collegio in dotem perpetuam addixit. Perrexit deinde femina præstantissima collegium a se conditum novis in diem beneficiis ornare, donec ædium amplitudine, ac rei familiaris commoditate, cum optimis provinciæ certaret.

55. Erigitur Seminarium Sandomirienſe.

56. Fundatur collegium Ostrogienſe.

Per idem tempus etiam provinciæ Rhenanæ nova addita sunt domicilia, novæ segetes ad excolendum oblatæ. In ea parte Palatinæ ditionis, quæ in sinistram Rheni porrigitur, situm est Neostadium, civitas nobilis, sed quan-

57. Res Rhenanæ. Societas Neostadium inducitur.

tem-

Digitized by Google

tempore de quo ſcribimus corruptiſſima, ut quam ex parte maxima occupabat hæreſis Calviniana. Miſeratus oppidi conditionem Guillelmus Verdugus, ciſrhenani Palatinatus præfectus regius, & Hiſpanorum auxiliarium dux, Societatem inducere Neoſtadium ſtatuit. Id vero confieri ſtatim, ac nullo cujuſquam ſumptu cupiens, primum omnium dimitti paſtorem ſectæ juſſit. Tum ædes collegii, ut appellabant, Caſimiriani noſtris hominibus tradidit. Poſtremo civitati vetuit, ne alium deinceps ſacrorum miniſtrum reciperet, niſi quem Societas deſignaſſet. Ita ſpe citius negotium omne confectum. Nam cum in ædibus Caſimirianis, quod olim fuerat cœnobium ſacrarum virginum, Caſimirus Friderici IV. ſeptemviri tutor & patruus conſtituiſſet ſcholam Calvinianæ doctrinæ, & virginum, quas expulerat, vectigalia tranſcripſiſſet in convictum multorum adoleſcentium, qui hæreſi imbuerentur; his dimiſſis, domum ſtatim, proventum, ac templum Societas habuit Neoſtadii, magno quidem mœrore civium, ſed non diuturno. Populus, cui non aliunde nota Societas, quam ex mendaciſſimis relationibus paſtorum ſuorum, noſtros initio tanquam mortalium nequiſſimos inſectabatur. Verum ubi perſpicere propius potuit eorum mores & inſtituta, facile vidit, falſa ſibi fuiſſe narrata, & anteceptam de rebus noſtris opinionem adeo depoſuit, ut Patrum probitatem modeſtiamque palam laudaret, ipſos in honore haberet. Pauci nihilominus vera docentibus manus dabant. Ne facerent, obſtabat, non tam animi pertinacia, quam noxius quidam pudor, quo nemo nobilium præferre ſignum ad deferendam parentum ſuperſtitionem volebat, nemo ſe cæteris ducem & anteſignanum præbere audebat. Hinc toto fere triennio Patres, excepto quod orthodoxis dogmatibus imbuebant impuberes, vix ullum operæ pretium Neoſtadii fecerunt. Felicius geſta res in eo tractu regionis, quam vulgo Stratam montanam appellant. Hujus olim tertia pars parebat Archiepiſcopo Moguntino: ceſſerat deinde principibus Palatinis: nuperrime ob crimen perduellionis Friderico cum omni Palatinatu dempta, ad Moguntinum redierat. Oppida in ea ſunt majoris nominis duo, Heppenhemium, & Benthemium; pagi vero majores minoreſve plurimi. Paræciæ numerantur omnino tredecim, quarum ſingulæ plures complectuntur pagos, eoſque inter ſe non modico ſpatio diſtantes. Novale iſtud erroribus ſilveſcentibus horridum ut expurgaret Joannes Svicardus Archiepiſcopus Moguntinus, adhibendos cenſuit operarios Societatis, tradita illis adminiſtratione curiarum ſex. Noſtri provinciam ad tempus admiſerunt, at aſſiduitate laboris perfecerunt, ne tempus nimis eſſet diuturnum. Nondum annus exierat, & jam ter mille numerabant ad ſinum Romanæ Eccleſiæ traductos. Pari ſucceſſu deſudabatur hoc anno in Marchia Badenſi. Populi noſtrorum monitis & voluntati ſe ſubjiciebant adeo non inviti, ut fruſtra eſſent contra illos edicta Principis de religione, nec ulli fuerint intentanda. Lacrymabantur præ gaudio ſenes, dum reſtituta videbant ad veterem catholicorum morem ſacra, & quam a pueris ſe vidiſſe meminerant ſpeciem religionis, iterum poſt tot annos revocatam conſpiciebant. Non nihil ad confirmandas hominum mentes valuit res plane admiranda, de qua loquuntur litteræ ejuſdem anni. Gerbachi, quod oppidum eſt comitatus Erbeſteiniani, proſcriptus fuerat ante annos circiter duodetriginta cultus catholicæ religionis, miſſis a Principe ſatellitibus, qui faceſſere nulla mora cogerent Sacerdotes catholicos. Iſtorum unus ex familia Minorum, ut forte divinam Hoſtiam collocaverat in theca argentea venerationi publicæ proponendam, cum nec abſumere illam præ feſtinatione poſſet, nec efferre, eandem reliquerat intra ciborium repoſitam. Ea nunc in eodem loco reperta eſt: mirantibus cunctis, rem talem, tot annorum decurſu nunquam innotuiſſe Calvinianis, qui altaria expilaſſent omnia, & vaſa ſacra diligentiſſime conquiſiviſſent. Noſter ſacerdos, qui caſu aderat, rem pro merito admiratus, ejuſque veritatem non uno argumento edoctus, ſupplicationem publicam indixit: ſacram hoſtiam pompa quam potuit ampliſſima toto oppido circumtulit, eamque mox, quia ſitu vitiari nonnihil cœperat, abſumpſit. Per

58. Neoſtadienſes mutant de Societate opinionem.

59. Utilis noſtrorum labor in Strata Montana.

60. Res feliciter geſtæ in Marchia Badenſi.

61. Invenitur poſt multos annos Hoſtia conſecrata.

Digitized by Google

62. Hæreticorum conversiones, ac duorum præcipue.

hæc alii duo Societatis operarii, a Badensi tetrarcha, & a comite Wolchensteinio in communem regionem Frawenalbensem vocati, trecentos supra mille hæreticorum lucrati sunt. In aliis provinciæ partibus ab hæresi ad orthodoxam fidem redierunt bis mille, & sexcenti. Duo tamen singulari memoria digni, Joannes Rheinardus a Metternich, & Christophorus Suguitius, quippe alter natalibus, alter doctrina clarissimus. Priorem, annorum octoginta senem, expugnaverunt socii Heidelbergenses: cumque ejus filius catholicus præesset Heidelbergæ pro Bavariæ septemviro, & nostrorum cœpta pro viribus secundaret, ad emolliendam patris contumaciam plurimum contulit. Suguitii transitio Patrum eorundem auctoritatem industriamque eo commendavit magis, quod doctor erat magni inter suos nominis, & philosophiam docuerat in Heidelbergensi gymnasio, cui novissime rector impositus, insigni litteratura, prudentia, & morum integritate spectabatur.

63. Status Ecclesiæ Osnabrugensis.

At nusquam alibi fructuosior Rhenanæ Societatis labor hoc anno, quam in diœcesi Osnabrugensi fuit. Urbs est Osnabrugum claritate & opulentia civium inter paucas Westphaliæ celebris. Pietate, religione, ac litteris florebat jam inde a temporibus Caroli magni, qui sedem illam episcopalem condidit. Memoriæ proditum est, ab eodem Imperatore excitatam fuisse amplam Osnabrugi basilicam in honorem Principis Apostolorum, institutumque gymnasium græcarum latinarumque litterarum, quod ab ejus nomine Carolinum etiam nunc nominant. Et nihilominus post annos fere octingentos, statim atque magna Germaniæ pars, ac tota fere Westphalia ad novam Lutheri hæresim descivit, etiam Osnabrugenses misere abrepti sunt in errorem, seque a communione catholicorum penitus abjunxerunt. Non tamen eo tempore in perfidiam consenserunt omnes. Canonici summæ ædis impollutum retinuerunt suum uti prius templum, & Patres Dominicani suum, in quibus, & in æde curiali S. Joannis, sacra peragebantur antiquo ritu. Glisente postmodum hæreticæ contagionis labe, collegium quoque Canonicorum infectum est. Itaque, vacante cathedra episcopali, suffragatores hæretici, vel numero, vel gratia catholicis potentiores, perfecerunt, ut repulsis cæteris competitoribus, crearetur episcopus Philippus Sigismundus Brunswicensis aperte lutheranus. Post Philippi obitum, iterum potior fuit ea collegii pars, quæ melior; ejusque suffragatione assumptus fuit ad episcopatum vir, non modo catholicus, sed catholicæ rei studiosissimus, Itelius Fridericus ab Hoenzollernen, S. R. E. Cardinalis, qui nunc Ecclesiam Osnabrugensem administrabat. Huic porro antistiti nihil erat potius, quam ut statum religionis afflictum erigeret. At angebatur, quod minus valituram videbat imperii vim apud cives, qui relictis Episcopo nudis principatus insignibus, re ipsa potestatem ademerant omnem, & videbantur ejus quæcunque edicta contemnere. Id reputans, irrepentum statuebat in animos multitudinis pedetentim, & leniter, ducendumque initium a pueris, qui si instruerentur probe doctrina fidei, & bonis moribus informarentur, adolesceret simul cum ipsis religio ac pietas, & sensim radices ageret in civitate. Excitandum igitur Osnabrugi collegium Societatis. Hoc modo nuper Monasterienses, & Paderbonenses ad verum Dei cultum rediisse. Quod ad pagos attinet, oppidaque, quibus frequens est ager Osnabrugensis, homines pleno jure sibi obnoxios facile consensuros veritati, si præter idoneam institutionem, adhiberetur auctoritas principalis, & pœnarum metus. His ita apud se constitutis, primum omnium a P. Joanne Coppero Provinciali sex popposcit magni animi, ac virtutis expertæ operarios, qui opus evangelicum facerent per diœcesim, cumque impetrasset, iisdem tres diversas regiones (satrapias vulgo nominant) ad excolendum attribuit, Iburgensem, Windemburgensem, & Mellensem. In Iburgensi consedit ipse cum uno sociorum pari, quorum opera & consiliis utens, ante omnia convocatos in unum Parochos jussit Ignatianis commentationibus exerceri. Monuit deinde singulos, ut anteactæ vitæ noxas eluerent confessione piaculari, concubinas ejicerent, novos instituerent mores sanctitate

64. Præclara consilia Episcopi Cardinalis.

65. Acta nostrorum in illa diœcesi.

mi-

Digitized by Google

miniſterii ſui dignos, ſuam denique quiſque plebem deinceps veræ fidei præceptis imbueret. Pauci quidam inventi in hæreſi pertinaces, quibus loco motis catholici, & probi ſuffecti ſunt. Poſt hæc, reliquam Iburgenſem regionem obierunt cum Antiſtite purpurato duo Patres, menſibuſque plus minus quatuor adultorum amplius ſeptem millia catholicis aggregarunt. Interim alia duo operarum paria proceſſerant ad duas alias regiones, de quibus dictum eſt: ſed quamvis haud minus gnaviter laborarent, laboris non idem pretium fecerunt. Certandum fuit adverſus pertinaciam incolarum, qui occurſum noſtrorum, & aſpectum ipſum vitabant de induſtria, eos vero de religione diſſerentes procaciter irridebant. Tamen dederunt veritati manus non adeo pauci: & plures daturi erant, niſi Patrum laborem & ſpem intervertiſſet, primum adverſa valetudo, deinde mors intempeſtiva, qua tres eorum immodica laboris contentione fracti, in ipſo operis curſu ceciderunt.

66. Fundatur collegium Oſnagrugenſe.

Læto rerum initio mirifice recreatus Cardinalis, minime tamen quieſcebat, niſi Societatem in perpetuo domicilio collocatam videret Oſnabrugi. Provinciam Rhenanam hoc anno regendam ceperat P. Henricus Bavingius, & commodum Mutius illum admonuerat, ut quæcunque ex eo Cardinalis optimus ad utilitatem ſuæ diœceſeos popoſciſſet, morem ipſi gereret. Hujus rei certior factus Cardinalis, Bavingium ad ſe vocat; quod jam pridem verſabat animo de collegio inſtituendo, cum eo communicat, conſiliis ſuis ut obſecundet, rogat. Alendo ſociorum juſto numero, modicos offerebat cenſus gymnaſii Carolini, & alios quoſdam. In uſum domicilii deſtinaverat cum aſſenſu Canonicorum ædes neſcio quas, olim ab Auguſtinianis deſertas, cum vicino templo ſatis magnifico. Et quia illæ ædes vetuſtate corruerant ex parte, dum reficiuntur, & novis ſcholarum ædificiis augentur, ne qua interim mora inchoando collegio fieret, parata erat Patribus alia quædam clericorum domus prope templum epiſcopale, quod iiſdem permittebatur ad rem divinam, & miniſterium ſacrorum. His poſt Idus Martias cum Bavingio deliberatis, & omni difficultate explicata, addidit Cardinalis, poſſe ſe in dies ſingulos ob publicas Imperii cauſas alio evocari: feſtinandum proinde eſſe, ac prius quam ipſe abeſſe cogeretur, rem perficiendam. Nihil futurum moræ, reſpondit Bavingius, ne ſocios aliquot mitteret Oſnabrugum: ac reipſa miſit tres Aprili ineunte, qui in deſignatam ſibi habitationem recta immigrantes, qualecunque collegium, & tres litterarios ludos aperuerunt. Primus collegio rector fuit impoſitus P. Henricus Yphauſen, de quo Cardinalis ad Mutium ſcribens profitebatur, habere ſe illi gratias immortales, quod Eccleſiæ Oſnabrugenſi Apoſtolum Embslandiæ conceſſiſſet. Ea nimirum Henricus geſſerat in Embslandia, quibus honorem ejus nominis videbatur promeritus. Neque vero promereri deſiit Oſnabrugi. Noſtris injunxerat Cardinalis, ut in eccleſia principe concionarentur ſingulis anni diebus feſtis, præter paucos inſignioris celebritatis, quos aliis oratoribus vacuos ſervari cupiebat. Munus iſtud Yphauſen, utcunque adminiſtrandi novi collegii difficultatibus implicitus, arripuit primus: atque ubi cœpit audiri, mirum ut ejus conciones ipſi frequentarent, laudarentque hæretici. Spectabant in primis genus orationis ingenuum, moderatum, urbanum, quo ita veritatem catholici dogmatis tuebatur, ut nullo modo offenderet adverſarios, & omnino a conviciis aculeiſque, quibus nemo umquam melior factus, abſtineret. Hac ejus modeſtia effectum brevi, ut Oſnabrugenſes, deleta veteri Societatis invidia, aliis noſtros homines oculis intuerentur, & illis ſuos plerique liberos ultro in diſciplinam traderent. Verum accidit perincommode, ut ineunte æſtate ejuſdem anni urbem invaderet ſæva lues, cujus cauſa occludendæ fuerunt ſcholæ, & abrumpendus gratiſſimus civitati labor, qui in erudiendis pueris collocari cœperat. Illud poſt paulo acceſſit multo calamitoſius, quod XIII. Cal. Octobris diem clauſit extremum collegii conditor munificentiſſimus, & rerum noſtrarum fautor eximius Cardinalis ab Hoenzollernen, quo ſublato, cum deeſſet collegio nondum ſatis firmo maximum præcipuumque munimen,

67. De primo ejus rectore P. Henrico Yphauſen.

68. Collegium in rebus dubiis conſervatur mira providentia.

Digitized by Google

ei certus instare interitus videbatur. At, quæ fuit providentia Numinis, res aliter cessit. Successerunt in amantissimi Præsulis studium Præpositus, & Decanus ecclesiæ cathedralis, ac memores mandatorum, quæ habuerant ab eo moriente suprema, de tuendo, augendoque collegio Osnabrugensi, ea cum fide præstiterunt. Is deinde electus est in locum demortui Episcopus, quo neque meliorem, neque amantiorem nostri sperare possent. Atque id etiam effectum beneficio Numinis singulari, ac præter spem. Cum enim multi essent competitores, & plerique suffragationibus magnorum principum regumque commendati, his repulsis Canonici nec petentem elegerunt Franciscum Guillelmum Comitem a Wartembergio, olim Societatis in collegio Germanico alumnum Romæ, tunc præpositum Ecclesiæ Ratisbonensis, qui vix inito episcopatu visus circa collegium Osnabrugense nihil omnium malle, quam vota sui decessoris implere, imo etiam vincere. Ac sane vicit. Non solum rata esse jussit quæcunque illi Cardinalis fundator benigne assignaverat, verum etiam ejus vectigalia multis partibus auxit, novumque illud domicilium ita firmavit, ut steterit turbulentissimis quoque temporibus, quæ postea consecuta sunt, & à nobis suo loco referentur.

69. Duo Patres a Batavis capiuntur Gochii.

Ob ea, quæ narrata sunt hactenus, fuerat hic annus Rhenanæ Societati faustissimus, nisi tam lætos rerum successus corrupisset erentus æque calamitosus, ac subitus, quem modo paucis exequimur. Gochium, Gheldriæ oppidum, ex collegio Embricensi venerant PP. Theodorus Borgel, & Theodorus Riswichius, ut sacris ministeriis urbem excolerent. Dum ibi commorantur, repente Batavorum acies infesta admovit silentio noctis scalas ad urbis imparatæ mœnia, eamque intercepit. Erat hora ante lucem altera. Nostri, omnium quæ gerebantur ignari, horam illam ex more Societatis orando transigebant. Cum adest ex improviso globus militum, perfringit fores, domum diripit hostilem in modum, Patres vero ipsos inter ludibria hæreticorum in forum abripit, ubi Præfectus Batavicus considebat. Is vinctis pretium libertatis imperat duo millia tallerorum. Excipiebant contra Patres, se urbem neutrarum partium incolentes, paris conditionis esse debere ac cæteros ejus incolas: quocunque tamen numero haberentur, pecuniam imperatam nec esse apud se, nec habere unde sumerent. Responso efferatus homo vecors, utrumque imponit carro, ac turmæ equitum tradit asportandos Neomagum. Ibi in publicum carcerem conjiciuntur. Nihil non egit Riswichii frater sæcularis, patria Neomagensis, ut eos reciperet apud se. Fidejubebat ultro pro illis, Præfecti clementiam, missis aliis atque aliis Gochium litteris, implorabat. Præfectus nectebat moras, & negotium ampliabat de industria. Ecce autem affertur inexpectatus nuncius, interiisse illum morte repentina, ejusque cadaver repertum esse lingua fœde tumefacta, & exerta: quod visum divinæ animadversionis manifestum indicium, ob sacerdotes indigne habitos, & sine causa vexatos. Tam tristi exemplo minime sunt absterriti Calviniste, ne Patrum vitæ insidiarentur. Utrumque accusabant Hagæ Comitis, cum aliis pluribus confictis criminibus, tum illo præsertim, quod Gochii in eos fuissent injuriosi, quos sciebant sentire cum Batavis de religione. Facilis erat calumniarum refutatio, si æqui darentur judices. Aderant oculati testes modestiæ, quam ubique Patres, non minus voce, quam factis præ se tulissent. Præterea rector collegii Embricensis opportune submiserat virum gravem, cum tabulis publici testimonii Embricæ, & Gochii confectis, quibus utriusque civitatis magistratus testabantur, pacate se gessisse homines Societatis in illis urbibus, nec cuipiam molestos fuisse. Sed nemo his aures dabat, nemo patrocinium innocentium suscipiebat: quodque accidit perincommode, cum hæc agebantur, ægrotabat graviter Mauritius Princeps Auriacus, quem sæpe alias nostri benevolum experti fuerant, quique unus poterat Societatem ab injuria defendere. Senatus interea Hollandiæ, ad quem rejecta causæ cognitio, pronunciavit, jure captos videri Jesuitas Gochii, nec ante mittendos, quam imperatam pecuniam repræsentassent. Damnati in hunc

70. Dire vexantur Neomagi, sed non impune.

71. Senatus Batavici parum æquum de illis judicium.

mo-

Digitized by Google

modum Patres, multo quam antea inclementius haberi cœperunt. Gubernator Neomagenſis, ſperans moleſtiis terroribuſque ad ſolvendum poſſe compelli, inopiam excuſantes detruſit in infimum carcerem, ſordibus ac dira mephiti luridum, mixtoſque vinctorum turbæ communi ambos catena conſtrinxit cum duobus maxime facinoroſis, ut ſe unus commovere non poſſet, quin ſecum traheret ſocios: quibus anguſtiis, itemque pædore loci, atque illuvie ſuperatus Riſwichius, quippe laboribus evangelici miniſterii jam antea debilitatus, naturæ conceſſit in ipſo carcere, IV. Nonas Julias, poſt ſextum ferme quam in eum venerat menſem. Vir multis nominibus clarus, eloquens præſertim in paucis, & lucrandis Deo mortalibus natus, numerabat vitæ annos ſexaginta. Quid deinde factum fuerit P. Theodoro Borgelio, nihil habeo quod pro comperto affirmem. Suſpicor, haud multo poſt fuiſſe dimiſſum ſine pretio. Etenim ſub idem fere tempus Arauſienſium Principi Mauritio, qui occubuerat, ſucceſſit in præfectura armorum, ac cæteris Reipublicæ dignitatibus Henricus Fridericus ejuſdem germanus frater, qui, licet ſecta Calvinianus, minime iniquum ſe præbebat noſtræ Societati, & duorum quos dixi Patrum cauſam Hollandico Senatui impenſe commendaverat. De cujus æquitate Principis quoniam incidit mentio, non eſt hoc loco diſſimulandum, ejus præcipue patrocinio debuiſſe collegium Embricenſe, ne periret. Nam cum intolerandis exactionibus premeretur, partim a Batavis præſidiariis, partim a præfectis Septemviri Brandemburgenſis, idque agi vulgo putaretur, ut oppreſſi tot oneribus Patres loco cederent; Henricus, vix ſuſcepto rei militaris imperio, rerum noſtrarum patronum defenſoremque ſe palam profitens, hos æque atque illos compeſcuit pro poteſtate ne nos ultra vexarent, & qualeſcunque collegii collabentis fortunas ab interitu vindicavit.

72. P. Theodorus Riſwichius in carcere moritur.

73. Henricus Princeps Auriacus tuetur collegium Embricenſe.

Præter Riſwichium, de quo dictum ſupra, plures eodem anno ſocios provincia deſideravit, quos nefas indictos & illaudatos præterire. Laudandus in primis P. Joannes Georgius Voglerus, qui mortalitatem exuit Herbipoli VI. Cal. Julii: Concionator eximiæ famæ, & tanta inſtructus dicendi facultate, ut in concionibus dominaretur, & audientium animos quocunque vellet impelleret. Simul ac peroraverat, vidiſſes obſeſſa viris feminiſque tribunalia pœnitentiæ, omnium vultus fletu madidos. Hæreticorum magiſtros, vulgo Prædicantes, præcipue exagitabat. Viciſſim illi Voglerum cane pejus oderant, & quibuſcunque poterant modis, velut hoſtem publicum, inſectabantur. Cum tanta floreret laude eloquentiæ, vir ſolidæ virtutis nihil habebat antiquius, quam puerorum & pauperum greges erudire: cæteris iſtud opus præferens, quia fructuoſum æque, at non adeo illuſtre, & ab hominum plauſu longe remotum. Edidit hujus argumenti volumen curatiſſimum, quo præcepta catecheſeos ſelectis exemplis, quæſtionibus, cantiunculis illuſtrantur. Idem, ut ſolebat capite damnatis conſolator adhiberi, nec paucos ad ſupplicium deduxerat, ejus rei raram peritiam aſſecutus, volumen aliud confecit, unde cæteri diſcant id genus homines in tam calamitoſo ſtatu ſolari apte, & ad mortem pie ſubeundam componere. Has, & ſimiles curas agitantem mors oppreſſit, eo prorſus in cubiculo, ubi ante annos viginti tres, inter ſacras B. P. Ignatii commentationes, primum religioſæ vitæ rudimentum acceperat. Nondum egreſſus erat annos ætatis unum & quadraginta. Pari ſociorum luctu elatus eſt pridie Idus Auguſti P. Petrus Cremerius, dum maxime operarii apoſtolici numeros omnes ac partes implebat Crucenacii, quod Palatinæ ditionis oppidum eſt nobile, & permunitum. Ibi collocatus nuper fuerat cum lecta ſociorum manu, tanquam in temporaria ſtatione. Aliis alio excurrentibus, ipſe excolendos ſuſceperat quatuor vicinos pagos. Jam illos ex perdite hæreticis fecerat omnino catholicos, cum ad ea loca vis morbi contagioſi pervaſit. Cremerius, dum ægrorum domos diu noctuque ſollicitus circuit, peſtem hauſit. Delatus ad oppidulum, cui nomen Valhauſen, haud ſecus curabatur ab oppidanis, qui ejus cohortatione tranſierant ad catholicos, quam amantiſſimus, & communis omnium pa-

74. Mors & elogium P. Joannis Georgii Voglerii.

75. Mors & elogium P. Petri Cremerii.

Digitized by Google

parens: tamen intra dies paucos morbo superatus occubuit. Vir multis naturæ & gratiæ donis ornatus eo præsertim nomine spectabatur, quod in conciliandis dissidentium animis mira polleret dexteritate, & in corruptis hominum moribus castigandis expertissimus censeretur. Omnes nimirum comitate flectebat, licet in mores suos censuram severissimam exerceret. Lues interim per provinciam serpens, plures de Societate victimas abstulit. Aquisgrani P. Hermannus Hagedorimus, Aschaffemburgi P. Joannes Evangelista Gartnerus, egregii ambo operarii, dum languentibus ministerium impendunt, in acie charitatis extincti ceciderunt. Monasterii in Westphalia afflatus pestilentia fuerat P. Ludovicus Unverdorben: sed cum voviſſet, si revalescceret, multo quam antea impensius famulaturum ægrotis, paucarum horarum intervallo voti factus est reus. Perrexit itaque tabidis inservire incredibili alacritate ac studio, ut eum decebat, qui hac una causa viveret. Spiram invaserat ejusdem mali vis: at Deo bene juvante graviorem urbi metum, quam damnum attulit. Ut vero intra breve tempus depelleretur, nostrorum pietati vulgo imputatum est. Nam cum Patres collegii Spirensis, ad imminentem cladem propulsandam, proposuissent incruentam victimam, coram illa plures continenter dies proni supplicaverunt ipsi, utque in aliis etiam ecclesiis eædem supplicationes indicerentur, consternatæ civitati auctores fuerunt: quæ religiones dum non assidue minus quam pie exercentur, defuncta est periculo civitas, & satiata paucorum funeribus pestis resedit.

76. Aliorum pia funera. Unius valetudo divinitus recuperata.

77. Spira depellitur pestilentia piis supplicationibus.

Sæviebat eodem tempore lues in utraque Belgica, omniaque luctu & cladibus funestabat. Ut de Flandrobelgica dicere incipiam, Antuerpiæ detecta fuerant anno superiore mali latentis semina, quæ interventu hiemis sopita verius, quam extincta, nunc repullulaverunt per æstivos calores. Ac nostris quidem initio procurationem ægrorum deposcentibus, responsum fuerat a Senatu, non videri pro eo rerum statu necessariam sacerdotum operam. At nunc, gliscente latius malo, multisque passim dolentibus, in periculo summo destitui ægrotos æternæ vitæ præsidiis; admissa ultro sunt generosa postulata nostrorum, & gratiæ pro tam benevola voluntate actæ. Senatus decretum simul ac innotuit Patribus, mirum ut omnes exarserint ejus obeundæ provinciæ desiderio. Rector ex magno competitorum numero quatuor designavit delectos viros, qui in arenam charitatis descenderent, ideſt Joannem Bauserme, & Franciscum Schottum sacerdotes, Joannem Eggre, & Theodorum Heert, domesticos adjutores. Circa dimidium Augusti, quo hæc acta sunt, numerabantur tota urbe domus infectorum fere quadringentæ. Eas e vestigio socii certatim lustrare aggressi, intra mensem cuncti contracta pestilentia obierunt. Non est ut singulos laudem prolixius: nam quæ præstantior laus, quam vitam adeo illustri morte clausisse! Fuerunt tamen etiam ante acta vita laudabiles, maxime P. Franciscus Schottus, patria Antuerpiensis. Is, tametsi proles unica viri consularis, maluerat inter nos paupertatem sequi, quam vitæ commodis abundare inter suos; quin sæpius ob valetudinem parum firmam repulsus, non ante destiterat Societatem petere, quam voti compos efficeretur. Vixit post hæc annos duntaxat decem, at miros tam brevi spatio progressus fecit in religiosa virtute. Ad extremum cum impetrasset, ut dictum est, ægrotantium curam, exemplo monstravit suo, quantas habeat supra naturam vires charitas christiana. Semper antea usus fuerat valetudine parum commoda, ea præcipue laborans difficultate spirandi, ut progredi, ac omnino se commovere non posset nisi admodum lente. Idem nihilominus in obeundis domibus tabidorum, quasi alius esset homo, non tam discurrere, quam volare urbe tota videbatur. Quod si alicubi ferienti fores nemo responderet, immittebat se intro per fenestras admotis scalis, & ad ægrotos quocunque suo periculo penetrabat. Quod intuentes aliqui civium, ac secum reputantes, quo ille ortus esset loco, & quam molliter educatus, a lacrymis non temperabant. Obiit in ipso robore ætatis, tri-

78. Res Flandrobelgicæ. Nostri tabidorum curam suscipiunt Antuerpiæ.

79. Quatuor moriuntur. Elogium P. Francisci Schotti.

Digitized by Google

trigesimo anno nondum expleto. Tam festinato priorum quatuor interitu minime repressa sunt studia cæterorum eandem laudem anhelantium, quin exarserunt vehementius. Igitur in eorum locum substituuntur alii sex, nempe Joannes Calantius, Paulus Ægidius, Livinus Wouters, Guillelmus Vanderbeke, sacerdotes: & ex ordine fratrum adjutorum Bernardus Vandenboel, ac Thomas Verlein. Diutissime omnium ministerio perfunctus est Vanderbekius; nec enim decessit, nisi post sex integros laborum menses. Quinque reliqui intra paucos dies contagione prostrati, in illo charitatis officio ceciderunt. P. Livinus Wouters, patria Bruxellensis, non alia causa Lovanio nuper Antuerpiam venerat, quam ut negatam ibi facultatem inserviendi ægrotis, hic impetraret. Rebus, & muneribus gestis tota erat provincia clarissimus. Philosophiam Duaci & Audomari, theologiam, quæstionesque de moribus Antuerpiæ explicaverat. Tornaci, Mechliniæ, & Lovanii domesticorum conscientias rexerat. Omnia cum insigni laude doctrinæ, probitatis, prudentiæque gesserat. Novissime missus in Hollandiam, & in carcerem ab hæretico magistratu conjectus, squalorem & ærumnas loci jam biennium perferebat incredibili patientia, hujusque exemplo virtutis magis quam voce, veritatem catholicam multis persuadebat. At cum aliqui ex vinctis carcerem effregissent, elapsus inde cum cæteris, recepit se Lovanium, unde Antuerpiam delatus, quod summe concupiverat ut animam poneret pro fratribus suis, IV. Cal. Novembres est consecutus. Hæc Antuerpiæ. Non absimili studio Bredæ, ac Silvæ Ducis, pestilentia grassante, nostri se saluti publicæ devoverunt, sed utrobique impune. Bruxellas eadem calamitas tentare cœperat. Depulsa est, non tam humana solertia, quam piis supplicationibus ad octo dies productis, in quibus nonnullæ partes nostrorum fuerunt. Concionator de Societate, quotidie ad Senatum & populum verba faciens, avertendam piaculis iram læsi Numinis, & pacem superum fletu exorandam denunciabat: quæ cum magna contentione diceret, incredibiles motus animorum ciebat. Diem postremo condixerat, qua omnes ordines civitatis communione sacrorum refecti, longo ac mœsto agmine supplicatum irent per urbem. Id statim atque peractum est, morbus resedit: nemine non agnoscente cœleste beneficium, cujus ut perennis exstaret memoria, re in Senatu deliberata, placuit ut recurrente in posterum eadem die, eadem religionis officia quotannis recolerentur.

80. Occumbunt alii sex, ac præ aliis P. Livinus Vouters.

81. Res alibi gestæ sæviente pestilentia.

Nunquam melius patet utilitas sacrorum ordinum, quam in difficilioribus reipublicæ temporibus: nunquam magis erga nostrum studia populorum incensa. Provinciæ quidem Flandrobelgicæ plura domicilia annus qui vertebat adeo calamitosus dedit: ut mirari subeat, tunc maxime auctam propagatamque esse Societatem, cum pro salute communi minuebatur numero sociorum. Ineunte Junio, Bredam, Brabantiæ urbem munitissimam, post diuturnam novem mensium obsidionem Spinula expugnaverat, & in potestatem Catholici Regis redegerat. Civitatem miseram, vix tandem ex belli laboribus respirantem, invasit eodem mense lues exitialis, quæ intra annum supra tredecim hominum millia consumpsit. Cives hoc maxime tempore collocandos apud se nostros homines statuerunt. Vocantur initio ex regiis castris aliqui Patres, curam ut impendant nosocomiis, & cæteris intra urbem ægrotis opem ferant: qui continuo advolantes, injunctam procurationem magno animo susceperunt, & pari assiduitate gesserunt. Cum parabant abscedere, suam civitati fidem industriamque ita probaverant, ut Bredani perpetuo retinendos quocunque suo dispendio censerent, & alendis præter ipsos ludimagistris censum annuum offerrent. Minime videbatur respuenda civium liberalitas. Condita proinde est Bredæ minor domus ex iis, quas residentias vulgo appellamus; brevis tamen ævi, ut suo loco demonstrabimus, futura. Eodem tempore, quæ Alostana erat residentia, jus nomenque collegii obtinuit. Alostum, urbem Belgii nobilem, immigraverat ante sex annos Societas invitatu Senatus, auctore tamen præcipuo Jacobo Beeckmano, Decano basilicæ Martinianæ. Ibi cum vixissent hactenus Pa-

82. Bredæ Societatis residentia collocatur.

83. Alostana residentia in collegium erigitur.

Digitized by Google

Patres sumptu publico, tanquam in instabili sede; conciones, scholas, aliaque ordinis ministeria obeuntes, civitati maximo se probaverant opere. Hoc anno, tum ex piis multorum largitionibus, tum præsertim ex testamento viri ornatissimi Jacobi Wilsii, qui res nostras eximie fovebat, domum propriam, ac certa vectigalia obtinuerunt, cœperuntque, ut in reliquis collegiis, de suo vivere.

84. Fundatur Aldenardæ collegium.

Statio ejusdem generis, incerta scilicet, ac nullo certo proventu constabilita, ante annos decem collocata fuerat Aldenardæ. Ea nunc ad justam collegii formam assurrexit. Initium operi fecit ex ærario publico civitas, constituto in perpetuum tenui vectigali, unde ludimagistri, & pauci alii de Societate viverent. Rem provehebat paulatim privata civium liberalitas, qua cum primis eminuit Balthassar Bauters, mercator pius & locuples. Demum Isabella Clara Eugenia Belgii gubernatrix, attributis pleno jure redditibus Aldenardensis, quam vocant, leprosariæ, collegium perfecit. Similiter, quod ab annis pluribus habebamus domicilium Bellioli, intra hunc annum in numero collegiorum habere cœpimus. Belliolum, quasi Belgiolum, sive Belgii compendium, Flandriæ oppidum est nobile, distans Ipris itinere horarum trium. Territorio utitur amplo, amœno, frugifero. Circumstant pagi frequentes, & opulenti, quibus commoditatibus accedit cœli mira salubritas. In ejusmodi oppido nulla, quod mirere, religiosorum familia sedem ante nos fixerat. Tantum evocabantur subinde nostri ex collegio Iprensi, ad excolendam missione sacra civitatem, in qua licet multi essent hæresi infecti, catholici tamen numero & dignitate præstabant. Ex eodem collegio sumebantur quotannis concionatores pro sacratioris jejunii tempore. Longo itaque usu constabat Belliolensibus, quam esset e re communi labor nostrorum. His olim permota civitas, consilium cepit retinendæ perpetuo Societatis, domum & alimenta tribuens aliquot operariis, qui rectori Iprensi erant obnoxii. Nunc vero, quamquam ob belli incommoda magnæ essent ærarii difficultates, censum de publico obtulit stabilem & idoneum hac lege, ut residentia in collegium numeris omnibus absolutum verteretur. Versa est auctoritate Præpositi generalis, qui domicilium illud in collegii formam recipiens, simul pro Senatu Belliolano debita fundatoribus sacra per totam Societatem indixit.

85. Ex Belliolana residentia fit collegium.

86. Res Gallo-belgicæ. Socii duodecim in ministerio languentium extincti.

Dum sic novis ea provincia incrementis augebatur, Gallobelgica, peste latius grassante, multis & præclaris capitibus minuta est. Novem simul ex præcipuis urbibus corripuerat lues, serpebatque incredibili terrore civium, quem major in dies copia funerum, & clades quotidie atrocior augebat. Ubique effudit sese generosa nostrorum charitas. Ab ipsis mali primordiis in unaquaque urbe designati fuerant plures, qui curam tabidorum gererent: tum alii, qui prioribus, ut quemque contagionis vis abstuliisset, ordine succederent. Absumpti sunt exiguo tempore omnino duodecim, quorum nomina, ut credere pium est, in libro vitæ descripta, etsi non indigent commendatione nostra, non proinde æquum est ut oblivione deleantur. Duaci socii obierunt tres, Nicolaus de Ponte, Joannes Chisaire, & Joannes Baclet, omnes ex ordine sacerdotali. Insulis duo, Guillelmus Bartier, & Michael de Latere, prior ille sacerdos, hic adjutor rei domesticæ. Dionanti tres Patres, Guillelmus Frerart, Hugo de Noyelles, & Joannes Andrieu, cum totidem fratribus, Joanne Azardo, Nicolao de Bry, & Henrico Molineo. Atrebati solus P. Joannes Auspaix: viri omnes excellenti virtute, ut charitatis experimento omnium maximo satis demonstrarunt. Tornaci, simul ac prima se prodiderunt pestilentiæ ingruentis indicia, inter nos & Patres Augustinianos contentio orta est sane præclara, & qualem esse inter viros religiosos decuit. Primi omnium se obtulerant nostri magistratibus, ut ad ministranda ægrotantibus sacra adhiberentur. Interceßere Augustiniani, antiquum obtendentes morem, quo se ajebant semper antea in tali ministerio cæteris religiosis anteferri consuevisse. In ea novi generis disceptatione magistratus, mirati utriusque ordinis pium ardorem, standum quidem consuetudini censuerunt: at simul promptam nostrorum

87. Præclara contentio inter Augustinianos, & nostros.

vo-

Digitized by Google

voluntatem probarunt uſque adeo, ut in actis publicis exſtare voluerint ad poſterorum memoriam, Patres Societatis omnium primos in illa publica calamitate operam ſuam omnino gratuitam civitati exhibuiſſe, & exemplo præiſſe reliquis aliorum ordinum religioſis, ut idem facerent. Simile certamen, & ex eadem cauſa exarſerat domi inter ſocios collegii Valencenenſis. Contendentibus inter ſe cunctis quis prior optato diſcrimini ſe objiceret, vicit ſenex annorum circiter octoginta, & in aciem prodiit incredibili alacritate. Idem ardore charitatis animum, animo corpus ſuſtentans, per quatuor ipſos menſes, quamdiu peſtilentia urbem vexavit, perrexit cum fratre laico percurrere languentium domos, nullo diei noctiſque diſcrimine, donec cum magna civitatis gratulatione ambo ad collegium incolumes redierunt.

88. Noſtri cujuſdam ſenis ardor egregius.

Societati Anglicanæ luctuoſum hunc annum fecit obitus P. Joannis Benneti, multarum palmarum operarii, qui prius per carceres & cruciatus viam ſibi munivit ad Societatem, deinde per infinitos Apoſtolici miniſterii labores, & aſſidua vitæ pericula, per totidem veluti gradus, in cœlum, ut ſperare pium eſt, tranſiit VIII. Cal. Januarias. Flintum, Angliæ oppidum in diœceſi S. Aſaphi, noſtrum Bennetum edidit. Ab ipſa adoleſcentia clericalem ſequi militiam cum ſtatuiſſet, ſacerdotio initiatus, juvandis ſuis popularibus, ab errore videlicet revocandis, aut in veritate confirmandis, ſe totum addixit. In hoc opere annos jam decem collocaverat, præſertim in provincia Worceſtrienſi, cum in caſſes exploratorum incidit. Flintum deductus, interrogatur de religione. Aderat pſeudoepiſcopus S. Aſaphi, aderat Georgius Bromleyus, quæſitor acer, & Catholicorum funus. Bennetus, onuſtus manicis & compedibus, pſeudoepiſcopum, qui ferocior ſurrexerat ad diſputandum, theologicis vinculis ita implicuit, ut expedire ſe nunquam potuerit. Cæteris pudore & inſcitia obmuteſcentibus, intrepidus ſacerdos de ſedis Apoſtolicæ primatu, de ſummi Pontificis auctoritate, de Reginæ audacia & impietate, quæ ſupremum jus in res ſacras ſibi arrogaret, dixit tam graviter, tam ornate, ut Catholici omnes faterentur, conſtare Chriſti verbis fidem promittentis, daturum ſe ſuis *os & ſapientiam, cui non poſſent reſiſtere & contradicere omnes adverſarii*. Hæc per multas horas incredibili fiducia locutus, protulit ſchedam ſuo munitam chirographo, in qua profitebatur, ſe ſacerdotem eſſe, & a Chriſti Vicario miſſum ad ſalutem animarum. Tunc aſſurgens pſeudoepiſcopus, ut olim princeps ille ſacerdotum Hebræorum: *Quid egemus*, inquit, *teſtibus? ipſi audiviſtis*. Conclamatum eſt in eum ab univerſo cœtu: perduellis, reuſque majeſtatis pronunciatus. Gravius illos tamen oratio Benneti percuſſerat, quam ut ſimplici patibulo damnatum vellent. In omnes formas ingenioſam crudelitatem vertunt. Placuit animæ prius necem inferre, quam corpori. Et quoniam accidit non raro, ut invicti tormentorum diritate vincantur lænocinio voluptatum, caſtimoniam integerrimi viri ſceleratis artibus aggrediuntur. Protervos adoleſcentes, in ſchola cupidinis eruditos, inducunt in ejus cubiculum, qui aures obſcenis ſermonibus, oculos turpi procacitate verberarent. Lacrymas excuſſit caſtiſſimo ſacerdoti tam fœda impudentia, nec deplorare poſtea deſtitit luctuoſam quam infert hæreſis ſtragem, cum ſemel animos invaſit, in quibus non ſolum veri lumen obſcurat, ſed ipſum etiam honeſti ſenſum extinguit. Non ſucceſſit hæc prima periclitatio. Ergo iterum in diſputationis aleam producitur: ubi cum priſtinam eruditionem libera conſtantique voce explicaret, dicentem interpellavit Bromleyus, & effari plura vetuit: neque illi poſtea data eſt poteſtas publice diſputandi, ne vincendi materia daretur. Aliis argumentis, quorum erant peritiſſimi, certarunt iniqui judices, equuleis, ferro, contumeliis. Poſt multa nequidquam tentata, ad ferreum, qui ſolo paulum exſtabat, annulum alligatur pedibus: hinc manibus conſtrictis attollitur ope trochleæ ad ſublime tignum, ac funibus ductariis magis magiſque contentis diſtenditur eo uſque, dum corporis longitudo magna ex parte creſceret, ſolutis disjunctiſque artuum commiſſuris. Tenuit immane tormentum horas novem, neque

89. Res Anglicanæ. Mors & elogium P. Joannis Benneti.

Luc. 21.

Matth. 26.

Digitized by Google

omissum est nisi mortis metu, quam esse quidem volebant acerbissimam, sed non adeo celerem. Reportatur inter manus carnificum in sui ergastuli antrum, ubi summis in doloribus diu jacuit. Statim atque visus novo cruciatui par, iterum iisdem trochleis erigitur. Præerat carnificinæ designatus a judicibus minister, qui fictam commiserationem vultu præseferens: Jussus sum, inquit, a senatu tandiu torquere te, dum edas nomina catholicorum, quorum usus es hospitio, itemque eorum quos decepisti, & ad Romanam fidem traduxisti. Penes te est quamdiu torquearis. Una te vocula incolumem præstare, ac liberum potest. Cui Bennetus: Ego vero jussus sum a Christo Domino *non timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam*. Tres horas sublime pependerat, cum linqui animo, & emori cœpit. Deponitur, furente Senatus administro, & pertinaciam increpante. Paucis diebus interjectis, eidem redditur cruci; membris omnibus convellitur, ossa suis sedibus emoventur, laxatur compages membrorum, intestina pene diffluunt, rupta pectoris crate: Nulla vox tamen auditur alia, præter Dei laudes, & fidei catholicæ professionem. Judices operam in eo ludi videntes, quid agerent hæserunt anxii. Necarent virum fortem? augebant invidiam. Retinerent in vinculis? diu superstes esse non poterat. Post brevem consultationem, ab Anglia facessere procul jusserunt, ne catholicis ipso aspectu animos adderet. Minas porro intentarunt graves, si unquam reverteretur in patriam. Profectus igitur est in exilium Bennetus, annum tunc agens trigesimum sextum, & Rhemos appulsus nostris hominibus aggregari statim petiit. Voti compos factus, Viroduni tirocinium posuit, nec multo post reditum in patriam a Societatis moderatoribus flagitavit, tormenti superioris recordatione nihil deterritus. Rediit, ac totos deinceps quinque & triginta annos egit in Anglia, semper tutus, semper incolumis, Deo servum suum inter lictores, insidias, tela, & pericula quotidiana conservante, ad multorum incolumitatem & salutem. Palmis denique omnibus insignis, quæcunque possunt virum Apostolicum ornare, opprobriis, vinculis, cruciatibus, laboribus, virtutibus, & animarum præda locuplete, sancte obiit Londini, die Christi natali.

90. Res Tolosanæ. Missio ad Montem Albanum, ejusque exitus.

In Gallia multum laborabant provinciæ Tolosanæ Patres, ut ad Christi gregem traherent Calvini assecias, nec vero frustra. Obtinebant illi tunc montem Albanum, alterum post Rupellam partium suarum tutumque perfugium. Illuc, quod ego sciam, nemo nostrorum hactenus accedere ausus fuerat: forte quod temerarium videbatur eorum fidei se permittere, qui fidem colebant nullam, habebantque pro religione nomen ipsum Societatis execrari inexpiabili odio. Fuit tamen hoc anno in domo professorum Tolosana sacerdos ingentis animi, qui nihil territus periculi magnitudine, montem Albanum petere, & hæresim in sua sede incessere ausus est. Eo delatus, & exorsus comiter ac modeste agere, irrepsit brevi in multorum amicitiam, eorumque usus gratia ad ipsorum salutem, nonnullis veritatem catholici dogmatis persuasit. At cum plures ibi menses versatus esset, nec solum tuto, sed etiam cum honore ob virtutis opinionem versari pergeret; in cursu medio laboris, & in spe maxima fructus, Hugonotis iterum rebellantibus, coactus est loco cedere, & stationem dimittere. Is fuit expeditionis difficillimæ exitus, tunc sane lætus parum, non tamen pœnitendus omnino. Nam præter præsentem frugem ex aliquot collectam civibus, Rex, postquam debellavit cum perduellibus, gnarus quid ibi actum fuisset a nostro sacerdote, stationem eandem Societati reddidit. Quod ibi minus licuit ut ad Ecclesiam multi perducerentur, Deo nostrorum

91. Hæreticorum conversiones in variis provinciæ locis.

laboribus aspirante, successit aliis in locis. Biterris P. Alexander Regordus, disputatione inita cum ministro superstitionis de variis religionis capitibus, ita certavit, ut profligatus, & ignominiæ plenus abscesserit nebulo, qui erat nuper superbia tumens, & audacissimus. Certamini interfuit Dux Montmorancyus Occitaniæ Prorex cum nobilium corona ingenti: ac ne posset anceps esse victo-

Digitized by Google

victoria, ejus lætitiam cumularunt viri ſex ſupra triginta ſtatim catholicam veritatem amplexi. Duplo plures fuerunt Albenaci, quos noſtri partim privatis diſputationibus, partim concionibus publicis ſubegerunt. Cadurci quemdam Calvinianæ factionis ſectatorem ad veram fidem perduxit beatus ipſe parens Societatis Ignatius, nec ſine miraculo, quod ego ita uti fuit litteris conſignatum refero. Puerpera a medicis conclamata mortuum fœtum expulerat, Ignatio vix invocato, quæque animam prope agebat, momento temporis periculo erepta fuerat. Vidit hæreticus chirurgia præſtans, ac facile intelligens, curationem tam ſubitam, tam perfectam accidere non potuiſſe, niſi divina virtute, fluctuare animo cœpit, & crebris conſcientiæ ſtimulis urgeri, ut ſe catholicis aggregaret: nec multo poſt, Deo vocanti cedens, Romanæ Eccleſiæ ſacramentum dixit. Idem præſtitit Anicii puer annorum tredecim, ſed ritu admodum novo, ac memorabili. Nondum propter ætatem admiſſus fuerat ad concipiendum ex formula ſacramentum catholicæ profeſſionis: neque enim exigi ſolebat ab impuberibus: verumtamen pio ardore ſuccenſus, nihil optabat avidius, quam ſuæ fidei publicum teſtimonium reddere. Quadam die, rectorem collegii videns in veſte ſacrificali ad altare progredientem, pelli ſe intimo, ac vehementiore inſtinctu ſenſit ad profitendam aliquando tandem in publico religionem. Dies erat Chriſto in cœlum aſcendenti ſacer, ædes pro diei celebritate frequens ut cum maxime. Simul ergo ſacerdos ad populum ſe convertit divinum impertiturus panem, adfuit in gradibus altaris alacer, ac pietate fervens puer, intendit vocem, & formulam catholicæ profeſſionis totam peregit, attonita, ac collacrymante præ gaudio multitudine, quæ circum ad ſpectaculi novitatem erat affuſa.

92. Miraculum S. Ignatii, & hæretici cujuſdam converſio.

93. Pius ardor adoleſcentuli in profitenda religione.

Inter hæc non uno documento licuit agnoſcere, quam amanter a Deo protegerentur homines Societatis, quam ſtudioſe a ſuis Angelis cuſtodirentur. Viros quatuor nobiles convivio exceperant noſtri in Toloſana domo profeſſorum. Poſt epulas, domeſtici ſimul & externi conſtiterant ad horæ ſpatium in propylæo cœnaculi, familiariter colloquentes noſtro more. Ut ſilentii ſignum increpuit, digrediuntur omnes pariter in vicinum templum, ad divinam hoſtiam adorandam. Vix abierant, & feriit aures fragor non minus ſubitus, quam horribilis. Spectatum accurrunt. Pavimentum propylæi, de quo dicebam, ſuo ſubſidens pondere, collapſum erat. Mirari ſubiit, nec immerito, contignationem adeo fragilem non ante ceſſiſſe oneri, cum tot hominum corporibus gravabatur. Hinc omnes regreſſi in templum, liberatori Deo gratias pro tam præſenti beneficio perſolverunt. Ejuſdem eſt generis, quod accidit eodem anno Aurilliaci. Dum ſubſtruuntur novi templi fundamenta, neſcio quid operis fiebat circa domum, quæ tunc pars erat collegii. Rectori (erat is P. Petrus Grillæus) repente venit in mentem inſpicere quid ageretur. Delapſus in partem ædificii infimam, ſingula curioſius contemplatur, videtque vitiatos multis locis parietes, & impendentem ruinam. Regreditur propere, exire domo Patres, operas abſiſtere procul jubet. Quibus juſſa celeriter executis, vicinis tamen adhuc, & inſpectantibus, totum ædificium corruit. Ita protegente Numine ſervabantur ab interitu, *qui in adjutorio Altiſſimi habitabant*. Magno interea noſtrorum luctu diem obiit extremum Toloſæ vir clariſſimus, Joſeph Deſparbius Apamiarum Epiſcopus, futurus quamprimum de Societate, ſi ad perficiendum quod animo volutabat, ſpatia vitæ ſuppeterent. Motus enim exemplo Caroli a Lotharingia, qui Virdunenſi epiſcopatu abdicato ad Societatem tranſierat, deliberatum habebat idem conſilii capere, nihilque non agebat apud Pontificem, ut ejus exequendi veniam exoraret. Verum hæc agitantem mors oppreſſit. Eo potiſſimum die tentari morbo cœpit, quo die conſtituerat ſe in domum profeſſorum recipere ad recognoſcendas per otium conſcientiæ rationes, excolendumque ſpiritalibus exercitationibus animum. Morti proximus, ut quatenus poterat mentis optimæ cogitata perficeret, vocari ad ſe juſſit Patrum nonnullos; hiſque coram vota religionis emiſit ex formula,

94. In gravi periculo noſtri mira providentia ſervantur.

95. Aliud exemplum ejuſdem generis.

96. Apamiarum Epiſcopus vitam claudit in Societate.

Digitized by Google

quam ſcholaſticorum dicimus, pulcherrimum ſibi ducens, quod ſin minus vivere, mori ſaltem contingeret in Societate. Tum præſcribens quid ſibi mortuo fieri vellet, id primo poſuit loco, ut indueretur tunica Societatis, nec aliter quam unus aliquis ſociorum efferretur in ædem profeſſorum, quam minimo apparatu ac pompa. Hac tamen in re nequaquam illi morem eſſe gerendum cenſuerunt Canonici primariæ ædis. Magis penſi habentes, quid dignitati hominis deberetur, quam quid ejus modeſtia præſcripſiſſet, eum funere quam apparatiſſimo extulerunt.

97. Res Lugdunenses. Deſertor Societatis pœnas inconſtantiæ luit.

Inter ſocios Lugdunenſes unus labentis anni memoriam contriſtavit. Religioſæ militiæ tædio captus, miſſionem flagitaverat, petitumque a Præpoſito generali diploma in dies ſingulos opperiebatur Rhodumnæ. Hominis conſilium ſubodorati qui cum eo vivebant Patres, nihil intentatum reliquere, ut illum a tam præcipiti lapſu retraherent. Fuit præ cæteris qui conventum in ſuo conclavi amice admonuit, ne falleret datam Deo fidem, vicinam mortem (verus nimium vates) denuncians, niſi ab ea mente, ſeu verius amentia deſtitiſſet. At ſurdo cecinit. Conſiliis, precibus, minis nihil eſt amplius impetratum a contumaci, quam ut interne angeretur, & inutili animi ægritudine contabeſceret. Cæterum *noluit intelligere ut bene ageret*: ſtatim vero atque accepit optatas miſſionis litteras, ad ſuos rediit. Nondum poſt hæc annus exierat, cum pœnas perfidiæ & inconſtantiæ ſuæ deſertor dedit, morte conſumptus miſerrima, immatura, ſubita, quodque luctuoſiſſimum, in magna vitæ licentia, & ſcelerum impunitate. Cujus terror exempli cum ad omnem late provinciam manaſſet, hoc magis excitati ſunt noſtri, præſertim juvenes, ut *cum timore & tremore ſalutem operarentur ſuam*, & alienæ etiam ſtuderent.

98. Mira Aquenſium inclinatio erga nos.

Studebant enimvero, & ſuæ, & alienæ quamplurimi, ac tanta ubique utilitate rei publicæ, ut hac maxime cauſa faverent nunc rebus noſtris illi quoque, quibus ſemper antea inviſum fuerat nomen Societatis. Ut nihil de aliis dicam, Aquenſes a longo tempore nobis iniquiores, atque illi nominatim, qui omnium maxime obſtiterant ne collegium in urbe ſua fundaretur, adeo mentem commutaverant, ut magnopere gauderent jam *victos* in ea cauſa ſe fuiſſe, immo profiterentur palam, male actum eſſe ſecum, quod non multo prius domicilium noſtri ordinis habuiſſent. Quidam rectorem adierunt ultro, ac veniam rogarunt maledictorum, quibus Societatem temere inceſſiſſent cum adhuc erant præjudicatis opinionibus occupati. Adeo nulla nobis ſuppetit adverſus calumnias malevolorum verior defenſio, quam pie vivere, pro ſalute communi ſtrenue laborare, cætera Deo permittere. Hæc fieri apud nos videns Epiſcopus Auguſtæ Prætoriæ, Joannes Baptiſta Vercellinus, adjecit animum ad collocandum in urbe ſua epiſcopali collegium noſtri ordinis, eoque conſilio tres ad ſe mitti curavit de Patribus Camberienſibus, qui novæ ſedis fundamenta jacerent. Res quidem, certas ob cauſas, ſucceſſu caruit: ſed cum adveniſſent ut juſſi fuerant Patres, eorum non omnino inutilis adventus fuit. Paucis diebus Auguſtæ commorati, præter alia bene & ſalubriter geſta, offenſiones quaſdam, quæ inter Antiſtitem & collegium Canonicorum exortæ erant, feliciter ſuſtulerunt.

99. Conſilia deponendo collegio Auguſtæ Prætoriæ irrita.

100. Res Aquitaniæ. Tironis cujuſdam mira adverſus matrem conſtantia.

Sæpe mentionem fecimus tironum fortium, qui adverſus carnem & ſanguinem magno animo decertarunt. Hujus generis exemplum ſcitu digniſſimum vidit hoc anno provincia Aquitanica, ad quam modo tranſgredimur. Verſabatur in tirocinio Burdigalenſi adoleſcens optimæ ſpei, & honeſtiſſimi generis. Eum mater ad ſe retrahere cum ſtatuiſſet, hac mente Burdigalam e patrio oppido venit, noſtrorumque fidem & æquitatem implorans, evicit, ut ad dies duntaxat tres velut ſequeſtro deponeretur apud civem notæ probitatis, Societati reſtituendus, niſi intra illud tempus arreptum vitæ propoſitum abjeciſſet. Conditioni ſubſcripſit adoleſcens, addita tamen cautione, ne alibi cogeretur cibum capere, aut dormire, quam apud hoſpitem illum ac cuſtodem ſuum. Quibus conſtitutis, & aſſenſu mutuo firmatis, prodiit e tirocinio tanquam

ex

Digitized by Google

ex officina virtutis fortiſſimus pugil, paratus perſtare ad omnia, quæ tam brevi tempore moliri amor maternus poſſet. At finem certandi fecit citius, quam ſperaret. Primo die, cum divertiſſet, ut jubebatur, ad matrem, hæc oblita pactorum inſtare apud eum, ut vellet ſecum in communi menſa prandere. Rogare ille contra poſitis humi genibus, ut datam ſervaret fidem; fugam, ſi qua vis pararetur, reſpectare. Mulier inter hæc animi deliquium patitur. Collapſam ut vidit adoleſcens, proripuit inde ſe celeri fuga, & ad hoſpitem ſuum reverſus eſt. Hinc ad tirocinium revolabat. Ecce autem properanti objicitur denuo in media via parens, quæ, ut ſunt mulieres, quam opportune defecta fuerat animo, tam facile a defectione ſe collegerat. Luctu perdita, ac miſerabiliter vociferans, nunc emollire fugientem, ac paulum remorari conabatur, nunc homines ſuperoſque teſtes faciebat doloris ſui, & crudelis, ut ajebat, injuſtitiæ, qua ſibi filium optatiſſimum, ſolitudinis ſuæ levamen unicum, Jeſuitæ abripuiſſent. Quæ cum diceret, iterum voce, colore, viribus, atque animo deſtituta, jacuit pene exanimis. Magna, ut ſolet, ad ſpectaculum turba confluxerat. Multi feminæ miſerabantur caſum, multi crudelitatem noſtrorum, & filii impietatem increpabant. Fuerunt qui matri ſpem facerent filii recipiendi, ſi repeteret eum legibus in judicio: qua ſpe mulier erecta, judicialem inire viam ſtatuit. Ergo libellum ſupplicem offert ſenatui, ſuus ut reddatur parenti filius rogans, quem a noſtris male deceptum affirmabat. Senatus, tametſi accuſationem ex materno tantum dolore profectam non neſciret, ad præſtitutam diem adeſſe adoleſcentem jubet, & rationem conſilii ſui reddere. Affuit, ac pro ſe tam appoſite dixit, quæſtioni ita ſatisfecit, ut ipſimet judices parenti perſuaſerint, ne ultra adverſari pergeret ejus cœptis, quorum auctorem unicum fuiſſe Deum certo conſtaret. Dictis acquievit mulier, novitius ſenatorum præconio & gratulatione honeſtatus, in tirocinium rediit. Tales Societati ſuccreſcebant alumni in locum veteranorum, quorum aliqui identidem interibant.

101. Judicum ſententia comprobatur.

Ex his duo maxime deſiderati hoc anno, P. Ludovicus Richeomus, & P. Stephanus Moquotus, ambo virtutis opinione conſpicui, & noſtra commendatione digniſſimi. Richeomus patria Dignenſis, ſive doctrinam ſpectes, ſive prudentiam, ſive, quæ cæteris eminent, pietatem & religionem, merito inter prima Societatis Gallicæ lumina annumeretur. Multa poſt ſe reliquit ingenii monumenta, non illo quidem nitore, quo poſtmodum florere gallicus ſermo cœpit, pro eo tamen quod tunc maxime probabatur eloquentiæ genere, doctorum judicio commendatiſſima: Eorum pleraque ad defenſionem Societatis pertinent, quam eum amaret ipſe in optimæ parentis loco, ejus famam contra obtrectatorum calumnias tueri ſtuduit. Præter hæc, ſcripto complexus exemplo Auguſtini omnes animi ſui labes, & vitioſas appetitiones, reliquit poſteritati quatuor libros, quos ſuarum confeſſionum inſcripſit: rarum utique documentum chriſtianæ demiſſionis, quam virtutem præ cæteris colebat. Senex emeritus annorum circiter octoginta, nunquam adduci potuit ut intermitteret, quod ſibi proprium fecerat, miniſterium abluendi vaſa eſcaria. Hoc munus ut expleret, cum non poſſet ad locum operi deſtinatum ſuis ſe ferre pedibus, eo deferri volebat alienis humeris; ac trementibus quidem digitis, ſed mira mentis alacritate, & quam maxima poterat cura patinas abſtergebat, prorſus ut unus de fratribus rei domeſticæ curatoribus: vir cæteroqui per illuſtriores ordinis præfecturas traductus, ter Præpoſitus provincialis in Aquitania, ſemel Viſitator provinciæ Lugdunenſis, quique omnium primus Romæ pro Gallicanis provinciis munus Aſſiſtentis exercuerat. Conſpectum aliquando ferunt toto coruſcantem capite, & cœleſti luce circumfuſum. Vivere deſiit XVII. Cal. Octobris, in collegio Burdigalenſi. Moquotus ortu Nivernenſis, in gradu licet ſpiritualis, ut loquimur, Coadjutoris, egregie meritus eſt, tum de litteris humanioribus, quarum peritia claruit, tum de catholica religione, quam adverſus hæreticorum calumnias multis lucubrationibus vindicavit. Nemo laudare

102. Obitus & elogium P. Ludovici Richeomi.

103. Mors & elogium P. Stephani Moquoti.

Digitized by Google

dare ſatis, vix quiſquam aſſequi cogitatione poſſit labores prope infinitos, quos concionibus habendis, libriſque conſcribendis exſudavit, id aſſecutus vitæ genere laborioſiſſimo, & æque utili, ut ejus mortem, velut jacturam publicam, boni omnes dolerent. Obiit in domo profeſſorum Burdigalenſi, poſtridie Nonas Novembres, annos natus quinquaginta quinque.

104. Prorex Xantoniæ, aliique ad catholicos pertrahuntur.

Ut minus dolenda accideret virorum talium jactura, fecerunt ſuperſtites ipſorum æmulatores, quorum hoc anno induſtria Calviniani amplius centum ad partes catholicas tranſgreſſi ſunt. Celebrata cum primis tranſitio Comitis de Parabere, Xantoniæ proregis, de qua hæc fuerunt memoriæ tradita. Comes, ut erat acris ingenii vir, jamdiu vacillabat in errore, quem a parentibus hauſerat. Cupidus cognoſcendæ penitus veritatis, petiit ab Epiſcopo Xantonienſi Michaele Raulio doctorem catholicum, quem cum miniſtro Hugonotarum committeret, & de fidei controverſiis diſputantem audiret. Miſit Epiſcopus noſtri ordinis ſacerdotem, cujus nomen litteræ tacuerunt, doctum, pium, & in ejuſmodi cauſis exercitatum. Condicitur certamini litterario dies & locus, invitantur ad congreſſum e nobilitate præcipui. Conſederat jam frequens corona. Inter primos acceſſerat ad locum miniſter ſectæ, ſpem vultu ingentem, & certam victoriæ fiduciam ſimulans. Sub ipſam diſputationis horam miniſter, cauſatus neſcio quid, locum turpiter deſerit, & alio ſe recipit. Viſum id pleriſque timentis indicium vehemens, & quaſi deſperatio victoriæ. Relictus ſine adverſario noſter ſacerdos, explicat conſeſſui ſtatum controverſiæ quæ ageretur, rationes utriuſque partis expendit, perorat denique pro veritate. Movit nervoſa oratio Proregem ſic, ut illico cum tota familia hæreſim ejuraverit. Par alterius miniſtri Calviniani conditio fuit Pali in Bearnia, par triumphus catholicæ veritatis. Librum ſparſerat improbus de Romana Eccleſia, calumniis meris & mendaciis refertum. Ex eo noſter Theologus cum excerpſiſſet locos ad bis centum & quinquaginta, quibus in locis fœde corrupta aut mutilata proferebantur orthodoxorum ſcriptorum teſtimonia, ſcriptori virulento dicam ſcripſit coram prorege Bearnienſi Antonio Grammontio, poſtulans condici ſibi diem, qua libri auctorem falſi reum perageret in concilio doctorum .. Simili olim modo David Cardinalis Perronius in jus vocaverat Philippum Pleſſium Mornajum coram Henrico magno. Conſtituta eſt dies: leges, quibus coram prorege certaretur, dictæ. Miniſter ſua conſcientia damnatus, quamquam initio provocationem accepiſſet incredibili faſtu, re deinde melius conſiderata, deſerere maluit vadimonium, quam periculo ſe objicere. Toto expectatus anno, nunquam apparuit: quæ pugnæ detrectatio publicis litteris conteſtata, ut in laudem noſtri hominis ceſſit, ita catholicis pro inſigni victoria fuit, & pudore obruit Calvinianos.

105. Miniſter ſectæ a noſtro Theologo provocatus, cauſam deſerit.

Huic ſectæ fuerat innutritus Pali adoleſcens optimæ indolis, qui licet collegii noſtri ſcholas frequentaret, nondum tamen inducebat animum ut ſuperſtitionem ejuraret, prohibitus metu parentum. Metum vanum, ac noxium aliquando terror ſalutaris vicit. Accidit ut rediret noctu domum, pallidus, elinguis, toto corpore contremiſcens. Lecto illatus, jacuit dies ipſos tres præcluſis faucibus, ut nec cibum capere ullum poſſet, nec vocem mittere. Medicis actum de eo clamantibus, parentes advocari miniſtrum ſectæ jubebant, qui aſſiſteret morienti. Verum ille, ſoluta repente voce: *Quem mihi narratis miniſtrum*, ait, *in hoc rerum articulo? Si me amatis, Jeſuitam adducite ludimagiſtrum meum, cum quo multa ſunt quæ velim communicata*. Vocatur ergo ex collegio noſtro ludimagiſter, quem ut adſtantem vidit adoleſcens, abſiſtere juſſis cæteris, longum ſermonem exorditur. Narrabat, erranti ſibi noctu per infrequentes urbis vicos occurriſſe ſpectrum horribile, ac viſu formidoloſum: ea ſe ſpecie conterritum, vix non exanimem concidiſſe: hanc unam fuiſſe cauſam ægritudinis, qua hactenus extabuiſſet: ſed jam deliberatum ſibi fixumque eſſe tranſire propediem ad Eccleſiam, quo ſe impelli cœleſti inſtinctu ſentiret. His rebus cognitis magiſter, mœrentem hortatus ut bono erecto

106. Adoleſcens ad fidem ſalutari terrore compellitur.

Digitized by Google

ctoque eſſet animo, ſuſpendit ex ejus collo ſacrum numiſma. Mirum dictu! Ad contactum numiſmatis, omnes illæ, ſeu naturales morbi cauſæ, ſeu præſtigiæ dæmonum, momento evanuerunt. Deſiliit lecto adoleſcens, ſeque omnino valentem obtulit domeſticis, quorum quis ſatis explicet admirationem, & gaudium? Rediit poſtridie ad collegium Societatis, & ejurata palam hæreſi, in verba Romanæ Eccleſiæ juravit. Tertius interim vertebat annus, ex quo Societas domicilium habere cœperat Tutellæ, numerabatque jam civitas annos totidem novæ pietatis, quæ una cum noſtris ingreſſa urbem videbatur. Quatuor claſſibus, in quas diviſæ prius fuerant ſcholæ, placuit hoc anno quintam addere rhetoricorum, idque lætiſſimis factum auſpiciis. Una die, undecim ejus claſſis adoleſcentes ad diverſas religioſorum familias tranſiere. Ex eodem collegio miſſus cum fuiſſet ſacerdos Bellolocum, quod oppidum adhuc erat parte multo maxima Calvinianum, præter alia ſacræ miſſionis emolumenta, ad frugem reduxit monachum perditiſſimis moribus, qui annos quinque ſupra viginti in luſtris ganeiſque conſumpſerat, obtinuitque ab eo, ut nova vitæ integritate deleret inuſtam catholico nomini, & ordini ſacerdotali maculam tam probroſæ intemperantiæ. Ut vero hæreticorum arrogantiam comprimeret, vocavit in publicam concertationem miniſtrum ſectæ audaciſſimum, qui catholicos omnes eorumque doctores ſuperbe contemnebat, atque illum invictis rationum momentis ita confudit, ut pudore oppletus abſceſſerit. Factum indigniſſime tulerunt gregalium plerique: ac ne in uno victi viderentur omnes, libellos obtulerunt ſuæ, ut appellabant, Synodo, rogantes ut exilio damnaretur miniſter, propterea quod homo nihili auſus eſſet cum Jeſuita doctiſſimo certamen ferre de religione. Quaſi vero magis ingenii tarditate ſuperatus, quam vitio cauſuiſſet. Sed a rebus Gallicis gradum faciamus ad Hiſpanicas.

107. Et a gravi morbo divinitus perſanatur.

108. Acta ſociorum collegii Tutellenſis.

Provinciam Caſtellanam turbabat vehementer hoc tempore filius degener Societatis, idemque magni ingenii, & magnæ item audaciæ vir, quæ duo ſi jungantur, maximas habent ad nocendum vires in religioſis ordinibus. Nos rem totam, uti geſta eſt, ordine referemus. P. Stephanus Peralta, quatuor jam profeſſus vota, cum traderet theologiam Valliſoleti, amotus fuerat ab officio, propterea quod non ut copia doctrinæ, ſic etiam exemplo morum prodeſſe putaretur auditoribus ſuis. Rem ille ferens indigne, & auctoribus factæ ſibi, ut rebatur, injuriæ ſuccenſens, temperare ſibi non potuit, quin conceptum animo mœrorem communicaret cum agnato ſuo Joanne Peralta Epiſcopo Senticenſi, ſive, ut nunc loquimur, Zamorenſi, quo utebatur amiciſſimo, & intime familiari. Is amici dolorem miſeratus, in omnem occaſionem ejus ſublevandi imminebat. Commodum accidit, ut ab Eccleſia Senticenſi transferretur ad archiepiſcopatum Cæſarauguſtanum. Cum ergo profecturus illuc eſſet, adducere ſecum ſtatuit Patrem Stephanum, virum ſcilicet theologica ſcientia præſtantem, proindeque futurum ſibi in rebus Eccleſiæ adminiſtrandis magno uſui, amicum præterea, & conſanguineum ſuum. Illa ſuberat difficultas, quod cum pertineret Cæſarauguſta ad provinciam Aragonienſem, ad eam nefas erat Stephano ſe transferre, inconſulto generali Præpoſito Societatis: Provincialis enim Caſtellanus aperte negabat, licere ſibi quemquam ſociorum extra fines provinciæ ſuæ mittere. Perſtitit nihilominus in ſententia Præſul, & Stephanum minime repugnantem abduxit Cæſarauguſtam. Eo ut ventum eſt, perrexit Stephanus malam cauſam facere deteriorem, plures manens hebdomadas, contra quam apud nos lege præſcribitur, apud Archiepiſcopum, unde vix demum perpelli potuit, ut in collegium Societatis ſe reciperet. His Romæ cognitis, doluit Mutius inflictum diſciplinæ vulnus haud leve, eique mederi ſtatim cupiens, ſcripſit ad Provincialem Aragonienſem, ut Peraltam quamprimum dimitteret Cæſarauguſta, & in ſuam provinciam remitteret: ſimul Antiſtitem non minus officioſis, quam efficacibus oravit litteris, ut id æqui bonique faceret. Prius quam hæc Præpoſiti generalis mandata in Hiſpaniam pervenirent, Stephanus, ſolutioris vitæ deſiderio captus, ad Mutium ſcripſerat, ve-

109. Res Castellanæ. P. Stephanus Peralta turbas movet in Societate.

110. Irritam fuiſſe contendit profeſſionem ſuam.

Digitized by Google

veniam rogans transeundi ad alterius instituti ordinem, ubi se continuo recipiendum, si modo per eum liceret, affirmabat. Necdum ad hæc postulata responsum acceperat, cum jactare palam cœpit, nullo se religiosæ professionis, nullo votorum simplicium vinculo obstringi, nec proinde posse cogi, ut Societatem deserens in alium ordinem immigraret. Hujus rei non aliam afferebat causam, nisi fuisse se sine Præpositi generalis permissu acceptum in Societatem anno ætatis decimoquinto nondum expleto. Quam rationem ad summam votorum suorum validissimam putans, eandem brevi commentario exposuit, commentarium vero ipsum Romam transmisit ad Mutium. Is interim, ad priores ejus litteras respondens, facultatem petenti fecerat transeundi ad alium ordinem. Diploma sibi oblatum Stephanus veluti non necessarium repulit, contempsitque, nulla se facultate indigere dictitans, qui nec fuisset unquam sacramento Societatis obligatus, nec vero esset. Quibus dictis ut facta congruerent, nec ullam servabat domesticæ disciplinæ legem, nec, ut Præpositus generalis mandaverat, in suam provinciam regrediebatur. Ne vero sibi fraudi esset contumacia tam effrons, temeritatem novo ausu cumulavit. Judicem totius controversiæ sumpsit ipsum Archiepiscopum Cæsaraugustanum, ac prius quam de negotio ipso cognosceretur, ab eo rescriptum abstulit, ut pendente judicio censendus esset extra potestatem Societatis, eaque propter licitum sibi foret, si vellet, alibi quam apud nos diversari: cujus deinde rescripti beneficio ex ædibus collegii ad Hieronymianos demigravit, præstolaturus e tuto quid post causæ cognitionem Archiepiscopus pronunciaret. Talis judex quin esset causam adjudicaturus Peraltæ, nec ipse, nec alius quisquam dubitabat. At contra judicium quod parabatur, excepit Cæsaraugustani collegii rector (nam vocatus fuerat ex juris formula ad dicendum siquid vellet ex parte Societatis) excepit inquam, ejus generis causam minime pertinere ad Archiepiscopum: quod cum certis rationibus demonstraret, hac exceptione perfecit, ut Præsul ab incepto desisteret, ac judicium deponeret parum caute susceptum. Non ideo quievit Peralta, aut ad officium rediit. Certus nec litem deserere, nec se iterum arbitrio Societatis committere, extorsit *a supremo juris præfecto*, qui laicus erat magistratus, decretum quoddam, ne ad nostra domicilia reduci posset per vim. Tum pro sua causa curatissimam concinnavit, ediditque lucubrationem, qua lecta multi in Hispania, jura magis forensia quam Societatis instituta callentes, ibant in ipsius sententiam. Vir nimirum præstanti ingenio, nec mediocri doctrina, rationes pro se multas & varias ita exposuerat, ut primo intuitu veri speciem præferrent. Sed P. Joannes de Montemayore, vir æque canonici ac nostri juris peritissimus, scripto specioso magis quam solido scriptum oppositum adeo nervosum, ut cum lectitari cœptum est, sententiam mutaverint plerique, & ad partes Societatis transierint. Ipse momentis rationum victus Peralta, agnovit jus Societatis, aut certe visus agnoscere. Sane, consilio in melius verso, supplices ad Mutium litteras dedit, unum modo rogans, sibi ut liceret cum bona ejus venia transire ad Cistercienses. Petitioni annuit haud gravate Mutius: ea tamen annuit lege, ut ne ante dimitteretur, quam proprio chirographo professus esset, quæ emisisset apud nos vota, tum simplicia, tum solemnia, non fuisse irrita, nec proinde justam fuisse causam cur litem ordini intentaret. Quo facto filium turbulentum amisit Societas non invita, atque illa est omnis perturbatio sublata. Cæterum, ne alia similis suboriri unquam posset, Mutius, utpote nostri juris interpres legitimus, declarans uberius quod olim fuerat a decessore suo Claudio sancitum, ita rescripsit: *Vitia, quæ forte contigerint in prima nuncupatione votorum ob defectus ætatis, biennii, aliosque similes, cessantibus ejusmodi defectibus, qualibet consueta renovatione votorum emendari*. Et quia Peralta male abutebatur eo Constitutionum loco, ubi nostri bis intra annum vota renovantes dicuntur, * *Non nova obligatione se obstringere, sed ejus qua obstricti sunt recordari*: inde enim conficiebat, siquid in prima votorum nuncupatione defuerit, illud

111. Multa perperam molitur contra auctoritatem suorum præsidum.

112. Agnoscit jus Societatis, & transit ad Cistercienses.

113. Quid declaratum sit occasione illius controversiæ.

P. 1. c. 4. §. 6.

Digitized by Google

illud per alias atque alias inſtaurationes nunquam ſuppleri; idcirco Societas poſt Mutii obitum in Congregatione generali VIII. decretum edidit in hanc ſententiam. * *Quod in conſtitutionibus dicitur renovare vota non eſſe novam obligationem ſe obſtringere, ſed ejus qua obſtricti ſunt recordari, intelligendum eſt, ut hactenus intellectum eſt, quando renovatio ſupervenit priori obligationi, non vero quando nullam invenit obligationem.* * *Decr.* 22.

114. Res Aragonienſes. Decretum Academiæ Valentinæ contra ſcholas Societatis.

Quam hactenus executi ſumus moleſtiam excepit in provincia Aragonienſi alia diverſi generis perturbatio, quam modo paucis expediendam ſuſcipimus. Florebat Valentiæ gymnaſium Societatis majori auditorum frequentia, quam ferre pacate poſſent aliqui ex doctoribus publicæ academiæ. Suum quaſi dedecus interpretantes, magiſtros Societatis ſtudioſius audiri quam ſe, collegas ſollicitabant, ne paterentur ultra probrum, ſed partam tot annorum labore famam nobiliſſimæ academiæ tuerentur præſenti aliquo, & opportuno remedio. Re in deliberationem adducta inter profeſſores, afferebantur in medium multa. Fit denique communi conſenſu decretum, ne deinceps ad litterarios gradus admittantur ii, qui mallent collegii noſtri ſcholas frequentare, quam academicas. At decreti major ſtrepitus, quam uſus fuit. Prolatis poſt paulo litteris Apoſtolicis privilegia Societatis continentibus, oppreſſa feliciter ſunt adverſariorum incepta. Acceſſit ad demerendos profeſſorum animos beneficium, quod æqui rerum æſtimatores minime contemnendum putarunt. Coorto inter ſcholaſticos academiæ, neſcio quam ob cauſam, gravi diſſidio, in duas factiones ſe diviſerant feroces adoleſcentes, arma ſumpſerant, manus jam prope conſerebant. Cum nullum eſſet præſenti malo remedium in præſidibus, advolavit e collegio noſtro ſacerdos, ſeque in medium agmen tumultuantium injiciens, qua erat apud juvenes auctoritate & gratia, tantum precando hortandoque valuit, ut pacem ex æquo & bono compoſuerint qui modo erant in mutuam cladem armati. De ſacris expeditionibus, quæ plures eodem anno ſuſceptæ fuerunt, præſertim in dioceſibus Dertuſenſi, & Gerundenſi, multa

115. Componitur grave diſſidium Valentiæ inter ſcholaſticos.

haberem dicere, quæ ob frequentiam & ſimilitudinem rerum prætereo. Unum ſilere non debeo charitatis exemplum inſigne, quod occaſione miſſionis editum eſt Balagueræ. Eſt id oppidum prænobile in Catalonia, ſitum prope Sicorim amnem. Præter alia multa urbis commoda, ex eo quem dixi fluvio ingens aquæ vis derivatur intra mœnia, ſpargiturque viis prope omnibus per ſubterraneos ductus, uſu quidem maximo civitatis, ſed pari interdum periculo. Nam ſi quo caſu diſſolvatur compago fornicum, quibus intecti ſunt lateritii canales, dehiſcunt momento viæ, & voragines improviſas ſub pedibus gradientium aperiunt. Id ipſum accidit, dum ibi duo Societatis operarii miſſione ſacra fungebantur, atque eo prorſus tempore, cum catervas puerorum agebant ad catecheſin. Subſidit repente pars viæ in hiatum ingentem, & unum puerorum abſorbuit. Ad clamorem, ut in ſubito & gravi caſu ſublatum, accurrit celerrime noſtrorum alter, ac puerum videns cum aquis colluctantem, & jam pene demerſum, nihil ultra moratus, in ſubjectum gurgitem ejecit ſe. Hærebat circa os voraginis attonita multitudo, & utrumque perditum conclamabat: quæ tamen fuit Dei benignitas, neuter periit. Sacerdos impavidus, conſilio manuque utens, puerum primo, deinde ſe in tutum recepit. Res viſa tunc pleriſque naturæ viribus major, viſa nobis non indigna, quæ in hos annales tranſcriberetur. Et ſiquidem catechiſmi incidit mentio, Patres collegii Majoricenſis nihil non agebant, ut rem adeo neceſſariam propagarent, & ad utilitatem civitatis univerſæ traducerent. Illud in mores inductum hoc anno, ut in quinque urbis locis explicarentur chriſtianæ doctrinæ rudimenta. Proviſum, ut non ſolum ætas tenerior, verum etiam natu grandiores erudirentur. Deſignatæ demum matronæ primarii generis, quæ puellarum centurias inter ſe partirentur, eaſque non minus exemplo quam voce ad diſcendum intentas facerent. Ex eodem collegio Majoricenſi ad oliveta circumpoſita excurſum eſt. Crebræ in his ali ſolent operarum familiæ. Supra ducentas duo ex noſtris

116. Charitatis exemplum a noſtro Sacerdote editum.

117. Acta ſociorum collegii Majoricenſis.

Digitized by Google

stris sacerdotibus excoluerunt, ac multo meliores quam initio invenerant reliquerunt. Correcti ex maxima parte mores, sublatæ dissidentium iræ, dies festi, qui passim solebant per meras saltationes, aliamque lasciviam traduci, coli pie ac rite cœpti. Nec illud parvi faciendum, quod ab eo tempore audiri desierunt amatoriæ & obscenæ cantiunculæ, irritamenta nequitiæ, quibus antea totus ager personabat. Tanta denique facta in publicis moribus commutatio, ut pueri simplices percunctarentur a suis matribus, cur non ut ante homines lætitiæ indulgerent.

118. Mors & elogium Joannis Marini scholastici.

Inter hæc *raptus est*, *ne malitia mutaret intellectum ejus*, Joannes Marinus, mira innocentia juvenis, atque alter, ut vulgo ajebant, Aloysius Gonzaga: hoc etiam illi similis, quod eadem atque ille die, eodemque læthi genere occubuit, dum similiter altioribus studiis operabatur. Anno ætatis decimo quinto cooptatus in Societatem, jam tum inexpiabile indixit sibi, & cupiditatibus suis bellum, quod usque ad obitum produxit. Nullam antea contraxerat graviorem noxam: deinde nec ad leviusculas offendit, nisi admodum raro, ut sancte testati sunt qui de tota vita confitentem audierunt. Votum ediderat suis semper cupiditatibus adversandi, idque ab eo servatum exacte affirmabant iidem Patres. Sæpe moderatores suos veniam rogabat plectendi duriter corporis, ac sæpius fortasse quam ferret virium infirmitas exorabat. Ciliciis uti, cruentare se flagris, nudo in assere somnum carpere, famem sitimque solo pane & aqua, non tam satiare, quam fallere in deliciis habebat. Cum esset his quasi patientiæ rudimentis multum exercitatus, correptus est lenta tabe, cui accedentibus viscerum & capitis doloribus atrocissimis, ulceribusque permolestis, habuit per sex menses quo ardens illud suum patiendi desiderium expleret. Obiit in paterna domo Malanquillæ (oppidum est prope Bilbilim), quo fuerat medicorum judicio missus, ut adversus morbi contumaciam nativi cœli remedium experiretur. Moriens magnopere flagitavit, ut corpus suum mitteretur Bilbilim, & in æde Societatis conderetur. Verum id passi non sunt oppidani, nostrisque corpus innocentissimi juvenis reposcentibus, diserte negarunt ferre se posse ut alio traducerentur civis sui mortales exuviæ, quas in loco thesauri longe pretiosissimi haberent. Utcunque illi tamen civem colerent suum sanctitatis opinione ducti, multo studiosius Gandienses suum colebant olim dominum, nunc patronum Franciscum Borgiam. Ex quo decretos beato viro cœlestium honores audierant, gestiebant insolito gaudio cives, & novum ejus cultum quibuscunque poterant modis celebrabant. Ignes festivi, machinæ, pugnæ ludicræ, aliaque id genus spectacula lætitiam publicam testabantur. Clientum suorum studia beatus Franciscus non uno miraculo comprobavit. Inter alia popularis gaudii argumenta, fons elegans adornabatur in muro summo publici ædificii. Accidit ut structor operis, dum suo aptat loco fontis latissimum labrum, fallente vestigio rueret in præceps, totamque secum traheret molem. Haud dubie affligebatur lethaliter, aut decidente secum machina opprimebatur, nisi Borgiam, cujus honori laborabat, in ipso lapsu invocasset. At ejus ope constitit in subjecto solo rectus, & illæsus omnino, quasi occulta manu susceptus fuisset: moles autem, ignota vi impellente, deflexit in latus læso nemine. Miraculum istud excepit paulo post aliud non minus illustre. Puer erat Gandiæ manibus pedibusque ita vitiatis, ut nec movere illas ullo modo posset, nec his insistere. Pueri malo cum angeretur vehementer tota familia, pater ipsius, nullum esse remedium videns in arte medica (multa enim expertus fuerat frustra), Borgiæ opem supplex quæsivit. Vix fecerat, & filium recepit incolumem tanto, non solum gaudio, sed etiam admiratione, ut vix eundem hunc esse puerum crederet, quem conspicere soleret misere decumbentem, & membris captum. Ut erant ejusmodi miraculorum tot Gandiæ testes oculati, quot cives, hoc magis Gandiensium studia erga beatum suum Principem incensa fuerunt. Eodem tempore in aliis etiam Hispanorum urbibus certatim beato viro signa gratulationis exhibebantur, non mi-

119. B. Francisci Borgiæ miracula duo Gandiæ.

Digitized by Google

minus religiosa, quam splendida, Valentiæ præsertim, quæ illo civo gloriabatur, & Barchinone, quæ protegem olim suum fuisse meminerat.

120. Res Toletanæ. Novus B. Borgiæ cultus celebratur Matriti.

Sed longe omnibus præstitit, quæ regiæ domicilium est, Matritum. Multos continenter dies tenuit religiosa celebritas, augente populi pietatem sacro beati viri corpore, quod argenteo incluſum loculo diversis supplicationibus per urbem circumvectum est. Principio ab æde professorum, ut tunc erat, angusta devectum fuerat ad collegii basilicam. Ibi cum quatuor dies venerationi publicæ expositum prostitisset, deferri placuit ad regium parthenonem S. Claræ, id ita fieri poscentibus, tum parthenonis Antistita Joanna de Cruce beati viri pronepte, tum Margarita Austriaca Maximiliani Imperatoris filia, quæ inter excalceatas illas virgines vitam religiosissimam traducebat. Hinc denique post biduum denuo illatum est ad templum professorum, sedem ipsius propriam, atque perpetuam. Jam nihil attinet dicere, qua pompa, quo apparatu istæ supplicationes peractæ fuerint. Interfuerunt aulæ regnique proceres, & flos universæ nobilitatis cum innumera populi multitudine. Pietas cum magnificentia certavit sic, ut nihil neque ad dignitatem, neque ad pompam splendoremque fuerit desideratum. At, quæ sunt rerum humanarum vicissitudines, lætitiam hanc tantam corrupit paulo post acerbissimus luctus in funere festinato Caroli Archiducis, quem uno prope tempore Hispania accepit, amisitque. Eum Rex, quippe insigni prudentia principem, & avunculum suum, evocaverat ex Germania, ut haberet moderatorem adolescentiæ optimum, & idoneum administrum, cui tantam imperii molem tuto committeret. Mense nondum exacto quam Matritum venerat, subita vi morbi sublatus est, nescias utrum graviore aulæ mœrore, an regni universi jactura. Ejus quidem certe obitum boni omnes vehementer doluerunt. Doluit præsertim Societas nostra, dolore non minus vero, quam justo, quem graviorem faciebat recordatio beneficiorum, quæ nobis multa Carolus detulerat, & eorum expectatio quæ promiserat. Novissime, cum ad iter Hispanicum se accingeret, auditus fuerat sæpe cum diceret, hoc sibi fore jucundissimum in Hispania, quod esset habiturus identidem occasionem, in qua suam erga nos voluntatem re & factis ostenderet. Sed aliter Deo visum, forte ut privati fructu tam insignis benevolentiæ, spem omnem haberemus in divino patrocinio repositam. Præter ejusmodi vulnus Hispanicæ Societati commune, ereptos sibi doluit provincia Toletana Patres inclytæ famæ duos, Ferdinandum Lucerum, & Joannem Suarez, de quibus aliquid attingendum hoc loco est. Lucerum velut parentem alterum provincia venerabatur, a quo fuerat sæpius administrata, pari semper fama integritatis, atque prudentiæ. Nihil illo lenius, nihil, ubi quid fortiter agendum esset, efficacius. Lenitatem porro, non beneficio naturæ hauserat (erat enim vitio indolis in iram proclivior), sed exercitatione virtutis, qua id etiam erat adeptus, ut cæteris animi cupiditatibus imperaret sine molestia. Nemo illum in crebris maximisque doloribus mœrentem vidit, nemo elatum inaniter in rebus prosperis. Domi cum præstaret ætate multis, fama, honoribus, & rerum gestarum magnitudine fere omnibus, primas nihilominus ultro deferebat aliis, quorum esse ajebat neminem ineptiorem, vilioremque se. Multis procerum fuit a sacris confessionibus, quorum gratia ad ipsorum tantummodo salutem usus, moriens nihil post se nisi exemplum evangelicæ nuditatis reliquit. Obiit Matriti VI. Idus Januarias. P. Joannes Suarez, cui debentur sacræ illæ Eucharistici panis formulæ Complutenses, de quibus actum libro hujus historiæ quarto, divinis illustrationibus ab ipsa pueritia frui cœpit, perrexitque quamdiu vixit usum perquam familiarem habere cum superis. Memoriæ proditum est, balneis interdum uti coactum fuisse ad refrigerium corporis, ex ardore quem orando conceperat æstuantis. Sibi inclementer admodum imperabat ipse: quæcunque vero imperarent moderatores, ad eorum nutus omnes præsto erat. Olim sentiens, si quo casu opus nescio quod sibi fuisset injunctum, ab eo refugere animum vehementissime, procubuit sta-

121. Mœror Societatis in morte Caroli Archiducis.

122. Mors & elogium P. Ferdinandi Luceri.

123. Mors & elogium P. Joannis Suarez.

Digitized by Google

tim in genua supplex, ac Deo vovit, nulla se recusaturum quantumvis aspera, & dura majorum imperia. Reipsa jusserunt moderatores eam maxime rem, quam timuerat. Obsecutus ipse est tam alacriter, quam si rem optatissimam faceret. At hujus victoriæ mercedem tulit non exiguam. Ab eo tempore supernis perceptionibus abundavit multo copiosius, vitamque reliquam traduxit inter cœlestes delicias, quarum jucunditatem experiri quidem poterat, sed verbis explicare omnino non poterat. Decessit Compluti XVI. Cal. Januarii, annos natus novem supra septuaginta, quorum ipsos quinquaginta saluti proximorum impenderat, elatusque est funere apparatissimo, quod academia, & civitas universa frequentavit, cunctis palam affirmantibus, viro sanctitatis eximiæ justa persolvi.

124. Novitius voce Deiparæ ad Societatem retrahitur.

Viros tales Societas non tam amittebat, quam ad æternas beatorum sedes transmittebat, habebatque proinde in ipso damno, quantumvis gravi, unde mærorem solaretur suum. Unum amiserat omnino, nisi fuisset divinitus ad bonam mentem reductus. Adolescens optimi moris dederat in tirocinio Matritano nomen; at idem mox cum animo suo reputans beatæ solitudinis commoda, & rem Deo gratiorem se facturum existimans, si viveret apud se, dehortante frustra tironum magistro, Societatem deseruerat. Vix egressum is oppressit mœror, nullam ut partem hilaritatis caperet. Nocte proxime consecuta cum se quieti dedisset, somnum captabat incassum, seque in omnem partem irrequietus versabat. Agitatus conscientiæ stimulis, lecto exilit, projectusque ante effigiem B. Virginis supplex, opem quærit ex ea, quæ mœrentium adjutrix clementissima est. Roganti insonuit clara vox: *Revertere ad Societatem*. Hanc deinde vocem affirmabat, ex ipsa imagine fuisse emissam, nec animo tantum, sed etiam auribus a se acceptam. Ut ut fuerit, nihil ambigens quid facto esset opus, Matritum illico redit ex itinere, quod patriam versus instituerat: adit recta Præpositum provincialem (erat is P. Ludovicus Palmius), ejusque ad genua accidens, & rem totam narrans, per Christi charitatem, per quidquid sanctum ubique est rogat, ut reducem denuo amplecti velit. Juvenem Provincialis certo dierum spatio distulit tentandi probandique causa, donec in proposito persistentem voti compotem fecit. Sic suum Societati alumnum servavit clementia Deiparæ. Quod pertinet ad labores sociorum, memoranda præcipue inter acta hujus anni sacra expeditio, quam P. Bernardinus Villiegas suscepit in Extremaduram. Hispaniam ab occidente claudit, quam Bæturiam antiqui dicebant, Extremadura, regio frugum ferax, & incolis frequentissima. Patet in longum millia centum & octoginta, lata centum circiter & viginti. Caput regionis Pax augusta, in finibus Lusitaniæ. Urbem hanc semel quidem atque iterum adierant Patres Lusitani: at in reliquo tractu Societas, aut ignorabatur penitus, aut pessime audiebat. Nam quod olim fidei Quæsitores proscripserant gliscentem ibi sectam illuminatorum, damnaverantque nominatim ejus hæresis præcones quosdam habitu nostris hominibus quam simillimos; vulgatum tota provincia fuerat, ac temere creditum, illuminatos esse de Societate, cujus propterea nomen ipsum indigenæ execrabantur. His ita se habentibus, Villiegas regionem inimicam cum evangelico ministerio peragrare, & hominibus tam male de Societate sentientibus ultro se offerre statuit. Res plerisque plena temeritatis videbatur: cum tamen probaretur a Præposito provinciali, ejus permissu vir apostolici spiritus itineri se commisit. Incessit *sine sacculo & pera*, soli fidens Deo, cujus causam agebat. Ubi primo sumpsit hospitium, fuit qui sectam illuminatorum illi objiceret. Convicium terroris plenum ipse contempsit: & nihilominus porro pergens in interiora regionis, partim voce, partim exemplo vitæ integerrimæ gentem inimicissimam sibi devinxit, præjudicatam de nobis opinionem abolevit, quantum distarent ab illuminatis homines Societatis, docuit. Duos prope annos in ea peregrinatione posuit, quo tempore quam multa ad salutem animarum inceperit, gesseritque, longum esset exponere. Quæ vero facta sit erga nos inclinatio animorum,

125. Expeditio in Extremaduram P. Bernardini Villiegas.

126. Mira illius gentis inclinatio erga Societatem.

Digitized by Google

tum, colligere licebit ex ipſius litteris ad generalem Præpoſitum datis, quarum ego particulam exſcribo. „ Seſquiannum, inquit, Bæturiam peragravi. Beneficia, quibus me Deus, & ſocium meum affecit, nec enarrari ſatis poſſunt, „ nec intelligi. Nihil a quoquam petii uſquam, ne aquæ ſextarium quidem: „ tamen omnium, quæ opus erant, affatim ubique fuit. Mutaverunt judicia „ voluntateſque incolarum in tantum, ut Societatem hactenus abominati, nunc „ in amoribus habeant, & lacrymis pugnent nobiſcum, ne diſcedamus „. Pergit dicere, ut ſecum egerint de condendo Pace collegio: quod quemadmodum deinde effectum ſit, infra memorabitur.

127. Res Baticæ. Temerarium facinus Fr. Joannis de Luna.

Provinciam Baticam gravis invidiæ turbo concuſſit, quodque fatendum eſt, unius ex noſtris temeritate: minore tamen, quam malevoli vellent, culpa. Rem ego totam, quæcunque ea demum fuerit, cum fide referam, ſummam colligens litterarum, quas de hoc argumento ſcriptas vidi. Quatuor Societatis Fratres rei domeſticæ adjutores prædium curabant oleis conſitum in ſuburbano Hiſpalenſi. Accidit ut eorum unus, cui nomen Joannes de Luna, intentis jam tenebris vocem audiret querulam, velut hominis opem & auxilium poſcentis. Accurrens ad clamorem, videt in ipſo prædii limite adoleſcentem humi afflictum, & huic inſtantem cum gladio equitem, mortemque minaciter intentantem. Tollit vocem Luna, abſiſtere equitem, & parcere adoleſcenti jubet. Cum nihil proficeret, vim vi repellendam putans, arrepto qui erat ad manus gladio adoleſcentis, invadit hominem ferociter, & in fugam agit, equo vulnerato. Erat eques ille, quod poſtea reſcitum eſt, præfectus ſtationis in proximo excubantis, ne quid olei Hiſpalim importaretur per fraudem impoſiti vectigalis: adoleſcenti autem manus injecerat, propterea quod inventum a ſe diceret, cum menſuras aliquot olei clam in urbem inferret. Lunæ itaque facinus, quacunque tandem mente ſuſceptum, ſatis magnam habebat per ſe invidiam, ut quo violata videretur poteſtas publica in detrimentum regii ærarii. Ad augendam invidiam acceſſerunt fabulæ calumniæque præfecti ejuſdem, qui cum e veſtigio ad urbis præſidem (Aſſiſtentem illi nominant) properaſſet, factum exponens, falſa multa interſeruit vero. Prohibitum nempe ſe armata manu, ne juvenem fraudis compertum in vincula duceret: accurriſſe ad ejus defenſionem Jeſuitas telis inſtructos, irruiſſe pariter villicos ingenti numero armatos: equum cui inſideret interfectum fuiſſe, ægre ſe incolumem evaſiſſe. Addidit, in eodem prædio miram occultari copiam olei, & aliarum mercium: exportari autem libere fiducia armorum, quibus ſe boni Patres contra miniſtros regios communiiſſent. Hæc ille, quæ deinde emiſſa in vulgus, aliter ab aliis ferebantur, non ſine Societatis dedecore. Aſſiſtens interim, audita relatione præfecti, tametſi æquum erat nihil ſtatuere inaudita parte, cujus res & fama in diſcrimen veniebat, mittit continuo ad noſtrum prædium ſatellites cum mandatis, ut quoſcunque præfectus excubitorum indicaverit comprehendant, & in vincula rapiant. Quibus juſſa facientibus, ecce tibi circa meridiem conſpicitur in ipſo aditu villæ agmen infeſtum. Admoniti noſtri recipiunt ſe effuſo curſu intra domum. Eodem celeriter convolant famuli, & coloni: fores ſeris vectibuſque occluduntur. Solus in aperto relictus fuerat cum aliquot villicis Fr. Joannes Ximenius, quem lictores cum tenuiſſent, vinculis & contumeliis oneratum cædebant tam immaniter, ut viderentur velle conficere. Vidit e ſummo tecto Frater Luna, & indignitatem non ferens, ſumpta raptim pyrobaliſta, deſignatoque ad ictum præ cæteris lictorum uno, qui ſæviebat atrocius, ejus brachium ignea glande transfixit, reliquos metu ſimilis infortunii diſſipavit. Abierunt ergo ſatellites, atque una Ximenium cum tribus colonis ad præſidem abduxerunt. Rem deinde, non uti geſta fuerat, ſed ut inter ſe condixerant, referentes, judici, ut mitiſſime dicam, nobis parum amico amplam vexandæ Societatis materiam præbuerunt. Documento ſit injuria facta Ximenio, quem præſes in communem noxiorum carcerem abripi juſſit, nec dimiſit niſi poſtridie ſub veſperam, cum ex edicto judicis Pontificii monitus eſt, niſi religio-

128. Ejus cauſa Societas gravem incurrit invidiam.

129. Auget invidiam Fr. Luna novo facinore.

Digitized by Google

ligiosum virum extemplo solvisset, privatum iri communione sacrorum libellis tota urbe propositis. Cæterum tempestas illa omnis resedit citius felicius-que, quam sperandum videretur. Nam cum provinciæ Præpositus statim e-

130. Eo extra Societatem ejecto, componuntur omnia.

Societate dimisisset Fratrem de Luna, movit ea severitas æquissimum Regem, ut eidem cognoscendum ex toto permitteret quod de occultatis in prædiomercibus & armis fuerat indicatum, abrogaretque ejus causæ judicium infenso præsidi: qua re impetrata, facile deinde ea purgata sunt omnia, quorum in crimen nostri vocabantur. Inspectum est coram testibus prædium, interrogati accusatores, indicia singula ad examen adducta: ne vestigium quidem detectum mercium, quæ occultari per fraudem dicebantur. Ex armis pauca duntaxat inventa, eaque in agro ferme necessaria, & villicis passim ad arcendos latrones permissa. Quæ cum ex actis constarent, aspersam Societati maculam deterst veritas in lucem educta, omnisque strepitus conquievit.

131. Cujusdam Mahometani conversio admiranda ante supplicium.

Ob ea quæ narrata sunt hactenus, multis malevolorum obtrectationibus proscindebatur Societas Hispali. Animos civium nonnihil delinivit læta conversio cujusdam Mauri, secta Mahometani, in quo expugnando, post vim gratiæ cœlestis, eluxit nostri sacerdotis industria. Cædem iniquam patraverat nuper, cujus damnatus criminis, quammox capitali pœna plectendus erat. Priusquam ad patibulum raperetur, placuit experiri, num vellet Christum amplecti? Submittitur itaque ad illum noster sacerdos, qui periculum faciat. Loquentem ut audivit homo ferocissimæ cæteroqui indolis, non solum primis ejus suasionibus cessit, sed brevissimo intervallo a summa contumacia ad parem docilitatem transgressus est. Prolato die supplicii, cœperat de tota re christiana per otium instituí. Studio pietatis incaluit usque adeo, ut admirationem & pudorem incuteret optimis quibusque christianis. Totus erat in meditandis Christi cruciatibus, cujus imaginem millies osculabatur quotidie, nunquam sine imbre lacrymarum, & amoris sensu suavissimo. Ut ex parte imitaretur quem colere instituerat Christum, sæpe se flagris immaniter cruentabat. Instantem pœnam adeo non refugiebat, ut imo videretur sibi multo plecti mitius quam esset commeritus, vocaretque se beatissimum, cui cita mors aditum reclusura esset ad æternam felicitatem. His urbe tota vulgatis, nemo fuit qui non miraretur divinæ gratiæ virtutem, nemo qui non Maurum illum mortalium felicissimum diceret. Qua die ad baptismum primo, & inde ad supplicium fuit producendus, innumera multitudo confluxit visendi studio hominis, qui certissimus cœli candidatus opinione omnium esset. Nec ipse alio processit vultu, quam qui hominem deceret jam jam cœlitibus inserendum. Lætus æque inter sacerdotum & carnificum ministeria, spectaculum urbi dedit cœlo teste ac laudatore dignum. Erectum fuerat in foro urbis celeberrimo pegma sublime, & magnifice ornatum. Huc splendide vestitus, alacer, & florea corona redimitus venit, deducente ordine sacerdotali, ac nobilitate u-

132. Quam splendido apparatu fuerit baptizatus.

niversa, tubis lituisque læto concentu perstrepentibus: atque ubi constitit prope sacrum fontem, baptismum ore submisso petiit. Ablutus est augustiore ritu ab Archidiacono Carmonensi, qui sacro amictus pallio cæremoniam peregit, & mox cœlum proximum felici neophyto gratulatus, carnifici permisit, ut quæ sui erant muneris exequeretur. Cadaver summo cum honore in ædem urbis principem illatum est, & humi conditum. Hujus lætitiam eventus cumulavit die postero adolescens ejusdem gentis & sectæ, qui cum venisset in domum Societatis, se quoque ajebat velle Christianum fieri. Jussus dicere, unde illi tam subita, tam salubris fuisset injecta mens? narrat, visum sibi miro circumfusum lumine, & inter Angelos considentem popularem illum suum, qui pridie fuisset supplicio affectus: se gloriæ ejusdem desiderio tangi: orare, immerentem ne repellant. Sane repulsus non est. Eruditur a nostris, nec multo post baptismo consignatur. Hæc Hispali. Utreræ interim, quæ parva urbs est millibus passuum viginti circiter ab Hispali, novi collegii fundamenta jaciebantur. Hujus rei laudem tulerunt omnem PP. Joannes de Armien-

133. Alter Mahometanus baptismum suscipit.

134. Initia collegii Utrerensis.

Digitized by Google

mienta, & Didacus Montiel, duo ſtrenui Miſſionarii, qui cum urbem excoluiſſent ſacra miſſione, ac mirum inter ſummos infimoſque excitaſſent ſtudium pietatis, par habendæ Societatis deſiderium excitaverant. Obſtiterant initio aliqui civium, ac communi nomine ſupplicaverant Regi, ne noſtros ſineret Utreræ domicilium figere. At iidem edocti, quantas ſecum afferret commoditates noſtri ordinis domicilium, alia nunc mente erant. Rogabant ipſi noſtros, ne ultra differrent ſedem ibi ſuam conſtituere. Quod collegii cenſibus deerat, id ſuppletum iri partim privata, partim publica liberalitate ſpondebant. Quæ cum omnes ſummo conſenſu profiterentur, motus eſt Provincialis Hemelmanus, ut certum ſociorum numerum cum magiſtro latinitatis collocaret Utreræ, & initium quoddam collegii faceret, quod deinde Præpoſitus generalis, etſi nondum ſatis maturum putaret, tamen ratum habuit.

135. Res Sardiniæ. Patres collegii Calaritani fructuoſe laborant.

Eodem anno in Sardinia ſacerdos collegii Calaritani in circumpoſitam regionem egreſſus, cum miniſteria ſalutis late circumferret, tam adverſos alicubi nactus eſt Parochos, ut exiſtimare potuerit, ingens ſubeſſe malum ubi oblatam medicinam ipſi reſpuerent animarum paſtores. Quo magis obnitendum contra ratus, tandiu cœptis inſtitit, donec tandem Parochis conſtantia ſuperatis, operæ pretium non pœnitendum, & ſpe propemodum majus fecit. Multorum iras inveteratas extinxit, offenſiones publicas ſuſtulit, confeſſiones innumeras a prima ætate repetitas excepit. Ejuſdem induſtria occurſum iniquitati fœneratorum, quodque vulgo difficillimum, quam plurimis perſuaſum, ut factum ſupra ſortem lucrum ſuis dominis reſtituerent. Id aliqui negotiatorum tam ſancte inviolateque ſervarunt, ut nulla licet fraudis conſcientia, ſolo metu ne quid in mercimoniis peccaſſent imprudenter, pecuniarum ſummas non modicas piis uſibus deſtinaverint. Intra ipſam quoque urbem Calaritanam regni primariam, fructuoſe geſta res eſt. Qui in cuſtodiis publicis detinebantur, incuria magiſtratuum ſævam tolerabant eſuriem, nec habebant interdum quo vitam utcunque ſuſtentarent. Malo ut remedium adhiberet rector collegii noſtri P. Antiochus Carta, miſit per urbem ſacerdotes duos cum mantica, juſſitque corrogare ſtipem oſtiatim, qua in carceres delata, inopiæ miſerorum ex parte ſubventum eſt. Erant in urbe eadem quinque germani fratres, animis ita disjuncti, ut nec communia ſalutationis officia alter alteri deferret. Offendebantur exemplo multi: nemo impetrare potuerat hactenus, ut ſin minus fraterne, civiliter ſaltem viverent. Diſcordiam feliciter ſuſtulit unus noſtrorum; quodque optandum magis quam ſperandum videbatur, diſſidentes fratres ita pacavit, ita mutuam in gratiam reduxit, ut qui paulo ante inſanabiles exercebant inimicitias, jam officiis inter ſe, & benevolentia certarent. Neque vero defuerunt Calari exempla patrocinii, quo ſæpe alibi Virgo beatiſſima viſa complecti ſodalitates apud nos in ejus obſequium inſtitutas. Sodalium neſcio quis paulo ante quam cubitum ſe reciperet, victus prava libidine, flagitium admiſerat. Jacenti affuit horrenda forma perſpicuus dæmon, inſiliitque in fauces inſtar truculenti carnificis. Clamare miſer, invocare Deiparam ſodalitii patronam: nec fruſtra. Ejus audito nomine, continuit a cliente Virginis mamus infernus ſpiritus, ac celeri fuga in auras evanuit. Dum reſpirat a metu juvenis prope exanimatus, inſonat emiſſa cœlo vox, iret quamprimum ad ſacerdotem Societatis, & admiſſum crimen confeſſione purgaret. Paruit poſtridie mane pœnitens juvenis, ſimulque acceptum a Virgine beneficium aperuit gemebundus, & adhuc horrore trepidus.

136. Sodalis Marianus in extremo periculo divinitus liberatur.

137. Res Lusitaniæ Franciſci Fregiani corpus incorruptum invenitur Ulyſſipone.

Quo tempore hæc in Sardinia contigerunt, in Luſitania res accidit omnium judicio major naturæ viribus, quæque ad illuſtrandam fidem catholicam plurimum valuit. Ulyſſipone, dum effoditur neſcio qua cauſa ſolum in templo profeſſorum, tria inventa ſunt humana corpora, ſingula ſuis incluſa ſarcophagis, quorum erat alter alteri ſuper impoſitus. Inſpectis curioſius corporibus, tabe conſumpta apparuerunt ſupremum infimumque, medium vero integrum omnino, & incorruptum: id quod omnibus viſum miraculo quam ſimil-

Digitized by Google

similimum. Acta post hæc rei diligenti inquisitione, tum ex domesticis monumentis, tum ex juratis multorum testimoniis constitit, sepultum ibi fuisse ante annos sexdecim Franciscum Fregianum, virum prænobili natum genere in Anglia, virtutibus tamen multo illustriorem, qui anno labentis sæculi octavo exul a patria, fortunisque omnibus catholicæ religionis odio spoliatus, vitam ærumnosissimam pie clauserat Ulyssipone. Huc porro se receperat vir fortissimus post annos tenebricosi carceris duodetriginta, ut beneficio uteretur Regis Jacobi, qui famam clementiæ quærens, generosum fidei pugilem jusserat exilio mutare carcerem, & solum vertere. Jam vero, vulgata per urbem fama reperti corporis, ad illud intuendum undique concursum est. Quosdam etiam ferunt, Fregiani invocato nomine, beneficia divinitus impetrasse. Sed nemo omnium illi plus debuit Anglo quodam negotiatore, qui tali, ut loquebantur, miraculo ad hæresim ejurandam est motus. Mercator is erat non minus animi, quam fortunæ opibus locuples, ingenio promptus, litteris supra communem modum excultus, & lingua plurimum valens, quas ob dotes in illo emporio princeps habebatur suæ gentis, & sectæ. Calviniani dogmatis disciplinam ita in congressibus defensabat, ut videretur omnino vinci non posse. Sæpe cum nostris hominibus disputaverat, irretitus sæpe fuerat, nunquam manus dederat victas. Is ergo mercator, viso Fregiani popularis sui corpore incorrupto, rem adeo inusitatam nec referre in causas naturales audens, nec humana majorem temere credendam putans, eam serio apud se expendebat. Accidit, ut audiret ea de re sententiam P. Ignatii Staphorimi (sacerdos erat is natione Anglus, alebaturque in domo professorum Ulyssiponensi juvandis suæ gentis hominibus), qui documentum id esse contendebat divinæ benevolentiæ, & præmii genus pro servata defensaque tot inter molestias fide catholica. Enimvero ita esse clamat, divina collustratus gratia. Volat in collegium nostrum, damnatisque sectæ placitis, jurat in Ecclesiæ Romanæ verba, haud paulo studiosior veritatis defensor futurus, quam antea oppugnator fuisset. Talis transitionem viri exceperunt Catholici incredibili gaudio; Angli vero negotiatores mœrore tanto, ut quidam ad plures dies, velut in gravi luctu, luce & publico abstinuerint. Hos inter rerum successus obiit Archiepiscopus Ulyssiponensis, ejusque in obitu videre licuit, quantam in humanis mentibus commutationem efficere soleat metus vicinæ mortis. Semper antea commiserat cur nostro ordini, aut infensus, aut certe parum amicus putaretur. Illo ipso quo ægrotare cœpit tempore, agebat vehementer apud Romanum Pontificem, & apud Regem, ut abrogaretur diploma Gregorii XV., quo Lusitana Societas liberabatur ab onere solvendi clero vigesimas. Tamen ubi ingruere mortem sensit, in supremo illo vitæ actu totum se nostris commisit hominibus, eos adstare sibi morienti jussit, nec nisi eorum consiliis & opera regi voluit usque ad extremum. Quod adeo præter opinionem accidit, ut creditum vulgo sit, gravissimum præsulem, quæcunque dedisset sui erga nos animi indicia, revera nunquam male sensisse de Societate, aut saltem in eo rerum articulo, cum veriora esse hominum judicia solent, mutasse sententiam.

138. Cujusdam Angli negotiatoris conversio memorabilis.

139. Archiepiscopus Ulyssiponensis moriens amicum Societati se præbet.

De rebus in reliqua Lusitaniæ provincia gestis, ut multa ad vitandam satietatem præterire cogimur, sic aliqua ad specimen indicanda censemus. Valde frugiferum hoc anno fuit Patribus collegii Eborensis oppidum Rodondense, quo cum evangelico ministerio accesserunt. Correcti sunt civium mores sic, ut alia prope civitas videretur. Multum vero ad successum laboris optatissimum contulit loci dominus, vir æque genere ac pietate conspicuus, qui quoties officia missionis peracta sunt, præivit ipse exemplo cæteris, & facem prætulit quodammodo. Non solum concionibus, & piis supplicationibus intererat inter primos, sed neque dubitabat ea dignitate vir catechismi explicationem audire, & interdum quasi unus de multis interroganti, uti fit, sacerdoti super aliquo christianæ institutionis articulo respondere. Etiam in insulis, quas patria lingua Madeiras Lusitani nominant, fructuose versati sunt Patres collegii Fun-

140. Res gestæ Sociorum in oppido Rodondensi.

141. Et in insulis Madeiris.

Digitized by Google

Funchalenſis . Indicio ſunt litteræ , quas hoc tempore Epiſcopus ejus urbis dedit ad Mutium . Iis Antiſtes litteris multa commemorat de laboribus Apoſtolicis Patrum , laudat nominatim Benedictum Sequeiram collegii rectorem , atque in extrema epiſtola prolixe profitetur , ſocios univerſe omnes , quantumvis paucos , exemplo vitæ , laboribus , & doctrina , magno ſibi adjumento eſſe in epiſcopatus onere perferendo . Illis ita in Chriſti vinea deſudantibus , Eboræ deſideravit Societas adoleſcentem eximiæ ſpei , Gaſparem Freire , de quo multa ſunt in litteris ad memoriam illuſtria , ſed una præſertim res hoc loco non tacenda . Erat adoleſcenti parens vidua in Monte majori , qui vulgo novus dicitur . Femina in primis religioſa , & notæ pietatis , dederat Societati filium adeo non invita , ut imo non alia re magis viduitatem ac ſolitudinem ſolaretur ſuam , quam cum ſe matrem eſſe Jeſuitæ meminerat . Hoc illi gaudium invidens malus dæmon , quadam die formam induit filii , ſeque a Societate pulſum ſimulans , matrem adit querulus , & oppletus lacrymis : narrat , ſe ſine cauſa , ac per ſummam injuriam extruſum fuiſſe e collegio Eborenſi : recipi denuo in paterna domo , & materna charitate recreari poſtulat . Vix non exanimis corruit ad eas voces pia femina . Ubi ſe collegit paululum , increpare durioribus verbis filium , matricidam vocare , qui aliquo certe ſuo merito , contra quam conteſtaretur , fuiſſet dimiſſus . Maneret quidem domi , ſed parentis benevolentiam priſtinam deſperaret . His dictis , oppreſſa luctu mulier certum hominem legat Eboram cum litteris ad collegii rectorem . Plenæ erant querimoniarum litteræ : nempe quod filium ſuum nullam noxam promeritum Societas contra jus faſque expuliſſet , id mater conquerebatur ſumma acerbitate verborum . Obſtupuit rector vehementer : feminam putavit errore mentis affici , vitio ætatis : Gaſparem quidem certe verſari in collegio norat , nulli veniſſe in mentem illum de Societate dimittere . Id ut tabellarius matri affirmare certo poſſet , adeſſe coram jubet Gaſparem , ac de ſe fidem facere . Vocatur , adeſt nulla mora . Eum tabellarius ut vidit , vix oculis credidit . Redit illico ad matrem , quid audierit ex rectore , quid ſuis ipſe oculis viderit , nunciat . Perquiritur tota domo Gaſpar ille fictitius , qui ſe in ædium interiora penetraverat , nuſquam invenitur . Ita fraus mendaciſſimi hoſtis detecta eſt , & piæ feminæ mœror depulſus . Creſcebat poſt hæc adoleſcens pietate , & litteris in magnam ſpem Societatis , cum lætam ſpem acerba mors intercepit . Poſt biennium Gaſpar copioſum ore ſanguinem ejectavit , rupta vena ; nec multo poſt cœlo maturus naturæ conceſſit xv. Cal. Aprilis . Juvenem eſt ſubſecutus ex Ulyſſiponenſi profeſſorum domo ſenex annorum nonaginta ; Fr. Joannes Fernandius , rei domeſticæ adminiſter , cui nullam defuiſſe laudem tradunt earum , quas in ejuſmodi gradu Societas poſtulat . Humilitate , modeſtia , laborum tolerantia præcipue ſpectabatur . Nunquam induxit animum , ut poteſtate uteretur a majoribus ultro facta diſcendi litteras , ſua ſorte contentus ſcilicet , & contemni gaudens . Inter partes domeſtici miniſterii eas obibat libentius , quæ plus haberent laboris atque operæ , quæque humiliores cenſerentur . Plures continenter annos gallinarii domeſtici curam geſſit : toto autem hoc tempore nulla præteriit dies , qua non collectas diligenter menſæ reliquias , cum cæteris culinæ purgamentis imponeret capiti , ac deferret in chortem , tam lætus ea ſarcina , quam ſi auro gemmiſque coopertus incederet . Vigiliis in multam noctem productis , flagris , cilicio , cibi potuſque parſimonia , corpus exercuit uſque ad ſenectutem extremam . Obiit die anni ultimo , quodque ne gravis ulli eſſet optaverat , repentino defectu virium , & vitæ .

142. Mors & elogium Gaſparis Freire ſcholaſtici.

143. Mors & elogium Fr. Joannis Fernandii.

Eodem anno augetur Eboræ cultus SS. Ignatii , & Franciſci Xaverii , decreto per collegium ſacerdotale facto , ut anniverſarii eorum dies in poſterum ſolemnibus liturgiæ officiis celebrarentur . Viſi ambo honoris iſtius acceſſione digniſſimi , cum ob alia merita , tum præſertim ob crebra beneficia , quibus beati Cœlites , non eam modo civitatem , ſed omnem prope Luſitaniam ſibi demererent . Duo circumferebantur recentiſſima , quorum primum ad Ignatium

144. Augetur Eboræ cultus SS. Ignatii & Franciſci Xaverii.

Digitized by Google

145. Insigne miraculum S. Ignatii in urbe Portuensi.

tium pertinens, hoc accidisse modo narrabant. In urbe Portuensi uxori Ducis Mirandensis enatum erat in facie ex affluxu pestilentis humoris genus tuberculi, quod in vomicam purulentam degenerans, præterquam quod fœdabat enormiter speciem oris, guttur jam corripuerat, angebatque, haud dubie prorupturum ulterius, nisi vagantem late pestem chirurgi ferro scinderent. Modum hunc curationis horribilem, & exitu periculosum, qui tamen medicorum judicio suppetebat unus, mulier maximopere refugiebat. Ipsa invita, chirurgi nihil aggredi audebant: morbus interea per dies singulos invalescebat. In hoc statu rerum uni ancillarum venit in mentem beati Patris Ignatii, cujus ex reliquiis commodum erat domi quædam particula. Heram commonet, Ignatii ut opem imploret, ejus reliquias admoveat ulceri, & beneficium expectet. Monenti paruit mulier cum insigni fiducia, eodemque momento temporis, tumore sponte disrupto, defluxit quidquid intus collectum fuerat noxii humoris, ipsa ab omni non modo periculo, verum etiam molestia liberata est. Diversi fuit generis beneficium, sed mirandum æque, quod celebrabatur Bracharæ de S. Francisco Xaverio, atque hæc ejus summa. Aleator perditus jacturam ingentem pecuniæ fecerat, cujus causa mœrens, ut usuvenit, & consilii inops, pene se desperabat. Multa pervolutans animo, meminit auditum sibi olim de quodam milite, qui Xaverii adhuc viventis ope argentum ludo amissum recuperaverat, mutata repente ludi fortuna. Erectus in spem similis beneficii, Xaverium fidenter invocat: rogat atque obsecrat, ut aleæ sortem fortunare sibi tantisper velit. Id si fecerit, duo promittit, interposita voti religione: primo, nunquam deinceps aleas tractaturum: deinde, diem ejus anniversariam celebraturum pridiano jejunio, & perceptione sacrorum. Concepto in hunc modum voto, beneficium uti certo obtinendum præcipiens animo, iterum se ludo committit. Mira profecto res! Mutaverat sors in tantum, ut qui semper antea illam experiebatur adversam, jam ad singulos ferme jactus haberet propitiam. Nec voti fidem fefellit. Cum reparasset brevi priora damna, ludo abstinuit postea, eoque non contentus, Xaverii beneficium sibi duntaxat notum, grati animi causa in lucem eduxit. Cæterum exemplum istud nos magis admirationi hominum, quam imitationi propositum volumus. Multo sane consultius veriusque sit abstinere penitus ludo periculoso, quam ad propitiandam ludi fortunam vota religionesque interponere. Sed de provinciis Europæ satis multa.

146. Aleator S. Xaverium in ludo propitium experitur.

147. Res Provinciæ Goanæ. Status Societatis in Æthiopia.

Ad transmarinas progredienti occurrit primo loco missio Æthiopica, quæ ad provinciam Goanam est referenda. Octo stationes in Æthiopia numerabat Societas anno præsenti: Fremonensem, omnium antiquissimam, in regno Tigræo: Dancazienſem, Ganetensem, & Gorgorensem in Dambeano: in regno Gojami Collelensem, Serguensem, & Gabramensem: demum in regno Begamedreno Athquarensem. Divisi per has erant socii omnino undecim, præter præsidem omnium P. Antonium Fernandium, quem Imperator, ubicunque castra faceret, habere volebat apud se. Solent quippe in castris plerumque degere reges Æthiopiæ, eaque, ut res postulat, subinde commutant. Patribus favebant ubique provinciarum proreges, omnium vero maxime frater Imperatoris Cela-Christus, vir studio religionis summe flagrans, ut sæpe alibi demonstratum est; nostro autem ordini addictus in tantum, ut cum accepisset nuper a Mutio litteras, quas germanitatis dicimus, ea re gloriaretur plurimum, ac sæpe domi tunicam Societatis quasi unus nostrorum indueret. Verum id levius fortasse. Illud præstabilius multo, quod ejus fulti auctoritate & præsidio PP. Franciscus Carvallius, & Antonius Brunus, vix quidquam ad salutem animarum inceptabant inter Gojamenses, quod feliciter non perficerent.

148. Res hoc anno gestæ cursim indicantur.

Hoc anno corruptelam gravissimam, & longo usu inveteratam sustulerunt. Cœnobium erat, in quo admixtæ monachis habitabant feminæ religiosæ. Prorege adnitente, nostri perpulerunt monachos, ut sexuum segregationem admitterent. Iidem excursionibus e sua sede Collelana factis ad Agaos finitimos, ethni-

Digitized by Google

ethnicorum fere duodevigînti millia ad baptiſmum perduxere. Pari ferme curſu fluebant res in reliquis ubique ſtationibus. Gorgoræ P. Ludovicus Cardeira ſeminarium regebat puerorum quinquaginta. Cum ad cæteram inſtitutionem addidiſſet artes muſicas, brevi ſpatio perfecit, ut res divinæ, pſalmodiæque ad præſcriptos numeros apte peragerentur: id quod hominibus talium inſuetis prope miraculo fuit, movitque quam plurimos, ut latinos ritus & cultum amplecti vellent. In ſtatione Ganetenſi P. Ludovicus Azevedus, ſenex licet emeritus, & valetudine afflicta fatiſcens, non modo adoleſcentium ſeminarium inſtituebat, verum etiam ſchiſmaticis erudiendis operam aſſiduam navabat, ex quibus reduxiſſe hoc anno dicitur ultra mille & quingentos. At perinde quaſi parum id eſſet, homo ſumme laborioſus, & inexplebilis charitatis, plura etiam ſcripſit ediditque ad publicam utilitatem opuſcula vernaculo gentis idiomate, cujus artem grammaticam uſui noſtrorum confecerat. Eodem tempore quotidianam pſalmodiam, quam vulgo clericorum officium dicimus, in linguam, quæ apud Æthiopes litteratorum eſt, transferebat: ut mirum ſit, homini tam occupato, tam infirmo ſuppetere tantum otii viriumque potuiſſe. Damotæ, gens cultu aſpera, & erroribus innutrita, fidem latinam, ejuſque præcones hactenus execrati fuerant. Interventu Bucoi Proregis, hoc anno religionis magiſtrum acceperunt P. Emmanuelem de Almeida, nec eſt dictu facile, quæ ſtatim ſecuta ſit voluntatum commutatio. Adibant illum certatim nobiles plebeique, omni genere officiorum colebant, erudiri poſcebant tanta aſſiduitate & frequentia, ut vir, cæteroqui impiger & indefeſſus, ægre poſſet multitudini accurrentium ſatisfacere. In regno Begamedri ſementem divini verbi faciebat P. Gaſpar Paez, ac menſe uno lucratus erat ſchiſmaticorum capita amplius quadringenta. In medio rerum curſu Fremonam accitus, ſucceſſorem habuit æque ſtrenuum, P. Hyacinthum Franceſchium, qui cœpta Paezii viriliter promovens, exiguo tempore ſchiſmaticos duplo plures ad Eccleſiam traduxit. Fuit in hoc numero Archimandrita magnæ inter ſuos auctoritatis, & plurium cœnobiorum præpoſitus, qui cum diu veritati ferociter ac præfracte reſtitiſſet, divina tandem pellente gratia damnavit errorem Dioſcori, Romano Pontifici ſacramentum dixit, peractaque apud Hyacinthum multis cum lacrymis confeſſione piaculari, factus exinde eſt veritatis fautor tanto ſtudioſior, quanto infenſior antea fuerat adverſarius. Atque hæc in ſumma de noſtrorum laboribus, ac rebus geſtis.

149. Alphonſus Mendez novus Æthiopiæ Patriarcha Goam defertur.

Rem modo exponere aggredimur, ex omnibus quæ in miſſione Æthiopica contigerunt maxime memorabilem, adventum ſcilicet novi Patriarchæ Alphonſi Mendez, quem a Romano Pontifice datum aliquando tandem Æthiopiæ dicebamus alibi ſuo loco. Liceat nobis in hac re perſcribenda paulo exordiri altius, ac totum Patriarchæ iter, & itineris eventus varios a ſuis initiis repetere. Claſſem indicam Ulyſſipone conſcenderat Mendezius anno ante hunc de quo ſcribimus tertio, habens in comitatu ſeptendecim de Societate, præter Didacum Secum, & Joannem Rocham, illum Nicæni, hunc Hierapolitani Epiſcopi titulo inſignitum, qui ejus locum, ſi quid accideret humanitus, alius poſt alium implerent, atque interim in adminiſtrando ampliſſimo Patriarchatu comites, & adjutores eſſent. Prius quam Goam attingerent, perierunt in ipſa navigatione quatuor ſociorum, atque inter alios Didacus Secus Nicænus Epiſcopus, quem Patriarcha eo deflevit acerbius, quod præcipuam rerum gerendarum ſpem habebat in ejus viri religione, litteris, prudentiaque repoſitam. Sed nec Hierapolitanus in Æthiopiam pervenit, coactus gravibus de cauſis Goæ conſiſtere. In hac urbe, cum nulla ſe daret occaſio tranſmittendi in Æthiopiam, plures menſes ſubſtitit Patriarcha, ſed non otioſus. Multa ſibi comparavit adminicula ad propagandum inter Æthiopes divinum cultum, curam ponens præcipuam in condiſcenda gentis lingua, ejuſque moribus cognoſcendis. Dederat jam pridem litteras inaugurationis ſuæ nuncias, tum ad Imperatorem, tum etiam ad ejus fratrem Cela-Chriſtum. Reſponſum ab utroque accepit

Digitized by Google

150. Goæ litteras accipit ab Imperatore.

Goæ, quorum non alienum fortasse erit exscribere hoc loco epistolas in latinum conversas. Quæ ab Imperatore mittebatur, totidem erat concepta verbis. „ Epistola Seltan-Seguedi, Dei gratia Imperatoris Æthiopiæ, cum bona
„ boni Pastoris pace, qui posuit animam suam pro ovibus suis, reddatur Al-
„ phonso Patriarchæ Æthiopiæ. Habemus Deo ingentes gratias, quod votorum
„ nostrorum ac precum nos aliquando tandem compotes fecerit, perduxeritque
„ ad optatissimum illud tempus, quo te possemus Patriarcham amplecti, & alios
„ præterea multos de Societate intueri in Æthiopia. His profecto indigemus ve-
„ hementer auxiliis ad colligendas oves, quæ tempore tempestatis & caliginis
„ miserandum in modum dispersæ, dissipatæque sunt. Faxit Deus, ut huc quam-
„ primum subeas incolumis: tuam enim præsentiam & auctoritatem omnino exi-
„ git salus Imperii nostri, ut ex litteris Patrum, qui hic versantur, intelliges.
„ Precamur interea bonorum omnium auctorem Deum, ut quod operatus est
„ confirmet, ad incrementum gloriæ suæ, ac tot animarum salutem. Die xx.
Martii anni MDCXXIV. „. Cela-Christus Patriarchæ litteris respondit in hanc

151. Et ab ejus fratre Cela-Christo.

sententiam. „ Responsum Cela-Christi, Capitis Principum Æthiopiæ, deferatur
„ ad Venerabilem Patrem Alphonsum Mendezium, Patriarcham Æthiopiæ. Pax
„ Domini nostri, Verbi æterni, per quod facta sunt omnia, quod nostram assum-
„ psit humanitatem ex Virgine omnino sancta, & maculæ prorsus experte, ut se
„ ipsum propter nos in ara crucis offerret, Dominationem tuam præstet incolu-
„ mem, perfusamque suæ gratiæ rore salutari mittat quamprimum in possessio-
„ nem novæ dignitatis, quam pacate obtinere nemini adhuc illorum, qui huc
„ Roma missi sunt, licuit. Maximam cepi voluptatem ex litteris Dominationis
„ tuæ, nullam ut majorem in omni vita senserim, nec eam continere animo,
„ aut explicare verbis possim. Ita prorsus gravisus sum, ut opinari licet de ju-
„ stis, qui liberatorem humani generis anxie expectabant apud inferos, cum
„ repente divinam ejus lucem & vultum aspexerunt. Hærebam ego sane tanti
„ negotii expectatione suspensus, atque anxius: nunc vero, cum ad exitum fe-
„ liciter sit perductum, quas Deo tam bene de me merito gratias reddam, ne-
„ scio, atque inter maxima ejus beneficia pono, quod me ad hæc usque tem-
„ pora reservaverit. Jam nihil mihi longius est, quam intueri Dominationem
„ tuam, quam tuos pedes deosculari. Rogo itaque te etiam atque etiam, ut ac-
„ celeres, & multos tecum Patres adducas. Æthiopia, quæ tua merito dici jam
„ potest, innumeris abundat populis, multique ex erroribus Dioscori recipere
„ se gestiunt ad viam rectam, olim a D. Leone Romano Pontifice, & a D. Pe-
„ tro pastorum pastore maximo commonstratam. Sunt etiam ethnici bene multi,
„ qui christiana petunt sacra, Agai præsertim, quorum ego idolum vetus nu-
„ per Deo favente combusi. Hi nunc ad baptismum confluunt catervatim,
„ itemque Cafri, quibus ne christiani fiant nihil obstat, nisi paucitas sacerdo-
„ tum. Quamobrem Patres Societatis quamplurimos tecum advehendos cura:
nimis enim multi esse non possunt. „

152. Baylurum navigat, portum regni Dancalensis.

Lætus his litteris Patriarcha, conscenso ubi primum licuit navigio, Dium solvit cum comitibus undeviginti. Sex erant de Societate, videlicet Joannes de Velasco, Hieronymus Lobus, Brunus de Sancta Cruce, & Franciscus Marquez, sacerdotes: Emmanuel Luisius, & Joannes Martinus, rei domesticæ curatores. Cæteri, partim adolescentes periti musices, partim cæmentarii, quorum artificium in Æthiopia valde expetitum, ac prorsus incognitum: tres ad extremum famuli, ac peregrini totidem, Æthiopiam natale solum repetentes. Cum hoc comitatu Caulim primo, inde Dium appulsus, dum parat porro progredi, certior fit, occlusum esse iter solitum per Suaquenum & Mazuam. Prætorem Suaqueni, inexplebilis avaritiæ hominem, tam multa a negotiatoribus exigere portorii nomine, nemo ut auderet merces illuc importare. Præterea inter ipsum, & Imperatorem Æthiopiæ recentes intercedere simultates, quarum causa vir Æthiopi charus, ab eoque summe expectatus, non esset ibi futurus sine periculo. Vitandam ergo illam oram, petendum

recta

Digitized by Google

recta Baylurum, portum regni Dancalensis in mari erythræo: tuta hic omnia ac salva fore, rege quippe finitimo Æthiopiæ, ac fœderato. His rebus cognitis Patriarcha, relicto itinere, quod Mazua erat expeditissimum, navigatione dierum quindecim venit ad insulam Socotoram: atque hinc fretum Arabicum ingressus, ac secus oram Africani littoris Mocam, aliasque infames prædonum latebras quam celerrime præterlapsus, tandem post sexcenta pericula jecit anchoras in conspectu Bayluri. Cum stetissent e regione portus duæ quibus venerat naves armatæ, oppidani armorum fulgore conterriti tumultuari, de prohibenda exscensione deliberare, scapham interea ad explorandum cum expeditis remigibus mittere. Ut compertum est Patriarcham Æthiopiæ vehi, versa continuo rerum facies. Accedit gratulabundus ad naves præfectus oppidi, habere se dicit in mandatis a suo rege, ut Patriarcham, & ipsius comitatum exciperet hospitaliter; omnes denique amice susceptos ad oppidum deducit. Hospites nonnihil recreati, discedunt post biduum Bayluro, ac proficiscuntur ad regiam Dancalensem, salutaturi regem, ut putabant, benevolum, atque inde in Æthiopiam terrestri itinere pervasuri. Via erat ad regiam civitatem, non tam longinquitatis, quam asperitatis causa, dierum septendecim; regio tota sterilis ac siticulosa; nullæ urbes, pauca mapalia, raræ admodum arbores, solitudo ubique ingens, & inamœna. Molestiam augebat æstus immanis, & inopia aquæ, quam iis locis viatores ad restinguendam sitim, humo in scrobes excavata, scrutantur. Defluunt quidem e vicinis montibus aliqui torrentes hiberno tempore, sed siccantur per æstatem, eosque arenæ combibunt. Quod si quid tamen humoris in lamas derivatur, id amara salsugine infectum est. Montes editissimos, qui necessario sunt superandi, asperant lapides scabri, & ferri scoriæ quam simillimi, inter quos ingredi non possis uno die sine caligarum jactura, & dolore pedum ingenti. Per hanc regionem nostris hominibus iter fuit incredibili incommodo, quod gravius faciebat Maurus viæ dux, vir moribus inhumanus, lingua improbus, prorsus agrestis & insociabilis; ferendus tamen, quia camelos ad onera convehenda locaverat, & periculum erat ne abjectis sarcinis abscederet cum jumentis. Regiæ appropinquantibus obviam venit regis frater, specie quidem ut honorem exhiberet hospitibus, reipsa ut avaritiæ suæ faceret satis. Homo sordidus, salute vix invicem data & accepta, mentionem intulit de muneribus sibi tribuendis, quæ cum explicatis in media via sarcinis abstulisset, videri desiit. Haud multo plus regiæ indolis repertum in rege, æque inopi, & habendi avido. Tegebatur culmo regia; solium e rudibus constans saxis, tapete insternebatur vetusto, ac semilacero: conopeum e crasso & vili panno, duæque in abaco cucurbitæ, tota regis supellex. Talem regem non deterruit majestas, quin multa ab hospitibus, præter oblata ab initio munera, peteret. Itaque alia ex aliis insatiabili aviditate flagitans, & beneficii loco apponens quod non raperet, paulatim eorum sarcinas expilavit. His malis accessit utilium summa penuria. Patres enim pro certo habentes, in urbe regia copiam omnium rerum inventum iri, partem commeatuum maximam reliquerant Bayluri: hic vero vix pecunia inveniebant quo famem pellerent, & sæpe dies integros coacti sunt sola oryza exigere, in deliciis habentes, si quid ferinæ adderetur. Post sexdecim hujusmodi hospitii dies, Patriarcha commeatum petiit. Discessurum dimisit rex, ut illis moribus, honorifice. Pridie quam abiret, equo imponi, ac per suos stipatores deduci jussit a regali palatio ad tentorium Patrum, assectante populi innumera multitudine, & acclamante. Equum ornabant monilia quædam, & tintinnabula, qualia solent apud nos mulis, aut mandræ cujuspiam ductoribus e collo suspendi; eo tamen equo & ornatu nemo uti poterat, præter regem. Quare insidentem illi Mendezium festive quidam ex nostris, veluti alterum Mardocheum, admonuit ejus sententiæ: *Sic honorabitur quemcunque voluerit rex honorare*. Eidem postridie discé-

153. Progreditur ad regiam Dancalensem itinere perincommodo.

154. Parum liberaliter excipitur a Rege.

155. Quo honore dimissus fuerit.

Digitized by Google

scedenti dono misit strigosum & capularem mulum, quo sarcinariis jumentis adjuncto, perrexit Patriarcha cum toto comitatu pedibus iter facere.

156. Transgreditur celebres ejus terræ salinas.

Dancale egressos excepit post iter tridui vasta planities, quæ Dancalensem ditionem disterminat ab Æthiopica. Regio est sale tota constans, quem securibus excisum, & in laterculos conformatum indigenæ per Æthiopiam deportant, & in mercimoniis pro pecunia habent. Color illi ab æstu ruber, virtus non tantum ad cibos condiendos, verum etiam ad sananda corpora utilis. Hunc porro salem generare dicuntur erumpentes ex æquore vicino salsi vapores, qui densa caligine illi agro semper incubant: nisi forte exundans olim in planitiem aqua maris, & vi caloris incocta glebis, in salem concreverit. Utcunque sit, tantum ea terra concipere calorem solet ab ardenti sole, ut viatoribus coria calceorum perinde contrahantur, ac si prunis essent admota. Sæpe vapor torridus jumenta & homines extinguit: quæ causa est, ut nemo hinc audeat iter carpere, nisi nocturnis horis. Sed percommode nostris accidit, ut cum illum terræ tractum attigerunt, etiamsi multum supereset diei, solem obduxerit densa nubes: qua usi opportunitate, ausi sunt porro progredi, donec salinis post se relictis, circa lucem intra primos Æthiopiæ fines constiterunt. Simul atque huc pedem intulerunt, refulsit in aere lumen insolitum instar stellæ ingentis, quæ primo radere horizontem visa, mox totum hemisphærium magna luce complevit: compertumque est postea, eadem die, & eodem momento temporis idem ostentum conspectum esse Fremonæ, & fulgorem illum antelucanum omnibus admirationem movisse. Post exortum solis, gravissima siti laboratum est, vix ut spes supereset itineris reliqui conficiendi. Torrebantur immani calore omnes: aliqui, non ultra pedibus corpora sustinentes, humi se jam abjecerant, ut proxime morituri. Alii captabant antra, ubi solem æstumque fugerent. Nulla ostendebatur ad aquandum via, quæ tamen nisi inveniretur, certa mors erat. Patriarcha consilium cepit iter relegendi retro, ejusque vestigiis nonnulli sodalium institerunt. Ecce autem errantibus in dorso montis occurrit homo ignotus, amice illos salutat, voce ac manu locum demonstrat, ubi aquæ copiam invenirent, viæ ducem se offert. Suberat suspicio fraudis, & insidiarum metus. Attamen qualecunque periculum, cum aliqua spe salutis conjunctum, præsenti desperationi præferentes, suspectum ducem sequuntur. Deducti sunt in amœnissimam vallem, ubi fons aquæ dulcis manabat. Post sedatam sitim, utres plenos ejusdem laticis quam celerrime ad socios deferunt, qui æstu, siti, ac defatigatione confecti jacebant: omnes pariter humoris copia recreantur. Hinc pergendum erat per Galarum campos aditu periculosos, & crebris latrociniis infames. Locum silentio noctis celeriter præterierunt, ac postea quam in montes oppositos evaserunt, oculos retro flectentes, sparsa viderunt per agros cadavera hominum ferme centum & sexaginta, cohortem scilicet integram viatorum, quam nocte superiori latrones interfecerant. Gratias Deo liberatori persolverunt, quo protegente periculum præsentissimum evasissent, progressique adhuc biduum, devenere ad montem, quem Senaphem appellant. Vix ibi tentorium erexerant, cum admonitus de adventu Patriarchæ P. Emmanuel Barradas, montem eundem subiit cum Imperatoris consobrino, aliisque proceribus, & magna Lusitanorum manu. Affuit præ cæteris famulus Cela-Christi, dono ferens Patribus jumenta ad iter reliquum conficiendum, habebatque in mandatis ab hero, ut primus omnium pedibus Patriarchæ figeret osculum ipsius nomine. Quis jam utriusque agminis primum occursum explicet? Quis erumpentem ex omnium ore lætitiam? Quis testes lætitiæ lacrymas utrinque fusas? Hærebant mutuis aspectibus defixi, nescias utri majore gaudio: hi quidem, quod post immensa oceani ac terrarum spatia, quæsitam tot periculis laboribusque metam aliquando attigissent: illi vero, & maxime Lusitani, quod coram intuerentur Antistitem suæ religionis & patriæ, rem tamdiu, tam ardentibus votis

157. Æthiopiæ fines ingreditur. De quodam ostento.

158. Reliqui itineris incommoda & pericula.

159. Occurrunt Patriarchæ multi, eumque Fremonam deducunt.

Digitized by Google

votis expetitam, ac fere jam desperatam. Post quam officiis, gratulationibus, & amplexibus satis datum, læti carpunt viam pariter, unoque & maximo agmine Fremonam contendunt, quod oppidum olim a S. Frumentio Abissinorum Apostolo, ut narrant, conditum, & postremis temporibus Patriarchæ Andreæ Oviedi domicilio ac sepulchro nobilitatum, reparandis ab itinere viribus delectum fuerat.

160. Insignis lætitia in regiis castris de adventu Patriarchæ.

Fremonam attigit Patriarcha XI. Cal. Julii, scripsitque continuo ad Imperatorem, ut de suo adventu certiorem illum faceret. Imperator, qui jamdiu nihil de eo audisset, multasque propterea noctes, ut affirmabat, insomnes duxisset, quippe adversi aliquid metuens a feritate Galarum; tam fausto optatoque nuncio lætitiis omnibus incessit. Adesse confestim jubet regni proceres, vocari ad tubarum clangorem populum: venisse jam Patriarcham præconis voce significat. Acclamatum est ab omni multitudine cum faustis ac lætis comprecationibus, ut bene, ut feliciter verteret genti Æthiopum adventus ejus. Ea mox dies tympanis, tibiis, tripudiisque celebrata: decursionibus equitum, & ludis militaribus certatum in castris, ut in eventu omnium auspicatissimo. Hæc videns P. Antonius Fernandez, perscripsit ad Patriarcham ut quamprimum ad aulam accederet, præclaram rerum gerendarum opportunitatem, nisi cunctaretur, habiturus, animis ita affectis: periculum vero esse, ne mora flaccescerent hominum studia, & præsens habitus animorum pro insita gentis mobilitate verteretur. His sane movebatur Mendezius: ne tamen iret statim, prohibebatur, partim fatigatione itineris, partim hieme, quam Junius mensis affert Æthiopibus. Continuit ergo se Fremonæ usque ad finem Novembris, eoque medio tempore multa ad salutem gregis sui providit, ac gessit. Principio, ut speciem catholicæ religionis offunderet schismaticis, die Apostolorum principibus Petro & Paulo sacra rem divinam fecit solemni ritu, cum eoque apparatu, qui Romanæ majestatem Ecclesiæ deceret: nam & musicos in hunc usum, & instrumentum sacrificale secum devexerat ex Europa. Appulit deinde animum colligendis, Ecclesiæque conciliandis schismaticis, qui undique confluebant tanta multitudine, ut interdum amplius centenis in dies singulos fuerint numerati. Demum, decembri mense ineunte, e regno Tigræo profectus est in Dambeam, quo Imperator exercitum promoverat ad compescendos Falaxas (natio est Hebræorum ante plura sæcula in angulo Æthiopiæ degens), qui sumptis armis fines illius regionis incursabant. Nondum hoc præterito tempore Patriarcham viderat Cela-Christus, implicitus bello difficili, quod contra Capraelem quemdam rebellem, & ducem schismaticorum gerebatur. Nec abfuit suspicio, talis administrationem belli fuisse illi traditam ab Imperatore de industria, ne alloqui tam cito posset novum Pontificem: nam metuere ferebatur (ut suspicios est amor, nec ipsi humanis infirmitatibus carent summi viri), ne frater sibi locum præriperet in amicitia ipsius. Utcunque tamen esset, Cela-Christus videre & venerari Præsulem summe cupiens, commisso feliciter prælio cum Capraele, debellavit temporius quam sperandum videretur, atque inde magnis itineribus ad aulam veniens, adventum Patriarchæ lentius incedentis prævertit. Processit porro Mendezius Ganetem prius, ubi horti regii, & statio nostrorum erat, cum templo recens exstructo ex lapidibus, ut alibi dictum est. Venienti obviam prodierunt quinque Patres Societatis, læti illi quidem, & in omnem obsequii significationem effusi, at ea oris macie, eo squalore vestium, ut aspectu ipso testarentur labores, & inopiam suam: quæ res homini suorum fratrum amantissimo multum lacrymarum expressit. Solatio fuit filia Imperatoris Malac-Seguedi, Seltani consobrina, femina spectatissima, quæ in hunc locum progressa ut novum Æthiopiæ Pontificem honore debito prosequeretur, post delatum ipsi obsequium, confessionem piacularem apud eum peregit, & panem mysticum de ipsius manu sumpsit. Inde ventum Gorgoram, itinere unius diei. Ut secus viam inveniebantur monasteria minimum duodecim, undique occurrerunt in ordines distributi

161. Qui Fremonæ non otiosus subsistit aliquandiu.

162. Mox ad aulam proficiscitur. Quam cupide expectaretur a Principe.

163. Quo honore exceptus ubique fuerit in itinere.

Digitized by Google

buti monachi, cum crucibus, thuribulis, & umbellis, psallentes more patrio, & sistra certatim aut tympana quatientes. Lætissimus præsertim accidit occursus alumnorum seminarii Gorgorani. Obviam processerunt frequenti agmine ad tria passuum millia, duce P. Ludovico Cardeira: quos Præsul adolescentes ut vidit in veste clericali, ut latinis vocibus, aptaque numeris modulatione concinentes audivit, magnopere est recreatus. Eo interea Gorgoræ commorante, Imperator, Falaxis pene profligatis, relictisque ducibus qui belli reliquias persequerentur, properaverat Dancatium, locum Patriarchæ admissioni destinatum, atque inde misso internuncio, diem illi condixerat, quo Gorgora se commoveret, aulam subiturus.

164. Qua pompa fuerit ad Imperatorem deductus.

Ad præstitutum diem dedit se in viam Patriarcha. Vicissim Imperator præmisit milites prætorianos, equitum peditumque millia fere septemdecim, ut occurrerent venienti, & honorifice exceptum deducerent in regia castra. Exercitum armis vestibusque fulgentem ducebat Cela-Christus, medius inter duos regios liberos, Facilidam regni hæredem, & Claudium, magnaque nobilium manu succinctus. Ut in conspectu fuit Patriarcha, omnes in genua se abjecerunt. Cela-Christus equo delapsus accedit propius ad Præsulem, ac post salutationis officium humanissimis conceptum verbis, manum ejus exosculatur. Pedem etiam osculabatur, nisi Patriarcha prohibuisset. Post hæc milites in duas acies diducti Præsulem accipiunt medium, tubisque tota via clangentibus, procedunt ad primum usque septum castrorum. Erexerant ibi sublime tabernaculum, in quo paululum consideret Antistes, & ab itinere respiraret. Successit huc Patriarcha, viatoriam tunicam talari mutavit, carbasinam crispatam, quæ Præsulum propria est, superinduit cum oblongo syrmate; ac post brevem moram, prodiit in apertum denuo: relicto autem cui hactenus insederat jumento, equum conscendit puniceo intectum stragulo, munus Cela-Christi non contemnendum, perrexitque eodem ordine usque ad tentorium aliud inter castra positum. Hic iterum consedit, iterum indumenta mutavit, apparuitque fulgenti tiara redimitus, & amictu pontificali spectandus. Ita vestitus, religionem gravitatemque ore spirans, effertur in equum niveum pulcherrime phaleratum, & ad Imperatorem deducitur. Equi fræna ductabant duo regni principes. Supra prætentum erat splendidum conopeum, quod prælongis suspensum hastilibus sustinebant sex proreges. Incedens per media castra, lætis ubique acclamationibus salutabatur, ipse sublata dextera signum bene precandi faciebat. Tandem equo desiliit, & Imperatori oblatus est. Sedebat Imperator in templo B. Virgini dedicato, diademate, purpura, cæterisque regiæ dignitatis insignibus, & ipsa oris majestate conspicuus. Simul atque admonitus est adesse Patriarcham, venienti assurrexit e suo solio, accedentem amice complexus est, salutanti salutem perquam humaniter reddidit. Ambo deinde progressi ante aram templi maximam, ut rerum secundarum auspicia a Deo bonorum omnium largitore sumerent, simul fuderunt preces: quibus peractis Patriarcha, conversus ad innumerabilem populum, brevi, at plena pietatis & dignitatis oratione illum est allocutus, lacrymantibus præ gaudio senibus, ac palam affirmantibus, nunquam auditum sibi Abunam ullum ab Ægypto missum, qui ad populum verba faceret. Digresso interim Imperatore, etiam Patriarcha, positis sacratioribus indumentis, venit in regiam. Aulam ingentem, & Babyloniis tapetibus magnifice convestitam, implebat flos Æthiopicæ ac Lusitanæ nobilitatis. Visebantur in editiore suggestu duæ sellæ, magnitudine & ornatu pares. Dextram occupavit Imperator, non prius tamen quam assidentem in læva cerneret Patriarcham. Postea quam per familiare colloquium multa fuerunt ultro citroque jactata, mentionem intulit Princeps de revocanda ad obsequium Romanæ sedis Æthiopia, idque sibi unice cordi esse dixit. Enimvero id esse agendum, respondit Patriarcha: id modo unum deesse ad gloriam Principis, ad felicitatem Imperii Æthiopici: id denique Pontifici Maximo, id Regi Catholico, & bonis omnibus optatissimum esse.

165. Ut primum admissus fuerit ab Imperatore.

166. Agitur de conjungenda Æthiopia cum Ecclesia Romana.

Quo

Digitized by Google

Quo loco longum sermonem exorsus, commemoravit quæ per annos amplius septuaginta gessissent reges Lusitaniæ, ut Æthiopiam cum Ecclesia Romana conjungerent. Ob hanc unice causam duos olim a Joanne tertio Patriarchas fuisse missos: hoc proposito Claudio Imperatori data fuisse militum Lusitanorum auxilia contra Mauros imperium occupantes; nec alio consilio perrexisse reges Lusitanos eorum militum filios nepotesque annuis largitionibus alere in Æthiopia. Tam piis votis non ut par fuerat respondisse Æthiopes. Promisisse quidem de se multa atque præclara, pauca etiam feliciter inceptasse; at excidisse postmodum a promissis, nihilque confecisse. Mirari propterea desines, subjecit, quid sit quod tandiu cunctati sint Pontifex maximus, & Rex Philippus tertium Patriarcham, quem poscebas, mittere. Verebantur nempe, quæ vestra est inconstantia, ne ad extremum male haberetur, ut priores duo. Nihilominus, perstantibus Patribus Societatis attestari de egregia tua in rem catholicam voluntate, me denique Rex elegit, me Romanus Pontifex Æthiopiæ Patriarcham instituit. Rex quin etiam me cunctis ad usum vitæ necessariis instruxit, non alium quærens tot sumptuum & curarum fructum, nisi ut societatem priscam ineatis cum Ecclesia Romana, semel vero initam constanter tueamini. Patriarchæ orationem attentissimis auribus exceperunt omnes, sed nemo attentius Imperatore. Paratum se esse, respondit, æqua postulanti satisfacere: daturum propterea operam, ut celebraretur propediem conventus ordinum, in quo sacramentum solemne Romano Pontifici, & Ecclesiæ catholicæ diceretur. Habendis imperii comitiis placuit certam constitui diem, quæ fuit III. Idus Februarias anni sequentis. Sed quæ acta sint in eo consessu, nos opportunius alibi referemus.

167. P. Alphonsus Barbudas ostenta quædam observat in Cafraria. *Par. 2. lib. 5. num. 235.*

Prius quam ab Africa digrediamur, indicanda breviter ostenta quædam eodem anno visa in Cafraria circa corpus P. Consalvi Silveiræ, qui quemadmodum fuerit odio fidei interemptus in regno Monopotapæ, videre est in Historia Societatis. * Hæc ego ostenta ita perscribam, ut narrata fuerunt a viro integerrimæ fidei, & eorum teste oculato P. Alphonso Leone de Barbudas, cujus juratum testimonium est mihi longe gravissimum, licet de re ipsa nihil affirmare ausim. Is ergo quem dixi Alphonsus, cum venisset ob causam nescio quam publicam in regnum Monopotapæ, dum Mozambico navigat ad vicinam oram, quam vocant amnium, tempestate provectus fuerat in eam Cafrariæ plagam, ubi Opandæ & Nobunanguæ habitant, quinquaginta circiter leucis infra promontorium bonæ spei. Amnis inde labitur, qui ex montibus lunæ ortus, Monopotapæ regiam præterfluit, devolviturque in Zembesem, fluviorum Cafrariæ maximum. Huc delatus Alphonsus, & secundo amne Zembesem ingressus, venit circa occasum solis ad locum, ubi flumen terræ quodam objectu dividitur in duos alveos. Ibi substitit, applicataque ad proximam ripam navicula, expectare lucem diei sequentis statuit metu scopulorum, qui multi latent sub aqua, & sæpe navigantes fallunt nocturno tempore. In eo terræ spatio, quod aquarum divortia facit, silva erat densa, diversis & proceris arboribus consita. In extrema silvæ ora tignum jacebat ingens coloris ferruginei, cui plurimæ insistebant aves ignoti generis, sed miræ pulchritudinis & elegantiæ. Corpus totum niveo candore fulgidum, exceptis alarum flexuris, quas nigri coloris linea variabat, rostro pedibusque purpureis. Cristas gerebant capite sublimes, quinque constantes quasi ramusculis in crucis formam distinctis. Pavonem indicum magnitudo vincebat. Obstupuit aspectu Alphonsus; tunc vero maxime, cum ex indigenis cognovit, pulchritudine multo esse admirabiliorem avium cantum, nec eum tamen audiri, nisi a quarta noctis vigilia usque ad ortum solis. Re ipsa, albescente die, concentum audiit ex commixtis diversi tenoris vocibus harmonicum, ac suavissimum. Intendit animum atque oculos, viditque aves alarum plausu modulantes sonum, quem ore fundebant. Hæc miranti admirationem auxerunt qui aderant piscatores. Narrabant enim, inter eas quas videret volucres hanc per-

Digitized by Google

perpetuo servari legem, ut certus earum numerus semper insisteret eidem tigno, & quidem sic, ut aliis avolantibus, succederent aliæ totidem per suas vices, nunquam deserente stationem aliquo avium grege: prorsus ut viderentur excubias agere, utque milites solent, eas per intervalla temporum commutare. Placuit experiri mora, an ita esset. Servari exacte vidit quas illi dixerant leges. Erant cum P. Alphonso tres adolescentes gente Cafri, quos cupido subita incessit exscendendi in silvam, ut cuncta curiosius inspicerent: sed vetuerunt piscatores, certum denunciantes infortunium, si accederent propius. Nempe omnes aditus nemoris custodiri diligenter a tigribus, & alterius generis feris, nec eas pati quemquam intro inferre pedem impune. Percunctanti Alphonso, quodnam crederent rerum talium initium? historiam hanc retulerunt, quam ajebant esse apud se fama pervulgatam. Venisse olim secundo flumine cadaver hominis albi, nigra indutum tunica, & illi tigno circumligatum. Aquarum impetu cum raperetur, hæsisse ad objectam terræ oram. Continuo accurrisse ex interiore silva tigres, aliasque gregatim feras, rupisse retinacula, relictoque ad ripam tigno, cadaver intro devexisse. Ab eo tempore cœpisse volucres tigno insistere, feras obambulare perpetuo littus, ne quo pede violaretur sacer locus. Actum id esse patrum suorum memoria, ante annos amplius sexaginta, ac supersesse adhuc ejus temporis senes, qui rem testarentur a se conspectam. Jam vero in tota vicinia communem opinionem ferri, quicunque tandem in eo vixisset corpore, virum fuisse eximium, aut aliquem fortasse minorum gentium Deum, cui mortuo tantum obsequii deferrent brutæ animantes. His addidit longævus senex, venisse olim in mentem regulo proxime imperitanti explorare, quid illud esset rei; consilium autem succesisse in hunc modum. Fragore magno ac dissono tractas fuisse ad unam silvæ oram belluas, eodemque tempore subiisse ex altera duos juvenes agilitate præstantes, & in prealtam arborem celeriter exiliisse. Inde conspectum iis esse in modica planitie jacens humanum corpus, eo vultu & amictu, quem ipse, quem alii gestare Lusitani, sacerdotes solerent. Visas circumsistere ritu venerantium crebras tigres, & alias feroces belluas, aliis vero abeuntibus, redire invicem alias, sibique in orbem succedere. Stetisse diem integrum exploratores in arbore, ac rem per otium contemplatos fuisse: demum eodem quo venerant modo abiisse, contractis antea belluis ad oppositam silvæ partem. His cognitis rebus, pro certo statuit P. Alphonsus, corpus illud esse P. Consalvi Silveiræ, quem ante annos sexaginta Monopotapenses odio christiani nominis interfecissent. Circumstantiæ loci, temporis, indumentorum, documenta omnia mirifice congruebant. Præterea Consalvus, cum adhuc viveret, ferebatur prædixisse non semel, nec obscure, se quidem in urbe regia Monopotapæ necatum iri, sed christianos suo corpore non potituros: quod cæteris indiciis adjunctum, rem Alphonso certam & exploratam faciebat. Itaque Ulyssiponem reversus, de his docuit regem, ac paratum se obtulit ad illud corpus quocunque suo periculo recuperandum: quod tamen pium votum non est executus, nec habeo dicere quid obstiterit. Sed relicta tandem Africa, in Asiam transgrediamur.

168. Ea fieri comperit circa corpus P. Consalvi Silveiræ.

169. Res Sinicæ. Nova statio Chiamcei constituitur.

Sunt aliquæ Sinici imperii provinciæ, in quas hoc primum anno Societas penetravit. In Xansiensem, quæ sita est inter Pekinensem & Chiamsiensem, in regni latere aquilonari, Societatem intulit P. Alphonsus Vagnonus. Redierat nuper vir apostolicus in Sinam, ausus iterum eas ingredi terras, unde ante septennium fuerat barbarum in modum ejectus. Labores pristinos cum resumpsisset Cenchiani, ubi erat non solum fama, sed etiam facie notissimus, P. Emmanuel Diaz, qui, mortuo haud ita pridem P. Joanne Rocha, Sinicæ Societatis administrationem acceperat, periculosum putabat, virum talem, tam publico olim judicio damnatum, ibi versari. Accidit ut duo germani fratres religione christiani, genere honestissimi Chianceum secederent, urbem provinciæ Xansiensis, & unum aliquem ex nostris postularent. Diazius condonavit illis

Digitized by Google

illis perquam libenter Vagnonum, qui eo profectus, ac ſtatim exorſus divini verbi ſementem facere, brevi uberrimum cepit fructum laboris, & induſtriæ ſuæ. Paucis poſt menſibus neophyti jam cenſebantur Chiancei ad aliquot centena, in quibus litteratorum circiter octoginta. Vagnono poſtmodum datus eſt adjutor & comes P. Jacobus Rho, ac ne periret aliquando fructus, quem operarii tam impigri colligebant, conſtituta ibidem Societatis ſtatio perpetua, quæ fuit apud Sinas ſeptima. Penetratum eſt eodem anno in provinciam proximam Xemſienſem, noſtris illam quidem hactenus inacceſſam, non tamen chriſtianis penitus vacuam. Chriſti nomen & fidem huc intulerant præclari quidam neophyti, alibi a noſtris ſacro fonte luſtrati. Principes inter eos erant duo, Paulus Sicuajus, & Philippus Vam, ambo opibus, genere, & muneribus in aula geſtis illuſtres, quibus flagitantibus, & quaſi viam ſternentibus, ſubiit illuc P. Nicolaus Trigautius, & ſedem fixit Singani, in ipſa provinciæ metropoli. Exceptus a Paulo, nequa per publicos magiſtratus moleſtia afficeretur, in ſuis ædibus, prima jaciebat religionis chriſtianæ ſemina, cum res accidit omnium maxime memorabilis, ac paulo diſtinctius explicanda.

170. Alia ſtatio Societatis Singani ponitur.

Jam pridem noſtri multis indiciis opinionem præceperant, floruiſſe olim apud Sinas chriſtianam fidem, putabantque non temere Evangelii theſaurum, quem nuper P. Matthæus Riccius in hoc imperium invexerat, fuiſſe quondam ibi depoſitum a primis ejus propagatoribus, poſtea vero temporis vitio & iniquitate obrutum, ac ſepultum delituiſſe. Id potiſſimum conjectabant ex antiquiſſimis Malabarum libris, qui ſunt de actis Apoſtoli Thomæ; veruntamen rei tamdiu curioſius perquiſitæ nullum adhuc veſtigium invenerant in ipſa Sina: cum repente nec opinantibus oblatum eſt, quo certius optari vix poterat. Dum humus ad jacienda ædificii fundamenta foditur prope Singanum, apparuit marmorea ingens tabula, quatuor minimum palmos lata, longa ferme denos, dimidio palmo non craſsior, quæ olim, ut apparebat, in patenti loco propoſita, deinde aut collapſa caſu, aut ab idolorum cultoribus dejecta fuerat. Exſtabat in ſummo crux affabre ſculpta, cum quibuſdam ad ſingula capita veluti liliis, cujuſmodi fuiſſe dicitur quædam alia crux Meliapori reperta in tumulo S. Thomæ. Ejuſdem formæ cruces etiam apud nos in antiquis operibus multæ reperiuntur. Circa crucem varia conſpiciebantur nubium volumina. Infra titulus legebatur Sinenſi lingua, majoribus conſtans elementis, tranſverſa tamen linea ſeparatus a ſequenti ſcriptura, quæ totam lapidis faciem implebat. Etiam craſſities utriuſque lateris plena litteris erat, ſed externæ linguæ, ignotæque, quam deinde eſſe Siriacam compertum eſt. Admonitus de invento marmore litterato Gubernator urbis, advolavit illico ad locum; utque talium avidiſſima ſunt Sinenſium ingenia, lapidem vetuſtate pretioſum detergi juſſit. Et quamquam parum intelligeret myſteria Sinicis characteribus comprehenſa, multoque minus Siriacas explicare ſciret litteras, quæ tabulæ marginem ambiebant; tamen in celebri prope urbem delubro lapidem collocavit, ſubſtrata baſi, & impoſito columnis quatuor eleganti faſtigio: ſatis dignum honore omnium & admiratione monumentum exiſtimans, ob antiquitatem annorum amplius octingentorum, quam deſcripti in eo Imperatores Sinarum indicabant. Addidit e regione alterum marmor, cum indicio loci, temporis, ac modi, quo tabula inventa fuerat. Ea vix expoſita, concurſum undique eſt, viſendi legendique ſtudio. Litterati, quibus antiquum quodcunque monumentum pretioſiſſimum eſt contra aurum, oculos eruditos tuendo explere non poterant, & animum certatim ad explicandam tabulam adjecerunt. Torſit illos diu ſcriptura difficilis, donec ſuſpicati mentionem ibi fieri de chriſtiana lege, doctores Paulum & Leonem conſuluere, miſſo ad utrumque tabulæ totius exemplo. Illi, ut erant interioribus Sinarum litteris exculti, & legis divinæ periti, facile perviderunt myſteria cæteris ignota, ac lapidis vere pretioſi formam, interpretationem, & ſententiam late promulgarunt, additis quibuſdam enarrationibus, quæ legentibus lucem ad intelligendum neceſſariam afferrent.

171. Monumentum chriſtianæ religionis caſu reperitur.

172. Proponitur publice, & explicatur.

Digitized by Google

Restabant, præter Sinicos characteres, Siriaci, quos nemo indigenarum interpretari poterat. De his P. Alvarus Semedus, e Sina in oram Malabaricam profectus, consuluit Cranganore P. Antonium Fernandium, virum peregrinis litteris per quam eruditum, qui litteras cum expendisset diligenter, designari per eas censuit nomina Patriarchæ, Episcoporum, & Sacerdotum, qui rem christianam in Sina, cum exaratus est lapis, administrabant, quasi præclarum monumentum suo singuli nomine ac testimonio confirmare voluissent. Idem Romæ compertum deinde est, ut fuse demonstrat P. Athanasius Kircherus in sua China illustrata. Totam scripturæ seriem huc totidem transferre verbis non vacat, tum quod longior est, tum etiam quod definire non possim, ex multis quæ Romam transmissæ fuerunt interpretationibus, quæ verior habenda sit. Etsi enim omnium fere eadem est sententia, elocutio tamen in multis, propter ancipitem & ambiguam Sinensium characterum vim, diversa invenitur. Quam primi omnium ediderunt doctores Leo & Paulus, summa inter suos auctoritate viri, ea exstat hodieque in museo collegii Romani. Breviorem attulit Romam anno MDCLIII. P. Michael Boimus Polonus, diu versatus in Sina. Unam ex omnibus contexuit, & italicam fecit Bartolus in sua Asia. Exemplar monumenti ex archetypo descriptum lapide servatur in eodem collegii Romani cimeliarchio, itemque alterum in tabulario nostræ hujus domus professorum. Nos scripturæ summam ad specimen subjicimus.

173. Scripturæ interpretationes & exempla varia.

Præfixus in lapidis fronte titulus hic legitur. *De promulgata in regno Sinensi nobilissima lege a Judæis profecta*. Subditur deinde nomen sacerdotis, a quo est lapis inscriptus, in hunc modum. *Kim-cim, Ecclesiæ Christianæ Sacerdos, ea, quæ in hoc lapide ad æternam clarissimæ legis in Sina prædicatæ memoriam leguntur, exaravit*. Hoc præstructo quasi vestibulo, narratio sequitur, continenturque tota triginta versibus, non a latere sinistro ad dextrum, ut apud nos, sed a summo ad imum ductis, quo more apud Sinas scribitur. Characteres haud plures mille octodecim: sed, quæ vis propria Sinicæ linguæ est, singuli vocem integram, imo totam interdum sententiam exhibentes. Hoc autem scripturæ initium. *Incomprehensibilis, æternus, verus, excellensque spiritus, immutabilis, & beatus, cujus nec principium, nec finem reperire est, cui soli competit necessario, semper, & nobilissimo modo existere, creavit omnia ex nihilo; cumque sit perfecte sanctus, sanctos fecit, eique acceptam referunt virtutis originem quicunque inter illos eminent*. Pergit hinc narrare, deceptum insidiis satanæ primum hominem originis suæ innocentiam perdidisse: inde corruptum vitiatumque fuisse genus humanum, inde natas innumerabiles pestes, & errorum mille portenta, quibus decepti mortales misere peribant, & in æterna præcipites ruebant incendia. In tam misero rerum statu, unam e tribus divinæ substantiæ personis, hominem factam, apparuisse orbi terrarum majestate occulta, & sanctum de virgine natum esse. Ad eum venerandum venisse indicio syderis in Judæam Pozuanos (gens est quam Judæa, juxta Sinensium tabulas, respicit ab oriente), eique tributum obtulisse. Ita fore, prænunciatum fuisse in lege prisca a sanctis viginti quatuor. Ab eodem sancto propositam hominibus fuisse legem purissimam, sanctissimamque, castigatos mores, fidem erectam, mundum expiatum, donec appensus luce palam est in patibulo, & aperto qui obstructus erat ad vitam aditu, in cœlum victor ascendit, relinquens hominibus sacrorum bibliorum volumina, & salutis ostium patefactum aquæ beneficio. Post hæc, sermone ad præcones Evangelii deducto, descriptaque pluribus eorum sanctimonia, narrare pergit, regnante Sinarum rege Tai-zum-veno, venisse e Judæa virum eximiæ virtutis Olopuenum, attulisse sacris voluminibus consignatam doctrinam, & obtinente regnum Chinquon-kien-sù, regiam civitatem attigisse. Regis edicto cœpisse tunc christianam legem toto imperio vulgari, excitatis Deo basilicis, sacerdotibus institutis, Contra legem sanctam consurrexisse consecutis temporibus homines impios; sed eorum conatus fuisse repressos, partim præstantium sacerdotum industria, par-

174. Summa rerum in lapide descriptarum.

Digitized by Google

partim auctoritate & solertia regum, qui multi recensentur in scriptura reliqua, usque ad annum Imperatoris Chien-kiuni secundum, quo positum fuisse monumentum indicatur in fine lapidis. Hæc summa rerum: ex quibus, collata Imperatorum qui nominantur ætate ad Sinensium annalium memoriam, constat, ingressum christianæ religionis in Sinam exiisse in annum æræ christianæ sexcentesimum trigesimum sextum; lapidem vero fuisse positum septingentesimo octogesimo secundo. Scio equidem fuisse, qui hujus monumenti fidem elevare conarentur; sed illi feciſſe mihi videntur maligne magis, quam probabiliter. Nullum quidem certe opponere argumentum potuerunt tot libris ea de re conscriptis, totque ac tam luculentis testimoniis, non solum Patrum Societatis, qui se lapidem vidisse ac legisse testantur, sed ipsorum etiam Sinensium litteratorum, qui egregios super eo commentarios ediderunt, ac toto imperio pervulgarunt. Similior vero est suspicio, quam movet Bartolus, forte divinam legem, de qua loquitur lapis, fluxisse in Sinam, non ex catholico fonte, sed ex vitiata Nestorianorum lacuna, quæ illo sæculo septimo per totum late orientem spargebatur. Sed de hac re nihil habeo quod affirmem in alterutram partem.

175. De antiquitate & veritate monumenti.

Novo interim veritatis testimonio velut armati præcones Evangelii, multo fidentius id prædicabant, quod jam muta etiam saxa loquebantur. Magnum præ cæteris animum sumpsit P. Julius Alenius, ausus in Fokiensem provinciam pervadere, & in ipsa provinciæ metropoli Fokeo novam Societatis sedem collocare. Excipit hæc provincia Cantoniensem, adjacens mari ex adverso Japoniæ; utque reliquis amplitudine concedit, ita ubertate, opibus, ingeniis præstat. Portubus, & fluminum ostiis abundat, qua utentes opportunitate commercii Fokienses, quaquaversum navigant, tum ad proximas Japoniæ ac Philippinarum oras, tum ultra auream Chersonesum: non enim, sicut cæteri Sinæ, consuetudinem advenarum suspectam habent. Censebantur intra regionem aliqui Christiani, alibi a nostris hominibus initiati, ac sæpe litteris sollicitabant nostros, ut illuc accurrerent, certam spem ostendentes rerum prospere gerendarum. Ne tamen illis mos gereretur, obstabat præter alias causas odium, quo non minus gravi quam justo apud Fokienses laborabant Batavi, piraticam in mari proximo exercentes. Nam etsi multum interesset inter piraticam Batavorum, & evangelicum quod nostri obibant ministerium, & facile ostendi posset quantum a Batavis homines Societatis, non solum moribus, sed regione etiam, & religione distarent; tamen, ut est vulgus indoctum, plerique ista aut nesciebant, aut non ut par erat considerabant; nostri autem merito verebantur, ne in ejusdem invidiæ partem venirent eo tantum nomine, quod similiter atque illi essent Europæi. His nihilominus ita se habentibus, cessit hoc anno Alenius iteratis precibus Colai cujusdam insignis, nomine Je, qui fautorem se illi offerebat, spondebatque curæ sibi fore, non solum ut tuto esset Fokei, verum etiam ut facultatem obtineret divinæ legis sine offendiculis explicandæ. At paulo post quam advenerat, sensit periculo suo, non vanum fuisse Patrum cæterorum metum, in discrimen ultimum adductus audaci Batavorum facinore. Objacet Fokiensi littori exigua insula, receptaculum seditiosis opportunissimum, si qui eam occuparent. Batavi locum speculati ad condendam arcem opportunum, insulam irruptione subita invaserunt, domos ædificarunt, & inde per maritimam oram grassari, prope ut maris arbitri, cœperunt. Visum id Fokiensibus indignum, nec ferendum. Classem instruunt celeritate summa, recuperant insulam, navibusque Batavicis partim incensis, partim in fugam compulsis, prædonum aliquot captos, & onustos vinculis Pekinum mittunt, suppliciis atrocioribus necandos. Eo interim facto, ut recruduit Pekini odium vetus in exteros promiscue omnes, ita Fokei contra Alenium nominatim minaces voces exaudiebantur. Exterritus periculo Colaus Je, & promissorum oblitus, Alenium subito destituit, secessitque in villam, ubi latens, nullam pro advena & amico vocem fudit, prorsus ac si hominem ne agnosceret quidem.

176. P. Julius Alenius in provinciam Fokiensem pervadit.

177. Batavorum audax facinus, periculum Alenii.

Digitized by Google

dem. Contra litteratus quidam magni nominis, & procerum amicitia florens, librum virulentum in Christi legem & Patres edidit, eumque totam per urbem ac provinciam dissipavit. Redactus in extremas angustias Alenius, animum non abjecit. Relicta tantisper urbe, recepit se in tugurium, aram composuit, divinum obtulit sacrificium, ut Deum sibi, ac labanti rei christianæ propitiaret. Nec sua illum fefellit fiducia. Erat Hancei vir inter Fokienses longe doctissimus, nomine Melchior Ceus, a duobus tantum annis in Christi gregem adscitus. Is, cognito Alenii periculo, Fokeum illico contendit, docuitque urbis proceres, ac gubernatorem in primis, quantum Societatis homines a Batavis discreparent. Tum Alenium ipsum e suis latebris in publicam produxit lucem, easque in ædes transtulit, quas adeuntium procerum dignitas non fastidiret. Adierunt illum Mandarini frequentes, ac majorem fama sua repertum, donis & singulari benevolentia coluerunt. Colaus Je, post quam hæc initia tam belle fluere, doctoremque Europæum peregrinitatis suspectæ labe purgatum vidit, amico gratulatum venit, & velum sericum protulit, in quo ipsius, & christianæ religionis laudes majoribus litteris exaraverat. Ut est Colaorum incredibilis auctoritas, hoc veluti protecta velo christiana lex bonziorum minas, & malignos procacis vulgi rumores contempsit. Quin ille litteratus, qui Patres & Christi doctrinam, ut supra dictum est, maledico scripto prosciderat, veniam ab Alenio petiit, & satyræ petulantis exempla quæcunque potuit retrahere concremavit. Ita demum Alenius, non solum extra periculum, sed & in magna apud primores gratia mansit Fokei: ita nova ibi statio Societati accrevit, quæ fuit inter Sinicas nona.

178. Ereptus periculo Alenius novam sedem statuit Fokei.

Non adeo leves opponebantur Evangelio obices in Cocincina. Ante biennium Rex, offensus quod illuc nulla appulisset navis Lusitanorum cum mercibus, ejici nostros, & remitti Macaum jusserat: quasi vero non alia quam commercii causa illos hactenus toleraset. Non propterea locum mutaverant Patres; sed gnari mobili ingenio esse regem, ac placatum iri navis Lusitanæ adventu, quæ propediem expectabatur, tantum agere cautius cœperant, & sine strepitu: quæ tamen res, ut plurimum incommodabat ipsis, ita progressum religionis non leviter retardabat. Accedebat huic malo paucitas operariorum, qui in tam ampla provincia censebantur haud plures quatuor, atque ex iis linguæ vernaculæ periti duntaxat duo, videlicet P. Pina, & P. Buzomius. His de causis omnium præses Pater Emmanuel Fernandez, missis aliis super aliis Macaum litteris, nova sociorum auxilia postulare institit, donec impetravit hoc anno, ut submitterentur in regionem alii septem de Societate, idest Gabriel Mathos, Gaspar Luisius, Antonius de Fonte, Alexander Rhodes, Emmanuel Gonzalez, Michael Maqui, & Dominicus Mendez, omnes, præter hunc ultimum, sacerdotes. Dux expeditionis Mathos, cui etiam injunctum, ut Societatis, & Ecclesiæ nascentis statum inspiceret in Cocincina. Commissum munus nec segniter, nec incurioſe perfecit Mathos. Ac primo quidem Sinoam profectus ad Regem cum nobili Lusitano, qui Senatus Macaensis legatus erat, nullum officium prætermisit, quo gratiam Principis sibi & Patribus conciliaret. Evocatis deinde Faifonem sociis, de summa rerum in communi deliberavit. Multa in eo consilio sapienter decreta fuerunt, sed unum in primis. Onsaji, ut odiosum facerent Christi nomen, falso ac maligne spargebant in vulgus, Christianos nullam curam mortuorum suscipere, sed carissimorum quorumcunque capitum penitus oblivisci. Ad refellendam calumniam sancitum, ut exequiæ in posterum celebrarentur apparatu quam posset maximo, cum thure, facibus, lustralibus aquis, supplicationibus, & sacrificiis, ut solemnes Ecclesiæ ritus ferunt. Et quia Novembri mense, ob annuas ejus temporis eluviones, conventus multitudinis haberi non possunt in Cocincina, placuit diem peragendæ omnium defunctorum commemorationi destinatam prævertere duobus mensibus. Decretum in mores inductum est eodem anno. Ad præstitutam diem confluxere in templum neophyti summa frequentia, ac paren-

179. Acta in Cocincina. Res parum prospere succedunt.

180. Nova sociorum manus auxilio venit Patribus.

181. Ritus exequiales cum insigni pompa celebrantur, & quare.

Digitized by Google

rentalia rite celebravere : quibus cum interfuiſſent magno numero etiam ethnici, fateri coacti ſunt, chriſtianis ritibus nihil fingi poſſe ſanctius, nihil auguſtius; quodque falſo percrebuerat, nullam apud nos vigere mortuorum memoriam, ex ipſorum animis deletum eſt. Poſt hæc adjecit animum Mathos, ut apte diſtribueret per Cocincinam ſocios, & opportunis in locis eos collocaret. Caciani, ubi regis filius imperitabat, ſtabile eſſe juſſit domicilium ſociorum trium, quibus Pinam rectorem impoſuit. Nuocmani, in provincia Pulicambenſi, jam ante certam habebamus ac fixam domum. Huic addixit alios tres ſub Buzomio. Ipſe cum duobus aliis ſubſtitit Faifone in colonia Japonum, quæ tertia noſtrorum ſedes fuit in Cocincina. Quartam parabat conſtituere Sinoæ, quæ civitas eſt regia, & imperii ſedes; & jam locupletem invenerat Japonem, qui ad extruendam domum certum pecuniæ numerum repræſentabat: ſed opus prope inchoatum Rex, cauſatus neſcio quas civium querelas, perfici vetuit. Quamquam vero tribus tantum in locis conſiderent Patres, inde tamen latius excurrebant identidem, neque ſolum ad pagos circumpoſitos, verum ad remotiores etiam provincias fidei lumen inferebant, ac piis laboribus aſpirante gratia cœleſti, fruges non pigendas in Chriſti horrea convehebant. Ethnicorum mille ducentos triginta tres ad Chriſtum labor hujus anni traduxit, cujus ſummæ fere dimidium pertinuit ad domum Pulicambenſem. Sed ne ſolus in pretio eſſe numerus videatur, quales formarentur Chriſtiani, cujus pietatis atque conſtantiæ, in uno alteroque exemplo videamus.

182. Tres conſtituuntur Societatis ſedes in Cocincina.

183. Fructus hoc anno collecti.

Erat Nuocmani Mandarinus inter præcipuos ejus ordinis, Andreas Ondalymbajus nomine, quem anno ſuperiore lenta tabe deficientem baptiſmus ſanaverat, præeratque exactoribus vectigalium, quæ quotannis in regium ærarium inferenda colligebantur. Vir fidei ardore ſuccenſus, adeo non occultabat quam recens profiteri cœperat Chriſti legem, ut imo non alio magis quam Chriſtiani nomine gloriaretur, captaretque occaſiones omnes oſtentandæ palam profeſſionis ſuæ, ut videre præſertim licuit in una re, quam ad ſpecimen cæterarum ſubjicimus. Solent regii exactores in Cocincina, cum pecuniæ ex tributis collectæ præfecto tradendæ ſunt, rem iſtam agere perquam magnifice, & cum ingenti celebritate, cujus initium ab idolorum cultu ſumunt. Erigunt ad hunc uſum profanas aras in medio foro, multitudinem convocant, adhibent ſacrificulos, falſis numinibus libamina & preces offerunt. Andreas primam pecuniarum collectionem ritu longe diverſo celebravit. In forum venit equo ſublimis, præeunte ſub umbella puero eleganter induto, & imaginem Chriſti reparatoris præferente in tela depictam. Ibi, profeſſus coram tota concione, ſe uni cœlorum regi divinos honores ſolvere, nec quidquam rei habere velle cum dæmonum formis, aram ornatiſſimam parari Chriſto juſſit e regione idolorum, quibus deinde obverſo per contemptum dorſo, ſtetit defixis in illam oculis, donec ſolemnis cæremonia peracta eſt. Neque id ſatis. Pecuniam delaturus maritimo itinere ad regem, navim ornavit vexillo crucis ſplendidiſſimo, ut omnes intelligerent Chriſtianum vehi: nec proinde apud barbarum, quod aliqui fore ſuſpicabantur, offendit. Pari virtute ſpectabatur Caciani Paulus Xabinus, duorum annorum neophytus, idem Mandarinus nobilis, & regio Principi intime familiaris. Hunc, tametſi aperte Chriſtianum, Rex Cocincinæ legatum ſuum deſtinaverat ad Regem Siamenſem: in quibus enim negotiis fides atque integritas deſideraretur, ea ajebat nemini melius tutiuſque committi, quam Chriſtiano. Legationem geſſit Paulus fide ac ſolertia tanta, ut reducem Rex exceperit amantiſſime, & eumdem illi honorem deſtinaverit in annum proximum. Sed hoc ad rem noſtram parum, aut nihil pertinet. Multum vero intereſt ſcire, quæ de ipſius itinere litteræ tradunt. Solemne eſt Cocincinenſibus, prius quam mari ſe committant, deos littorum ſacrificio placare, quod niſi fecerint, certum naufragium ominantur. Ab hac ſuperſtitione Paulus abſtinere juſſit quotquot eadem vehebantur navi, negans alium eſſe deum, præter ſummum cœli terræque conditorem, a quo expectan-

184. Cujuſdam Neophyti pietas memorabilis.

185. Simile exemplum alterius ad regem Siamenſem legati.

Digitized by Google

ctandum esset auxilium. Partem puppis, a reliqua discluſam navi, composuerat in ſacelli formam. Huc ſe certis quotidie horis ad orandum recipiebat. Cum ſe dabat in publicum, loquebatur ut plurimum de re chriſtiana, de vero, unico, ac ſummo Deo. Coorta erat tempeſtas adeo gravis, ut omnes fracto gubernaculo ſalutem deſperarent. Vociferantibus ethnicis, & ſuorum numinum opem rogantibus, compeſcuit Paulus inſanam turbam, Chriſtianos inſiſtere precibus juſſit, ipſe ſuo incluſus ſacello flagris ſe diu acriterque concidit: mox in apertum progreſſus, objecit ſpumanti pelago fruſtulum ſacrati cerei, cujus contactu detumuit momento fluctus, periculum diſcuſſum eſt. Periculum alterius generis Deo protegente evaſit, cum rediret in patriam. Duæ pariter naves e Siamenſi portu vela fecerant. Una a Batavis capta eſt; quam vero ipſe conſcenderat, terram incolumis attigit. Hac de re Paulus gratias egit ingentes Numini, non tam ſua, quam chriſtiani nominis cauſa: ſi quid enim adverſi contigiſſet, id procul dubio gens auguriis dedita ſequiorem in partem interpretabatur, vertebatque in odium religionis. Sua demum legatione perfunctus, a publicis privatiſque curis feriari tantiſper cupiens, Caciani hoſpitium ſumpſit in domo Societatis, ac totos octo dies ſacris B. P. Ignatii commentationibus dedit, in quo pio ſeceſſu non eſt facile dictu, ut chriſtianæ perfectionis ſtudio exarſerit. De divinis tantum rebus ſermones miſcebat. Angebatur, obſtare matrimonii vinculum, ne totum ſe divino conſecraret obſequio. Ne a meditatione cœleſtium avocaretur, ſtatuerat altiorem dignitatem ultro delatam reſpuere, faciebatque, niſi hanc illi mentem exemiſſent Patres ſpe boni majoris. Uſque adeo a terrenis fluxiſque hujus vitæ bonis mentem abſtraxerat is, qui vix duos ante annos genio tantum, & innatis cupiditatibus more ethnicorum indulgebat. Similia haberem dicere de aliis neophytis bene multis, qui etſi recens in Chriſti militiam cooptati, & adhuc, ut ita dicam, a baptiſmo madidi, virtutem tamen præferebant robuſtiſſimam, & veteranorum militum laudes æmulabantur. Sed quæ attuli exempla, ſatis puto erunt ad faciendam conjecturam de cæteris: & nimius ſim, ſi velim ſingula diligentius perſequi.

186. Qui novo pietatis ardore incaleſcit in exercitiis ſpiritualibus.

187. Luctuoſa mors, & elogium P. Franciſci Pinæ.

Fine anni graviſſimum vulnus accepit miſſio Cocincinenſis obitu P. Franciſci Pinæ, cujus deſiderium viri, ſatis per ſe acerbum ac luctuoſum, oneravit incredibiliter genus mortis miſerum & inopinatum, quo abreptus eſt. Venerat miſſu regii Principis ad navim Luſitanorum ſtantem in anchoris e regione Caciani, indeque ſub veſperam revertebatur in portum. Dum fertur pelago tumidiore, navicula procellæ exorientis impreſſionem non ferens, everſa eſt. Pina in aquas effuſus, ſumma vi lacertorum conabatur enatare in littus: at immenſas undarum moles duabus circiter horis eluctatum, defecerunt ad ultimum vires, fluctus abſorbuit. Cadaver eadem nocte in littus ejectum, exceptumque cum honore a Chriſtianis, Faifonem infertur. Vix illud noſtri compoſuerant in ſandapila, cum exciti lacrymabili nuncio neophyti Cacianenſes, accurrerunt ingenti numero viri ſimul ac feminæ, & quaſi communem amiſiſſent parentem, omnia queſtu ac lamentabili comploratione impleverunt. Ut factum dolori ſatis, ad funus cohoneſtandum omni officiorum genere certatum eſt. Alii ſcrobem effodere, alii purgare ab æde ſacra uſque ad cœmeterium viam, alii pecunias pro ſarcophago corrogare. Feretrum viginti ex primoribus, ſuppoſitis humeris, ad ſepulchrum deportaverunt, ubi poſt paucos dies modicum ſacellum a chriſtianis fuit extructum. Natus erat Pina in Luſitania. Obiit in ipſo ætatis robore, annum egreſſus vix quadrageſimum. De ejus laudibus nihil amplius dicam, niſi quod magnitudine animi, peritiaque morum & linguæ Cocincinenſis, natus factuſque videbatur ad fidem in eo regno diſſeminandam. Talis jacturam viri gravem ſibi accidiſſe affirmavit Rex, nec diſtulit de tam luctuoſo eventu Gabrielem de Mathos viſitatorem conſolari per internuncios ad eum miſſos. At quo animo barbarus officium iſtud verborum peregerit, oſtendit ipſe mox facto non minus ſubdolo, quam iniquo. Eadem die

188. Edictum Regis chriſtianæ rei damnoſum.

de-

Digitized by Google

denunciavit Patribus, ut ex ſuis ſinguli ſtationibus convenirent Faifonem, nec deinceps per vicos pagoſque ad promulgandam Chriſti legem excurrerent, permittens cæteroqui ut eam Faifone traderent, tum civibus, tum peregrinis. Ut id ita decerneret cauſabatur ſuam erga ipſos benevolentiam. Incurriſſe nimirum Patres multorum odia, verendum eſſe ne per diverſa vagantes loca a malevolis opprimerentur. Hac honeſti ſpecie improbus incluſam ſinu perfidiam occultare ſtudebat. Verum quæcunque obtenderet, plus nimio conſtabat de ipſius animo a chriſtianis ſacris abhorrente, noſtris autem hominibus vehementer infenſo: nec latebat quæ ipſum cauſa tantopere exacerbaſſet. Elephantia cum laboraret, remedium flagitaverat a Patribus, quo moleſtam depelleret impetiginem, & maculoſum corpus a ſcabie mundaret. Eorum unus, qui medicinæ peritus habebatur, profuturum promiſerat uſum thermarum, ſi tamen Chriſtum veneraretur, & ſacram illi ædem voveret. Monenti Rex morem geſſerat, at nullo ſucceſſu. Jam ergo iratus ob eam rem, inopiæ Numinis adſcribebat quod non, ut ſperaverat, convaluiſſet; Patres vero ipſos ut deceptores, ac nugaces homines averſabatur. Documentum Evangelii miniſtris utile, ne cui temere ſpem objiciant ullius humani commodi præter naturæ ordinem impetrandi. Cæterum illa regis denunciatione non ita territi ſunt Patres, ut loco cedendum exiſtimaverint. Tantum rem gerere cautius, ac minimo ſtrepitu cœperunt. Et iis quidem, qui Caciani morabantur, cauſam honeſtam remanendi obtulit acerba mors Patris Pinæ. Nam cum luctus mortuorum in Cocincina produci a propinquis ſoleat uſque ad centum dies, facile impetraverunt a regio Principe, ne ante hoc tempus ſolum vertere cogerentur: quo numero dierum expleto, nemo eos ad abeundum compulit.

189. Quid regis animum alienaverit a rebus noſtris.

Dum hæc ibi agebantur, in Japonia, exhauſtis pene omnibus tormentorum formis, ceſſatum pauliſper fuerat ab exagitandis perquirendiſque chriſtianis. Apparebat tamen, implacabiles huic eſſe nomini utrumque Imperatorem, patrem, ac filium, & qualeſcunque darent inducias, numquam plane quieturos, niſi inviſam religionem funditus evertiſſent. Id, ut alia prætream, indicabant aſſiduæ & acres curæ, ne quis religioſorum furtim in eas terras obreperet. Huc namque reciderant denique poſt varias deliberationes aulæ conſilia, ad convellendam religionem arcendos eſſe ejus doctores, tollendos paſtores ad gregem penitus diſſipandum. Appulerant hoc anno Nangaſachium quatuor Luſitanorum naves Macao, & Manila totidem Hiſpanorum, ut ſuas ſinguli merces commutarent. Gubernator Nangaſachienſis omnibus acerbum ſe præbuit, ſed non eodem modo. Luſitanos militibus in naves immiſſis tradidit cuſtodiendos, donec ſingulorum ad ſe delata eſſent nomina. Apertis deinde, ac curioſiſſime perquiſitis eorum ſarcinis, cum nihil eſſet repertum quod ad cultum chriſtianæ religionis pertineret, eoſdem paſſus eſt in terram exſcendere, hac tantum impoſita lege, ne hoſpitium ſumerent niſi apud ethnicos: quod ſi cui minus placeret, is neque de navi egrederetur, neque mercium permutationem faceret. At Hiſpanis negata præciſe facultas eſt exſcendendi; appoſita ſtatio militum, ne quemquam egredi ſinerent, objectumque ipſis edictum anni præteriti, cujus ſi nondum eſſent notitiam aſſecuti, ſcirent, ſuæ genti interdictum eſſe Japonia ſub pœna capitis. Poſtremo diſcedentibus diſerte denunciatum, ſi qua deinceps navis ex Philippinis inſulis adveheretur, id vectores capite luituros. Adeo barbaris ſuſpecta erat Hiſpanorum potentia. Quos nimirum videbant tot Americæ Aſiæque regnis paulatim potitos, hos ægre ferebant vicinos in Philippinis inſulis, hoſpites omnino ferre non poterant. Metuebant ne obtentu religionis rem Japoniæ ſummam ad ſe traherent, & ſuccedentes ſacerdotibus milites imperium ſuo regi ſubjicerent. Aliarum gentium exempla Imperatoris menti oberrantia, eum dies ac noctes, ut eſt regnandi cupido impotens, angebant. Non ignorabat Roma de his Japonum ſuſpicionibus, propterea que ſapienter olim a Romanis Pontificibus cautum ſuerat, ne in Japoniam ſolverent miſſionarii, niſi Macao: quæ lex quamdiu

190. Res Japoniæ. Summæ adhibentur curæ ad arcendos divinæ legis doctores.

191. Japonum ſuſpiciones ne Hiſpani Japonia potirentur.

Digitized by Google

valuit, res ibi christiana etsi fluctuaverit paululum, nunquam tamen iis jactata est procellis, quæ non possent gubernaculo superari. Verum ubi religiosi passim illuc ex Philippinis navigare cœperunt, ea res veterem refricuit metum, iramque Imperatoris armavit ad tuendam libertatem & regnum cum exitio religionis, cui subesse fraudem & iniqua consilia existimabat.

192. Pericula nostrorum, labores, & res gestæ.

In hac temporum atrocitate omnia fiebant Patribus Societatis in dies duriora. Supererant tantum socii quatuor supra viginti, per universam Japoniam distributi, in latebras abditi, nec prodire umquam audentes, nisi multa nocte, aut cum densus imber, & hiberna nix paulum exploratores arcebat. Tamen favente hieme, qua tempestate viatores incedere per Japoniam coopertos, ac ferme ignotos alibi dicebamus, totam hoc anno obierunt insulam novem regnorum, quam Saicocum Japones, nostri frequentius Ximum appellant, idque per incredibiles viarum asperitates, & hospitiorum incommoda, ut opinari pronum est. Nam si quod exstaret recepti sacerdotis indicium, continuo quæstiones instituebantur acerbissimæ, nec ea tantum domus, in qua repertum esset indicium, sed octo, decem, aut plures fisco addicebantur, perfodiebantur muri, eruebantur pavimenta, ædes interdum integræ solo æquabantur, ut si qui intus laterent, in ipsis ruderibus ac ruinis sepelirentur. Demum familiæ totæ in vincula rapiebantur. Hæc omnia prohibere non potuerunt, ne nostri in ea quam dixi circuitione ethnicos ad mille ducentos salutari fonte respergerent, præter infantes. Plures etiam ex neophytis, quos superioris anni terror afflixerat, iterum erexerunt, plures in fide vacillantes confirmaverunt. Disrumpebantur gubernatores civitatum, & provinciarum præfecti: sed dissimulare cogebantur vel inviti, ne simul cum religione extinctas urbes, suasque regiones depopulatas, ac vastatas cernerent. Quod si pari cura omnes Evangelii præcones sua obire ministeria clam & occulte studuissent, nihil fortasse sanguinis fundebatur hoc anno. At in tractu Omurano Religiosus haud ita pridem Japoniam ingressus, dum sui securior sacra parum caute administrat, gravius irritavit regionis præfectos, quam ut taciti ferre possent, aut vellent. Mittuntur e vestigio satellites qui regis edicta contemnentem intercipiant. Cum ipse celeri fuga evasisset in tutum, capiuntur ejus hospites, viri omnino quatuor, & securi percutiuntur. In quo illud accidit lacrymabile, quod unus in judicium religionis adductus, ut vitam redimeret, Christum turpiter ac flagitiose deseruit; & nihilominus ob hospitium sacerdoti præbitum, abscissis cervicibus pœnas dare jussus est, non susceptæ religionis, sed legis violatæ. Similis perfidiæ exempla extiterunt in tractu Omurano quam plurima, & maxime miseranda. Nam cum late rumor increbuisset, fame perimendos esse christianos, dum alii aufugiunt, alii annonam recondunt, alii ad quascunque minas intrepidi beatam opperiuntur necem, multos tam fœdi supplicii metus prostravit. Quinque integri pagi ad cultum idolorum relapsi sunt, saltem externe, ne inopia rerum perire cogerentur. Hanc ignominiam delevit ex parte unus masculæ virtutis constantiæque vir, in quo cruciando novæ & inusitatæ artes adhibitæ fuerunt frustra, æstusque frigori, & nives flammis conjunctæ. Thomas Suquezayemon appellabatur, natus in provincia Yamata. Nuper cum venisset Tavacovam regionis Tzugarenæ caput, virtute patientiaque neophytorum fidei causa exulantium captus, eam omnino legem putavit esse divinam, quæ tales haberet cultores. Adscriptus itaque eorum numero, & vitam fidei susceptæ consentaneam exorsus, christianos qui in vinculis erant adibat assidue, sublevabat, fovebat, & ex ethnico recenti propemodum Apostolus, divinam ubique legem libere prædicabat. Non diu dilata virtuti tam eximiæ merces. Ut in manifesto tenebatur crimine contemptæ legis contra christianos editæ, mori jubetur in ardente pyra, nisi Christum deserat. Sententiam cum risu excepit fortissimus pugil, quasi irrogari sibi puerilem pœnam, nec satis viro dignam audiret. Furere judices lictoresque, id agere, ut risum mutare lacrymis cogeretur. Paratur in patenti campo stipes sublimis, strue lignorum circum ag-

193. Necantur quatuor christiani. Plures a fide deficiunt.

194. Unius supplicium atrocissimum, & mira constantia.

Digitized by Google

gesta. Thomas ad stipitem alligatur. Ut lentius arderet, simum carnifices impii super ligna comportant, quem deinde multa contegunt nive. Ipsum quin etiam martyrem onerant glacie, quæ sensim liquescens, & flammam subinde extinguens, augeret cruciatum & produceret. Jam ignem materiæ subjiciebant, cum præses Thomam suo compellans nomine: *Adhuc*, inquit, *venia locus est: Christum abnega, & vive*. Ter idem monuit frustra: postremo rogum succendi jussit. Reluxit micans flamma inter immensos fumi vortices, qui ardoris vim mitigantes, supplicium extrahebant. Aderant lictores, atque ubi glacies soluta defluxerat, novam usque usque congerebant. Populus ad novi formam supplicii obmutescere: probra deinde jacere in martyrem, stultum ac male sanum dicere, nisi respiceret se in tempore, ac negato Christo viveret. Subiit denique admiratio virtutis, quodque ab ethnicis expectandum non erat, coortus undique ingens clamor sacra Jesu & Mariæ nomina ingeminantium. Ad has voces velut evigilans Thomas: *O suavia*, inquit, *o cœlestia, & divina nomina*! in eaque voce animam profudit VI. Cal. Januarias. Hæc in Japonia.

195. Res Philippinarum. Augetur Manilæ cultus SS. Ignatii & Francisci Xaverii.

De Philippinis Insulis, ad quas modo progredimur, non possumus nisi pauca dicere monumentorum inopia, quæ tempore de quo scribimus, vel pauca confecta sunt, vel forte aliquo casu perierunt. Manilæ hoc anno sancitum invenio, ut in posterum dies anniversaria SS. Ignatii & Francisci Xaverii festorum solemnibus coleretur. Exstat hac de re edictum Archiepiscopi Manilensis, servaturque cum eo libellus supplex, quo Senatus civitatis Archiepiscopum ad id decernendum impulit. Eo libello Senatus profitebatur, multa & maxima esse commoda, quæ hactenus ab hominibus Societatis accepisset civitas Manilensis. Rogabat proinde, hanc qualemcunque gratiam referri eorum conditori, ac parenti sanctissimo Ignatio. Ut idem honoris decerneretur etiam Xaverio, hanc afferebat causam, quod omnium primus in Mindanaum (una est ex insulis Philippinis) lumen Evangelii intulisset. Decretum Archiepiscopi excepit ingens tota urbe lætitia, cujus non una edita sunt privatim ac publice signa. Duo tantum fuerunt conjuges, qui partem sumere in communi gaudio recusarunt, noluerunt que perinde ac cæteri faces nocturno tempore exponere per fenestras, propterea quod nostros homines male de se meritos dicerent: & notatum est, eos intra paucos menses repentina morte interiisse, forte ob negatum contumaciter honorem superis, quorum nullo est conditio sublimior, quam ut participare unquam debeant de mortalium invidia. Eodem anno publicata sunt Manilæ diplomata Gregorii XV. Pontificis, ac Regis Catholici Philippi IV., quibus rectori collegii Manilensis jus tribuebatur constituendi artium liberalium, & sacræ theologiæ doctores. Res accidit, non tam collegio nostro honorifica, quam grata civitati, & studiosæ juventuti commodissima. Nam ante hoc tempus, si qui gradus litterarios consequi vellent, ii cogebantur in Europam, vel certe in Americam magnis sumptibus navigare. Nec minus interea commodum accidit Cavitensibus, quod nova inter eos constituta fuerit curia, & Societati commissa. Portus Cavitensis negotiatoribus omnium fere linguarum frequentari solitus, colonis præterea, militibus præsidiariis, ac nautis plenus, ut plerumque usuvenit in ejusmodi hominum multitudine, non minus vitiis abundabat, quam mercibus. Stationem ibi fixam habebat a multis annis Societas, sed pene inutilem: adeo arduum erat malis mederi inveteratis ac publicis, eosque ad officia pietatis adducere homines, qui metiri quæstu solerent omnia. Casu factum est, ut loci pastor vacuam illam sedem relinqueret. Dum quæritur successor idoneus, & decessore melior, placuit Archiepiscopo adesse tantisper ipsius loco Patres Societatis, & sacrarum rerum administrationem gerere. Gesserunt ad aliquot menses, ac brevi secuta est morum tanta conversio, ut ipsi se mirarentur incolæ, pietati jam modestiæque dediti, qui antea vitiis omnibus diffluebant, aut solis augendæ rei curis distinebantur. His rebus cognitis, instabat apud nostros Antistes, ut procuratio-

196. Jus creandi doctores collegio Manilensi datum.

197. Nova Cavitensis curia Societati committitur.

Digitized by Google

nem eandem perpetuo retinerent. Id illi cum negarent posse fieri, obtenderentque non solere Societatem tale munus admittere, nisi inter neophytos; Præsul, ut rem optatissimam salvis Societatis moribus & institutis perficeret, exemit e Cavitensi territorio pagos neophytorum duos, quos Cavitem veterem nuncupari jussit, institutamque ex iis novam curiam sacerdoti Societatis in perpetuum administrandam commisit.

198. Obitus & elogium P. Joannis Torres.

Non defuerunt provinciæ Philippinensi funera, tunc quidem excepta lacrymis & mœrore, nunc vero ad nostram utilitatem in memoriam revocanda. Manilæ finem vivendi ac laborandi fecit P. Joannes Torres, natus Montilii in provincia Bætica, unde translatus fuerat in Philippinas ante annos undetriginta. Primus omnium Boholenses adiit, vel certe inter primos, gentemque natura ferocem, moribus agrestem ac barbaram, paulatim devinxit sibi, mitigavit, erudiit, ac demum Christo subjecit. Quis vero labores eo in opere exudatos explicet satis? Conquirendi erant per saltus invios, per ferarum spelæa feris quam simillimi homines, tranandi sæpe amnes rapidi torrentesque, sæpissime per abruptos & confragosos montes manibus pedibusque reptandum, semper inter insidias & vitæ pericula suggrediendum. Ab insula Boholensium accitus devexa jam ætate, & viribus parum firmis Manilam, ibi quod reliquum fuit vitæ uti veteranum Christi militem decebat, posuit, mutatis laboribus, sed non intermissis, aut imminutis. Quin illa ætate ausus ad perdiscendam linguam Tagalarum adjicere animum, vi charitatis ingenium acuente tantam ejus peritiam est consecutus, ut commode loqueretur. Et constitit suum labori pretium. Nam cum Episcopus Cacerensiæ, ut alibi narratum est, Societati regendam tradidisset Bondocensium montanorum curiam, minime dubitavit Torresius eo proficisci, ubi barbaros docendo hortandoque intra breve tempus ex belluis homines, ex hominibus christianos probos ac bene moratos fecit.

199. Cruenta mors, & elogium P. Joannis a Missis.

His de causis gravis provinciæ accidit Torresii jactura. Plus tamen acerbitatis habuit cruenta mors P. Joannis a Missis, patria Manilensis, quem Camuxones odio christianæ fidei crudeliter interfecerunt. Natio piratarum erant Camuxones, Bissajis Tagalisque semper infesti, gerebantque præsertim inexpiabile cum neophytis bellum ob religionis discrimen, quippe secta Mahometani. Eorum manus nefaria, in insulam Samarienſium egressi v. Idus Novembris, multos oppressérant prope Catabalagonem, vastaverant agrum, ædem sacram neophytorum diripuerant hostilem in modum. Denique conscensis iterum navibus revertebantur ad suos, & avehebant prædam; cum ecce tibi ex adverso actuariolum Marinduquense, quo P. Joannes cum paucis neophytis obibat insulam, ut dispersо late gregi salutis æternæ præsidia circumferret. Agnovere sacerdotem christianorum prædones impii. Nec mora. Tanquam pugnæ signo proposito, certatim expediunt arma, adoriuntur inermem cymbam, vectores nihil tale metuentes densa missilium grandine appetunt. P. Joannes jaculo transverberatus concidit statim, cum eoque plerique comitum conciderunt. Qui reliqui erant, eos potiti navigio hostes crudeliter trucidaverunt. Cadavera projiciuntur in littus, excepto nostri sacerdotis capite, quod ab humeris revulsum inhumani latrones abstulerunt, ut ejus calva uterentur pro patera in suis orgiis. Hunc habuit vitæ exitum Joannes a Missis, de quo aliud nihil litteræ tradunt, nisi fuisse olim collegii Manilensis alumnum, inde in Societatem transiisse, virtute ac litteris floruisse. Cæterum non impune abierunt

200. Auctores cædis pœnas ultori Deo persolvunt.

sceleſti interfectores, nec eos pœna rapinarum ac cædium claudo secuta est pede. Profugos celeriter insectati cum armatis aliquot lembis præsidiarii milites arcis Othonianæ, quamquam ipsos assequi non potuerunt, excensione tamen in eorum terras facta, regionem omni belli clade vastarunt: succenderunt lucos, profana Mahometis delubra proruerunt, magnam captivorum manum cum eorum antistite in servitutem abduxerunt. Neque id satis. Post vastatam ferro flammaque regionem, dum sua repetunt onusti spoliis navigia, haud procul in littore jacentia passim vident hominum cadavera insepulta.

Mi-

Digitized by Google

Mirantur, quærunt quorum illa ſint corpora, quis auctor cædis, quæ cauſa fuerit? Qui aderat gentis ſacrificulus, latrones eos eſſe reſpondit, qui nuper in inſulam Samarim prædabundi irruperant. De cœlo repente tactos concidiſſe, cum maxime ſucceſſum expeditionis ſuæ læto convivio celebrarent, & ſublatis e chriſtianorum templo calicibus ſibi invicem propinarent. Addidit, tam terrifico caſu metum ingentem popularibus injectum eſſe, nec facile inventum iri poſthac, qui violare ſacra chriſtianorum auderet. Hæc ille: ex quibus licuit agnoſcere, etiamſi triumphare videantur interdum improbi de innocentibus; eos tamen ſerius ocyus pœnas ultori Deo perſolvere. Sed narrationem transferamus in Americam.

201. Res Mexicanæ. Fundatur collegium Angelopoli.

Angelopoli in provincia Mexicana novum Societati collegium hic annus addidit, atque hæc fuerunt initia. Epiſcopus ejus urbis Alphonſus de Motha conſilium ſuſceperat parandi ſibi presbyteros copia doctrinæ, & morum integritate præſtantes, quibus poſſet curam ſui gregis tuto committere. Hæc cogitanti nihil occurrebat opportunius, quam ſi conderetur ibi collegium Societatis, in quo liberales artes, & theologiæ præcepta traderentur. Eſſe nimirum Angelopoli, & in ampliſſima diœceſi plurimos bonæ indolis adoleſcentes, ſed inopia retardari pleroſque, ne Mexicum ad hæc diſcenda tranſirent: & etiamſi ad iter ſuppeterent opes, eorum inſtitutionem multo commodiorem in patria, quam procul ab oculis parentum ſuorum fore. Obſtabat illa duntaxat res, quod placuerat Regi, in tota quam late patet nova Hiſpania non aliam eſſe academiam, ſive, ut nunc loquimur, ſtudiorum univerſitatem, præter Mexicanam, in qua honores litterarii non tribuebantur iis, qui alibi conſueta ſtudiorum ſpatia confeciſſent. Quare Archiepiſcopus hoc primum obtinuit a Rege, ut quicunque Angelopolitanas frequentaſſent ſcholas, in petitione honorum perinde haberentur, ac ſi Mexicanas adiiſſent. Tum operi præcipuo manum admovens, ſtruxit in uſum Societatis magnificum domicilium ac templum, collegiumque rite conditum apto cenſu dotavit. Atque id actorum ejus fuit extremum. Nam paulo poſt, ætate licet devexa annorum octoginta longum iter ingreſſus ad luſtrandam de more diœceſim, morbum contraxit gravem, quo coactus in urbem regredi, naturæ conceſſit Idibus Martii. Mortuum fleverunt noſtri lacrymis non minus veris, quam multis, cum ob privatum damnum, quod in tali rerum ſuarum patrono fecerant, tum quod carebat ea diœceſis paſtore optimo cariſſimoque, cujus deſiderium nulla temporis longinquitate leniendum videretur. Natus erat Alphonſus Mexici, patre Hieronymo Ruizio de Motha, viro nobili æque ac magnanimo, qui unus fuerat ex commilitonibus Ferdinandi Corteſii in expeditione Mexicana. Prius quam ad Angelopolitanas inſulas aſſumeretur, Pontificatum geſſerat Eccleſiæ Guadalaxarenſis cum tam eximia opinione virtutis, ut de eo Philippus II., princeps præmiorum alioquin largior quam laudum, ad Clementem VIII. ita ſcriberet. *Perſpectam ſibi ac probatam eſſe Alphonſi vitam, exempla, doctrinam, & ſingularia demum beneficia, quæ ad illud uſque tempus contuliſſet Eccleſiis in quibus publicum munus adminiſtraſſet*. Quam obtinuerat prius laudem, mereri non deſiit Angelopoli. Latiſſime patet ea diœceſis: porrigitur quippe a ſinu Mexicano, quo alluitur ab oriente, uſque ad oceanum pacificum, quo clauditur a meridie. Totam Alphonſus ſemel, iterum, ac tertio obivit. Quis jam ſummam ducat pecuniarum, quas vel in ſubſidia pauperum, vel in ſacram omnis generis ſupellectilem, vel in alios uſus pios impendit? Sexaginta millibus aureorum æſtimatur vectigal annuum Eccleſiæ Angelopolitanæ. Ipſe de tanto proventu nihil ſumebat ſibi, niſi quod ad tuendam gradus ſui dignitatem neceſſarium videretur. Reliquum in alimenta pauperum liberaliter erogabat. Præter noſtrum quod dixi collegium, quinque monaſteria pro ſacris virginibus extruxit Angelopoli, attributo ſingulis cenſu annuo aureorum ter mille, ne quid virgines ab externis corrogare unquam cogerentur. Plura non dicam, ne ſim prolixior: quæ tamen indicavi, ſatis puto erunt ad memo-

202. Mors Epiſcopi fundatoris, ejuſque virtutes eximiæ.

riam

Digitized by Google

riam viri de nobis, ac de republica præclare meriti. Sepultus est in æde nostra, seu verius sua, quam nempe ipse a fundamentis erexerat, & a S. Ildephonso nominaverat.

203. Dira fames in Cinaloa, nostrorum labor insolitus.

Eodem anno in Cinaloa novas christianorum colonias gravissime afflixit inopia annonæ, cujus causa dispersi multi, multi fame consumpti sunt, desiderati ferme octies mille & quingenti. Quantum inde laboris accesserit nostris earum gentium pagos administrantibus, facile quivis cogitatione assequatur. Sublevandis aliorum ærumnis ita se impenderunt, ut fere omnes læthaliter ægrotaverint. Quocunque tamen morbo gravior angebat illos cura, ne tam dira calamitate turbarentur recentes adhuc a superstitione mentes neophytorum, & occasionem inde sumerent ad morem vivendi pristinum revertendi. Nec vero defuere venefici, qui rudi populo in aures insusurrarent, ita plecti gentem, quæ patria numina deseruisset, & peregrinum amplecti Deum maluisset. Sed mature detectis impiorum molitionibus, occurrerunt periculo Patres, & labantes animos in fide continuerunt. Simul opportune res accidit ad memoriam insignis, quæ Patrum conata plurimum juvit. Hanc nos uti tradita est referemus, nec aliud modo præfamur, nisi profunda esse Dei consilia in eligendis ad baptismum hominibus, ejus vero misericordiam supra humanas omnes cogitationes longissime eminere. Unus quidam ethnicorum, quem ad nostros traxerat exæstuans animo desiderium baptismi, conspecta de qua supra dicebam clade neophytorum, persuaserat sibi, rem exitialem esse baptismum, seque illico moriturum, si ablueretur. Hac opinione occupatus, Patrum suasiones & monita contumaciter respuens, aufugere procul statuit, & in abdita montium se recipere. Reipsa fugiebat, ac saltus invios agente dæmone pererrabat: cum correptus gravi morbo concidit, vel mortuus, vel certe sensibus ita captus, ut a mortuo nihil differret. Mortuum crediderunt indigenæ, ad quos erat digressus. Itaque pellibus involutum more patrio parabant humi condere. Dum effertur, fausto nescio quo casu effectum est, ut in ea penetraret loca noster sacerdos, atque idem prorsus, quem sæpe miser ethnicus de virtute baptismi disputantem audierat, semper repulerat. Accurrens ad lugubrem apparatum sacerdos, deponi corpus, & *involucris eximi jubet*. Agnoscit divinæ gratiæ profugum contemptorem, lacrymas ubertim fundit, hominis lacrymabile infortunium multitudini circumfusæ, ac pariter comploranti narrat. Tum arcano quodam instinctu percitus, mortuum magna voce compellans, effari palam jubet quid ipsi acciderit. Ille, mirum dictu! sive sensibus tantum, sive etiam vitæ redditus: *Pater*, exclamat, *te fugiens, in hæc loca secessi. Ne quæso cessa baptismum mihi impertiri. Circumstant silvestres canes ore rabido, ac ferociter allatrant. Miserum me, nisi statim baptismo abigantur*! Attonitis ad ea cunctis, & miraculo obstupefactis, sacerdos hominem ad baptismi fructum percipiendum rite præparat, eodemque in loco baptizatum appellat Bonaventuram. Ecce autem novum divinitus beneficium. Convaluit momento neophytus, vel corpori salutarem expertus baptismum, quem errore malo noxium & læthalem putaverat. Hæc in Cinaloa. In aliis provinciæ Mexicanæ partibus celeberrimæ hoc anno fuerunt apostolicæ excursiones P. Joannis Davali, quem inter præstantissimos ejus agri cultores litteræ annales numerant. Egressus e collegio Guadalaxarensi, & millia passuum emensus fere septingenta, ministerium divini verbi late circumtulit. Audiebatur aviditate populorum tanta, ut a duodecim & amplius passuum millibus concursus hominum fierent ad concionantem. Inter perorandum miros animorum motus ciebat, nec fere descendebat e suggestu, quin circumsisterent plurimi catervatim, seque illi pro confessione audiendos offerrent.

204. Divinæ in ethnicum misericordiæ exemplum insigne.

205. Apostolici labores P. Joannis Davali.

206. Res Peruanæ. Nostri Limensem diœcesim obeunt.

Sed operariis Societatis amplissimam per hoc tempus agendi materiam præbuit in provincia Peruana novus Limensis Archiepiscopus, Gonzalus de Campo, qui ineunte anno venerat ex Hispania ad ineundam possessionem Ecclesiæ suæ. Vix appulsus Limam, inter primas initi pontificatus curas, popo-

scit

Digitized by Google

ſcit a Præpoſito provinciæ ſacerdotes octo, quibus in cultu religionis propagando ſociis & adjutoribus uteretur. Erat autem ejus conſilium, ut obirent noſtri curias extra urbem ſitas, & ampliſſimam ubique poteſtatem in emendandis moribus exercerent. Verum illi, prolixe polliciti operam & induſtriam ſuam in miniſterio ſacrorum, ne reciperent juriſdictionem leges & inſtituta Societatis excuſarunt. Quam excuſationem probante Archiepiſcopo, negotium ita compoſitum eſt, ut Patres comites ſe adjungerent viſitatoribus quatuor, bini ſingulis, cum iiſque obirent diœceſim. Obierunt per ſeptem ipſos menſes, labore quidem immodico, ſed æque frugifero. Nunquam ante hoc tempus neophyti illius terræ admiſſi fuerant ad perceptionem Euchariſtiæ: invaluerat enim opinio, tales homines, utpote ingenio ſumme rudi atque habeti, minime eſſe idoneos myſterio tam ſublimi, tam ſancto, nec forte umquam fore. Patres nihilominus, collocata in ſingulis ubique curiis divina hoſtia, aſſiduitate doctrinæ perfecerunt, ut ejus participandæ capaces fierent bene multi, quibus reipſa impertiendam cum aſſenſu Antiſtitis ſtatuerunt. Id ut increbuit, dici vix poteſt quanto pietatis ardore mentes neophytorum incaluerint. Multi continuo nefarias abrumpere conſuetudines, multi confeſſionem criminum a prima uſque ætate repetere, omnes id agere certatim, ne tanto bono cenſerentur indigni. Unus quidam ſemper antea ebrioſiſſimus, uſu vini ſibi penitus interdixit in poſterum. Delecti fuerant initio pauci ex probatioribus, die præfinita, qua primum ad cœleſtem menſam accederent. Ante hanc illi diem, in ædem ſacram quotidie convenientes, tot ſe piaculis ac religionibus exercuerunt, tot, tam eximia ſigna pietatis ediderunt, ut his victi argumentis ſententiam mutaverint ii, qui hactenus negaverant myſteriorum ſanctitatem ejuſmodi hominibus tuto poſſe committi. Porro ad fovendum augendumque inter neophytos ſacrum ardorem, in curiis ſingulis inſtitutæ ſunt piæ ſodalitates, quæ ad venerationem & cultum Euchariſtiæ præcipue ſpectarent.

207. Neophyti admittuntur ad perceptionem Euchariſtiæ.

Rebus ita geſtis, cum Limam rediiſſent aliquando Patres, Antiſtes ſuum per ſe inſpicere gregem ſtatuit, non tamen ſine opera & ſocietate noſtrorum. Duos aſſumpſit nominatim Patres doctrina ac rerum uſu præſtantes, Michaelem de Salazario, & Ludovicum Feriel, hiſque viæ comitibus, & conſiliorum ſuorum moderatoribus, diœceſim ampliſſimam ex magna parte peragravit, labore propemodum incredibili, quem tamen caritas animarum levem faciebat, earum vero utilitas dulci ſenſu lætitiæ aſpergebat. Fuit ubi latentem adhuc labem antiquæ ſuperſtitionis detexit, ac prorſus extinxit. Alibi peccandi licentiam coercuit, ſimultates & odia ſuſtulit. Ubique morem a noſtris recens inductum tradendi neophytis Euchariſtiam, fruſtra quibuſdam obloquentibus religioſis, ratum habuit, & exempli ſui auctoritate firmavit. Quos [illegible] chriſmate initiavit, ad viginti millia numerati. Verum hæc leviora. In montibus, qui Limanam diœceſim terminant ab oriente, nationes erant plurimæ barbarorum, Hiſpanis hactenus inacceſſæ, & chriſtianæ religionis expertes. Eas Præſul ut ad Chriſtum traduceret, Guanucum venit, extremum ſuæ ditionis oppidum, atque hinc per internuncium invitavit ad colloquium montanos proximos Panataguas. Adfuit gentis Caſiquius cum popularibus triginta; atque ubi Archiepiſcopum audiit de chriſtiana religione verba facientem, captus ejus benignitate ac promiſſis, primo ſe ac gentem ſuam Hiſpaniarum Regi tradidit in clientelam, confectis ea de re publicis tabulis, quæ coram teſtibus rite obſignatæ fuerunt; mox chriſtianam fidem cum reliquo comitatu, & baptiſmum accepit. Caſiquio nomen Antonii inditum. Lætitiæ cumulum addidit inſperatus adventus aliorum ſeptemdecim de gente Charaguarum, baptiſmum pariter poſtulantium. Qui ſtatim atque initiati ſunt, obliti veteres ac fere inexpiabiles quas cum Panataguis gerebant inimicitias, reverentia communis religionis in pacem mutuam conſenſerunt. Geſtiebat incredibili gaudio Præſul, ſucceſſum videns conſiliorum ſuorum oppido lætum, ac fauſtum; neque diſtulit in paratam meſſem mittere operarios idoneos. Ad Panataguas ire juſſit jam tum Pa-

208. Limanus Antiſtes diœceſim luſtrat cum duobus Patribus.

209. Panataguas, alioſque barbaros pertrahit ad baptiſmum.

Digitized by Google

210. Dum cœpta feliciter promovet, moritur.

Patrem Salazarium, cum Antonio Casiquio, cujus auctoritate facile adducendam putabat gentem, ut contra veterem vagandi morem coire in unum vellet, & conjunctis ædibus in posterum habitare. Simul a P. Gonzalo de Lira, tunc Peruanæ Societatis visitatore, par aliud sociorum impetravit, Rodericum Barrionovum, & Josephum Acosta, qui succederent in eandem provinciam, & cœpta promoverent. At ulteriorem eventum Archiepiscopus haudquaquam vidit, morte superveniente prohibitus. Eodem quippe anno ad Guamalienſem præfecturam digressus, ibi piæ & actuosæ vitæ finem invenit, altero sui Pontificatus anno nondum expleto. Quorsum deinde evaserint præclara illa rerum initia, ex nullis nostrorum litteris comperire potui.

211. Res gestæ in aliis provinciæ partibus.

In aliis interim provinciæ Peruanæ partibus multa fuerunt salubriter instituta. Limæ sancitum, ut intra duodecimum ab urbe lapidem excurrerent quotannis nostri operarii ad circumpositas villas Hispanorum, excolerentque divino verbo mancipia, quorum inveniebantur ibi multæ magnæque familiæ in agrorum cultu occupatæ. Visum id necessarium ad villicorum salutem, propterea quod Africani erant omnes, plerique rerum divinarum prorsus ignari. In urbe Cuzco, quæ sedes olim Peruani fuit imperii, rector collegii nostri P. Franciscus de Contreras rem perfecit pauperibus optatissimam, & commodi non exigui. Publicum civitatis nosocomium, etsi peramplis quondam vectigalibus constitutum, paulatim humana vel fraude, vel incuria, ad eam devenerat inopiam, ut ægrotos aleret admodum paucos, quibus etiam necessaria maligne præbebantur. Eam rem pro merito dolens Rector, consilio cum civitatis primoribus communicato, sodalitium instituit ex colonis triginta tribus, qui deinceps rem œconomicam nosocomii communi consilio regerent, curarentque. Ratum id esse jussit Prorex, & diplomate confirmavit. Atque ex eo tempore ita refloruit res labantis domus, ut post paulo ægrotis subveniri benignius cœperit. Sensim procedente postmodum novæ administrationis utilitate, pro multitudine ægrotantium amplificatæ sunt ædes nosocomii, ac multum auctus eorum numerus, qui mercede famulabantur.

212. Gravissima calamitas Coloniæ Potosinæ ex eventu fortuito.

Coloniæ Potosinæ gravissima hoc anno calamitas accidit ex eventu fortuito, in quo tamen cura nostrorum, ac diligentia non defuit. Potosium, *ob celebres argenti fodinas*, & fabricam argentariam, unum ex oppidis frequentissimis Americæ meridionalis, jacet ad radices prealti montis, qua parte obvertitur orienti soli: nam extra hanc partem, si tamen vera narrant, pretiosi metalli venæ non inveniuntur. Tellus argenti ferax cum non habeat a natura decurrentium aquarum copiam ad agitandas machinas, quarum in argenti opificio multus est usus, ac fere assiduus; huic incommodo ut occurrerent incolæ, negatum a natura beneficium supplentes industria, aperuerunt in ipso montis latere plures mirandæ magnitudinis lacunas, quæ colligunt continentque imbres large per hiemem decidentes. In his receptaculis servatur humor in usus annuos abunde suppetens, emissario, cum opus est, derivatur, & subjectas machinarum rotas impellit. Jam vero accidit, ut receptaculum omnium maximum, dirupto repente muro ingenti quo extrinsecus claudebatur, effunderet aquarum molem immensam, quæ per declive ruens in præceps, & obvia quæque cum horribili fragore prosternens, oppidum fere omne obruit. Quam miseranda secuta sit clades, vix ego consequi verbis possim. Damna fortunarum qui minimi æstimarunt, fuisse affirmabant sexagies centena millia aureorum. Hominum mille & quingenti perierunt, pars eluvione abrepti, pars ruinis tectorum oppressi. In tanta, ac tam communi miseræ civitatis consternatione, cum omnia torrentium aquarum strepitu, & confusis pereuntium vocibus personarent, exilierunt propere nostri, & quaquaversus accurrentes, opem quam potuerunt maximam periclitantibus attulerunt. Alios inter aquas, alios inter ædificiorum rudera conquisitos in tutum eduxerunt, nonnullos semivivos jam, atque morientes expiarunt. Multis etiam ut amissa recuperarent auxilio fuerunt. Inventi namque, ut ferme usuvenit, ex ima plebecula homines improbi & rapaces, qui cala-

213. Civitati opem ferunt homines Societatis.

Digitized by Google

calamitatem publicam verterent in occaſionem prædandi, factique alieno metu audaciores, domos impune diriperent. Noſtrorum ea clades neminem attigit. Notatum etiam, ex omni civium numero eos, quorum erat notior tota urbe pietas, incolumes fuiſſe ſervatos. Hiſpanus fuit gente Cantaber, qui ſalutem ſuæ erga pauperes liberalitati debuit. Solebat vir pius quotidie mendicos aliquot intra domum admittere ſub horam prandii, ut menſæ reliquias abſumerent, ac forte accumbebat menſæ cum aliis pluribus, quo tempore exundantium aquarum ſonitus audiri cœpit. Strepitu diſſono atque horrendo commotus, ſurrexit ſtatim, recepitque ſe in conclave proximum, ubi grex inopum conſidebat, ſperans ſuos ſibi pauperes, quodcunque inſtaret diſcrimen, præſidio fore. Non fefellit hominem ſua ſpes. Abrepti ſunt impetu profluentis convivæ reliqui: ipſe cum turba pauperum per poſticum evaſit. Cæterum etſi nullus ſociorum per eam occaſionem periit, deceſſerunt eodem anno plures intra provinciam, quorum erat vita magno uſui, mors acerbiſſima accidit. Inter cæteros eminebat inſigniter P. Ludovicus Bertonus, gente Italus, patria Firmanus. Venerat in Peruviam ante annos quadraginta quatuor, nec tam longo tempore ullam ſibi requiem ſumpſerat a laboribus multis, & variis, quos pro ſalute animarum ſemel ſuſceperat. Eum domeſtici ut virtutum omnium exemplar abſolutiſſimum obſervabant, indigenæ veluti de cœlo miſſum hominem venerabantur. Non alio paſſim quam ſancti nomine compellari ſolebat; cumque linguam indorum calleret ad miraculum, innumeros mortalium a vitiis ad pietatem per uſitata ordinis miniſteria traduxit. Obiit Limæ III. Nonas Auguſti, anno ætatis ſeptuageſimo tertio, initæ Societatis quinquageſimo. Idibus ejuſdem menſis vivere deſiit in domo probationis Limana Frater Didacus Alphonſus, adjutor domeſticæ rei, ætate quidem adhuc junior, ſed ſi virtutem ſpectes, emeritæ militiæ veteranus. Plura dicitur præter communem ordinem accepiſſe divinitus dona, quorum ipſe duo confeſſus eſt in morbo extremo: alterum, innotuiſſe ſibi certo mortis ſuæ diem multo ante quam ægrotaret: alterum, ſanctiſſimam Dei Matrem ſibi nuper ſpectabilem adſtitiſſe, ac ſpem minime dubiam ſalutis ſempiternæ feciſſe. Agebat cum mortuus eſt annum ætatis quadrageſimum quintum, duntaxat ſex in Societate confecerat. Atque hæc de rebus Americæ meridionalis.

214. Fructus benignitatis in Pauperes.

215. Mors & elogium P. Ludovici Bertoni.

216. Et Fratris Didaci Alphonſi.

In ſeptentrionali ſita eſt terra Canadenſis, ſeu nova Francia, de qua ego regione nunc primum ſcribere incipiens, noſtrorum conatus ad reſtituendam ibi ſacram miſſionem, quam duodecim ante annos Angli funditus proturbaverant, quam breviſſime expediam. De ſitu, natura, moribus, & inſtitutis Canadenſium dicere ſuperſedeo. Ut illuc introducta Societas ab Henrico IV., ut poſtmodum ab Anglis exacta fuerit, prolixe narratur in parte annalium quinta *. Henricus ergo dux Vantadorius, non magis avita nobilitate, quam chriſtianis virtutibus tota Gallia conſpicuus, cum multa de moribus Canadenſium audiſſet a P. Philiberto Noyrotio, cui ſuæ conſcientiæ arbitrium detulerat, incenſus cupiditate opis alicujus afferendæ nationi barbaræ, ac fere omnibus ſempiternæ vitæ præſidiis deſtitutæ, curavit ſe proregem novæ Franciæ creandum, ut ea auctus dignitate majorem haberet facultatem tutandæ in Canada religionis, ac propagandæ. Certiorem deinde conſilii ſui fecit P. Petrum Cotonum, provinciæ Pariſienſis Præpoſitum, a quo ante annos quindecim jacta Canadicæ miſſionis fundamenta fuerant, ſe ituris in eam expeditionem Patribus, quamdiu certum vectigal non haberent, alimenta de ſuo præbiturum promittens. Nihil accidere optatius poterat Cotono, qui jamdudum vias omnes indagaret reponendi in ſtatum priſtinum operis a ſe cœpti, & uberes olim fructus animarum daturi. Nulla igitur interpoſita mora, tres deligit egregios ſacerdotes, Carolum Lalemantium, Joannem Brebeufium, & Enemundum Maſſæum (erat is regionis peritus, quippe antea profectus in Canadam, & inde ab Anglis pulſus), quibus addens duos rei domeſticæ adjutores, ſocios omnino quinque in novam Franciam tranſmittit. Vela fecerunt viri impigri VI. Cal.

217. Patres Galli miſſionem Canadenſem inſtaurant.

* *Lib. XV. n. 33.*

Digitized by Google

Majas, hoc ipſo anno vertente, ac proſpera navigatione uſi, Quebecum, oppidum regionis primarium, altero poſt menſe tenuerunt. Ac Brebeufius quidem continuo barbaros per invia nemorum, & abrupta juga montium, quocunque ſuo vagarentur more, ſequi conſtituit, tum ut gentis cognoſceret indolem, tum ut linguam conſuetudine & uſu condiſceret. Lalemantius cum ſociis reliquis Quebeci conſtitit, ut Gallos urbi amplificandæ ornandæque intentos excoleret, ſimul ut fundamenta poneret novi collegii, cui extruendo Renatus Roaltius, adoleſcens ex illuſtri Gamachiorum apud Picardos familia oriundus, nuperrime Societatem ingreſſus, partem ſui patrimonii tranſcripſerat. Duobus vix menſibus interlapſis, novi ſacerdotes ad recentem Quebeci familiam ex Gallia venerunt, Philibertus Noyrotius, & Annas Noæus, cum domeſtici miniſterii adjutore, ac ſecum diverſi generis opifices fere viginti adduxere, partim ad ſacram ædem ædificandam, partim ad cultum agrorum conductos. At enim coloni Quebecenſes a rebus noſtris, atque ab ipſo Societatis nomine ita abhorrebant, ut vix quidquam ad eorum utilitatem præſtari poſſet. Ægre inveniebatur qui Patrum uti opera vellet, ſive ad conſcientiæ regimen, ſive ad miniſterium ſacrorum. Si quas haberent noſtri conciones, vix erat qui concionantibus aures daret. Eorum conſuetudinem plerique refugiebant. Adeo mentes hominum occupaverat calumnia ab Hugonotis conficta, nec privatis tantum colloquiis, ſed etiam ſcriptis editis diſſeminata, veniſſe Jeſuitas in Canadam ad mercaturam faciendam ſcilicet, non ad religionem amplificandam: pecunias a bonis Miſſionariis, non lucra animarum quæri. Hanc opinionem alebat præcipue libellus peſtilens haud ita pridem vulgatus in Gallia ſub titulo Anticotoni, cujus multa exemplaria per manus populi volitabant. Cæterum colonorum alienatio vehementior, quam diuturnior fuit. Viri nequaquam mali, ut Patrum mores & inſtituta intueri propius cœperunt, facile præjudicia depoſuerunt, utque eſt Gallorum indoles aperti animi & candidi, ultro faſſi errorem ſuum, temere ſe credidiſſe inimicorum teſtimonio dixerunt. Amoto in hunc modum obice, qui operam Patrum a catholicis abſtinebat, alius ſupererat multo ad amoliendum difficilior, qui ethnicorum inſtitutionem morabatur. Tota nempe commercii adminiſtratio in nova Francia penes Calvinianos erat, qui orthodoxi dogmatis odio pene uſque ad inſaniam inflammati, indigenas a noſtris miniſteriis arcebant, eorum animos pervertebant, potius ut ethnici eſſe quam catholici mallent, ſuadebant. His perſpectis rebus Noyrotius, etſi recens Quebecum appulſus, retro in Galliam rediit. Redeundi cauſa duplex: una interior, & gravior, ſed occulta, ut hæretici Calviniani e Canada pellerentur: altera, quæ palam ferebatur, ut Gallis ſpecimen quoddam Canadicæ regionis præberet in adoleſcente, annos admodum ſeptendecim nato, nec, ut inter barbaros, ignobili, quem ſecum deducebat in Galliam. Amnatacha nomen adoleſcenti, liberalis indoles, ingenium acre ac vividum, nonnullus etiam urbanitatis & elegantiæ color, qui vulgo in barbaris rarus. Itaque brevi gallice loqui, ac ſcribere didicit, chriſtianæ vero legis præcepta facile memoria complexus eſt. Delatus Rothomagum, cum ſe oſtenderet baptiſmi cupientiſſimum, baptiſmo eſt conſignatus. Placuit autem apparatum adhibere, & iſtas gentis Canadicæ primitias præcipua celebritate ſuperis offerre. Illum Archiepiſcopus Rothomagenſis Franciſcus Narlæus ſalutis aqua tingendum ſumpſit, Henricus Longavillæus Nortmanniæ Prorex ſacro de fonte ſuſcepit, deque Regis Chriſtianiſſimi nomine Ludovicum appellavit.

218. Coloni Quebecenſes Societatem averſantur, & quare.

219. Catholici nobis conciliantur, at non item Calviniani.

220. Adoleſcens Canadenſis ſolemni ritu baptizatur in Gallia.

Noyrotius interea de negotio, cujus præcipue cauſa veniebat, ſollicitus Lutetiam erat profectus, Vantadorium, & alios aulæ proceres de ſtatu rei Canadicæ certiores facturus. Singulos autem conveniens, oſtendebat quantum in ea regione incommodarent progreſſibus religionis hæretici negotiatores, qui per occaſionem mercimoniorum miram haberent facultatem propagandi erroris, aut ſaltem arcendæ veritatis: niſi exturbarentur, & iis catholici ſubrogarentur, nihil admodum poſſe confici ad ſalutem Canadenſium demonſtrabat. Facile per-

221. Noſtri pellendos curant e Canada Calvinianos.

Digitized by Google

perſuaſit pleriſque id ita fieri oportere. Verumtamen longæ deliberationis negotium, quamvis arcano agitaretur, manavit ad Calvinianos, qui ob eam rem vehementer efferati, moliri multa cœperunt, ut ignominiam ejectionis a ſe depellerent, converterentque in ejus potius auctores, & architectos. Illud primum ſibi faciendum ſtatuerunt, ut Patres Quebeci commorantes neceſſariis vitæ præſidiis carerent, ſi forte egeſtatis impatientia locum ſponte deſererent. Itaque, cum Noyrotius onerariam paraſſet ad comportandos Quebecum commeatus, quibus Patres ad uſum vitæ indigebant, dederunt operam ne eo anno vela faceret, ejuſque diligentiam variis artibus eluſerunt. Et quia ſtudere noſtris, & eorundem conſiliorum eſſe conſcium ſuſpicabantur Camplenium, Quebeci præfectum eximie catholicum, ei quoque annonam & belli copias malignius parciuſque miſerunt. Rumorem quin etiam diſſipandum curarunt in nova Francia, P. Noyrotium eo revertentem, facto naufragio periiſſe. Sed iſtæ artes adeo nihil ſuis profuerunt artificibus, ut nocuerint potius, & malum quod avertere conabantur maturaverint. Patres Quebecenſes, cum de Noyrotio nihil reſcire certo poſſent, & in dies annona ingraveſceret hæreticorum malignitate, re cum coloniæ primoribus in deliberationem vocata, P. Lalemantium properare in Galliam juſſerunt cum mandatis, ut provideret utilium copiam, & quam citiſſime convehendam curaret. Juſſa fecit Lalemantius, per eamque occaſionem advectus Pariſios, quæcunque Noyrotius Vantadorio, & regii conſilii proceribus expoſuerat, confirmavit, ſcilicet nihil magnopere in nova Francia vel ſuſcipi, vel fieri poſſe ad Dei gloriam, & barbarorum ſalutem, quamdiu publicæ rei adminiſtrandæ pars aliqua penes Calviniſtas foret. Ab his invectam diſcordiam, annonæ difficultatem, & graviſſima pericula, quibus colonia univerſa laboraret. Evangelii miniſtros vexari, indigenas alienari, vias omnes religionis diſſeminandæ præcludi. Audivit hæc Armandus Cardinalis Richelius, cujus conſiliis Rex Ludovicus XIII. plurimum utebatur, & amotis hæreticis, Canadenſem negotiationem, & coloniæ Quebecenſis adminiſtrationem ad catholicos deferre conſtituit. Igitur pro ea qua valebat auctoritate & ſolertia, ſodalitatem catholicorum conflavit, qui novæ Franciæ agros inter ſe partirentur; quam optimo jure in poſterum poſſidendos, fructuſque omnes vel ſoli natura, vel cultorum induſtria partos dividerent inter ſe pro portione ſortis, quam in commune ſinguli contuliſſent. Una imponebatur lex, ut præter coloniam Quebecenſem, novas ſubinde fundare ſtuderent inter barbaros, ſuoque ſumptu certum alerent numerum ſacerdotum, qui religioni propagandæ operam darent. Quo hæc facilius perficerentur, Cardinalis ipſe Richelius, repenſo Duci Vantadorio quanti Canadenſem emerat præfecturam, unum ſe rei nauticæ, ac totius Canadicæ mercaturæ præſidem conſtituit, quippe ſatis ſciens locupletiſſimos quoſque coituros in eam ſocietatem, cujus ipſe princeps, dux, & patronus eſſet.

222. Qui dum noſtros inſectantur, ſuis artibus ſibi nocent.

223. Cardinalis Richelius Canadenſem negotiationem tranſfert ad catholicos.

Nec ſua illum fefellit opinio. Coivere ſtatim ſupra centum, non minus opibus quam pietate præſtantes, quorum communi ſumptu quatuor adornatæ ſunt naves cum vario genere mercium & commeatuum, ut Quebecenſibus jam ad ultimum inopiæ redactis ſuppetias irent. Navibus impoſiti de Societate P. Carolus Lalemantius, & P. Joannes Raguenæus, præter duos fratres rei domeſticæ curatores. Additus quem ſæpe dixi P. Noyrotius, qui tamen vehi maluit actuariolo, quod ſibi ipſe pridem conduxerat. Subſidium Quebecenſibus afferebatur opportuniſſimum, niſi præclaris cœptis fortuna defuiſſet in ipſo exitu. Anchoris Dieppæ ſublatis, navigatum quidem eſt proſpere ad oram uſque Canadenſem. Verum ubi naves in oſtia fluminis, cui a S. Laurentio nomen, invectæ fuerunt, Anglorum dolo, & præfecti etiam Gallici, qui claſſem ducebat, temeritate, fructus tot conſiliorum ac ſumptuum miſere periit. David Kerſius Anglorum in Virginia præfectus, de Gallorum profectione certior ab Hugonotis factus, fauces Sanlaurentiani fluminis obſidebat cum valida claſſe, numero navium militumque, & omni paratu bellico noſtris

224. Catholici plures Quebecum navigant cum quibuſdam ex noſtris.

225. Prælium committunt cum Anglis infelici exitu.

Digitized by Google

stris longe superior. Eum ut vidit Gallus, etsi vitare occursum adhibita diligentia posset, & imparis prælii aleam declinare omnino deberet, navibus præsertim annona, & imbelli vectorum turba gravibus, stolida ferocia conserere pugnam maluit. Sex ipsas horas fortissime certatum est. At demum Galli, quod in tanta virium iniquitate necesse erat, navium suarum alveis misere laceratis, deditionem fecerunt. Militibus vectoribusque, quibus ferrum aut unda pepercerat, vita, libertas, & copia navigiorum, quibus in Galliam reverterentur, præbita. Patres Lalemantius & Raguenæus avecti prius Londinum, mox Marchioni Tricastellio Ducis Lotharingorum Legato condonati, & in Galliam remissi. Noyrotius cum expedito suo actuariolo elapsus in ipso ardore certaminis, & quantum oceani veterem novamque Franciam interluit relegere ausus, multo ante in Galliam se receperat. Eo interea prælio res Gallorum æque ac religionis in illa plaga penitus conciderunt. Arx ipsa Quebecensis, ut erat omnibus non solum belli, sed etiam vitæ præsidiis destituta, Anglo victoriæ cursum prosequenti dedita est: direpta Societatis domus, qui in ea degebant Patres repetere Galliam jussi. Triumpharunt de tali eventu hæretici Calviniani, non tamen diu. Rupellæ expugnatio brevi cladem hanc tantam reparavit, quæque secuta est pax cum Anglis, Gallos, Societatem, & religionem in Canadam reduxit. Sed hæc erunt alterius loci.

226. Angli Quebeco potiuntur.

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIUM
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR,

Prior numerus indicat librum, alter paginam, tertius numeros margini appoſitos.

A

ABba-Garima monaſterium Æthiopiæ. Inſigne Monachorum commentum in eo detegitur. lib. 9. p. 532. n. 202.

De Abreu (P. Ægidius) ab hæreticis mactatur. lib. 7. p. 385. n. 145.

Abſtinentiæ exemplum ab adoleſcente editum. lib. 1. p. 38. n. 93. Simile exemplum P. Jacobi Rhem. lib. 3. p. 147. n. 31.

Abulenſe collegium de novo fundatur. lib. 9. p. 511. n. 136.

Abuna ſummus ſacerdos Æthiopum fidem catholicam inſectatur. lib. 1. p. 57. n. 153. Seditionem concitat contra Imperatorem, & in acie obtruncatur. lib. 2. p. 117. n. 129.

Abuſiaci conſident aliqui Patres, ac fructuoſe laborant. lib. 2. p. 92. n. 27.

Acafoxius (Thomas) neophytus Japon conjicitur in carcerem. lib. 6. p. 323. n. 153. Receptus in Societatem capite damnatur, & interficitur. lib. 7. p. 394. n. 180. Ejus elogium. n. 199.

Acarajenſes Paraquariæ populi in oppidum contrahuntur. lib. 9 p. 550. n. 264. Oppidi ædificationem urget tigris infeſta. n. 265.

Accorambonus (Octavius) Collector Pontificius in Luſitania patrocinium ſuſcipit turbulenti cujuſdam ex noſtris. lib. 5. p. 255. n. 98. Juſſu Pontificis ab incepto abſtinet. n. 99.

Acenorum Rex navali prælio ſuperatur a Luſitanis, qui mox a Batavis opprimuntur. lib. 1. p. 64. n. 180.

Acoſtæ (P. Emmanuelis) mors, & vaticinium quoddam. lib. 3. p. 162. n. 95.

De Acunia (P. Franciſcus) in obſequio contagioſorum vitam claudit Goæ. lib. 5. p. 257. n. 103.

Adelis Rex duos ex noſtris interficit. lib. 9. p. 530. n. 194.

Adjacii in Corſica fundatur Collegium. lib. 2. p. 91. n. 22. Ejus primi fructus. n. 23. Patrum ibi commorantium labores apoſtolici. lib. 4. p. 184. n. 27.

Ægidiani (P. Andreæ) mors & elogium. lib. 5. p. 278. n. 198.

Ægidius (P. Paulus) in obſequio tabidorum occumbit Antuerpiæ. lib. 10. p. 583. n. 80.

Æthiopes, quorum noſtri curam gerunt Carthagine. Vide Carthagine.

Æthiopiæ Imperator. Vide Seltan-Seguedus.

Æthiopiæ Patriarcha. Vide Mendez.

Æthiopicæ miſſionis acta per ſuos annos diſtributa.
Anno 1616. lib. 1. p. 56. a n. 146. ad 160.
Anno 1617. lib. 2. p. 116. a n. 128. ad 137.
Anno 1618. lib. 3. pag. 162. a n. 98. ad 108.
Anno 1619. lib. 4. p. 206. a n. 123. ad 126.
Anno 1620. lib. 5. p. 258. a n. 109. ad 120.
Anno 1621. lib. 6. p. 317. a n. 134. ad 150.
Anno 1622. lib. 7. p. 388. a n. 158. ad 170.
Anno 1624. lib. 9. p. 531. a n. 197. ad 207.
Anno 1625. lib. 10. pag. 602. a n. 147. ad 169.

Agai quæ natio ſint. lib. 3. p. 163. n. 102. Bello attriti pacem orant ab Imperatore Æthiopiæ, & unum ex noſtris in ſuam regionem admittunt. ibid. n. 104. & ſeq. Religio inter eos feliciter propagatur. lib. 5. p. 259. n. 116.

Aginnenſium ſociorum fructuoſus labor Turnoni. lib. 1. p. 46. n. 116. itemque Neraci. lib. 9. p. 510. n. 133.

Agræ in urbe magni Mogoris collegium fundatur. lib. 5. p. 257. n. 108.

Agrigentini Societatem expetunt, ſed ſine effectu. lib. 4. p. 182. n. 17. Eorum diœceſim noſtri percurrunt. lib. 9. p. 478. n. 11.

Aibini, Nebomenſes, Soyopenſes, aliique in Mexico barbari Hiſpanis & Chriſto ſubjiciuntur. lib. 4. p. 218. n. 174. & ſeq.

Aimures Braſiliæ populi in certos pagos deducuntur. lib. 4. p. 224. n. 205.

De Alabes (P. Ludovicus) necatur a barbaris in Cinaloa. lib. 1. p. 75. n. 221. Ejus elogium. ibid. n. 231.

Alabiani (P. Garziæ) obitus & elogium. lib. 9. p. 515. n. 144.

Alagonii (Fr. Jacobi) mors & elogium. lib. 9. p. 519. n. 156.

Albenacenſis reſidentia vertitur in collegium. lib. 6. p. 306. n. 96. Patres fructuoſa miſſione funguntur. lib. 9. p. 508. n. 125. Calvinianos plures ad Eccleſiam trahunt. lib. 10. p. 587. n. 91.

Alberi (P. Ferdinandi) obitus & elogium. lib. 2. p. 95. n. 36.

Alberſtadienſis Dux Proteſtantium. Vide Chriſtianus.

Digitized by Google

INDEX.

Alberſtadii ſubinde inviſitur ſacrarum virginum monaſterium. lib. 9. p. 495. n. 77.

Albienſe collegium fundatur, lib. 9. p. 508. n. 127.

Alcaratii collegium inchoatur, lib. 4. p. 202. n. 105. Ejus primi labores & fructus. n. 106.

Alcmariæ in Hollandia unus ex noſtris fructuoſe laborat. lib. 2. p. 98. n. 53.

Aldenardæ collegium conditur. lib. 10. p. 184. n. 84.

Aleator, S. Franciſco Xaverio invocato, propitiam experitur ludi fortunam. lib. 10. p. 602. n. 146.

Alenius (P. Julius) Sinici agri operarius Evangelium infert in provinciam Fokienſem. lib. 10. p. 613. n. 176. Grave incurrit periculum ob audax facinus Batavorum. n. 177. Periculo eripitur, & ſedem figit Fokei. n. 178.

Alexander (P. Didacus) in Philippinas navigans pie moritur. lib. 8. p. 467. n. 175.

Almeida (P. Emmanuel) in Æthiopiam proficiſcitur cum tribus ſociis. lib. 7. pag. 391. n. 169. Strenue laborat inter Damotas, lib. 10. p. 613. n. 148.

Almeida (Franciſcus) Fidei Inquiſitor Goæ in controverſia Madurenſi favet Patri Nobilio. lib. 3. p. 166. n. 115. Eidem perhonorificum teſtimonium reddit in litteris ad Cardinalem Bellarminum ſcriptis. lib. 6. p. 310. n. 111.

Almeidæ (P. Joannis) expeditio ad Cariſios in Braſilia. lib. 4. p. 223. n. 201.

Aloſtana reſidentia erigitur in collegium. lib. 10. p. 583. n. 83.

B. Aloiſius Gonzaga cultu augetur, lib. 3. p. 139. n. 1. Ejus diei feſto aſſignatur inſtauratio votorum in Collegio Romano. ibid. n. 2. Mantuæ inſigni religione colitur, & patronus civitatis eligitur. p. 140. n. 4. Beneficum ſe præbet Leopolienſibus in gravi calamitate. lib. 4. p. 195. n. 77.

Alphonſi (Fr. Didaci) mors & elogium. lib. 10. p. 625. n. 216.

Altenæ tumultuantur contra noſtrum Sacerdotem hæretici, eumque cogunt oppido excedere, lib. 8. p. 424. n. 35.

Althan (Michael Adolphus Comes) miro oſtento ab hæreſi ad Eccleſiam adducitur Pragæ. lib. 2. p. 93. n. 29. Ejus eximia pietas, & ſtudium amplificandæ religionis. n. 30. Collegium Societatis erigit Crembſæ. ibidem n. 31. itemque Iglaviæ. lib. 7. p. 358. n. 41. & Znoymæ. lib. 9. p. 491. n. 63.

Altiſſiodorenſe collegium fundatur. lib. 8. p. 437. n. 80.

Alvarez (P. Emmanuelis) mors & elogium. lib. 1. pag. 115. n. 125.

Alvarez (Gaſpar) fundat collegium Congenſe, & Societati ſe tradit. lib. 8. p. 447. n. 102. Moritur. Exceptio contra ipſius teſtamentum. ibid. n. 105.

Alvarez (P. Hieronymi) obitus & elogium. lib. 9. p. 520. n. 158.

Alvarez (P. Joannis) obitus in Luſitania, & elogium. lib. 8. p. 446. n. 98.

Alvarez (P. Joannis) obitus Angelopoli, & elogium. lib. 8. p. 470. n. 186.

Alvarez (Philippus) fundat collegium Anticariæ. lib. 7. p. 380. n. 124.

Amantheanum collegium conditur, lib. 4. p. 181. n. 14.

Amatus (Fr. Jacobus) in obſequio tabidorum occumbit Panormi. l. 9. p. 479. n. 14.

Ambergæ Monachus fidei deſertor cum Eccleſia conciliatur, lib. 8. p. 420. 20.

Ambiani diſputatio ſuſcipitur cum miniſtro Calviniano. Quo exitu certatum ſit, lib. 1. p 43. n. 103.

Amſtelodami augetur numerus Catholicorum. lib. 2. p. 98. n. 51. Hæreticus ſupplicio afficiendus Eccleſiæ aggregatur, & in ipſo patibulo a peccatis abſolvitur. lib. 5. p. 248. n. 68.

Anchietæ (P. Joſephi) vetus vaticinium impletur, lib. 8. p. 474. n. 198.

De Andrada (P. Antonius) in Thibetum pervadit difficillimo itinere. lib. 9. p. 524. n. 172. Sacram ibi miſſionem feliciter auſpicatur. p. 526. n. 177. Creatus Goanæ Provinciæ præpoſitus Thibetanam miſſionem jam collapſam conatur reſtituere. pag. 528. n. 184.

Andreæ neophyti Sinenſis pietas non vulgaris. lib. 7. p. 407. n. 235.

Andreæ Ondalymbai Mandarini Cocincinenſis eximia pietas, lib. 10. p. 615. n. 184.

Andreæ cujuſdam cæci excellens virtus, & pretioſa mors in Japonia, lib. 4. p. 212. n. 149.

Andrieus (P. Joannes) contagioſis aſſiſtens moritur Dionanti, lib. 10. p. 584. n. 86.

Angamalenſis Archiepiſcopatus transfertur Cranganorem, lib. 1. p. 60. n. 165.

Angeli tutelaris inſigne beneficium erga adoleſcentem Meſſanæ. lib. 7. p. 354. n. 30.

De Angelis (P. Bernardi) mors & elogium. lib. 8. p. 417. n. 11.

De Angelis (P. Franciſcus Antonius) ad Agaos proficiſcitur. lib. 3. p. 164. n. 106. Inter eos fructuoſe rem gerit. lib. 4. p. 207. n. 124. In medio laborum curſu moritur. Ejus elogium. lib. 7. p. 390. n. 165.

De Angelis (P. Hieronymus) regnum Voxuanum ſtrenue excolit in Japonia. lib. 4. p. 214. n. 158. Ut hoſpitem ſuum periculo eripiat, ultro ſe ſiſtit judicibus. lib. 8. p. 459. n. 411. Conjicitur in carcerem. n. 146. Lento igne comburitur cum neophytis quadraginta ſex. n. 115. Ejus elogium. n. 152.

Angelopoli collegium fundatur ab Epiſcopo. Privilegium ſcholis ejus collegii attributum a Rege. lib. 10. p. 621. n. 201.

Angli miſſionem Canadenſem proturbant. lib. 10. p. 627. n. 225.

Angliæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 38. n. 49.
Anno 1618. lib. 3. p. 153. a n. 60. ad 68.
Anno 1619. lib. 4. p. 199. a n. 93. ad 97.

An-

Digitized by Google

INDEX.

Anno 1623. lib. 8. p. 432. n. 62.
Anno 1624. lib. 9. p. 500. n. 95. ad 105.
Anno 1625. lib. 10. p. 585. n. 89.
Angliæ Rex. Vide Jacobus.
Anglicana miſſio in Vice-provinciam erigitur. lib. 4. p. 199. n. 93. Ex Vice-provincia fit Provincia. lib. 8. p. 432. n. 64.
Anglicani cleri ſæcularis diſſenſio a regularibus. lib. 8. p. 454. n. 69. & ſeq.
Anglorum Seminarium Valliſoleti ſubjicitur Patribus Hiſpanis, amotis Anglicis. lib. 2. p. 108. n. 89.
Anicii Patres ſtrenue laborant. lib. 2. p. 106. n. 81. Adoleſcentulus religionem catholicam profitetur miro ardore. lib. 10. p. 587. n. 93.
Anna mulier Japonica beneficii loco impetrat cum ſuo marito comburi pro religione. lib. 2. pag. 124. n. 159.
Annus ſæcularis Lutheranorum. lib. 1. p. 96. n. 42.
Anticarienſis collegii ortus. lib. 7. p. 380. n. 124. Negantur illi ad aliquod tempus ſcholæ, & quare. n. 125.
Anticotonus titulus libelli contra nos editi in Gallia. lib. 10. p. 626. n. 218.
Antonius Kimura glorioſam pro Chriſto mortem obit in Japonia. lib. 4. p. 209. n. 137.
S. Antonii miraculum, & fons aquæ ſaluberrimæ in Braſilia. lib. 1. p. 83. n. 256.
Antſelius (Zacharias) pro fide catholica obtruncatur in Svecia. lib. 8. p. 422. n. 27.
Antuerpiæ domus Profeſſorum conſtituitur. lib. 1. p. 33. n. 37. Pueri cultiores adhibentur ad pauperiorum inſtitutionem. ibid. n. 75. Scholæ quædam pro iſtis inſtituuntur. lib. 3. p. 151. n. 49. Quæ ad alias Belgii urbes traducuntur. n. 51. Templum Societatis perficitur opere per quam magnifico. lib. 5. p. 248. n. 70. Socii ægrotis curandis ſe devovent. lib. 7. p. 369. n. 85. Quatuor in eo miniſterio moriuntur. n. 87. Periculum a Batavis urbi intentatum ope S. Franciſci Xaverii depellitur. n. 89. Peſte ſæviente cura tabidorum ſuſcipitur. lib. 10. p. 582. n. 78. Decedunt in eo charitatis officio multi. ibid.
Apamiarum Epiſcopus Joſeph Deſparbius vitam claudit in Societate. lib. 10. p. 587. n. 96.
Aquaviva (Octavius) Cardinalis Archiepiſcopus Neapolitanus noſtrorum inſtituta confirmat circa carceres. lib. 2. p. 86. n. 6.
Aquilæ religioſa ac læta celebritas triſti eventu funeſtatur. lib. 7. p. 351. n. 24.
Aquiſgrani peſtilentia graſſante noſtri ægrotis famulantur. lib. 10. p. 582. n. 76.
Aquis Sextiis inſignis fraus adornatur contra noſtrum concionatorem. lib. 2. p. 103. n. 73. Collegium fundatur, at graviſſima ſub conditione, quæ mox abrogatur. lib. 7. p. 373. n. 103. Civium mira inclinatio erga Societatem. lib. 10. p. 588. n. 98.
Aquiſtapacius (Jo. Baptiſta) dotem relinquit pro collegio Carpenſi. lib. 6. p. 289. n. 28.
Aquitanicæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 46. a n. 116. ad 122.
Anno 1617. lib. 2. p. 106. a n. 83. ad 86.
Anno 1618. lib. 3. p. 158. n. 80.
Anno 1620. lib. 5. p. 253. a n. 90. ad 97.
Anno 1621. lib. 6. p. 302. a n. 82. ad 89.
Anno 1622. lib. 7. p. 375. a n. 109. ad 112.
Anno 1624. lib. 9. p. 509. a n. 130. ad 136.
Anno 1625. lib. 10. p. 588. a n. 100. ad 109.
Arabonienſes, Braſiliæ natio, operarios Societatis admittunt. lib. 4. p. 222. n. 196. Multi in unum pagum conveniunt. n. 200.
Aragonienſis provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 48. a n. 124. ad 127.
Anno 1617. lib. 2. p. 109. a n. 95. ad 106.
Anno 1622. lib. 7. p. 383. a n. 138. ad 140.
Anno 1623. lib. 8. p. 442. a n. 91. ad 96.
Anno 1624. lib. 9. p. 515. a n. 143. ad 149.
Anno 1625. lib. 10. p. 593. a n. 114. ad 120.
De Arbiſsù (Lupercius) domum Minoreſſanam erigit in collegium. lib. 1. p. 49. n. 124.
Archidiaconus Cranganorenſis turbas excitat contra Archiepiſcopum, & diæceſim ſcindit. lib. 5. p. 265. n. 143. Deſignatur Proepiſcopus ab Archiepiſcopo moriente. lib. 9. p. 534. n. 208. Quo honore delinitus ad ſaniora conſilia ſe convertit. n. 209.
Arequipenſis collegii Patres ſodalitatem inſtituunt ex piis feminis. lib. 1. p. 79. n. 236.
Argentus (P. Joannes) ſtationem ſociorum collocat Vendæ in Lotavia. lib. 1. p. 32. n. 69. Croſam præ aliis Samogitiæ oppidis eligit, ubi collegium excitetur. ibid. n. 71.
Ariæ milites inuſitatum præbent pietatis exemplum. lib. 9. p. 499. n. 93.
De Arias (Ferdinandi) Archiepiſcopi S. Fidei litteræ ad Mutium de rebus geſtis ſociorum. lib. 5. p. 276. n. 193.
Armandus (P. Ignatius) primus Campanicæ Provinciæ præſes imponitur. lib. 1. p. 41. n. 97. Multatur a Mutio, & quare. lib. 8. p. 437. n. 78.
De Armenta (Alvarus) vir inſigniter pius in Societate vitam claudit. lib. 9. p. 518. n. 154. Mira ejus charitas erga pauperes. n. 155.
Armenterienſis collegii initia. lib. 8. p. 431. n. 60.
Armutia a Luſitanis deferitur. Noſtrorum acta per eam occaſionem, lib. 7. p. 386. n. 149. & ſeq.
Arnayæ (P. Nicolai) obitus & elogium. lib. 7. p. 414. n. 256.
Arnemii monaſterium ſacrarum Virginum inter hæreticos inviolatum. lib. 2. p. 99. n. 54.
Arnulphus (P. Joannes) removetur a latere Regis Chriſtianiſſimi, cui erat a confeſſionibus. lib. 6. p. 305. n. 93. Conjecturæ circa cauſas inopinatæ dimiſſionis. n. 94. Diligitur nihilominus a Rege, a Præſulibus Eccleſiarum certatim expoſcitur. n. 95.
Arriagæ (P. Pauli Joſephi) mors admiranda, & elogium. lib. 7. p. 411. n. 252.

Digitized by Google

INDEX.

Artenghus (Petrus) hæreditatem ſuam addicit collegio Ravennatenſi, lib. 7. p. 356. n. 33.

Arundelia (Anna) domum probationis Gandavi condit pro Societate Anglicana, lib. 8. p. 432. n. 62.

Arundinum tormentum in Japonia cujuſmodi ſit. lib. 1. p. 66. n. 191.

Aſchaffemburgi collegium conſtituitur. lib. 5. p. 238. n. 33. Tabidorum cura ſuſcipitur tempore peſtilentiæ. lib. 10. p. 582. n. 76.

Aſſumptionis Civitas in factiones ſcinditur ob diſſidium inter Epiſcopum, & Præfectum regium. lib. 6. p. 341. n. 228. Diſſidio implicantur noſtri, & Præfecti partes tuentur. n. 229. Iram Epiſcopi incurrunt. n. 230. Omnia ex æquo & bono componuntur. n. 231.

Aſtigitani omnium primi jurejurando ſe obſtringunt ad defendendam immaculatam B. Virginis conceptionem. lib. 1. p. 51. n. 130. Eorum pietas prodigiis comprobatur. n. 131. & ſeq.

Aſtronomica ſcientia viam Evangelio ſternit in Cocincina. lib. 6. p. 326. n. 170. Quam turpiter errent Cocincinenſes circa illam. ibid.

Ateſtini Principes egregiam erga nos voluntatem exhibent in acerbo caſu collegii Mutinenſis. lib 3. p. 140. n. 6. & ſeq.

Athi reſidentia Societatis collocatur, lib. 8. p. 431. n. 61.

Atrebati collegium perficitur. lib. 2. p. 100. n. 60. Lue graſſante noſtri curam ægrotantium ſuſcipiunt, quinque contracta peſte moriuntur. lib. 4. p. 297. n. 84. In eodem charitatis officio alter decedit. lib. 10. p. 584. n. 86.

Audomari adoleſcentes Marianæ congregationis illuſtre religionis exemplum præbent. lib. 9. p. 499. n. 92.

Avæ rex arcem Sirianam expugnat, & duos ex noſtris abripit in ſervitutem. lib. 1. p. 62. n. 175.

Avenione conventicula quædam otioſorum diſſipantur. lib. 4. p. 200. n. 97. Moritur inter noſtros Petrus Bellus, ac bene meretur de illo collegio. lib. 5. p. 251. n. 86. Moritur Aloyſia Dancizana tirocinii fundatrix. n. 85. Sociorum res geſtæ ibi, & Marianæ congregationis miſericordia erga calamitoſos. lib. 7. p. 371. n. 96. Novitius mira providentia Societati ſervatur. p. 373. n. 102.

Averſæ collocatur ſtatio Societatis, & mox deſeritur. lib. 2. p. 89. n. 14.

Averſpergius (Theodoricus) hortatu noſtrorum fit catholicus, eoque nomine gratum ſe præbet collegio Labacenſi. lib. 10. p. 569. n. 30.

Auguſtæ Prætoriæ agitur de excitando collegio, ſed ſine effectu. lib. 10. p. 588. n. 99.

Auguſtoduni collegium fundatur. lib. 3. p. 156. n. 73. Sacerdos capite damnatus ad confeſſionem impie factorum adducitur. lib. 9. p. 503. n. 105.

Auriliaci unus ex noſtris rem utiliter gerit. lib. 1. p. 44. n. 107. Collegium ibi conditur lib. 6. p. 306. n. 96. Ruina impendente ſocii mira providentia ſervantur. lib. 10. p. 587. n. 95.

Auria (Jannettinus) Cardinalis, & Archiepiſcopus Panormitanus primum lapidem ponit collegii Thermitani. lib. 5. p. 230. n. 10. Quæſtionem inſtituit de veritate corporis S. Roſaliæ. lib. 9. p. 483. n. 30. Eique decernit cultum publicum. p. 484. n. 35.

Auriæ gentis beneficentia erga collegium Adjacenſe. lib. 2. p. 91. n. 22.

Auriacus Princeps (Mauritius) fruſtra inſidiatur Antuerpiæ. lib. 7. p. 369. n. 88. Societatem defendit in Senatu Batavico, licet ſecta heterodoxus. p. 370. n. 91. Ejus frater Henricus tuetur collegium Embricenſe. lib. 10. p. 581. n. 37.

Auſpaix (P. Joannes) contagioſis aſſiſtens diem obit Atrebati. lib. 10. p. 584. n. 86.

Auſtriacæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 27. a n. 50. ad 60.
Anno 1617. lib. 2. p. 93. a n. 29. ad 39.
Anno 1619. lib. 4. p. 186. a n. 35. ad 70.
Anno 1621. lib. 6. p. 297. a n. 59. ad 74.
Anno 1622. lib. 7. p. 357. a n. 39. ad 59.
Anno 1623. lib. 8. p. 419. a n. 16. ad 20.
Anno 1624. lib. 6. p. 486. a n. 43. ad 56.
Anno 1625. lib. 10. p. 568. a n. 27. ad 34.

Aytonis Marchioniſſa donat Societati ſpeluncam Minoreſanam B. P. Ignatii hoſpitio conſecratam. lib. 1. p. 48. n. 124.

Azardus (Fr. Joannes) in obſequio tabidorum vitam claudit Dionanti. lib. 10. p. 584. n. 86.

Azevedus (P. Emmanuel) in Macaſſarem navigat. lib. 3. p. 160. n. 87. Benigne excipitur a Rege. n. 88. Multis conflictatur incommodis, & nulla re geſta diſcedit. n. 91.

Azevedus (Hieronymus) Indiæ Prorex claſſem cum noſtris hominibus mittit in Madagaſcarem. lib. 1. p. 54. n. 143. Bellum infert regi Mogolico ſecum adducens unum ex noſtris. p. 62. n. 165. Claſſem adornat ad recuperandas Moluças. p. 63. n. 179.

Azevedus (P. Ludovicus) juventutis Seminarium egregie inſtituit in Æthiopia, & libros utiliſſimos edit gentis lingua. lib. 10. p. 603. n. 148.

B

BAcgneſii unus ex noſtris congreditur cum miniſtro Calviniano. Diſputationis quis fuerit exitus. lib. 1. p. 46. n. 119.

Baclet (P. Joannes) in obſequio contagioſorum occumbit Duaci. lib. 10. p. 584. n. 86.

Badenſis Marchia redit ad catholicum Principem. lib. 6. p. 366. n. 71. Princeps Gulielmus Societatem evocat, eique ſedem ſtabilem attribuit Badæ. n. 72.

Bæticæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 51. a n. 130. ad 137.
Anno 1617. lib. 2. p. 113. n. 113.
Anno 1618. lib. 3. p. 159. n. 83.
Anno 1619. lib. 4. p. 203. n. 108.
Anno 1622. lib. 7. p. 379. a n. 123. ad 128.

An-

Digitized by Google

INDEX.

Anno 1624. lib. 9. p. 517. a n. 152. ad 156. Anno 1625. lib. 10. p. 597. a n. 127. ad 135.

Bahia urbs Braſiliæ caput a Batavis expugnatur, lib. 9. p. 544. n. 244. A regiis poſt annum recuperatur. p. 546. n. 251. In collegio noſtro nocturni fragores audiuntur a Batavis, n. 247. Damna eidem illata. n. 253.

Baillii (P. Guillelmi) mors & elogium. lib. 5. p. 253. n. 91.

Bal (Petrus) moriens dotem relinquit pro collegio Croſnenſi. lib. 4. p. 194. n. 76. Ejus uxor licet hæretica ſecundat mariti cœpta, ibid.

Balagueræ noſter Sacerdos puerum prope morientem ab interitu vindicat, Lib. 10. p. 593. n. 116.

Balbiæ familiæ beneficentia erga collegium Genuenſe. lib. 9. p. 476. n. 4.

Balduinus (P. Gulielmus) innocens declaratur a rege Angliæ, & nihilominus in vinculis attinetur ad octo annos. lib. 3. p. 154. n. 66. Demum regno emittitur cum honore. ibid.

Balleſterii (P. Ludovici) obitus & elogium. lib. 9. p. 515. n. 143.

Balſami (P. Ignatii) obitus & elogium. lib. 3. p. 158. n. 80.

Balthaſaris Fazajemoni, ejuſque filioli illuſtre martyrium in Japonia. lib. 4. p. 210. n. 141.

Bambergæ quatuor adoleſcentes a diaboli ſervitute vindicantur. lib. 7. p. 367. n. 77.

Baptiſmi ritus in Æthiopia ad legitimam formam revocatur. lib. 6. p. 321. n. 148.

Baratii (P. Claudii) obitus & elogium. lib. 3. p. 157. n. 79.

Barberinus (Maphæus) Cardinalis collegium Græcorum Romæ Societati reddendum curat, eique deinde leges præſcribit. lib. 7. p. 347. n. 10. Pontifex inauguratur ſub nomine Urbani VIII. lib. 8. p. 415. n. 3.

Barbudas (P. Leo Alphonſus) oſtenta quædam obſervat in Caſraria circa corpus P. Conſalvi Silveiræ pro fide cæſi. lib. 10. p. 609. n. 167.

Barchinone latrones multi ſuſpendio necantur, quibus noſtri benigne aſſiſtunt. lib. 1. p. 49. n. 125.

Barenſis reſidentia inſtituitur in Podolia. lib. 2. p. 96. n. 39. Ejus primi fructus. p. 97. n. 45.

Bariſonius (P. Antonius) multas peſtes exſtirpat ex quodam monaſterio Hetruriæ. lib. 8. p. 416. n. 27.

Barnetus (P. Thomas) inſignem fraudem Monachorum detegit in Æthiopia. lib. 9. p. 532. n. 202.

Barnovi (P. Gonſalvi) obitus & elogium. lib. 5. p. 277. n. 197.

Barradas (P. Emmanuel) fructuoſe deſudat inter Sireos. lib. 9. p. 533. n. 204.

Barreti (P. Emmanuelis) mors & elogium. lib. 5. p. 269. n. 157.

Barroducenſe collegium fundatur. lib. 2. p. 107. n. 86.

Bartier (P. Guillelmus) contagioſis ſubſerviens moritur Inſulis. lib. 10. p. 584. n. 86.

Baſilii (P. Thomæ) labores & pericula inter Hiaquios, lib. 3. p. 176. n. 163.

Batavi Molucis inſulis potiuntur. lib. 1. pag. 63. num. 178. & ſeq. Philippinas invadunt lib. 2. pag. 135. num. 209. Mox cum magna clade fugantur, n. 210. Litteras gratulatorias ſcribunt ad Bohemos heterodoxos ob ejectam Societatem. lib. 3. p. 150. n. 45. Regem Cambogiæ avertunt a religione catholica, lib. 6. p. 329. n. 182. Antuerpiæ inſidiantes conſilio ſuo fruſtrantur. lib. 7. p. 369. num. 88. Bahiam Braſiliæ urbem primariam expugnant. lib. 9. p. 544. n. 244. Præpoſitum Provincialem Braſiliæ cum aliis undecim ſociis intercipiunt, & in Hollandiam deportant. p. 545. n. 248. Braſilia extruduntur. p. 546. n. 251. Sinarum parvam inſulam occupant, ac ſtatim pelluntur. lib. 10. p. 613. n. 177.

Batavica miſſio in commodiorem formam ordinatur. lib. 2. p. 98. n. 50. Fructus ex miſſione collecti. n. 51. Patrum labores. p. 99. n. 54. Et pericula. n. 55. Reſpirant catholici ob hæreticorum diſſidia. lib. 3. p. 151. n. 48. Iterum exagitantur. Societas nominatim proſcribitur, & quare. lib. 7. p. 370. n. 90.

Bavariæ Dux. Vide Maximilianus.

Bauferme (P. Joannes) in obſequio contagioſorum occumbit Antuerpiæ. lib. 10. p. 582. n. 78.

Bazaini exoritur fœdus turbo, quem ſequitur dira clades. lib. 3. p. 162. n. 95. Cives ſterilitatem agrorum avertunt piis lacrymis. lib. 4. p. 206. n. 120. Pretioſa mors cujuſdam adoleſcentuli, ibid. n. 121.

Bearnia occulte excolitur. Patres detecti extruduntur. lib. 1. p. 47. n. 120. Redeunt illuc clanculum, & multa ex uſu rei catholicæ conficiunt. lib. 2. p. 106. n. 83. In ea cultus catholicus reſtituitur. lib. 6. p. 302. n. 85. Et collegium Palenſe fundatur a Rege. lib. 7. p. 375. n. 109.

Bearnienſium contumacia contra Regem. lib. 6. p. 302. n. 28. Sola Regis præſentia comprimitur. n. 84. Rebellant iterum, iterum coercentur. n. 88.

Becani (P. Martini) obitus & elogium. lib. 9. p. 486. n. 43.

Begamedri Prorex in Æthiopia rebellionem facit contra Imperatorem. lib. 5. p. 258. n. 113. Fugatur, & interficitur. n. 115.

Bellarmini (Roberti) Cardinalis litteræ ad chriſtianos Sinenſes. lib. 4. p. 217. n. 172. Aliæ ejus litteræ ad Fidei Quæſitorem, & ad Archiepiſcopum Goanum de controverſia Madurenſi. lib. 6. p. 310. n. 112. Ejuſdem obitus, & elogium. p. 280. n. 5.

Belliolana reſidentia vertitur in collegium. lib. 10. p. 584. n. 85.

Belloloci navatur opera animarum ſaluti. lib. 10. p. 591. n. 108.

Bellus (Petrus) vitam in Societate claudit Avenione. lib. 5. p. 251. n. 86.

Benaſſai (P. Stephani) mors & elogium. lib. 5. p. 228. n. 3.

Be-

Digitized by Google

INDEX.

Benaulini in Salsettis pius adolescens mortem obit invidendam. lib. 7. p. 388. n. 157. Erigitur magnæ utilitatis sodalitium. lib. 9. p. 524. n. 169.

Benedicti Sinensis neophyti mors admiranda. lib. 9. p. 539. n. 213.

Benedictini Monachi nostris in inferiorem Saxoniam excurrentibus hospitium amantissime præbent. lib. 9. p. 495. n. 78.

Bengalense regnum a Lusitanis amittitur, nostri inde exturbantur. lib. 1. p. 62. n. 174.

Benius (Alphonsus) Episcopus Albiensis Societatem collocat Albiæ. lib. 9. p. 508. n. 127.

Benneti (P. Joannis) mors & elogium. lib. 10. p. 585. n 89.

Berchingæ nostri fructuosa missione funguntur. lib. 2. p. 92. n. 26.

Berchmans (Joannis) scholastici, ac juvenis intemerati, obitus, & elogium. lib. 6. p. 283. n. 11.

Bernardus (Alexander) Societatis familiam collocat in oppido S. Romuli. lib. 1. p. 21. n. 32.

Bertoni (P. Ludovici) mors & elogium. lib. 10. p. 625. n. 215.

Bettordius. Vide Drureus.

Bethuniæ collegium constituitur. lib. 1. p. 34. n. 79. Atrox tumultus a nostris componitur. lib. 9. p. 499. n. 94.

Betlemius Gabor Daciæ Exarcha. Vide Gabor.

Biardi (P. Petri) obitus & elogium. lib. 7. p. 373. n. 101.

Bidgostii collegium conditur. lib. 4. p. 195. n. 72.

Bilbili imago S. Ignatii cœlesti manu depingitur. lib. 8. p. 443. n. 92.

Billomensium sociorum acta. lib. 1. p. 44. n. 108.

Bimæ Rex nostrum Sacerdotem dimittit stolidissimo responso. lib. 3. p. 161. n. 94.

Bishopus (Gulielmus) in Anglia Episcopus constituitur sub titulo Ecclesiæ Chalcedonensis. lib. 8. p. 434. n. 70. Offendit apud Angliæ regem, proscribitur, & moritur. n. 71. Ejus parum æqua consilia adversus Societatem. n. 72.

Bisuntina diœcesis excolitur. Noster concionator conviciis proscinditur, sed non impune. lib. 1. p. 45. n. 114. Collegii Bisuntini Sacerdos fructuosa missione perfungitur. lib. 4. p. 200. n. 97.

Biterrensis collegii Patres Parochos agrestes eruditunt. lib. 2. p. 106. n. 82. In sacras missiones procurrunt. lib. 9. p. 508. n. 125. Ministri Calviniani arrogantiam in publica disputatione comprimunt. lib. 10. p. 586. n. 91.

Bithinense monasterium in Lithuania ad veterem disciplinam revocatur. lib. 1. p. 31. n. 67.

Bituricibus gravissima oritur altercatio ob quasdam Moniales. lib. 8. p. 436. n. 76. Controversiæ implicantur nostri quamvis inviti. n. 77. Accusantur apud Pontificem. Quid Mutius constituerit. n. 78.

Blasæus (Joannes) Episcopus Audomarensis bene meretur de tirocinio Watenensi. lib. 9. p. 500. n. 95.

Blemmartius (P. Augustinus) certis de causis amovetur Neomago. lib. 5. p. 247. n. 62. Transfugit ad PP. Dominicanos sine legitima facultate. n. 65. Profugit ad hæreticos. n. 66. Satisfacit Societati, ac dimittitur. n. 67.

Blondus (P. Richardus) primus Anglicæ Viceprovinciæ præses imponitur. lib. 4. p. 200. n. 95. Quædam instituit in ipso regno collegia. Cujusmodi hæc essent. n. 96. Primus item Provincialis Angliæ constituitur. lib. 8. p. 432. n. 46.

Bobola (Andreas) juventutis Seminarium excitat Sandomiriæ. lib. 10. p. 576. n. 55.

Bodius (P. Franciscus) missionem fructuosissimam obit. lib. 4. p. 183. n. 24. Mox a Societate dimittitur. n. 25.

Boecopus (P. Arnoldus) ab hæreticis veneno interficitur. lib. 7. p. 768. n. 81.

Bohemi hæretici occasionem rebellandi sumunt. lib. 3. p. 148. n. 36. Primi eorum impetus contra tres eximios catholicos, quos e feneſtris dejiciunt. n. 37. Societatem exilio damnant cum atrocissimis clausulis. n. 40. Veras exilii causas occultare student. n. 42. Ferdinandum Regem contumaciter respuunt. lib. 4. p. 187. n. 36. Regem sibi creant Fridericum Septemvirum Palatinum. n. 38. Insigni clade profligantur ad Pragam. lib. 5. p. 244. n. 53. Ferdinando Imperatori subjiciuntur. p. 245. n. 55. Societatem postliminio revocatam vident. n. 56. Eorum transitiones ad Ecclesiam vide in rebus Bohemiæ ad annos prope singulos.

Bohemia dividitur a provincia Austriaca, & in peculiarem provinciam erigitur. lib. 8. p. 420. n. 17.

Bohemiæ res per suos annos distributæ,
Anno 1616. lib. 1. p. 27. n. 52.
Anno 1617. lib. 2. p. 93. n. 29. & 34.
Anno 1618. lib. 3. p. 148. a n. 36. ad 46.
Anno 1619. lib. 4. p. 187. a n. 36. ad 39.
Anno 1620. lib. 5. p. 244. a n. 53. ad 59.
Anno 1622. lib. 7. p. 358. n. 38.
Anno 1624. lib. 9. p. 490. a n. 57. ad 66.
Anno 1625. lib. 10. p. 570. a n. 34. ad 42.

Boholensis insula, una ex Philippinis, ad seditionem concitatur a malo dæmone. lib. 8. p. 464. n. 165. In societatem rebellionis trahit Leitensem insulam. p. 465. n. 166. Conjurati vincuntur ab Hispanis. n. 167. Nostrorum res gestæ ante, ac post tumultum. n. 168.

Bondinarus (P. Hieronymus) capitur Mutinæ, & Romam transmittitur ad tribunal S. Inquisitionis. lib. 3. p. 140. n. 6. Innocens declaratur, ac remittitur Mutinam. n. 8. Ubi regendum suscipit sodalitium nobilium. n. 9.

Bondocani excoluntur, & in unam civitatem contrahuntur. lib. 6. p. 332. n. 192.

Bongiornus (P. Vincentius) in obsequio tabidorum occumbit Panormi. lib. 9. p. 483. n. 33.

Boni aeris collegium graviter perturbatur ob imprudentiam Rectoris. lib. 6. p. 341. n. 226.

De Bonis (P. Marini) excursio in provinciam Carascevam. lib. 6. p. 246. n. 259.

Bononiæ templum Societatis multis incommodis exi-

Digitized by Google

INDEX.

eximitur. lib. 10. p. 560. n. 6. Novum ex inſperato ſubſidium in ejus fabricam, n. 8.

Bonzii in Sina libellos maledicos ſpargunt contra noſtros, lib. 1. p. 70. n. 204. In Japonia populum concitant contra chriſtianos, lib. 4. p. 212, n. 148.

Borbonius (Henricus) Epiſcopus Metenſis collegium Societatis excitat Metis, fruſtra reclamantibus heterodoxis. lib. 7. p. 377. n. 113.

Bordes (P. Joannes) Bearniam excolens ejicitur, lib. 1. p. 47. n. 120. Ejus mors & elogium. lib. 5. p. 254. n. 92.

Boret (Arnaldus) pie moritur in tirocinio Toloſano, lib. 9. p. 507. n. 122.

Borgel (P. Theodorus) comprehenditur a Batavis Gochii, & in vinculis attinetur Neomagi. lib. 10. p. 580. n. 69. & ſeq.

Borges (P. Emmanuel) in Japoniam penetrat habitu mercatoris. lib. 6. p. 326. n. 167.

Borgia (Franciſcus) Squillacii Princeps, & Peruviæ Prorex, duo condit domicilia prope Limam, & eorum procurationem committit Societati, lib. 1. p. 78. n. 234.

De Boroa (P. Didacus) regionem Paranenſem excolit in Paraquaria. lib. 6. pag. 339. n. 218. Neophytos transfugas reducit ad oppidum S. Ignatii. n. 221. Plures barbarorum nationes deducit in oppida. lib. 9. p. 550. n. 264. Creatur rector collegii Aſſumptionis. n. 267.

Borrus (P. Chriſtophorus) navigat in Cocincinam. lib. 2. p. 124. n. 162. Eclipſim lunæ ex vero prædicit, ac Mandarinum inſignem ad Chriſtum pertrahit. lib. 6. p. 327. n. 171. & ſeq. Evocatur ex miſſione Cocincinenſi, & dimittitur e Societate. p. 331. n. 188.

Boxa (Boguslaus) Epiſcopus Kiovienſis collegium Societatis condit Fauſtoviæ. lib. 6. p. 294. n. 46.

Bracchi (Fr. Joſephi) obitus & elogium. lib. 5. p. 233. n. 18.

Brachmanes quidam divinitus ad baptiſmum adducitur in regno Madurenſi. lib. 8. p. 453. n. 121.

Brancifortii (Placidi) Leonfortii Principis teſtimonium de actis noſtrorum ſæviente peſtilentia Panormi. lib. 9. p. 481. n. 22.

Brandeburgicus Septemvir duos ex noſtris evocat ex collegio Brunsbergenſi. Quæ fuerit occaſio. lib. 5. p. 243. n. 50. Ut habiti fuerint Patres a Principe lutherano, quidve egerint Regiomonte. n. 51.

Braſiliæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 82. a n. 252. ad finem libri.
Anno 1619. lib. 4. p. 222. a n. 193. ad finem libri.
Anno 1623. lib. 8. p. 471. a n. 188. ad finem libri.
Anno 1624. lib. 9. p. 544. a n. 244. ad 258.

Brayus (P. Franciſcus) tormenti globo diſcerpitur in miſſione navali. lib. 9. p. 497. n. 88.

Bredæ reſidentia Societatis collocatur lue ſæviente. lib. 10. p. 583. n. 82.

Breſtæ collegium fundatur. lib. 6. p. 293. n. 45.

De Britto (P. Stephanus) Archiepiſcopi Crangnorenſis ſucceſſor deſignatur. lib. 5. pag. 266. n. 145.

Brixinæ operarii Societatis magnum ſui deſiderium relinquunt. lib. 6. p. 301. n. 77.

Broquillius (Fr. Petrus) in obſequio tabidorum vitam ponit Atrebati. lib. 4. p. 197. n. 84.

Broveri (P. Chriſtophori) mors & elogium. lib. 2. p. 101. n. 66.

Brozis collegium extruitur, mox dimittitur. lib. 4. p. 203. n. 107.

De Bruges (P. Martini) labores apoſtolici inter barbaros Mexicanos, lib. 4. pag. 218. n. 176. & ſeq.

Brugenſis collegii Patres militibus languentibus opitulantur in caſtris Hiſpanorum. Quatuor contagione ejuſdem morbi intereunt. lib. 5. p. 249. n. 73. Multos ab hæreſi ad veritatem pertrahunt, Unius præſertim converſio memorabilis. lib. 9. p. 488. n. 90.

Brunæ ſocii ab hæreticis Moraviæ magiſtratibus exilio damnati coguntur urbe excedere. lib. 4. p. 188. n. 42. Ex itinere revocantur tanquam auctores incendii fortuito excitati. n. 43. Innoteſcit eorum innocentia, atque iterum dimittuntur, n. 47. Brunenſe tirocinium pene de novo fundatur, lib. 7. p. 360. n. 48.

Brunella Burgheſia (Franciſca) Malbodienſe collegium condit, lib. 1. p. 35. n. 80.

Bruni (P. Antonii) adventus in Æthiopiam. lib. 5. p. 260. n. 118. Ut adjutus fuerit in itinere a Turcis n. 119. Ejuſdem labores in Æthiopia, lib. 10. p. 602. n. 147.

Bruxellis templum Societatis dedicatur. lib. 5. p. 248. n. 71. Piis ſupplicationibus peſtilentia depellitur. lib. 10. p. 583. n. 81.

De Bry (Fr. Nicolaus) in obſequio contagioſorum occumbit Dionanti. lib. 10. p. 584. n. 86.

Buchonius (Julianus) fundat collegium Savonenſe, lib. 6. p. 286. n. 21.

Budæ noſtri operarii rem utiliter gerunt. lib. 8. p. 420. n. 17.

Bukingamia matrona Angliæ nobiliſſima ad partes catholicas trahitur. lib. 8. p. 435. n. 73. Ut Regi obſequatur externam fidei profeſſionem deſerit. n. 75. Iterum catholicam profitetur, & defectionem pœnitentia eluit, ibid.

Bullam cruciatam non ſuffragari noſtris ad eligendum ſibi pro libito pœnitentiæ miniſtrum. lib. 7. p. 384. n. 143.

Burdigalæ extruitur domus Profeſſorum. lib. 9. p. 509. n. 130. Et novum ſodalitium inſtituitur. p. 510. n. 131.

Burgi concertatio ſuſcipitur cum hæreticis. lib. 3. p. 157. n. 74. Inde oritur reſidentia Burgenſis. n. 75.

Buzomius (P. Franciſcus) rem ſtrenue ac feliciter gerit in Cocincina. lib. 1. p. 71. n. 207. Propter anni ſiccitatem pellitur in exilium. n. 209. Invitatur in provinciam Pulicambenſem, ac benigne ſuſcipitur a Gubernatore. lib. 2. p. 125. n. 166. Reliqua ejus acta vide in rebus Cocincinæ.

Digitized by Google

INDEX.

Buxeti fundatur domicilium Societatis, lib. 1. p. 20. n. 39.

C

CAbart (Fr. Tuſſanus) in obſequio contagioſorum vitam ponit Inſulis. lib. 2. pag. 101. n. 63.

Caccię (Hannibalis) tironis mors & elogium, lib. 5. p. 235. n. 22.

Caciani in Cocincina Mandarini plures baptiſmo conſignantur. lib. 7. p. 409. n. 242. Cætera ibi geſta vide in rebus Cocincinæ.

Cadomenſes ſocii rem ſtrenue gerunt, lib. 1. pag. 43. n. 104. & alibi.

Cadurci Calviniſtanus, viſo S. Ignatii miraculo, tranſit ad catholicos. lib. 10. p. 587. n. 92.

Cæſarauguſtæ victorum ærumnæ ſublevantur. lib. 1. p. 49. n. 125.

Cæſar Mutinenſium Dux eximiam exhibet erga Societatem benevolentiam. lib. 6. p. 289. n. 29.

Cafraria quæ regio ſit, ut in eam inducta fuerit Societas. lib. 1. p 55. n. 145. Noſtrorum laboribus non reſpondet. p. 56. n. 146. Ibi P. Franciſcus Ribera interficitur. lib. 5. p. 257. n. 105. Cafri bellum inferunt Luſitanis, ac debellantur. lib. 9. p. 529. n. 190. Humanis carnibus veſcuntur. n. 191. Pueruli infandis epulis deſtinati baptizantur. 192.

Caguini (Fr. Franciſci) obitus & elogium. lib. 2. p. 105. n. 78.

Cajetani (P. Octavii) obitus & elogium. lib. 5. p. 232. n. 16.

Calantius (P. Joannes) in obſequio tabidorum occumbit Antuerpiæ. lib. 10. p. 583. n. 80.

Calari duo conflantur ſodalitia. lib. 1. p. 53. n. 137. Socii tractum Oleaſtrenſem excolunt. n. 138. Perficitur juventutis Seminarium, & Societati committitur. lib. 7. p. 384. n. 140. Res bene geritur, tum intra urbem, tum in regione circumpoſita. lib. 10. p. 599. n. 135.

Calchaquini qui nam ſint in Tucumania. Dantur iis Parochi de Societate. lib. 6. p. 335. n. 204. Nullo fructu laborantes, revocantur. n. 205.

Calderarius (P. Hieronymus) mortem oppetit in obſequio tabidorum Panormi. lib. 9. p. 479. n. 15.

Calderonii (P. Franciſci) mors & elogium. lib. 3. p. 174. n. 152.

Caliſſii puer mortuus ad vitam revocatur ope S. Ignatii, lib. 4. p. 195. n. 74. Seminarium admittur Societati, lib. 5. p. 242. n. 47.

Calvomontani collegii ortus. lib. 3. p. 156. n. 72.

Camberii Patres rem ſtrenue gerunt. lib. 1. p. 45. n. 114. atque alibi. Senator ægrotus ope S. Ignatii convaleſcit. lib. 7. p. 372. n. 99.

Cambogiæ Rex contra Societatem irritatur ab negotiatoribus Batavis. lib. 6. p. 329. n. 182.

Cameneci collegium ſubito incendio abſumitur, ac reficitur. lib. 1. p. 30. n. 62. Tolluntur quædam incitamenta libidinis. lib. 2. p. 96. n. 43.

Camerini collegium inchoatur, mox diſſolvitur. lib. 5. p. 229. n. 6.

Campaniæ provincia conſtituitur. lib. 1. p. 41. n. 95. Nonnullæ in hoc negotio difficultates ſuperantur. n. 96.

Campanicæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.

Anno 1616. lib. 1. p. 41. a n. 95. ad 100.
Anno 1617. lib. 2. p. 107. n. 86.
Anno 1618. lib. 3. a n. 71. ad 74.
Anno 1622. lib. 7. p. 376. a n. 112. ad 123.
Anno 1623. lib. 8. p. 437. a n. 80. ad 85.
Anno 1624. lib. 9. p. 503. a n. 105. ad 115.

De Campo (Gonzalus) Archiepiſcopus Limenſis diœceſim luſtrat cum duobus Patribus. lib. 10. p. 623. n. 208. Barbaros quoſdam ad Chriſtum pertrahit. n. 209. Moritur. n. 210.

Camporæ (P. Jo. Mariæ) mors & elogium. lib. 6. p. 314. n. 123.

Canadica miſſio inſtauratur. lib. 10. p. 625. n. 217. & ſeq. Negotiatio a Calvinianis transfertur ad catholicos. p. 627. n. 223. Angli omnia proturbant. n. 225.

Caniſii (P. Petri) veneratio augetur Friburgi tempore peſtilentiæ. lib. 1. p. 27. n. 49. Ejus corpus a noſtris repoſcitur, ac ſub certis conditionibus impetratur. lib. 10. p. 565. n. 20. Recognoſcitur, & in ædem Societatis defertur. p. 566. n. 23. & ſeq.

Canariæ inſulæ a noſtris deſeruntur ex obedientia. lib. 3. p. 159. n. 83. Prætoris Canarienſis litteræ ad Mutium de ipſorum diſceſſu. n. 84.

Cani (P. Auguſtini) obitus & elogium. lib. 7. p. 413. n. 255.

Cannæ in Sina adhibentur ad cruciatum. Cujuſmodi eæ ſint. lib. 2. p. 129. n. 183.

Capponus (Aloyſius) Cardinalis bene meretur de collegio Ravennatenſi. lib. 7. p. 356. n. 33.

Capraræ (P. Alexandri) mors & elogium. lib. 10. p. 562. n. 10.

Capraria inſula excolitur. lib. 5. p. 234. n. 21.

Capuanum collegium cenſu annuo dotatur. lib. 3. p. 145. n. 23.

Carafa (Carolus) Epiſcopus Averſanus familiam Societatis inducit Averſam, mox abire permittit. lib. 2. p. 89. n. 14.

Caravagialii (Lazari) tironis mors, & mira in religioſo ſtatu conſtantia. lib. 2. p. 113. n. 114.

Carcanus (Sixtus) e ſacro Prædicatorum ordine Epiſcopus Germanienſis Vallem Tellinam viſitat cum noſtrorum pari. lib. 9. p. 479. n. 9.

Carcaſonenſe collegium fundatur. lib. 8. p. 437. n. 79.

Cardeira (P. Ludovicus) Seminarium Gorgoranum egregie inſtituit in Æthiopia. lib. 10. p. 603. n. 148.

Cardoſus (P. Matthæus) doctrinæ chriſtianæ elementa edit Congenſium lingua. lib. 8. p. 448. n. 104.

Cari (P. Andreæ) obitus & elogium. lib. 6. p. 333. n. 196.

Cariſii, Braſiliæ natio, noſtros operarios admittunt.

Digitized by Google

INDEX.

tunt. lib. 4. p. 223. n. 201. Eorum benevolentia erga Patres. n. 204.

Carminatæ (P. Jo. Baptistæ) mors & elogium. lib. 4. p. 182. n. 18.

Carmonæ collegium conditur. lib. 7. p. 379. n. 123.

Caroli Walliæ Principis sponsalia cum sorore Philippi IV. Regis Catholici brevem tranquillitatem catholicis afferunt in Anglia. lib. 8. p. 433. num. 65. Iis solutis, omnia in deterius ruunt. ibid.

Carolopolitana residentia erigitur in collegium. lib. 1. p. 41. n. 98. Nostri misericordiam impendunt calamitosis. lib. 7. p. 377. n. 114.

Carolus Austriacus condit collegium Nissense, lib. 7. p. 359. n. 45. Glacense ex parte restituit. n. 46. Magno nostrorum mœrore moritur Matriti. lib. 10. p. 595. n. 121.

Carolus a Lotharingia Episcopus Virdunensis Societatem ingreditur. lib. 7. p. 378. n. 117. & seq. Ejus præclari sensus de vocatione religiosa. n. 122.

Carpensis collegii initia, ac P. Realini vaticinium circa illud. lib. 6. p. 289. n. 28.

Carthagine curam Æthiopum Societas suscipit, Cujus laboris & fructus ea sit, lib. 1, pag. 80. n. 243. & seq.

Carvallius (P. Didacus) Japonici agri operarius peregrinatur in Giezum. lib. 5. p. 270. n. 165. Transit ad exules Tzugarenos, eosque sacerdotali ministerio recreat. n. 171. Comprehenditur, ac mori jubetur in stagno glaciali cum aliis octo. lib. 9. p. 539. n. 225. Ejus elogium. p. 541. n. 234.

Carvallius (P. Michael) navigat in Japoniam habitu militis, lib. 6, p. 326, n. 167. Igne lento comburitur cum aliis quatuor religiosis. lib. 9. p. 541. n. 235. Ejus elogium, n. 237.

Carvallius (P. Franciscus) strenue laborat in Æthiopia. lib. 10. p. 602. n. 147.

Carybdis (P. Jacobi) obitus & elogium. lib. 5, p. 232. n. 17.

Cascina (P. Jordanus) propugnat veritatem corporis S. Rosaliæ. lib. 9. p. 483. n. 30.

Casleti collegium conditur. lib. 5. p. 248. n. 69.

Cassoviæ duo ex nostris crudeliter necantur ab hæreticis, lib. 4. p. 191. n. 58. & seq. Quid factum sit eorum corporibus. n. 63. Documenta quædam fuisse religionis causa interemptos. n. 66.

Castellanæ provinciæ res per suos annos distributæ,

Anno 1616. lib. 1. p. 48. a n. 122. ad 124.

Anno 1617. lib. 2. p. 107. a n. 87. ad 95.

Anno 1622. lib. 7. p. 381. a n. 131. ad 138.

Anno 1623. lib. 8. p. 441. a n. 89. ad 91.

Anno 1624. lib. 9. p. 511. a n. 136. ad 143.

Anno 1625. lib. 10. p. 591. a n. 109. ad 114.

Castellionense collegium in discrimen adducitur ob offensionem Principis. lib. 1. p. 19. n. 24.

De Castro (Fr. Franciſci) obitus & elogium, lib. 9. p. 548. n. 259.

Catalaunense collegium fundatur. lib. 3. p. 156. n. 71. Episcopi fundatoris sensus circa illud in morbo extremo. lib. 9. p. 503. n. 107.

Cataldini (P. Josephi) labores apostolici in Guairana. lib. 6. p. 336. n. 206., & alibi passim in rebus Paraquariæ.

Cataneus (P. Lazarus) Christi gregem egregiè pascit Hamcei. lib. 1. p. 69. n. 199. Redit sæpe in rebus Sinicis.

Catechumenorum domicilia in India Societatis curæ commissa. lib. 8. p. 449. n. 107.

Catharina de la Cerda Comitissa de Lemos collegium Neapolitanum S. Xaverii perficit, lib. 7. p. 350. n. 19.

Cavalinæ (P. Pauli) mors & elogium, lib. 4. p. 216. n. 168.

Cavara (Ludovicus) recipitur in Societatem intra carcerem Omuranum, & pro Christo necatur. lib. 7. p. 394. n. 180.

Caucasus quam præruptus alicubi sit. lib. 9. p. 524. n. 172.

Cavitæ in Philippinis nova instituitur neophytorum curia, & Societati traditur. lib. 10. p. 619. n. 197.

Cela-Christus Imperatoris Æthiopiæ frater impensissime favet Societati, & catholicam veritatem summa ope tuetur, Vide Æthiopicæ missionis acta ad annos singulos.

Cenchiani in Sina tumultuatur populus contra nostros. lib. 1. p. 70. n. 202. Tumultus unius adolescentis voce comprimitur. n. 203.

Centi collegium inchoatur, & mox dissolvitur. lib. 6. p. 289. n. 30.

Ceparii (P. Virgilii) litteræ quædam paulo liberiores ad Marchionem Castellionensem. lib. 1. p. 19. n. 25.

Cereorum sacrorum virtus mirabili ostento comprobata. lib. 9. p. 502. & seq.

Cervantes (P. Valentinus) ruina ædificii oppressus moritur Potosii. lib. 2. p. 136. n. 213. Publicus dolor in ejus funere. n. 215.

Cevicus (Joannes) Societatem Japonicam tuetur adversus quasdam calumnias, lib. 9. pag. 543. n. 240.

Ceylanum quæ regio sit, utque huc fuerit inducta Societas. lib. 1. p. 61. n. 169. Cooritur ibi seditio contra Lusitanos, duo ex nostris mactantur. n. 170. Rebelles insigni clade atteruntur. n. 173. Nonnulla patiuntur nostri ab Episcopo Coccinensi. lib. 5. p. 260. n. 121. Eum sibi demereri student, nec sine effectu. n. 122. Strenue rem gerunt, lib. 7. p. 392. n. 171.

Charitas in fugam agit dæmones. lib. 8. p. 407. n. 8.

Charitate permoventur hæretici ad suscipiendam catholicam veritatem. lib. 10. p. 572. n. 38.

Charitatis exemplum memorabile a quadam femina editum. lib. 2. p. 98. n. 52. Simile exemplum. lib. 4. p. 216. n. 168.

Chii controversia quædam exoritur inter Episcopum, & nostros. lib. 5. p. 230. n. 12. Romam defertur, & Societati adjudicatur. n. 13.

Chilenum regnum. In eo nostri libertatem Indorum tuentur, eaque propter Colonis invisi. lib. 1. p. 81. n. 248. Dividitur Chilum a Para-

Digitized by Google

INDEX.

quaria, & in Vice-provinciam erigitur. lib. 9. p. 555. n. 283. Ejus res videantur ubi de provincia Paraquariæ.

Chiſaire (P. Joannes) in obſequio tabidorum occumbit Duaci. lib. 10. p. 584. n. 86.

Chiuni (Antonius) aliique tres neophyti vitam agunt religioſiſſimam in Japonia. lib. 6. p. 322. n. 154. Simul capiuntur, & in ipſo carcere adſcribuntur Societati. n. 156. Supplicio afficiuntur qua chriſtiani. lib. 7. p. 394. n. 180. Eorum litteræ communes ad quemdam de Societate, n. 202.

Choinitiæ reſidentia Societatis collocatur. lib. 6. p. 294. n. 47.

Chriſtianus e Ducibus Brunſwicenſibus, vulgo Alberſtadienſis, Paderborna potitur. lib. 7. p. 364. n. 63. Cum noſtris agit admodum inclementer. n. 64. Profligatur ab exercitu Cæſareo. n. 66. Singulare ejus odium erga Societatem. n. 67. Refectus a clade, iterum acie ſuperatur, fugaturque. lib. 9. p. 492. n. 66.

Cinaloa quæ regio ſit. lib. 1. p. 73. n. 214. Præſtigiator ſeditionem movet contra Hiſpanos, & contra Societatem. n. 215. Necantur Hiſpani plures; & ex noſtris octo. p. 74. n. 217. & ſeq. Perduelles pœnas parricidii luunt. p. 75. n. 225. Aliqua cæſorum corpora poſt tres menſes integra inveniuntur. p. 76. n. 226. Clades reficitur, ac deinceps religio feliciter propagatur, quod vide in rebus Mexicanis ad ſingulos annos.

Clagenfurtenſe Seminarium inſtituitur. lib. 9. p. 490. n. 55.

Claver (P. Petrus) procurationem Æthiopum gerens Carthagine, approbat inſtituta P. Sandovallii. lib. 1. p. 80. n. 244.

Cleraci recipiuntur intra mœnia Hugonotæ rebelles, unus ex noſtris interficitur. lib. 7. p. 374. n. 105.

Cobellutius (Scipio) Cardinalis bene meretur de collegio Viterbienſi. lib. 7. p. 349. n. 15.

Coccinenſis Epiſcopus minus æquum Societati ſe præbet in Ceylano. lib. 5. p. 260. n. 121. Reſtituere Societati cogitur paræcias in ora Piſcariæ, & in regno Travancoris. n. 141.

Cocincinæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 71. a n. 207. ad 211.
Anno 1617. lib. 2. p. 124. a n. 162. ad 173.
Anno 1621. lib. 6. p. 326. a n. 169. ad 189.
Anno 1622 lib. 7. p. 409. a n. 242. ad 252.
Anno 1625. lib. 10. p. 614. a n. 179. ad 190.

Cocincinæ Rex noſtros dimittit metu populi tumultuantis. lib. 1. p. 72. n. 209. Reduces benigne ſuſcipit, & poteſtatem ipſis facit promulgandi chriſtianam legem, lib. 2. p. 125. n. 165. Aſtrologos alit ad prædicendas eclipſes. lib. 6. pag. 326. n. 170. Noſtros tolerat magis commercii cauſa, quam religionis. lib. 10. p. 614. n. 179. Ab ipſis alienatur ob ſanitatem illi temere, ac ſine effectu promiſſam, lib. 10. p. 617. n. 189.

Coelhus (P. Dominicus) Braſiliæ Præpoſitus Provincialis intercipitur a Batavis, & in Hollandiam devehitur cum aliis undecim de Societate. lib. 9. p. 545. n. 248.

Colela, Æthiopiæ oppidum, occurrit ſæpe in rebus Æthiopicis. Colelani Seminarii adoleſcentes inſignem ſupplicationem peragunt. lib. 6. p. 318. n. 138.

Colenus (P. Matthæus) in Daniam proficiſcitur. lib. 8. p. 423. n. 32. Malmogii conſidens comprehenditur, & Hafniam adducitur. p. 424. n. 36. Interrogatur ab ipſo Rege, & exulare jubetur. n. 37.

Colladus (P. Didacus) Dominicanus ſodalem ſuum conatur eximere ex carcere Firandenſi in Japonia. lib. 7. p. 393. n. 176. Inde perſecutio ingraveſcit. n. 177. Nonnulla per Europam ſpargit contra Societatem. p. 405. n. 226. Quæ falſa inveniuntur. lib. 9. p. 543. n. 240.

Coloniæ Senatus Societatem liberalitate juvat, & præclaro judicio honeſtat. lib. 2. p. 103. n. 71. Collegium fraude hæreticorum incenditur. lib. 7. p. 368. n. 82.

Colonienſis Archiepiſcopus. Vide Ferdinandus a Bavaria.

Columbenſe collegium ſua bona recuperat. lib. 5. p. 260. n. 120.

Comaclenſes ſtationem perpetuam Societatis flagitant, impetrant temporariam. lib. 6. p. 288. n. 27.

Communio generalis menſtrua inſtituitur Romæ. lib. 1. p. 15. n. 13. Indulgentiis locupletatur. n. 18. Traducitur Tuſculum. p. 17. n. 19. Invehitur in Siciliam. lib. 2. p. 85. n. 1. Itemque in provinciam Mediolanenſem. p. 91. n. 20. Tum Pampilonem. p. 108. n. 92. atque Hiſpalim. p. 113. n. 113. Et ſic per totam Societatem propagatur.

Compluti cubiculum a S. Ignatio habitatum vertitur in ſacellum. lib. 1. p. 50. n. 128. Academiæ ſtudia incaleſcunt pro immaculato conceptu divinæ Matris. lib. 2. p. 111. n. 110. Inſtituitur quæſtio de quibuſdam Euchariſtici panis formulis, quæ a multis annis incorruptæ ſervabantur, & dignæ cultu judicantur. lib. 4. p. 202. n. 103. & ſeq. Gravis diſcordia componitur. lib. 9. p. 516. n. 149.

Compoſtellæ pauperes in formam pii ſodalitii contrahuntur. lib. 1. p. 48. n. 122.

Conceptio immaculata B. Virginis miro ſtudio defenditur Hiſpali, & Aſtige. lib. 1. p. 51. n. 130. Itemque Compluti, ac Villaregii. lib. 2. p. 111. n. 110. Tum Eboræ. p. 115. n. 123. Neapoli ejus feſtum inuſitato ſplendore celebratur juſſu Proregis. p. 88. n. 13. Ejuſque veritas juramento aſſeritur a cunctis regni magiſtratibus, & Academiæ profeſſoribus, quibuſdam exceptis. lib. 3. pag. 144. n. 19. Idem præſtatur Manilæ. lib. 6. p. 331. n. 190.

Conceptionis immaculatæ oppidum conditur in Paraquaria. lib. 9. p. 552. n. 263.

Concertationes litterariæ alicubi cum heterodoxis ſuſceptæ, earumque exitus. Ambiani. lib. 1.

Digitized by Google

INDEX.

lib. 1. p. 43. n. 103. Bacgneſii. p. 46. n. 119. Burgi. lib. 3. p. 157. n. 74. Lectoraci. p. 158. n. 81. Nemauſi. lib. 4. p. 200. n. 99. Londini. lib. 8. p. 435. n. 74. Biterris. lib. 10. p. 586. n. 91. In Xantonia. p. 590. n. 104. Pali. n. 105. Belloloci. p. 591. n. 108. Apud Padenſes in Auſtria. lib. 10. p. 569. n. 29.

Congenſe collegium inchoatur. lib. 8. pag. 447. n. 102. Ob ſubitum belli motum intermittitur. num. 103. Regis interventu perficitur. n. 105.

Congregatio Generalis VII. ſeveriſſime inquirendum cenſet contra quoſdam de Societate, qui Mutii electionem intervertere ſtuduerant. lib. 1. p. 14. n. 8. Mitigatur ab ipſo Mutio, ibid. Diſſolvitur. n. 9.

Congregatio de Propaganda Fide poſtulat ut noſtri curam paræciarum ſuſcipiant in Moravia, Bohemiaque. lib. 7. p. 358. n. 39.

Congregationes Marianæ virtutum exemplis illuſtratæ. Damani lib. 4. p. 206. n. 122. Avenione. lib. 7. p. 371. n. 97. Biſuntii. p. 372. n. 97. Camberii. ibid. Audomari. lib. 9. p. 499. n. 92. atque alibi paſſim.

Conrocuus Nangaſachii Gubernator in Japonia Chriſtianos acerbiſſime inſectatur. Vide res Japoniæ ad annos ferme ſingulos.

Conſevichius (Joſaphat) Epiſcopus Polocenſis a ſchiſmaticis interficitur. lib. 6. p. 296. n. 57. Immanis ſævities contra ipſius cadaver. n. 58.

Conſtantienſium ſociorum labores apoſtolici. lib. 3. p. 147. n. 32.

Conſtantinopoli duo ex noſtris multa utiliter gerunt. lib. 8. p. 420. n. 20.

Conſtantius (P. Camillus) occulte penetrat in Japoniam. lib. 6. p. 326. n. 167. Lento igne comburitur. lib. 7. p. 401. n. 206. Ejus elogium. n. 208.

Conſtantius (P. Marcus Antonius) Senenſem diæceſim peragrat cum Archiepiſcopo. lib. 4. p. 178. n. 2. Aliæ ejus miſſiones per Hetruriam. n. 4. & ſeq.

De Corduba (P. Didaci) obitus & elogium. lib. 9. p. 518. n. 153.

Cordubæ in magna aquarum penuria pueri aquam per urbem circumferunt. lib. 1. p. 52. n. 134. Noſtri vinctis ſubveniunt. lib. 2. p. 113. n. 113.

Corea, ſeu Corajum, quæ regio ſit. lib. 5. p. 274. n. 181.

Cornelii (Fr. Joannis) obitus & elogium. lib. 2. p. 102. n. 67.

Corporis Chriſti oppidum conditur in Paraquaria. lib. 6. p. 339. n. 220.

Correa (P. Joannes) rector collegii Eborenſis multatur a Paulo V. Pontifice, & quare. lib. 6. p. 308. n. 104.

Correæ (P. Joannis) obitus & elogium. lib. 1. p. 53. n. 139.

Corſica fructuoſis miſſionibus excolitur. lib. 4. p. 184. n. 27. & ſeq.

Coſaci ex parte manſueſiunt, & ad frugem adducuntur. lib. 2. p. 97. n. 45.

Coſſi (P. Cæſaris) obitus & elogium. lib. 7. p. 353. n. 29.

Coſtus (P. Scipio) collegium S. Joſephi dotat Neapoli. lib. 7. p. 350. n. 20.

Coſta (P. Eduardus) bene meretur de collegio Scalabitano. lib. 5. p. 256. n. 101.

Coſteri (P. Franciſci) mors & elogium. lib. 4. p. 198. n. 86.

Cotonus (P. Petrus) ſodalitatem puerorum inſtituit in collegio Burdigalenſi. lib. 9. p. 516. n. 131. Miſſionem Canadenſem inſtaurat. lib. 10. p. 625. n. 217.

Cotta (P. Hieronymus) in obſequio contagioſorum occumbit Goæ. lib. 5. p. 257. n. 103.

Couræi Marchionis benevolentia erga noſtros, ejuſque documenta in Valle Tellina. lib. 9. p. 477. n. 8.

De Couros (P. Matthæus) fruſtra perquiritur in Japonia. lib. 3. p. 173. n. 146. Artes ad eum inveniendum adhibitæ. lib. 5. p. 266. n. 148. Luce palam diffugit Nangaſachio, nec tamen agnoſcitur. n. 151.

Coyſſardi (P. Michaelis) obitus & elogium. lib. 8. p. 440. n. 86.

Cracoviæ Societas famoſis libellis impetitur. lib. 1. p. 29. n. 60. Piæ ſupplicationes inſtituuntur contra Turcas. lib. 2. p. 96. n. 41. Socii in ſacras miſſiones procurrunt. lib. 10. p. 675. n. 49.

Cranganorenſe collegium fundatur. lib. 1. p. 60. n. 166.

Cranganorenſis Archiepiſcopus. Vide Rozus.

Crembſæ collegium conditur. lib. 2. p. 93. n. 31. Civitas ab hæreſi purgatur. lib. 9. pag. 488. n. 48.

Cremerii (P. Petri) obitus & elogium. lib. 10. p. 581. n. 75.

Criſinus (Marcus) Canonicus Strigonienſis odio catholicæ fidei cruciatur crudeliter Caſſoviæ, & cum duobus ex noſtris interficitur. lib. 4. p. 191. n. 58. & ſeq.

Crittonii (P. Gulielmi) mors & elogium. lib. 2. p. 104. n. 77.

Crombergius (Joannes Svicardus) Archiepiſcopus Moguntinus domicilium Societatis collocat Frideslariæ. lib. 1. p. 37. n. 89. Condit collegium Aſchaffemburgi. lib. 5. p. 238. n. 33. P. Becani precibus exoratus conſentit ut S.R.I. Elector renuncietur Maximilianus Bavariæ Dux. lib. 9. p. 487. n. 45. Noſtris hominibus utitur ad purgandam ab hæreſi Eisfeldiam. lib. 9. p. 493. n. 70. Sedem Societatis collocat Duderſtadii. n. 71. Societati excolendam tradit Stratam montanam. lib. 10. p. 577. n. 59.

Croſenſe collegium fundatur in Samogitia. lib. 1. p. 32. n. 70.

Croſnenſe collegium inchoatur. lib. 4. pag. 194. n. 70.

A Cruce (P. Anſelmi) obitus & elogium. lib. 4. p. 198. n. 90.

Crumlovii collegium recuperatur. lib. 4. p. 193. n. 68. Peſte ſæviente unus Patrum in obſequio tabi-

Digitized by Google

tabidorum occumbit, lib. 10. p. 579. n. 35.
Le Cur (Deſiderius) reformandam ſuſcipit Congregationem S. Vitoni. lib. 9. p. 504. n. 110. Duo ex noſtris illum conſilio adjuvant, n. 111. Acerbitas cujuſdam ſcriptoris in his referendis, p. 505. n. 112. & ſeq.
Curlandiam adeunt duo Patres, ibique multa conficiunt ex uſu rei catholicæ, lib. 2. p. 97. n. 46.
Curtius (P. Petrus) in obſequio contagioſorum diem obit Panormi. lib. 9. p. 479. n. 15.
Cuſſineti (P. Stephani) obitus & elogium. lib. 3. p. 157. n. 78.
Cuzqui in Peruvia reliquiæ quædam ſuperſtitionis exſcinduntur. lib. 1. p. 78. n. 234. Seminarium nobilium committitur Societati. lib. 5. p. 278. n. 200. Rei œconomicæ noſocomii conſulitur. lib. 10. p. 624. n. 211.
Czuſtoloviceníium hæreticorum pertinacia paulatim frangitur. lib. 10. p. 571. n. 37.

D

Dæmon atteſtatur de meritis SS. Ignatii & Franciſci Xaverii. lib. 7. p. 382. n. 135. Conatur fructum ſacræ miſſionis intervertere. ibid. n. 136. Ejus peculiare odium erga P. Antonium Gaudier. p. 375. n. 108. Seditionem excitat in Inſulis Philippinis. lib. 8. p. 464. n. 165. Inſignem fraudem adornat Parrenſibus in Mexico. p. 469. n. 183. Unum ex noſtris abducere conatur ex Societate lib. 9. p. 520. n. 158. Alterius vultum induit. lib. 10. p. 601. n. 142. Reliquiis S. Ignatii compeſcitur. lib. 4. p. 221. n. 190. Iterum lib. 8. pag. 459. n. 185.
Dæmonum familiaritas inter Cocincinenſes. lib. 6. p. 330. n. 186.
Dambeæ lacus in Æthiopia cujuſmodi naviculis percurratur, lib. 1. p. 57. n. 151.
Damiani neophyti Cocincinenſis ardor eximius, & mirum ſtudium religionis. lib. 7. p. 411. n. 249.
Damotæ quinam ſint, lib. 6. p. 319. n. 140. Ad ſeditionem concitantur contra Imperatorem Æthiopiæ, ac prælio ſubiguntur. n. 41. Plures a ſchiſmate ad communionem Eccleſiæ Romanæ pertrahuntur. lib. 10. p. 603. n. 148.
Dancalenſis regio quam inculta, Rex quam nihil habens regii. lib. 10. p. 605. n. 153. Ut exceptus ibi fuerit Patriarcha Æthiopiæ. n. 154.
Dancizanæ (Aloyſiæ) mors, & inſignis beneficentia erga tirocinium Avenionenſe. lib. 5. pag. 251. n. 85.
Dania. Mittuntur operarii noſtri in Daniam ad faciendum ſacræ miſſionis initium. lib. 8. p. 422. n. 26. Res ibi geſtæ, & infelix exitus expeditionis p. 423. n. 32. & ſeq.
Davali (P. Joannis) fructuoſæ miſſiones in Mexico. lib. 10. p. 622. n. 205.
Davinus (Joannes) Epiſcopus Namurcenſis bene meretur de collegio Nivellenſi. lib. 5. p. 250. n. 78.
Dazæ (P. Didaci) mors & elogium. lib. 8. p. 441. n. 88.
Decimæ per injuriam exiguntur a collegio Eborenſi. lib. 6. p. 308. n. 103.
Dekerii (P. Joannis) mors & elogium. lib. 4. p. 194. n. 69.
Delgadus (P. Sebaſtianus) ædificii ruina oppreſſus moritur Potoſii. lib. 2. p. 136. n. 213.
Deliotus (P. Jacobus) hæreticum ſupplicio afficiendum ad Eccleſiam adducit. lib. 1. p. 44. n. 111.
Dertuſæ agitur de excitando Societatis collegio, ſed ſine effectu. lib. 7. p. 383. n. 139.
Diaz (Fr. Balthaſaris) obitus & elogium. lib. 3. p. 159. n. 86.
Diaz (P. Hieronymi) obitus & elogium. lib. 9. p. 521. n. 159.
Diaz (P. Petri) obitus & elogium. lib. 3. pag. 176. n. 159.
Didacus Cangajama nobilis Japon mortem lætus excipit Chriſti cauſa. lib. 4. p. 210. n. 138.
Dienſis reſidentia proventu, ac numero ſociorum augetur. lib. 3. p. 157. n. 76. Inter belli tumultus deſeritur. lib. 6. p. 303. n. 87.
Dietrechſtein (Franciſcus) Cardinalis, & Epiſcopus Olomucenſis noſtros adhibet ad exſtirpandam hæreſim in ſua diœceſi. lib. 2. p. 94. n. 33. Quid decreverit in quodam ſcholaſticorum Olomucenſium tumultu. ibid. n. 35. Societatem inducit in poſſeſſionem domicilii Iglavienſis. lib. 9. p. 491. n. 60.
Dionanti peſte graſſante obeunt in ægrorum miniſterio ſocii ſex. lib 10. p. 584. n. 86.
Dionyſius Fugixima S. I. pro Chriſto interficitur in Japonia. lib. 7. p. 403. n. 214.
Diſcordia inter quoſdam Monachos & Abbatem tollitur per exercitia ſpiritualia. lib. 4. p. 185. n. 31.
Diſcordiæ domeſticæ periculum in Novo regno. lib. 5. p. 277. n. 195.
Dobokai (P. Alexandri) mors & elogium. lib. 6. p. 299. n. 70.
Doesburgi grex catholicus ſacerdotali miniſterio recreatur. lib. 2. p. 99. n. 54.
Dolæ inauguratio SS. Ignatii & Franciſci Xaverii inſigni pompa celebratur. lib. 7. pag. 372. n. 98.
Dominæus (Joannes) ſcholaſticus moritur. Ejus deprecatione alter a Societate dimittendus mortem impetrat. lib. 7. p. 377. n. 115.
Donavertanæ reſidentiæ utilitas. lib. 2. pag. 92. n. 26.
Drepani gravis oritur controverſia inter Civitatem & noſtros, quæ demum ex æquo & bono componitur. lib. 1. p. 18. n. 22. Tempore peſtilentiæ noſtri ſedulam operam navant ægrotis. lib. 9. p. 479. n. 13.
Drexellius (P. Jeremias) rem ſtrenue gerit in miſſione caſtrenſi. lib. 5. p. 236. n. 25.
Drughetus (Georgius) moriens conſulit collegio Homonenſi a ſe fundato. lib. 6. p. 299. n. 69.

Digitized by Google

INDEX.

Drureus (P. Robertus) ædificii ruina opprimitur Londini cum nonaginta catholicis, lib. 8. pag. 433. n. 66.

Duaci peſte ſæviente noſtri ægrotis famulantur, lib. 2. p. 100. n. 62. In eadem calamitate unus ex Patribus tranquillitati publicæ proſpicit, lib. 3. p. 153. n. 58. Collegium in urbis academiam cooptatur, lib. 5. p. 249. n. 77. Inopum egeſtas ſublevatur, p. 250. n. 81. Iterum graſſatur peſtis, & in ægrorum miniſterio plures ex noſtris moriuntur, lib. 10. p. 584. n. 86.

Duderſtadii ſtatio Societatis collocatur. lib. 9. p. 493. n. 71. Civium contumacia non niſi longo labore ſubigitur, p. 494. n. 74.

Dunkerchæ hæretici plures ſupplicio deſtinati catholicis aggregantur, lib. 8. p. 429. n. 53.

Durandus (P. Nicolaus) Provinciam Paraquarienſem adminiſtrat, lib. 9. p. 549. n. 260. Separandum curat Chilenum regnum a provincia, p. 555. n. 283. Saltæ, Villaricæ, ac Riocæ collegia inſtituit. p. 556. n. 284. Sociorum auxilia quærit ex Europa. p. 557. n. 289.

Durlacenſis Marchio compeſcitur ab exercitu catholico. lib. 7. p. 366. n. 70. Et Marchia Badenſi ſpoliatur. n. 71.

Duſſeldorpii fundatur collegium Societatis, lib. 5. p. 239. n. 34.

E

EBerſpergii pauperum ærumnæ ſublevantur, lib. 8. p. 421. n. 22.

Eboræ Philippi III. Regis præſentia & humanitate collegium illuſtratur, lib. 4. p. 204. n. 113. Multis modis vexatur ab Archiepiſcopo. lib. 6. pag. 308. n. 104. & ſeq. Peſtilenti morbo conflictatur. p. 309. n. 109. Augetur cultus SS. Ignatii & Franciſci Xaverii, lib. 10. p. 601. n. 144.

Eborenſis Academiæ ſtudium pro immaculato conceptu Deiparæ, lib. 2. p. 115. n. 123.

Ebreduni adoleſcens ab hæreſi ad Eccleſiam tranſgreſſus in fide perſtat mira conſtantia. lib. 4. pag. 201. n. 100. Sociorum miſſio perquam frugifera. lib. 6. pag. 306. n. 97. Alia eorum acta ad publicam utilitatem. lib. 7. pag. 371. n. 96. Inauguratio SS. Ignatii & Franciſci Xaverii inſigni pompa celebratur, p. 372. n. 98.

Ecchembergius (Jo. Udalricus) collegium Tergeſtinum perficit. lib. 6. p. 300. n. 71.

Ab Efferen (Vilhelmi) Epiſcopi Wormatienſis beneficentia erga illius urbis collegium. lib. 1. p. 36. n. 83.

Eggre (F. Joannes) in obſequio tabidorum occumbit Antuerpiæ, lib. 10. p. 582. n. 78.

Eisfeldia excolitur, pulſiſque paſtoribus Lutheranis, ab hæreſi purgatur. lib. 9. p. 493. n. 70. & ſeq.

Eiſenſtadium ad catholicas partes traducitur. lib. 2. p. 94. n. 33.

Eleonora Imperatrix fratri ſuo Ferdinando Mantuanorum Duci ſtimulos addit, ut gymnaſium academicum perficiat Mantuæ, lib. 10. p. 560. n. 5.

Eluaci reſidentia conſtituitur, lib. 2. p. 92. n. 28.

Elvira de Monte nigro bene meretur de collegio Xaveriano Neapoli. lib. 7. p. 350. n. 19.

Embricenſe collegium ab hæreticorum oppreſſione vindicatur. lib. 10. p. 581. n. 73.

Embslandia a noſtris excolitur. lib. 1. p. 37. n. 88. Fructus ex ea collecti, lib. 9. p. 493. n. 67. & ſeq.

Engeriacum obſidetur. Noſtrorum labores in caſtris regiis. lib. 6. p. 304. n. 88.

Engoliſmenſe collegium erigitur, lib. 7. p. 376. n. 111. Nonnullæ difficultates opponuntur ab Epiſcopo, & ſuperantur, n. 112.

Ennenſe collegium fundatur. lib. 4. p. 181. n. 15.

De Eſcobar (P. Bartholomæi) obitus & elogium. lib. 9. p. 547. n. 258.

Eſcuderi (P. Petri) labores apoſtolici in valle Cabuernigenſi. lib. 7. p. 383. n. 136.

Eſpinoſæ (Fr. Jo. Baptiſtæ) mors & elogium. lib. 8. p. 470. n. 187.

Eſteci in Tucumania fundatur collegium, & mox dimittitur. lib. 6. p. 335. n. 202. Collegii fructus, ibid.

Eſtræus Dux, Chriſtianiſſimi Regis legatus, cauſam agit Societatis in Senatu Veneto, ſed nullo effectu. lib. 6. p. 288. n. 26.

Etlingæ noſtri operarii rem utiliter gerunt. lib. 7. p. 366. n. 73.

Euchariſtia primum tribuitur neophytis quibuſdam in Paraquaria. lib. 6. p. 338. num. 215. Itemque in diæceſi Limana, lib. 10. p. 623. n. 207.

Euchariſtici panis formulæ Complutenſes. Vide Compluti.

Exempla divinæ miſericordiæ in hominum converſionibus. Neoburgi, lib. 1. p. 25. n. 43. Luxemburgi. p. 35. n. 81. Toloſæ, pag. 44. n. 111. In Delphinatu. p. 45. n. 115. In Diæceſi Valentina. p. 49. n. 126. In portu S. Mariæ. p. 52. n. 135. Poſnaniæ, pag. 30. n. 63. Turnoni. p. 46. n. 116. Pragæ. lib. 2. n. 93. n. 29. Pampilone. p. 109. n. 94. Murciæ. p. 112. n. 111. In Mexico. lib. 3. p. 175. n. 155. In dioeceſi Lucenſi. lib. 4. p. 180. n. 9. Smolenski. lib. 6. p. 295. n. 52. Goæ. pag. 316. n. 130. In regno Madurenſi. lib. 8. pag. 453. n. 121. Valliſoleti in Mexico. lib. 8. p. 469. n. 184. Compluti. lib. 9. p. 517. n. 150. In Hungaria. lib. 10. p. 570. n. 32. In Bearnia. p. 590. n. 106. Hiſpali. p. 598. n. 131.

Exempla divinæ ſeveritatis in contemptores religionis. Chavilliaci. lib. 1. p. 43. num. 106. Aſtige. p. 51. n. 131. & 133. Frideslariæ. p. 38. n. 90. In dioeceſi Biſuntina. p. 45. n. 114. Leovardiæ. lib. 3. p. 151. n. 47. Neomagi. lib. 9. pag. 506. n. 117. Bellilоci. lib. 9. p. 511. n. 135. In Helvetia. lib. 10. pag. 565. n. 19. In Philippinis. p. 620. n. 200.

Exempla pietatis a teneriori ætate edita. Antuer-

Digitized by Google

tuerpiæ. lib. 1. p. 33. n. 75. Fuldæ, pag. 38. n. 92. Heiligenſtadii. ibid. Lexoviæ pag. 43. n. 104. Chavilliaci. n. 105. Cordubæ pag. 52. n. 134. Cenchiani in Sina. p. 70. n. 202. Aginni. lib. 2. p. 106. n. 85. Ebreduni, lib. 4. p. 201. n. 100. In Salſettis. lib. 7. p. 388. n. 157. In Japonia lib. 4. p. 211. n. 143. Ibidem lib. 5. p. 270. n. 164. Ibid. lib. 7. p. 396. n. 187. Ibidem lib. 8. pag. 464. n. 164. Iglaviæ lib. 9. p. 491. n. 62. Ypris. p. 498. n. 91. Audomari. p. 499. n. 92. Turnonii. lib. 9. p. 508. n. 124. Burdigalæ. p. 510. n. 132. In Japonia. p. 538. n. 223. & 224. Gitzini. lib. 10. p. 572. n. 41. Anicii. p. 587. n. 93.

Exempla quædam memorabilia conſtantiæ, qua aliqui ex noſtris tironibus in vocatione religioſa perſtiterunt. In provincia Bætica. lib. 2. p. 43. n. 114. Mediolani. lib. 5. p. 235. n. 22. In regno Chilenſi. lib. 6. p. 342. n. 232. Neapoli. lib. 7. p. 352. n. 26. Toloſæ. lib. 9. p. 508. n. 127. Ibidem n. 128. Burdigalæ. lib. 10. p. 588. n. 100.

Exempla quædam luctuoſa de iis, qui nulla juſta cauſa defecerunt a Societate. Cordubæ. lib. 2. p. 113. n. 115. Vendæ. lib. 4. pag. 196. n. 81. Neapoli. lib. 7. p. 350. n. 21. Rhodumnæ. lib. 10. p. 588. n. 97.

Exemplum memorabile mulieris filium prohibentis a ſtatu religioſo. lib. 4. p. 201. n. 101.

Exemplum notabile circa uſum pecuniæ, quæ incerti ſit domini. lib. 2. p. 98. n. 49.

Exemplum triſte duorum religioſorum in Japonia. lib. 7. p. 396. n. 189.

Exequiæ cum exquiſito apparatu celebrantur in Cocincina, & quare. lib. 10. p. 614. n. 181.

Exercitia ſpiritualia S. Ignatii multorum utilitate comprobata. Valencenis. lib. 1. p. 35. n. 81. Anicii, & Biterris. p. 44. n. 110. Ypris. lib. 3. p. 152. n. 52. Oettingæ. lib. 4. p. 185. n. 31. Nancei. lib. 7. pag. 378. n. 118. Landishuti. lib. 10. p. 564. n. 15. In Cocincina. pag. 616. n. 186., & alibi paſſim.

Extremadura. Male ibi audit Societas, & quare. lib. 10. p. 596. n. 125. Percurrit regionem noſter operarius, & mira ſit animorum inclinatio in noſtrum ordinem. n. 126.

Eyſtadienſis collegii labores apoſtolici. lib. 2. p. 92. n. 26. Templi dedicatio. lib. 5. p. 237. n. 29.

F

Faber (P. Chriſtophorus) lue contactis inſerviens moritur Gedani. lib. 5. p. 240. n. 39.

Faber (P. Joannes) Roſarii cultum propagans in Helvetia calumniis proſcinditur. lib. 10. p. 564. n. 17. Defenditur. n. 18.

Faber (P. Michael) in obſequio contagioſorum occumbit Atrebati. lib. 4. p. 197. n. 84.

Fagotius (P. Joannes) Caroli a Lotharingia conſcientiam moderatur in pio ſeceſſu. lib. 7. p. 378. num. 118. Ejus conſilium approbat de ineunda Societate. n. 119.

Falconius (P. Joannes) e gravi morbo convaleſcit beneficio S. Franciſci Xaverii. lib. 7. pag. 367. n. 78. Ab impiorum manibus divina ope ſervatur. lib. 9. p. 494. n. 72. Recuperat etiam reculas, quibus fuerat ſpoliatus a latronibus. n. 73. Strenue laborans Duderſtadii, fructum colligit nullum n. 74.

Fanzivani Regis filius furtim avectus Goam baptiſmum ſuſcipit. lib. 1. p. 54. n. 143.

Faventini collegii ortus, & progreſſus. lib. 7. p. 357. n. 35.

Fauſtoviæ collegium conſtituitur. lib. 6. p. 294. n. 46.

Fendenier (Fr. Joannes) in ægrorum miniſterio vitam claudit Inſulis. lib. 2. pag. 101. n. 63.

Ferdinandus II. Bohemiæ Hungariæque Rex ſalutatur vivo Mathia. l. 4. p. 186. n. 35. Eo mortuo, ab hæreticis Bohemis Hungariſque contumaciter repellitur. n. 36. Creatus Imperator prælio uno totam ſibi Bohemiam ſubjicit. lib. 5. p. 244. n. 53., ac continuo Societatem in Bohemiam reducit n. 56. Goritienſe collegium perficit. lib. 6. p. 300. n. 73. Ejus litteræ ad Pontificem de B. P. Ignatio. lib. 7. p. 344. n. 2. Ejuſdem beneficentia erga collegia Pragenſe, Zagrabienſe, Olomucenſe, Leobienſe, & Brunenſem probationis domum. pag. 360. num. 48. Viennenſe collegium conjungit cum urbis academia, & ædes academicas tradit Societati. n. 50. & ſeq. Scholam provincialem, ideſt Seminarium quoddam nobilium nobis addicit Viennæ. p. 361. n. 54. Cœnobitas quoſdam moleſtiam nobis ob eam rem inferentes compeſcit. n. 56., & ſuam eſſe declarat illam cauſam, non Societatis. n. 57. Voto ſe obſtringit ad propagandam catholicam religionem. lib. 9. p. 487. n. 46. Urget gravibus edictis hæreticos. num. 47. Inſtituit Seminarium Clagenfurtenſe. pag. 490. n. 55. Collegium Iglavienſe perficit. p. 491. n. 60. Mittit ad ædem Lauretanam effigiem Chriſti crucifixi. p. 492. n. 64. Domum Profeſſorum conſtituit Viennæ. lib. 10. p. 568. n. 27. Inſtat novis edictis ut hæretici vel religionem mutent, vel patriam. p. 571. n. 36.

Ferdinandus a Bavaria Septemvir Colonienſis noſtros operarios inducit in Embslandiam. lib. 1. p. 37. n. 88.

Ferdinandus Mantuæ Dux inſigni pompa colendum curat B. Aloyſium. lib. 3. p. 140. n. 4. Academiam omnium diſciplinarum inſtituit Mantuæ, ac large dotatam tradit Societati. lib. 10. p. 560. n. 4.

P. Ferdinandus a S. Joſepho Auguſtinianus pro fide interficitur in Japonia. lib. 2. pag. 121. n. 146. Ejus corpus in mare dejectum ultro emergit. n. 148.

Fernandii (P. Benedicti) labores apoſtolici in Japonia, lib. 5. p. 272. n. 173.

Fer-

Digitized by Google

INDEX.

Fernandii (P. Joannis) expeditio ad Carisios in Brasilia, lib. 4. p. 233. n. 201.

Fernandii (Fr. Joannis) obitus & elogium, lib. 10. p. 601. n. 143.

Fernandius (Fr. Ambrosius) comprehenditur in Japonia cum P. Carolo Spinula, & in vincula rapitur, lib. 3. p. 172. n. 142. Ærumnis confectus moritur in carcere Omurano. lib. 5. p. 267. n. 153. Ejus elogium. n. 154.

Fernandius (Fr. Joannes) Nankini detruditur in carcerem, lib. 2. p. 129. n 181. Cannis funditur more Sinico. n. 182. Ejus mira patientia inter multiplices ærumnas carceris, n. 187. Damnatur ad trahendas remulco triremes, p. 134. n. 204.

Fernandius (Fr. Sebastianus) conjicitur in vincula Nankini, lib. 2. p. 128. n. 179. Relegatur ad magnum murum Sinarum, sed poena liberatur. pag. 134. n. 204. Ejus mors & elogium. lib. 7. p. 408. n. 240.

Ferracutus (Petrus) adhuc scholasticus Neapoli carceres Vicariæ, ut vocant, excolendos suscipit, & ad vinctorum utilitatem multa sapienter instituit, lib. 2. p. 86. num. 4. & seq.

Ferreira (P. Emmanuel) navigat in Macassarem. lib. 3. p. 160. n. 87. Transit in regnum Bimæ. pag. 161. n. 92. Quid ibi egerit, seu potius tentaverit, n. 93.

Ferreiræ (P. Petri Pauli) mors & elogium. lib. 3. p. 159. n. 85.

Ferri (P. Joannis) obitus & elogium. lib. 3. p. 175. n. 158.

S. Fidei civitas in Novo Regno ad pietatem informatur, erecto magnæ utilitatis sodalitio. lib. 1. p. 80. n. 241. Summa Patrum inopia in eo collegio. n. 342.

Fidelitatis exemplum singulare in quodam famulo. lib. 7. p. 364. n. 61. Exemplum adhuc mirabilius in neophyto Paraquariensi. lib. 9. p. 554. n. 277.

Fides Regi debita spectatur præcipue in hominibus Societatis curæ concreditis. lib. 9. p. 547. num. 256.

Figueredus (P. Simeon) novam stationem figit in regno Mogolico. lib. 6. pag. 315. n. 124. Adolescens ejus comes interficitur a quodam Mahometano, ipse vulneratur. n. 125. Sicarius supplicio afficitur. n. 127.

Firrai (P. Philippi) mors & elogium. lib. 7. p. 353. n. 28.

Fistularum tormentum apud Japones quale sit, lib. 1. p. 67. n. 193.

Flandrobelgicæ provinciæ res per suos annos distributæ.

Anno 1616. lib. 1. p. 33. a n. 73. ad 78.
Anno 1617. lib. 2. p. 98. a n. 50. ad 59.
Anno 1618. lib. 3. p. 151. a n. 46. ad 54.
Anno 1619. lib. 4. p. 197. a n. 86. ad 93.
Anno 1620. lib. 5. p. 247. a n. 60. ad 77.
Anno 1622. lib. 7. p. 368. a n. 83. ad 92.
Anno 1623. lib. 8. n. 423. a n. 32. ad 58.
Anno 1624. lib. 9. p. 495. a n. 81. ad 92.
Anno 1625. lib. 10. p. 582. a n. 78. ad 86.

Floravantius (P. Hieronymus) eligitur conscientiæ arbiter ab Urbano VIII., & migrare cogitur in palatium Pontificium. lib. 8. pag. 415. num. 4.

De Florbeque (P. Jo. Baptista) bene meretur de residentia Athensi. lib. 8. p. 432. n. 61.

De Florentia (P. Hieronymus) assistit Philippo III. morienti, eique angores eximit, lib. 6. p. 306. n. 99.

Flores (P. Ludovicus) Dominicanus capitur in Japonia. lib. 7. p. 392. n. 173. Ex fuga retrahitur, ac se face dotem esse profitetur, p. 393. n. 176. Comburitur. n. 178.

Florii (Fr. Michaelis) obitus & elogium. lib. 6. p. 290. n. 32.

Fokei statio Societatis collocatur in Sina, lib. 10. p. 613. n. 176.

Foliati (P. Ludovici) obitus & elogium. lib. 10. p. 561. n. 9.

Fonseca (P. Emmanuel) Avam abducitur in servitutem. lib. 1. p. 63. n. 175.

Fonsecæ (P. Joannis) obitus & elogium. lib. 5. p. 269. n. 157.

A Fonte (P. Joannes) necatur a barbaris in Cinaloa. lib. 1. pag. 75. num. 222.

D. de Fontenellis ad catholicos transit. lib. 2. p. 47. n. 119.

D. de Fontraille Calvinum deserit cum conjuge. lib. 3. p. 158. n. 81.

Forerius (B. Petrus) nostris hominibus utitur ad instaurandam sui ordinis disciplinam. lib. 9. p. 504. n. 109.

Forgatzii Cardinalis beneficentia erga collegium Tyrnaviense. lib. 1. p. 28. n. 54.

Franceschius (P. Hiacynthus) strenue desudat in agro Æthiopico, lib. 10. p. 603. n. 148.

Franciscani viginti quatuor in Japoniam simul deferuntur ex Philippinis. Eorum adventu Imperator gravissime commovetur. lib. 1. p. 65. n. 186.

S. Francisci Borgiæ corpus Roma defertur Matritum. lib. 2. p. 111. n. 106. Decernuntur ipsi beatorum honores, lib. 9. p. 475. n. 1. Duo ejus miracula Gandiæ, lib. 10. p. 594. n. 119. Ejusdem novus cultus celebratur Matriti piis supplicationibus. p. 595. n. 120.

Francisci Fampei martyrium in Japonia. lib. 6. p. 324. n. 161.

Franciscus Toyama Japon nobilissimus ultro ad pœnam se offert pro religione. lib. 9. p. 537. n. 219. Capitalem sententiam excipit incredibili constantia. n. 220.

S. Franciscus Xaverius Beatorum catalogo adscribitur. lib. 4. p. 178. n. 1. Ejus causa urgetur apud Pontificem. lib. 7. p. 344. n. 2. Pontificis allocutio ad Cardinales de ipsius meritis. num. 4. Sanctorum fastis inscribitur una cum S. Ignatio. n. 5. Ejus cultus amplificatur in Navarra. lib. 7. p. 381. n. 131. Et Manilæ. lib. 10. p. 619. n. 195. Beneficum se præbet suis clientibus. Goæ. lib. 4. pag. 206. n. 119.

Aschaf-

Digitized by Google

INDEX,

Aſchaffemburgi. lib. 7. p. 367. n. 78. Antuerpiæ. p. 382. n. 135. Bracharæ. lib. 10. p. 602. n. 146. Ejus corpus Goæ transfertur in novam ædem celebritate inſigni. lib. 9. pag. 523. n. 166.

Frawenalbenſis regio a noſtris operariis excolitur. lib. 10. p. 578. n. 62.

Fregiani (Franciſci) corpus poſt annos ſexdecim incorruptum invenitur Ulyſſipone. lib. 10. p. 599. n. 137.

Freire (Gaſparis) ſcholaſtici mors & elogium. lib. 10. p. 601. n. 142.

Fremona Æthiopiæ oppidum, & ſtatio Societatis, occurrit ſæpe in rebus Æthiopicis.

Frerart (P. Guillelmus) in obſequio tabidorum occumbit Dionanti. lib. 10. p. 584. n. 86.

Friburgi in Helvetia civitas Societati ſuccenſet, & quare. lib. 1. p. 26. n. 46. Peſtilentia ſæviente, noſtrorum obſequio delinitur. n. 48. Agitur de reddendo Societati corpore V. P. Petri Caniſii. lib. 10. p. 565. n. 20. Conditiones exiguntur parum æquæ. n. 21. Mitigantur, ac negotium ex inſperato conficitur. n. 22.

Friburgi in Briſgovia collegium conditur. l. 5. p. 238. num. 30. Noſtri poſſeſſionem capiunt gymnaſii publici cum inſigni celebritate. n. 31.

Fridericus Comes Palatinus Rheni Societatem atrociter inſectatur. lib. 2. p. 102. n. 69. Salutatur Bohemiæ Rex ab hæreticis perduellibus. lib. 4. pag. 187. n. 38. Commiſſo ad Pragam prælio fugatur. lib. 5. p. 244. n. 53. Profugit ad Batavos ſuo principatu ſpoliatus. n. 54.

Frideslariæ noſtri rem utiliter gerunt. lib. 1. p. 37. n. 89. Ac domicilio donantur. n. 91.

Friſiæ magiſtratus Societatem proſcribunt, & quare. lib. 2. p. 99. n. 55.

Friſingenſis diæceſis excolitur, & quoddam cœnobium ad legum obſervantiam revocatur. lib. 4. p. 186. n. 32.

De Fuente (P. Jacobi) obitus & elogium. l. 1. p. 50. n. 129.

Funchalenſis collegii utilitas ex litteris ejus Epiſcopi. lib. 10. p. 600. n. 141.

Fuſai (Conſalvus) cum aliis tribus neophytis vitam agitat religioſæ ſimillimam in Japonia. lib. 6. p. 322. n. 154. Conjectus in carcerem recipitur in Societatem. num. 156. Necatur. lib. 7. p. 394. n. 180. Ipſius, & ſociorum communes litteræ ad quemdam de Societate. p. 400. n. 202.

Furſtembergius (Theodorus) Epiſcopus Paderbornenſis gymnaſium ejus collegii auget dignitate & proventu. lib. 1. p. 36. n. 86.

G

GAbor Bethlemius Daciæ Exarcha. Ejus indoles, & perfidia. lib. 4. p. 190. n. 52. Ducem ſe præbet Hungaris perduellibus n. 53. Hungariæ Rex ſalutatur ab hæreticis. lib. 6. p. 297. n. 59. Cæſarianis inſignem cladem infligit. num. 61. Tyrnaviam expugnat, n. 62. Noſtros dimittit incolumes. n. 64. Iiſdem benevolum ſe præbet, ſed tamen ſubdole. n. 67. Pace compoſita relinquit Hungariam. lib. 7. p. 357. n. 36. Iterum Hungariam ingreditur, ſed mox abſcedere cogitur. n. 37.

Gabrielis cujuſdam familia integra neci datur in Japonia. Mira omnium alacritas in ſupplicio. lib. 9. p. 537. n. 216.

Gaditani Patres hæreticos plures ad fidem pertrahunt in portu S. Mariæ. lib. 1. p. 52. n. 135.

Gailart (P. Robertus) in obſequio contagioſorum vitam claudit Mechliniæ. lib. 7. p. 368. n. 84.

Galæ, natio Æthiopibus infeſta, prælio profligantur. lib. 5. p. 259. n. 116.

Galeanus (Perſius) dotat collegium Interamnenſe. lib. 5. p. 228. n. 4.

Galianus (Hortenſius) ſcholaſticus tabidis operam navans Panormi, extinguitur. lib. 9. pag. 480. n. 15.

Gallettus (P. Vincentius) pecuniam in uſum contagioſorum deſtinatam adminiſtrat Panormi. lib. 9. p. 481. n. 22. Teſtimonium Prætoris Panormitani de ipſius fide & ſolertia. ibid. Moritur peſte afflatus. n. 23. Quanta polleret auctoritate apud populum. n. 24.

Galliæ Rex. Vide Ludovicus.

Gallicani conventus ordines duo, Clerus & Nobilitas, Societatis patrocinium ſuſcipiunt, eamque commendant Regi. lib. 1. p. 42. n. 101.

Gallobelgicæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.

Anno 1616. lib. 1. p. 34. a n. 78. ad 82.
Anno 1617. lib. 2. p. 100. a n. 59. ad 66.
Anno 1618. lib. 3. p. 152. a n. 54. ad 60.
Anno 1619. lib. 4. p. 197. n. 84.
Anno 1620. lib. 5. p. 249. a n. 77. ad 83.
Anno 1623. lib. 8. p. 430. a n. 58. ad 62.
Anno 1624. lib. 9. p. 499. a n. 92. ad 95.
Anno 1625. lib. 10. p. 584. a n. 86. ad 89.

Gamachius (Renatus Roaltius) Societatem ingrediens partem ſui patrimonii tranſcribit ad condendum collegium in nova Francia. lib. 10. p. 626. n. 218.

Gandavi domus probationis erigitur pro provincia Anglicana. lib. 8. p. 432. n. 62.

Gandiæ celebratur inſigni lætitia cultus B. Franciſci Borgiæ. lib. 10. p. 594. n. 119. Ejus duo miracula. ibi.

Ganeti in Æthiopia extruitur templum opere cæmentitio. lib. 6. pag. 320. n. 145. Templi forma. n. 146. Sociorum ibi degentium ſumma inopia. lib. 10. p. 607. n. 163.

Ganges quibus pontibus alicubi trajiciatur. lib. 9. p. 529. n. 174.

Gartnerus (P. Jo. Evangeliſta) peſte contactis aſſiſtens moritur Aſchaffemburgi. lib. 10. pag. 582. n. 76.

Garzia (P. Didacus) certas præſcribit leges pro Parochis Philippinarum. lib. 1. p. 73. n. 211.

Gaudier (P. Antonii) obitus, & elogium. lib. 7. p. 374. n. 107.

Gau-

Digitized by Google

INDEX.

Gaulitana reſidentia conſtituitur prope Melitam, mox deſeritur. lib. 5. p. 230. n. 11.

Gaurgneſius (Marcus Antonius) bene meretur de domo Profeſſorum Burdigalenſi. lib. 9. p. 509. n. 130.

Gawronskii (P. Stanislai) mors & elogium. lib. 5. p. 242. n. 46.

Gedani lue ſæviente noſtri charitatem impendunt ægrotis. lib. 5. p. 240. n. 38. Iterum lib. 10. p. 574. n. 47.

Gentilii (P. Joannis) obitus & elogium. lib. 7. p. 378. n. 116.

Genuæ in mores inducitur Communio generalis menſtrua. lib. 2. p. 91. n. 20. Collegium in ſede ſtabili collocatur. lib. 9. p. 476. n. 3.

Georgius (P. Joannes) Monte Peſſulo excluditur populari tumultu. lib. 2. p. 104. n. 75.

Gerbachi invenitur poſt multos annos hoſtia conſecrata. lib. 10. p. 577. n. 61.

Germaniæ ſuperioris res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 25. a n. 42. ad 50.
Anno 1617. lib. 2. p. 91. a n. 24. ad 29.
Anno 1618. lib. 3. p. 146. a n. 29. ad 36.
Anno 1619. lib. 4. p. 185. a n. 30. ad 35.
Anno 1620. lib. 5. p. 236. a n. 23. ad 32.
Anno 1621. lib. 6. p. 300. a n. 74. ad 82.
Anno 1623. lib. 8. p. 420. a n. 20. ad 26.
Anno 1625. lib. 10. p. 563. a n. 14. ad 27.

Giennæ ſocii laborant utiliter ex teſtimonio Epiſcopi. lib. 1. p. 52. n. 134. Mulierculis perfugium provident, lib. 2. p. 113. n. 113.

Giezus quæ regio ſit. lib. 5. p. 270. n. 165. Huc ex Japonia excurrit P. Didacus Carvallius. num. 169.

Gironda (Iſabella) bene meretur de collegio Xaveriano Neapoli. lib. 7. p. 350. n. 19.

Gironus (Petrus) Oxunæ Dux, & Siciliæ Prorex, iraſcitur Societati. Quæ fuerit cauſa. lib. 1. p. 17. n. 20. Eidem reconciliatur. n. 21. Iterum noſtros exagitat Neapoli. lib. 2. p. 87. n. 11. B. P. Ignatii beneficio delinitur. n. 12. Conceptionis immaculatæ feſtum apparatiſſime celebrat in noſtra æde. n. 13. Nec non feſtum B. P. Ignatii. lib. 3. p. 143. n. 14. Edi jubet in noſtro templo ſolemne juramentum pro immaculata Virginis conceptione. n. 15. & ſeq.

Gitzini collegium excitatur. lib. 7. p. 358. n. 42. Gitzinenſium mira a rebus noſtris alienatio paulatim vincitur, initio facto a pueris. lib. 10. p. 572. n. 39. & ſeq.

Glacenſe collegium ex parte reſtituitur. lib. 7. p. 359. n. 46. Cives noſtrorum benignitate capti pertinaciam remittunt. lib. 9. pag. 492. num. 65.

A Gleiſſen (Joannes) bene meretur de reſidentia Conecenſi. lib. 6. p. 294. n. 47.

Goæ collegium S. Pauli transfertur in alium locum, Nonnullorum querelæ ob eam rem. lib. 1. p. 54. n. 141. Graſſatur peſtilens morbus. Multi præſentem experiuntur opem Sancti Franciſci Xaverii. lib. 4. p. 206. n. 119. Noſtri ægrotis famulantur, quatuor in eo miniſterio decedunt. lib. 5. p. 257. n. 103. Receptaculum pulveris bellici caſu incenditur. Multorum clades, noſtrorum utilis labor. lib. 6. p. 316. n. 128. Ethnici plures baptizantur. n. 131. Tollitur publica occaſio peccandi. lib. 7. p. 387. n. 155. Tres ethnici ſupplicio afficiendi baptiſmo conſignantur, n. 156. Noſtri ad curas bellicas evocantur, lib. 8. p. 449. n. 106. Patrum moleſtia ob domum catechumenorum. n. 107. Corpus S. Franciſci Xaverii transfertur in novam ædem. lib. 9. p. 523. n. 166. Pium ſodalitium inſtituitur. n. 168.

Goanæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 54. a n. 141. ad 165.
Anno 1717. lib. 2. p. 116. a n. 126. ad 137.
Anno 1618. lib. 3. p. 160. a n. 87. ad 108.
Anno 1619. lib. 4. p. 205. a n. 116. ad 126.
Anno 1620. lib. 5. p. 257. a n. 103. ad 120.
Anno 1621. lib. 6. p. 315. a n. 124. ad 150.
Anno 1622. lib. 7. p. 386. a n. 149. ad 170.
Anno 1623. lib. 8. p. 449. a n. 106. ad 108.
Anno 1624. lib. 9. p. 523. a n. 166. ad 207.
Anno 1625. lib. 10. p. 602. a n. 147. ad 169.

Goanus Archiepiſcopus vocat ad ſe ex Miſſione Madurenſi P. Robertum de Nobilibus, & quædam ejus inſtituta diſceptari jubet in Theologorum conventu, lib. 3. p. 165. n. 100. & ſeq.

Gochium Gheldriæ urbs a Batavis intercipitur. Duo ex noſtris in vincula abripiuntur. lib. 10. p. 580. n. 69.

Godinia (Antonia) juventutis Seminarium erigit Montibus. lib. 2. p. 100. n. 61. Impetrat ut regatur a noſtris. lib. 5. p. 250. n. 79.

Gogoleuskius (P. Joannes) in obſequio contagioſorum occumbit Lomzæ. lib. 10. p. 573. n. 43.

Gomez (P. Emmanuel) in expeditionem Maranoniam proficiſcitur cum claſſe Luſitana. lib. 1. p. 83. n. 258.

Gomez (P. Gaſparis) obitus & elogium. lib. 8. p. 466. n. 172.

Gonſalonerius (P. Jo. Auguſtinus) fructuoſa miſſione perfungitur in Corſica. lib. 4. pag. 185. n. 29. Multorum odia incurrit, pericula contemnit, in arcem Nebienſem pietatem inducit. lib. 5. p. 234. n. 19. Caprariam inſulam excolit. n. 21. Vallem Tellinam percurrit. lib. 9. p. 479. n. 9.

Gonſalvii (P. Sebaſtiani) mors, & elogium. lib. 4. p. 205. n. 116.

Gonzaga (Franciſcus) Marchio Caſtellionenſis certis de cauſis iraſcitur Societati. lib. 1. p. 19. n. 24. Reconciliatur, & inſigne præbet demiſſionis exemplum. n. 27.

Gonzalez (P. Dominici) obitus & elogium. lib. 9. p. 557. n. 288.

Gonzalus (P. Rochus) regionem Paranenſem excolit in Paraquaria, & oppidum Itapuanum condit. lib. 6. pag. 339. num. 219. Progreditur ad Urvaicam, & oppidum extruit Conceptionis immaculatæ. lib. 9. p. 549. n. 262.

Digitized by Google

INDEX.

Gordoni (P. Jacobi) mors & elogium . lib. 5. p. 252. n. 87.

Gorgora Æthiopiæ oppidum , & ſtatio Societatis recurrit ſæpe in rebus Æthiopicis . Extruitur ibi templum ad ſimilitudinem Europæorum . lib. 3. p. 163. n. 101. Templum iſtud magno concurſu publicatur . lib. 6. p. 318. n. 135.

Goritiæ collegium fundatur . lib. 6. p. 300. n. 72.

Goudæ in Hollandia noſter Sacerdos opus evangelicum facit cum magno fructu . lib. 2. p. 99. num. 53.

Goveæ (P. Chriſtophori) mors & elogium . lib. 7. p. 385. n. 146.

Græcorum collegium Romæ certis de cauſis dimiſſum à Societate , ei redditur cum ingenti honore . lib. 7. p. 347. n. 9.

Grajaci mulier a gravi morbo perſanatur ope S. Ignatii . lib. 7. p. 372. n. 99.

Gramondi (Bartholomæi) teſtimonium de hominibus Societatis in Hiſtoria proſtratæ rebellionis . lib. 6. p. 303. n. 87.

Granatæ novum inſtituitur ſodalitium . lib. 1. p. 52. n. 134. Deinde aliud . lib. 2. pag. 113. num. 113.

Granatæ in Mexico collegium inſtituitur . lib. 6. p. 333. n. 198. Civium eximia benevolentia erga noſtros . lib. 8. p. 468. n. 180.

P. Grangerius inſigni fraude circumvenitur Aquis ſextiis . lib. 2. p. 103. n. 74. Fraus detegitur non ſine auctoris dedecore . n. 75.

Gratianopoli noſter Concionator erroris revincit Calvinianos . lib. 1. pag. 45. n. 112. Erigitur domus Profeſſorum . lib. 9. p. 506. n. 115.

Graudenti Societatis familia collocatur . lib. 4. p. 195. n. 73. Tempore peſtilentiæ noſtri ægrotis opitulantur . lib. 10. p. 574. n. 47.

Gravita (P. Petrus) celebre oratorium moderatur Romæ , & Miſſionem urbanam certis temperat legibus . lib. 1. p. 16. n. 15. Peregrinis quibuſdam Polonis charitatem impendit cum ſodalibus oratorii ſui . lib. 7. p. 347. n. 11. & ſeq. In magna annonæ penuria pauperum curam gerit . lib. 8. p. 416. n. 5. Gravi morbo corripitur , & ſodalium precibus perſanatur , num. 6.

Gregorius XV. deliberat de tranſcribendo Mutio in collegium Cardinalium , lib. 6. p. 280. n. 4. Ejus decretum circa decimas pro Societate Luſitana . p. 308. n. 105. Decretum aliud circa ſodalitates , quæ in noſtris domiciliis erigi ſolent . pap. 309. n. 106. Sua collegio Eborenſi privilegia confirmat . n. 108. Ejuſdem conſtitutio de controverſia Madurenſi . p. 312. n. 116. Favet cauſæ B. P. Ignatii . lib. 7. p. 344. n. 1. De ipſo , ac de Franciſco Xaverio proloquitur ad Cardinales . p. 345. n. 4. Utrumque Sanctorum catalogo adſcribit . n. 5. Facile permittit Carolo a Lotharingia Epiſcopo ut Societatem ingrediatur . p. 379. n. 120. Declarat non ſuffragari noſtris bullam cruciatam ad eligendum ſibi pœnitentiæ miniſtrum . p. 385. n. 144. Patriarcham Æthiopiæ creat P. Alphonſum Mendez . p. 391. n. 167. Magno noſtrorum mœrore moritur . lib. 8. p. 415. n. 1. Tumulatur in æde S. Ignatii , eique poſt multos annos ponitur inſigne mauſoleum . n. 2.

Grennus (Franciſcus) bene meretur de collegio Armenterienſi , lib. 8. p. 431. n. 60.

Gretſeri (P. Jacobi) libri quidam utiliſſimi . lib. 3. p. 148. n. 33. Ejuſdem obitus & elogium , lib. 10. p. 563. n. 14.

Griſones ex malevolis ſtudioſi Societatis fiunt . lib. 6. p. 301. n. 78. Dum parant nobis benefacere , hæreticorum ſeditione eorum conſilia diſturbantur , n. 79.

De Grixalva (Antonius) bene meretur de Societate in Mexico . lib. 6. p. 334. n. 199.

Grodecius (P. Melchior) odio catholicæ fidei dire cruciatur Caſloviæ , & interficitur . lib. 4. p. 191. n. 58. & ſeq.

Grodnæ collegium fundatur . lib. 6. p. 295. n. 53. Multis moleſtiis noſtri conflictantur , n. 54. Moleſtiarum auctores divinitus plectuntur . n. 55. Graſſante peſtilentia ſocii pauperibus ſubveniunt . lib. 10. p. 573. n. 82.

Grozkoviezius (P. Joannes) in obſequio tabidorum occumbit Graudenti , lib. 10 pag. 574. num. 47.

Gruda (Fr. Nicolaus) peſte abſumitur in ægrorum miniſterio contracta , lib. 10. pag. 573. num. 43.

Guairana regio Paraquariæ . Vide Paraquariæ .

Guaitacaſii Braſiliæ populi Luſitanis ſubjiciuntur , lib. 4. p. 224. n. 206. Inermi populo cladem inferentes , mitigantur duorum Patrum alloquio . lib. 9. p. 547. n. 255.

Gualterus (P. Jacobus) cum Theodato Calviniano congreditur Burgi . lib. 3. p. 157. n. 74.

Guatimalenſis collegii labores apoſtolici . lib. 2. p. 137. n. 220.

Guerreiri (Fr. Didaci) mors & elogium , lib. 6. p. 317. n. 133.

De Guevara (Didacus) Epiſcopus Caceresiæ noſtris utitur ad culturam Bondocanorum . lib. 6. p. 331. n. 191. Teſtimonium ipſius de felici exitu illius expeditionis . n. 193.

De Guevara (P. Innici) mors & elogium , lib. 8. p. 417. n. 10.

Guidiccionius (Alexander) Epiſcopus Lucenſis in ſuam ſedem reſtituitur , ac duos ex noſtris adducit Lucam . lib. 4. p. 179. n. 6.

Guineæ inſulæ excoluntur . lib. 2. p. 115. n. 124.

Guipuſcoani multa decernunt in honorem Sancti Ignatii . lib. 7. p. 381. n. 131.

Guſmanus (Didacus) Indiarum Patriarcha collegium Abulenſe reſtituit . lib. 9. p. 511. n. 136.

Guſtavus Rex Svecorum Riga ac Venda Societatem exturbat . lib. 6. p. 294. n. 48. P. Laurentium Norvegum ferociter increpat . ibid. P. Henricum Schatchium , & duos viros nobiles ad catholicam religionem tranſgreſſos capite plecti jubet . lib. 8. p. 422. n. 27. Sed Schatchio pœnam capitis mutat in exilium . n. 30.

Guſtrozius (Andreas) Epiſcopus Vicenſis collegium

Digitized by Google

gium fundat Vici, lib. 7. p. 383. n. 138.
Gutierez (Petrus) Archiepiſcopus S. Fidei ad ſublevandam noſtrorum inopiam implorat liberalitatem Regis. lib. 1. p. 80. n. 242. Moriens legatum relinquit Societati, ſed ſine effectu. lib. 4. p. 203. n. 107.

H

Hæretici ad Eccleſiam revocati recenſentur multis in partibus multi, ſed præſertim in Bohemia Moraviaque. Vide Bohemiæ res ad annum 1624. & 1625. Itemque in Palatinatu Norico, lib. 5. pag. 236. num. 23.
Hagedorimus (P. Hermannus) in obſequio tabidorum moritur Aquiſgrani. lib. 10. p. 582. num. 76.
Hagenoenſe collegium amittitur. lib. 7. pag. 364. n. 61. Recuperatur, n. 69. Excluduntur urbe Lutherani Doctores. lib. 9. p. 495. n. 79.
Hallenſe collegium conditur. lib. 8. p. 428. n. 50. Civitas initio adverſa favet poſtmodum Societati. n. 51.
Hamcei in Sina Chriſti grex egregie inſtituitur, & ſtabile domicilium Societati datur. lib. 1. p. 69. n. 199.
Harlingi in Friſia unus noſtrorum ex manibus perquirentium elabitur, lib. 2. pag. 99. n. 56. Intercipiuntur ejus litteræ, & vulgantur. n. 57. Mox ſupprimuntur quia Societati honorificæ. num. 58.
De Haut (Galaad) Societatem ingrediens bene meretur de collegio Calvomontano. lib. 3. p. 156. n. 72.
Heert (Fr. Theodorus) in obſequio contagioſorum occumbit Antuerpiæ, lib. 10. pag. 582. num. 78.
Heidelbergæ collocatur ſtatio Societatis. lib. 7. p. 367. n. 75. Duo viri inſignes ab errore ad veritatem trahuntur. lib. 10. p. 578. n. 62.
Heiligenſtadianum collegium deſeritur, lib. 7. p. 365. n. 65. Recuperatur. n. 68.
Henricus a Cruce turbat oram Piſcariæ, & Societatem in ultimum diſcrimen adducit. lib. 8. p. 450. n. 108. & ſeq.
Henricus Dux Lotharingiæ ſeparatam conſtitui provinciam poſtulat in ſua ditione. lib. 1. p. 41. n. 95. Unum ex noſtris tuetur contra moderatorum auctoritatem. lib. 8. p. 438. n. 83. & ſeq. Moritur. lib. 9. p. 504. n. 108.
Henricus a Lotharingia Epiſcopus Virdunenſis facultatem poſtulat ineundæ Societatis, ſed fruſtra. lib. 7. p. 378. n. 117.
Henriquii (P. Leonis) junioris mors & elogium. lib. 6. p. 310. n. 110.
Herbipolenſe Seminarium Societati committitur. lib. 5. p. 239. n. 35.
Hervedæ noſtri rem utiliter gerunt. lib. 2. pag. 92. n. 26.
Hiaquii quæ natio ſint. lib. 3. pag. 176. n. 160. Bello appetiti fruſtra, ultro ſe dedunt Hiſpanis. n. 161. Excoluntur magno fructu. n. 163.
Hibernorum Seminarium Hiſpalenſe Societati traditur. lib. 4. p. 203. n. 108. Ulyſſiponenſe ſubjicitur Rectori Luſitanæ nationis, alumnis fruſtra reclamantibus. lib. 9. p. 523. n. 165.
Hildeſienſe collegium deſeritur. lib. 7. p. 365. n. 65. Recuperatur. n. 68. Patres in inferiorem Saxoniam ſubinde excurrunt. lib. 9. pag. 495. n. 77.
Hilin (P. Joannis) obitus & elogium. lib. 2. p. 95. n. 37.
Hippopotamus monſtrum in Æthiopia frequens. lib. 1. p. 57. n. 152.
Hiſpali incaleſcunt ſtudia pro immaculato conceptu divinæ Matris. lib. 1. p. 51. n. 130. In mores inducitur communio generalis menſtrua. lib. 2. p. 113. n. 113. Seminarium Hibernorum committitur Societati. lib. 4. pag. 203. n. 108. Collegium Conceptionis amplificatur. lib. 7. p. 380. n. 127. Perturbatur Societas ob temeritatem cujuſdam fratris. lib. 10. p. 597. n. 127. & ſeq.
Hiſpani Molucarum imperium relinquunt Batavis. lib. 1. p. 63. n. 177. Societatem non æque ferunt in Paraquaria, quia tuetur libertatem Indorum. p. 81. n. 246. Itemque in Chilo. n. 248. Seditionem in Philippinis Inſulis exortam comprimunt, ac Batavos depellunt. lib. 2. p. 135. n. 209. Alias atque alias barbarorum nationes ſibi ſubjiciunt in America. lib. 3. p. 176. n. 160. & ſeq. Iterum lib. 4. p. 218. n. 174. & ſeq. Novam rebellionem extinguunt in Inſulis Philippinis. lib. 8. p. 465. n. 166. Alicubi Indis odioſi ob improbitatem præfecti unius. lib. 9. p. 553. n. 275. Excluduntur in perpetuum Japonia. p. 617. n. 190. Eorum potentia Japonibus formidoloſa, propinquitas ſuſpecta n. 191.
Hiſpaniæ Rex. Vide Philippus.
Hoenzollernen (Itelius Fridericus) Cardinalis, & Epiſcopus Oſnabrugenſis, homines Societatis adhibet in viſitanda diœceſi. lib. 10. p. 578. n. 64. Fundat Oſnabrugi collegium. num. 66. Moritur magno noſtrorum luctu. n. 68.
De Hojos (Petrus) fundat collegium Carmonenſe. lib. 7. p. 379. n. 123.
Holeskoviæ ponitur Societatis ſedes. lib. 2. pag. 94. n. 32. Quæ poſt duos annos deſeritur. lib. 4. p. 190. n. 51.
Homonenſe collegium in tumultu Hungariæ deſeritur. lib. 4. p. 191. n. 55. Transfertur Unguariam. lib. 6. p. 299. n. 69.
Hondenſis parœcia Societati committitur in novo regno. lib. 5. p. 277. n. 194.
Hornæ unus noſtrorum multos ex Anabaptiſtis lucratur. lib. 2. p. 98. n. 51. Graviter ægrotans, ſervatur inſigni charitate cujuſdam feminæ. n. 52.
Hortulani (Fr. Franciſci) obitus & elogium. lib. 8. p. 444. n. 96.
Huenſe collegium fundatur. lib. 1. p. 34. n. 78.

Digitized by Google

INDEX.

Hugonotæ Societatem acerbè insectantur in Gallia, sed præsertim Nemausi. lib. 1. p. 45. n. 113. In Bearnia. p. 47. n. 120. In Monte pessulo. lib. 2. p. 104. n. 76. Et in nova Francia, lib. 10. p. 626. n. 213. & seq.

Hungaria. Hæretici Hungari deficiunt a Ferdinando II., duce rebellionis Bethlemio Gabore, lib. 4. p. 191. n. 54. Deseruntur a nostris collegia Homonense, & Tyrnavience. n. 55. Societas in conventu perduellium proscribitur. n. 56. Duo Patres crudeliter mactantur. n. 58. & seq. Recuperatur collegium Tyrnavience. lib. 6. p. 297. n. 60. Iterum exulat regno Societas. p. 298. n. 63. Iterum ab exilio revocatur. lib. 7. p. 357. n. 36. Regionem percurrunt nostri cum magno fructu. lib. 9. p. 488. n. 49. Hungariæ Antistites multiplicanda censent collegia Societatis. lib. 10. p. 570. n. 31.

I

JAcobus Angliæ Rex multis modis vexat Catholicos. lib. 3. p. 153. n. 60. P. Gulielmum Balduinum, comperta licet ejus innocentia, diu retinet in carcere. p. 154. n. 66. Eum denique cum honore dimittit extra Angliam. p. 155. n. 67. Quietem aliquam indulget Catholicis, sed brevem. Quæ fuerint causæ. lib. 8. p. 433. n. 65. Disputationem institui jubet inter unum ex nostris, & Doctorem Vithum. p. 435. n. 74. Iterum mitigatur erga catholicos, sed simulate. lib. 9. p. 501. n. 101.

Jafanapatani regulus perfidiæ convictus capite damnatur Goæ, & ante supplicium baptizatur. lib. 5. p. 257. n. 104.

Janinni (P. Caroli) obitus & elogium. lib. 9. p. 507. n. 120.

Janquoyus (Joannes) Abbas Martianensis bene meretur de collegio Duacensi. lib. 5. p. 249. num. 77.

Januarienses collegii Patres difficilem expeditionem suscipiunt ad Carisios. lib. 4. p. 223. n. 201. Adversos experiuntur Lusitanos, & quare. n. 202. Ingruentibus Brasiliæ Batavis, indigenas continent in obsequio Regis. lib 9. p. 546. n. 254. Quemdam pagum neophytorum tuentur adversus barbaros. n. 255.

Janus (P. Joannes) in obsequio tabidorum occumbit. Ejus elogium. lib. 10. p. 570. n. 35.

Japones non sine magno delectu recipiuntur in Societatem. lib. 7. pag. 413. num. 212.

Japoniæ res per suos annos distributæ.

Anno 1618. lib. 1. p. 64. a n. 183. ad 149.
Anno 1617. lib. 2. p. 119. a n. 137. ad 162.
Anno 1618. lib. 3. p. 191. a n. 136. ad 151.
Anno 1619. lib. 4. p. 207. a n. 126. ad 162.
Anno 1620. lib. 5. p. 266. a n. 146. ad 178.
Anno 1621. lib. 6. p. 321 a n. 150. ad 169.
Anno 1622. lib. 7. p. 392. a n. 173. ad 228.
Anno 1623. lib. 8. p. 458. a n. 139. ad 165.
Anno 1624. lib. 9. p. 536. a n. 214. ad 244.
Anno 1625. lib. 10. p. 617. a n. 190. ad 195.

Japoniæ Imperator. Vide Xogunus.

Japonicæ virtutis illustria documenta, & gloriosæ pro Christo mortes videantur in rebus Japoniæ.

Jaroslaviæ, lue sæviente, nostri ægrotis & pauperibus benigne faciunt. lib. 5. p. 240. n. 40.

Jazzolinus (Vespasianus) dotat collegium Viboneuse. lib. 5. p. 229. n. 7.

Ibitirambetani, Paraquariæ populi præferoces, mitigantur. lib. 9. p. 552. n. 272. Et in oppidum contrahuntur. n. 274.

Iconoclastæ divinitus puniti. lib. 3. p. 151. n. 47.

Idalcanis regnum quæ regio sit. lib. 7. p. 386. n. 151. In eo nostri fructuosa missione funguntur. n. 153.

Idates Masamunes Rex Voxuanus in Japonia Christianos vivere quietos patitur. lib. 3. p. 171. n. 139. Repente religionem proscribit. lib. 5. p. 269. n. 160. Duos christianos immaniter cruciat. lib. 6. pag. 325. n. 165. Sævire pergit, multosque exquisitis supplicüs necat. lib. 9. p. 539. n. 228.

Idolorum vanitas ipso Dæmonum testimonio comprobatur. lib. 1. p. 69. n. 200.

Jempo (Fr. Simon) gloriosam pro Christo necem oppetit in Japonia. lib. 8. p. 459. n. 144. & seq.

Iglaviæ collegium inchoatur. lib. 7. p. 358. n. 41. Publicatur cum cæremonia insigni. lib. 9. p. 491. num. 60. Ejus primæ ac lætæ fruges. num. 61.

B. P. Ignatius. Ejus Canonizatio urgetur Romæ. lib. 7. p. 344. n. 1. Principum litteræ ad Pontificem de ipsius meritis. n. 2. Pontificis allocutio ad Cardinales de ipso. pag. 345. n. 4. In Sanctorum album refertur solemni ritu. n. 5. Bullæ Canonizationis summa. n. 6. Ignatii corpus recognoscitur, in aliam arcam transfertur, & sub altari proprio collocatur. p. 346. num. 7. Ejus cubiculum vertitur in sacellum Compluti. lib. 1. pag. 50. n. 128. Ili patronum eligitur a Potosinis. lib. 4. pag. 221. n. 192. Singulari modo colitur in Guipuscoa. lib. 7. p. 381. n. 131. Ejus obtrectator divinitus plectitur Orgileti. ibid. p. 372. n. 100. Ignatii sanctitas ipsius testimonio dæmonis comprobatur Flavionaviæ. p. 382. n. 135. Ejus imago miraculis inclaruit Monebricæ. lib. 8. p. 443. n. 94. Ejusdem cultus augetur Manilæ. lib. 10. p. 619. n. 195.

B. P. Ignatii beneficia quædam selecta videantur in sequentibus locis. Neapoli. lib. 2. p. 88. n. 12. Pampilone. p. 108. n. 94. Murciæ. p. 112. n. 111. Calisii. lib. 4. p. 195. n. 74. Leopoli, ibid. n. 75. In Peruvia. p. 221. n. 190. Camberii, & Grajaci. lib. 7. p. 352. n. 99. Trajecti ad Mosam. lib. 8. p. 430. n. 56. Silvæ Ducis. ibid. n. 57. Monebricæ. pag. 443. n. 94. & seq. Vallisoleti in Mexico. p. 469. n. 185. In aula Bavarica. p. 501. n. 100. Goæ. lib. 9. p. 523. n. 167. In Polonia. lib. 10. p. 574. n. 46.

Digitized by Google

INDEX.

n. 46. Cadurci . pag. 587. n. 92. In urbe Portuensi . p. 602. n. 145.

S. Ignatii oppidum conditur in Guairana . lib. 6. p. 336. n. 206. Aliud ejusdem nominis in regione Paranensi . p. 339. n. 218.

Ignatius Mandarinus Cocincinensis quo pacto Christi fidem susceperit . lib. 6. p. 328. n. 177. Proficiscitur in Cambogiam palam se christianum exhibens . p. 329. n. 180.

Iguazuani , gens Paraquariæ , in unam civitatem adducuntur . lib. 9. p. 550. n. 266.

Ilerdæ aboletur prava consuetudo , lib. 1. p. 49. n. 125. Sagæ plures suspendio necantur . Iis assistunt homines nostri . lib. 2. p. 110. n. 104. Oritur quædam controversia de scholis , quæ demum nobis adimuntur . lib. 9. p. 515. n. 145. & seq.

Illuminatorum secta . Vide Extremadura .

Illyricum Seminarium Laureto dimotum , iterum Laureto ac Societati redditur . lib. 10. p. 559. n. 2,

Incarnationis oppidum conditur in Guairana , lib. 9. p. 555. n. 282.

Ingolstadii pauperibus subvenitur . lib. 8. p. 421. num. 22.

Inienses , Paraquariæ natio , in oppidum contrahuntur . lib. 6. p. 339. n. 220.

Innocentii XI. litteræ ad P. Ferdinandum Verbiestum de rebus Sinicis . lib. 5. pag. 275. num. 186.

Insulis collegium novo censu constabilitur . lib. 2. p. 100. n. 59. Duo sodalitia excitantur , ibid. Lue grassante socii tres in ministerio ægrotantium occumbunt . p. 101. n. 63. Alii divinitus persanantur . ibid. Iterum sævit pestilentia , & in officio charitatis moriuntur socii duo . lib. 10. p. 584. n. 88.

Interamnense collegium fundatur . lib. 5. p. 228. num. 4.

Joannellus (P. Franciscus) in Philippinas navigans pie moritur . lib. 8. p. 467. n. 175.

Joannes IV. Rex Lusitaniæ palatium suum addicit collegio Scalabitano . lib. 5. p. 256. n. 101.

Joannes Goto nobilis in Japonia Dynastes ad defectionem frustra sollicitatur . lib. 5. p. 270. num. 162. Christianos tuetur . lib. 9. p. 539. n. 225. Suis omnibus spoliatus in exilium mittitur . n. 228.

Joannes Faramon , virtutis eximiæ Christianus in Japonia , proditur a suo famulo , & comprehenditur . lib. 8. p. 458. n. 140. Vivus comburitur . p. 460. n. 148.

S. Joannis de Deo familia retinetur Viennæ , adnitentibus præsertim nostris . lib. 1. p. 27. n. 51.

Joannis Girobioi illustre martyrium in Japonia . lib. 2. p. 122. n. 152.

Jodocus (P. Andreas) sacræ missionis fundamenta ponit in Dania . lib. 8. p. 423. n. 33. Grave periculum incurrit , ac celeriter diffugit . n. 34.

S. Josephi oppidum conditur in Paraquaria . lib. 9. p. 555. n. 279.

Josephus Mandarinus Cocincinensis ad Christum adductus alios atque alios ad fidem pertrahit. lib. 7. p. 409. n. 242.

Ipris in quoddam monasterium inducitur lex perpetuæ clausuræ . Una Monialium ostento adducitur ad eam subeundam . lib. 3. p. 152. n. 52. Pie moritur adolescens eximiæ pietatis . lib. 9. p. 498. n. 91.

Isabella Clara Eugenia Belgii Gubernatrix collegium Aldenardense perficit . lib. 10. pag. 584. num. 84.

Isembrantii (P. Joannis) obitus & elogium . lib. 9. p. 498. n. 89.

Israelitæ qui nam dicantur in Æthiopia . lib. 9. p. 533. n. 205. Eorum plerique fiunt catholici . n. 206.

Itapuanum oppidum conditur in Paraquaria . lib. 6. p. 339. n. 219.

Judæi cujusdam medici conversio memorabilis in Polonia . lib. 10. p. 575. n. 52.

Judemburgi collegium extruitur . lib. 7. p. 358. num. 40.

Juramentum fidelitatis quod exigebatur in Anglia . lib. 3. p. 153. n. 60.

Justinellus (P. Petrus) offendit Marchionem Castellionensem . lib. 1. p. 19. n. 25. Quid de eo statuerit Mutius . n. 27.

Justinianus (Benedictus) Cardinalis minus æquum se præbet nostris in collegio Græcorum , quod proinde dimittitur . lib. 7. pag. 346. n. 9. Eo mortuo collegium redditur Societati , n. 10.

K

Kersius (David) Anglorum in Virginia præfectus classem Gallorum disjicit in nova Francia , & Quebeco potitur . lib. 10. p. 627. n. 225.

Kimura (Fr. Leonardus) capitur , damnatur , & lento igne comburitur in Japonia , lib. 4. pag. 207. n. 127. Ejus elogium . p. 209. n. 135.

Kimura (P. Sebastianus) sæpe manus perquirentium eludit in Japonia . lib. 6. p. 321. n. 151. Comprehenditur demum cum aliis quibusdam. n. 152. Rogo addicitur . lib. 7. p. 394. n. 180. Ejus elogium . p. 399. n. 198.

Kioviæ turbatur res catholica per Jerosolymorum Pseudopatriarcham . lib. 6. p. 296. n. 56.

Kluchonskius (P. Petrus) peste contactis assistens moritur Vilnæ . lib. 10. p. 573. n. 43.

Knoringius (Henricus) Episcopus Augustanus nostris Abusiaci considentibus testimonium reddit perhonorificum . lib. 2. p. 92. n. 27.

Kodkiewicius (Jo. Carolus) bene meretur de collegio Crosensi . lib. 1. p. 32. n. 70. Anna ejus uxor fundat collegium Ostrogiense . lib. 10. p. 576. n. 56.

Koniuskius (P. Andreas) pietatem excitat in quodam Monachorum cœnobio . l. 1. p. 31. n. 66.

Krouskii (P. Nicolai) mors & elogium . lib. 10. p. 574. n. 48.

Kue-

Digitized by Google

INDEX.

Kuezieviczius (P. Stanislaus) in obſequio contagioſorum extinguitur Lomzæ. lib. 10. p. 573. num. 43.

L

LAbaci ad catholicam veritatem adducitur vir præcipuæ nobilitatis. lib. 10. p. 569. num. 30.

Laborerius (P. Franciſcus) multa patitur ab hæreticis Nemauſi. lib. 1. p. 45. n. 113.

Ladacenſis Rex Thibeto potitur, & inſtitutam in eo miſſionem proturbat. lib. 9. pag. 527. n. 181. & ſeq.

Lagardii (P. Jacobi) obitus & elogium. lib. 7. p. 374. p. 106.

Lahoria urbs magni Mogoris. Ex ea noſtri exturbantur. lib. 1. p. 59. n. 162.

Lalemantius (P. Carolus) mittitur in novam Franciam. lib. 10. p. 625. n. 217. Redit in Galliam, & quare. p. 627. n. 222. Renavigans in Canadam capitur ab Anglis, & Londinum devehitur, unde remittitur in Galliam. n. 224.

Lamæ Thibetanorum Sacrificuli. Vide Thibetum.

Landishuti cœnobium ſacrarum virginum ad veterem diſciplinam revocatur. lib. 10. p. 564. num. 15.

Laſſiricæ (Fr. Bernardini) mors & elogium. lib. 6. p. 289. n. 31.

De Latere (P. Michael) in obſequio contagioſorum occumbit Inſulis. lib. 10. p. 584. n. 86.

Lavemburgenſis Dux Henricus fit catholicus. lib. 2. p. 94. n. 34.

Lavermani (Joannis) ſcholaſtici obitus & elogium. lib. 5. p. 249. n. 76.

S. Laurentii inſula. Vide Madagaſcar.

Laurotanum oppidum conditur in Paraquaria, lib. 6. p. 336. n. 206. Augetur incolis. n. 207. Loci Caſiquius noſtros tuetur. num. 210. Eos deinde graviter inſectatur. n. 212. Divinitus plectitur. n. 213. Neophyti ad Euchariſtiam primo admittuntur. n. 215. Graſſatur peſtilens lues: Ea laborantibus noſtri opitulantur. lib. 9. p. 551. n. 269.

Lectoraci certamen de religione ſuſcipitur. lib. 3. p. 158. n. 81. Certaminis exitus. n. 82.

Legionenſis collegii Patres operam aſſiduam navant ægrotis. lib. 1. p. 48. n. 122. In ſacras miſſiones procurrunt. lib. 2. p. 108. n. 93.

Lemovicenſis collegii Sacerdos in quodam cœnobio diſciplinam collapſam reſtituit. lib. 2. p. 106. n. 84.

Leo Mandarinus Chriſtianus in Sina, dum tueri noſtros ſtudet, grave incurrit periculum. lib. 8. p. 456. n. 132. Suum ac noſtrum periculum feliciter ſuperat. n. 133. Ejus nomen ſæpe recurrit in rebus Sinicis.

Leo Rifiojus Japon chriſtianam fidem obſignat ſanguine. lib. 6. p. 324. n. 163.

Leobii collegium augetur annuo vectigali. lib. 7. pag. 360. n. 48. Tirones in gravi periculo ſervantur incolumes mira providentia. lib. 9. p. 490. n. 56.

Leodii fundatur pro Anglicana provincia collegium. lib. 9. p. 500. n. 97.

Leomanni (P. Andreæ) mors & elogium. lib. 5. p. 244. n. 52.

Leopoldus Auſtriacus bene meretur de gymnaſio noſtro Molshemienſi. lib. 1. p. 36. n. 86. Societatem inducit Friburgum in Briſgovia. lib. 5. p. 238. n. 30. Reſidentiam Traunkirchenſem inſtituit. lib. 7. p. 359. n. 47. Collegii Tridentini patrocinium ſuſcipit. lib. 10. p. 567. n. 26.

Leopoli atrox incendium extinguitur beneficio SS. Ignatii, Franciſci Xaverii, & Stanislai Koſtkæ. lib. 4. pag. 195. n. 75. Alia calamitas depellitur ope S. Aloyſii Gonzagæ. n. 77.

Leovardiæ duo hæretici divinitus plectuntur ob irrogatam ſacris imaginibus injuriam. lib. 3. p. 151. n. 47.

Lermæus Dux transferendum curat ab Urbe Matritum S. Franciſci Borgiæ corpus. lib. 2. p. 111. n. 106. Domum Profeſſorum Matriti erigit ſuo ſumptu. n. 107.

Leſſii (P. Leonardi) obitus & elogium. lib. 8. p. 425. n. 39.

Leveſquii (P. Guillelmi) obitus & elogium. lib. 7. p. 352. n. 35.

Liberſart (Baro) Societatem ingrediens bona ſua addicit collegio Bethunienſi. lib. 1. pag. 35. num. 79.

Libertas Indorum a noſtris defenditur in Paraquaria. lib. 1. p. 81. n. 246. In Chilo. n. 248. Et in Braſilia. p. 82. n. 252.

Libido procaçis feminæ ſubito terrore compeſcitur. lib. 3. p. 174. n. 153.

Limæ duo vigent eximiæ utilitatis ſodalitia. lib. 4. p. 220. n. 183. Famuli ad pietatem excitantur. n. 184. Ancillarum inſtitutioni conſulitur. n. 185. Itemque villicorum. p. 624. n. 211. Seminarium adoleſcentum Societas ſuſcipit adminiſtrandum. p. 220. n. 186. Reſpuit adminiſtrationem alterius domus. num. 187. Diæceſim noſtri perçurrunt. lib. 10. p. 622. n. 206. Neophytos primo admittunt ad perceptionem Euchariſtiæ. n. 207.

Lincienſes deliberant de pellenda Societate. Bene illis vertit quod ſententiam mutaverint. lib. 4. p. 193. n. 63. Perdiu veritatem repellunt, at eam demum amplectuntur. lib. 9. p. 488. n. 48.

Linea, & Codumbus, Madurenſium inſignia. lib. 3. p. 168. n. 121.

Lippius (P. Daniel) in ægrorum miniſterio occumbit Duderſtadii. lib. 9. p. 494. n. 75.

Lipſtadii laboribus confecti decedunt operarii duo. lib. 9. p. 494. n. 76.

Lipski (Andreas) Epiſcopus Luceorienſis bene meretur de collegio Breſtenſi. lib. 6. p. 294. num. 45.

Lira (P. Gonzalus) provinciam Novi Regni admi-

Digitized by Google

INDEX.

miniſtrat. lib. 1. p. 79. n. 238. Provinciæ præfecturam deponit ad præcidendam domeſticam diſſenſionem. lib. 5. p. 277. n. 195.

Liræ erigitur domus tertiæ probationis. lib. 1. p. 33. n. 74.

Liſii (P. Antonii) obitus, & elogium. lib. 3. p. 141. n. 11.

Lithuanæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 31. a n. 66. ad 73.
Anno 1617. lib. 2. p. 97. a n. 46. ad 50.
Anno 1619. lib. 4. p. 186. a n. 78. ad 84.
Anno 1620. lib. 5. p. 243. a n. 48. ad 53.
Anno 1621. lib. 6. p. 294. a n. 48. ad 59.
Anno 1625. lib. 10. p. 573. a n. 42. ad 46.

Livonia ſacris miſſionibus excolitur. lib. 1. p. 31. num. 68.

Loandenſe collegium vexatur a Luſitanorum præfecto. lib. 8. p. 448. n. 104.

Lobati (P. Franciſci) labores, ac res geſtæ in Braſilia. lib. 4. p. 224. n. 206.

Loffredi (Antonii) ſcholaſtici obitus, & elogium. lib. 4. p. 181. n. 12.

Lombardus (Laurentius) domum probationis condit Ulyſſipone. lib. 4. p. 204. n. 110. Ingreditur deinde Societatem in gradu domeſtici adjutoris, n. 111.

Lomzenſis collegii Sacerdos in Pruſſiam proficiſcitur, ubi multa ex uſu rei catholicæ gerit. lib. 2. p. 97. n. 47. Lomzæ ægrotorum cura ſuſcipitur peſte ſæviente. lib. 10. p. 573. num. 43.

Londini intereunt ſub ædificii ruina catholici nonaginta. lib. 8. p. 433. n. 66. Spes de ipſorum ſalute ſempiterna. n. 67. Diverſa hominum judicia de caſu tam luctuoſo. n. 68.

Longobardus (P. Nicolaus) libellum edit de motu terræ valde laudatum in Sina. lib. 9. p. 535. n. 211.

De Loos (Joannes) Abbas Cœnobii Choquenſis bene meretur de collegio Bethunienſi. lib. 1. p. 34. n. 79.

Lopez (Alphonſus) Epiſcopus Valliſoletanus ſcribit ad Urbanum VIII. de virtutibus P. Ludovici a Ponte. lib. 9. p. 513. n. 147.

Lorenzanæ (P. Marcelli) res geſtæ in Paraquaria. lib. 6. p. 339. n. 218.

Lotharingiæ Dux. Vide Henricus.

Loyolææ ædes a Societate diu expetitæ non acquiruntur, niſi tempore Caroli II. Regis. lib. 7. p. 381. n. 132. Concurſus ad eas facti anno 1622. n. 134.

Lublinum piis precibus a peſtilentia ſervatur. lib. 5. p. 240. n. 41. Novum ibi conflatur ſodalitium. lib. 10. p. 575. n. 49.

Luca, ac Diœceſis Lucenſis per uſitata ſacræ miſſionis miniſteria excolitur. lib. 4. p. 178. num. 5.

Luceoriæ piæ ſupplicationes peraguntur ad peſtilentiam arcendam. lib. 10. pag. 574. n. 49. Inde noſtri excurrunt in regia caſtra. p. 575. num. 50.

Luceri (P. Ferdinandi) mors & elogium, lib. 10. p. 595. n. 122.

Lucernenſis collegii Patres coguntur moderari duo ſacrarum Virginum monaſteria. lib. 10. p. 564. n. 16.

Lucheſius (Antonius) bene meretur de collegio Narenſi. lib. 4. p. 182. n. 16.

S. Ludovici Feſtum apparatiſſime celebratur in noſtro templo Pariſienſi. lib. 3. p. 155. n. 68.

Ludovicus XIII. Galliæ Rex impetrat a Pontifice decretum ut feſtum S. Ludovici ex præcepto celebretur in Gallia, & celebritatem inſignem edit in noſtro Templo Pariſienſi. lib. 3. pag. 155. n. 68. Celebritatem illuſtrat ipſe præſentia ſua, & eximiæ pietatis exemplo. n. 69. Fruſtra ſollicitatus ut illam transferat in aliam ædem. n. 70. Bearnienſium contumaciam ſola præſentia comprimit. lib. 6. p. 303. n. 83. Cultum catholicum in Bearnia reſtituit. n. 85. Favet fundationi domus Profeſſorum Toloſanæ. p. 304. n. 91. Ejus templum dedicari B. Ignatio jubet, ac primum ipſe lapidem ponit. n. 92. Dimittit P. Joannem Arnulphum, quo utebatur a confeſſionibus. n. 93. Ejus loco adſciſcit P. Gaſparem Seguiranum, nec tamen de ſua erga Arnulphum benevolentia remittit. num. 95. Commendat Summo Pontifici cauſam B. P. Ignatii efficaciſſimis litteris. lib. 7. p. 344. n. 2. Pietatem ingentem exhibet Lugduni. lib. 7. p. 371. n. 94. Tradit Societati gymnaſium Borbonium Aquis ſextiis. p. 373. n. 103. Fundat collegium Palenſe. p. 375. n. 109. Collegium Senonenſe ex integro ædificat. lib. 8. p. 438. num. 82.

Ludovicus Japon cruciatus acerbiſſimos pro Chriſto ſubit incredibili fortitudine. lib. 1. p. 66. num. 190.

Ludovicus Fanſuquius necatur in Japonia quia recuſat indicare de noſtro Sacerdote. lib. 6. p. 324. n. 161.

Ludoviſius (Ludovicus) Cardinalis agit apud Gregorium XV. patruum, ut Mutio decernat honorem purpuræ. lib. 6. pag. 280. n. 4. Canonizationem B. Ignatii urget efficaciſſime. lib. 7. p. 345. n. 2. Templum Societatis Bononienſe multis incommodis eximit. lib. 10. p. 561. n. 7.

Lugdunenſis provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 45. a n. 112. ad 116.
Anno 1617. lib. 2. p. 113. a n. 72. ad 79.
Anno 1618. lib. 3. p. 157. a n. 74. ad 80.
Anno 1619. lib. 4. p. 200. a n. 97. ad 103.
Anno 1620. lib. 5. p. 251. a n. 83. ad 87.
Anno 1621. lib. 6. p. 306. n. 97. & 98.
Anno 1622. lib. 7. p. 370. a n. 92. ad 105.
Anno 1623. lib. 8. p. 439. a n. 85. ad 88.
Anno 1624. lib. 9. p. 506. a n. 115. ad 120.
Anno 1625. lib. 10. p. 588. a n. 97. ad 100.

Lugduni novum Societati templum extruitur. lib. 2. p. 103. n. 72. Solemni ritu dedicatur.

Digitized by Google

INDEX.

lib. 7. p. 370. n. 92. Memorabilia quædam, quæ in ejus extructione evenerunt. n. 93.

Lugduni Batavorum ad ſacram menſam admittuntur pueri quinquaginta duo. lib. 5. p. 248. num. 68.

De Luna (Fr. Joannes) temerario facinore gravem Societati conflat invidiam Hiſpali. lib. 10. p. 597. n. 127. Dimittitur e Societate, & invidia extinguitur. n. 130.

Lupienſes V. P. Bernardinum Realinum morientem eligunt in patronum ſuæ civitatis. lib. 1. pag. 22. n. 36. Qua celebritate mortuo parentaverint. n. 37. Eidem tumulum ornatiſſimum extruunt. n. 38.

Luſitanæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 53. a n. 139. ad 141.
Anno 1617. lib. 2. p. 113. a n. 116. ad 126.
Anno 1618. lib. 3. p. 159. a n. 85. ad 87.
Anno 1618. lib. 3. p. 159. a n. 85. ad 87.
Anno 1619. lib. 4. p. 214. a n. 110. ad 116.
Anno 1620. lib. 5. p. 255. a n. 97. ad 103.
Anno 1621. lib. 6. p. 308. a n. 103. ad 111.
Anno 1622. lib. 7. p. 384. a n. 142. ad 149.
Anno 1623. lib. 8. p. 446. a n. 98. ad 106.
Anno 1624. lib. 9. p. 520. a n. 158. ad 166.
Anno 1625. lib. 10. p. 599. a n. 137. ad 147.

Luſitanæ Inquiſitionis judicium de cauſa P. Nobilii. lib. 6. p. 311. n. 114.

Luſitani in Ceylano contra ſeditioſos pie ac feliciter certant. lib. 1. p. 62. n. 173. Bengalenſe regnum deſerunt. n. 174. Societatem non æque ferunt in Braſilia, & quare. p. 82. n. 252. Arma & imperium proferunt in Maranionem. pag. 83 n. 257. Exiguntur Armutia. lib. 7. p. 386. n. 150. Evocantur Macao in Sinam cum tormentis bellicis. p. 406. n. 229. Depellere conantur noſtros ex Maranione. lib. 8. p. 472. n. 189. Quibus deinde favent impenſe. n. 190. Cafros bellum inferentes coercent. lib. 9. p. 529. n. 190. Non negatur Luſitanis facultas navigandi in Japoniam, ſed certis legibus circumſcribitur. p. 543. n. 242. Babiam Braſiliæ metropolim non ſatis viriliter defendunt. p. 544. n. 244.

Luxemburgi uſitata ordinis miniſteria cum fructu exercentur. lib. 1. p. 35. n. 81.

M

MAchadus (P. Franciſcus) necatur in regno Adelis. lib. 9. p. 530. n. 194. De quodam oſtento ad ejus tumulum. n. 195. Ipſius elogium. n. 196.

Machadus (P. Jo. Baptiſta) comprehenditur in Japonia. lib. 2. p. 119. n. 138. Ejus litteræ ex carcere. n. 139. Capitalem ſententiam excipit incredibili gaudio. n. 141. Obtruncatur. n. 143. Ejus elogium. n. 144.

Macaſſar inſula. Expeditio in eam ſuſcepta a ſuis initiis uſque ad exitum. lib. 3. p. 160. n. 87. & ſeq.

Madagaſcar, ſive Inſula S. Laurentii. Infelix exitus expeditionis Madagaſcarenſis. lib. 1. p. 54. n. 143.

Madeiræ inſulæ excoluntur. lib. 10. pag. 600. num. 141.

Madruccius (Carolus) Cardinalis, & Epiſcopus Tridentinus, conatur Societatem Tridento excludere. lib. 10. p. 567. n. 25. Interventu Cæſaris, & Leopoldi Archiducis, voluntatem commutat. n. 26.

Madurenſis miſſio turbatur ob quaſdam controverſias. lib. 3. p. 165. n. 108. Quæ diſceptantur Goæ in conventu Theologorum. n. 117. Expenduntur apud tribunal ſacræ Inquiſitionis in Luſitania. lib. 6. p. 311. n. 114. Conſtitutio Gregorii XV. circa illas. n. 116. Neophyti Madurenſes vexantur ab ethnicis. p. 314. n. 122. Religio feliciter propagatur, & miraculis illuſtratur. lib. 8. p. 451. n. 113. & ſeq. Brachmanis cujuſdam mira converſio. p. 553. n. 121. Duorum Neophytorum pietas ad exemplum memorabilis. p. 554. n. 122.

Magdeburgi fovetur ſtudium pietatis in cœnobio ſacrarum Virginum. lib. 9. p. 495. n. 77.

Majoricæ juvenis ſupplicio afficiendus honorificum Societati teſtimonium reddit. lib. 2. p. 111. n. 105. Noſtri tenerioris ætatis inſtitutioni conſulunt. lib. 10. p. 593. n. 117. Agrum circumpoſitum excolunt fructuoſa miſſione. ibid.

Malabaricæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 60. a n. 165. ad 183.
Anno 1618. lib. 3. p. 165. a n. 108. ad 131.
Anno 1620. lib. 5. p. 260. a n. 120. ad 146.
Anno 1621. lib. 6. p. 310. a n. 111. ad 124.
Anno 1622. lib. 7. p. 391. a n. 170. ad 173.
Anno 1623. lib. 8. p. 450. a n. 108. ad 124.
Anno 1624. lib. 9. p. 534. a n. 207. ad 210.

Malbodii collegium conditur. lib. 1. p. 35. n. 80. Sociorum concionibus reprimitur ebrietas. lib. 5. p. 250. n. 81.

Malpaſſii (Edmundi) tironis mors, & elogium lib. 9. p. 528. n. 84.

Malpica (P. Ludovicus) mittitur in Thibetum. lib. 9. p. 528. n. 186. Male excipitur in ipſo regni aditu. n. 187.

Malveſius (P. Hervæus) ab hæreticis interficitur Cleraci. lib. 7. p. 374. n. 105.

Mambrianus (P. Philippus) rector collegii Mutinenſis juſſu ſacræ Inquiſitionis comprehenditur, & Romam tranſmittitur. lib. 3. p. 140. n. 6. Brevi moritur. n. 7.

Mancinelli (P. Julii) obitus & elogium. lib. 3. p. 141. n. 12.

Mandarini plures in Sina fiunt Chriſtiani, itemque in Cocincina. Vide res Sinicas, & Cocincinenſes.

Manilæ noſtri Hiſpanos exſtimulant contra Regis & Fidei hoſtes, & pro pugnantibus preces fundunt. lib. 2. p. 135. n. 210. Extinguunt quaſdam ſuperſtitionis reliquias. lib. 3. p. 174. n. 151. Uni ſociorum divinitus ſignificatur ca-

Digitized by Google

INDEX.

caram esse Deo Societatem. lib. 6. pag. 331. n. 189. Seminarii adolescentes juramento se obstringunt ad propugnandam Deiparæ conceptionem immaculatam. n. 190. Augetur cultus SS. Ignatii & Francisci Xaverii. lib. 10. p. 619. n. 195. Collegio nostro tribuitur jus creandi doctores. n. 196.

Mansfeldius (Ernestus Comes) cum exercitu Protestantium excurrit circa Rhenum. lib. 7. p. 364. n. 60. Potitur Hagenoa, at nostros frustra perquirit. n. 61. Commisso prælio profligatur, p. 368. n. 83. Mansfeldiana lues grassatur in Belgio. Ex nostris aliqui lue contactis famulantes occumbunt. ibid.

Mansfeldius (Philippus Comes) cum Ecclesia conciliatur Antuerpiæ. lib. 8. p. 429. n. 52.

Mansuetudinis exemplum a nostris editum Zamoræ. lib. 1. p. 48. n. 123. Aliud Ocaniæ. lib. 2. p. 112. n. 112. Aliud in Ceylano. lib. 7. p. 392. num. 172.

Mantuæ B. Aloysius Gonzaga insigni religione colitur, & patronus civitatis eligitur. lib. 3. p. 140. n. 4. Academia omnium disciplinarum in collegio nostro erigitur. lib. 10. pag. 560. num. 4.

Mantuæ Dux. Vide Ferdinandus.

Manuel (Joannes) Episcopus Visensis ad genus vitæ sanctioris traducitur. lib. 5. p. 256. n. 102.

Mappenæ in Embslandia Societas collocatur. lib. 1. p. 37. n. 88.

Maranion Lusitanorum imperio subjicitur. lib. 1. p. 83. n. 257. Prima religionis semina in eo jaciuntur. n. 259. Lusitani excludere conantur nostros, & quare. lib. 8. p. 471. n. 188. Mutant eorum animi: nostri rem utiliter gerunt. num. 191.

Marchia Badensis. Vide Badensis.

Marchienense cœnobium per sacras B. Ignatii exercitationes excolitur. lib. 1. p. 35. n. 81.

Mardochi (P. Gulielmi) mors & elogium. lib. 1. p. 41. n. 99.

Marescallus (P. Nicolaus) in obsequio tabidorum occumbit Atrebati. lib. 4. p. 197. n. 84.

Margaritæ Austriacæ Hispaniarum Reginæ testamentum de condendo Salmanticensi collegio. lib. 2. p. 107. n. 87.

Maria Virgo quo præsertim titulo appellari gaudeat. lib. 3. p. 147. n. 30.

Mariæ Virginis beneficentia erga suos clientes, ejusque exempla quædam selecta. Vesaliæ. lib. 1. p. 34. n. 77. In portu S. Mariæ. p. 52. n. 135. In provincia Aragonensi. lib. 2. p. 110. n. 103. Panormi. lib. 3. p. 145. n. 26. Pragæ. p. 149. n. 38. In Flandrobelgica. lib. 4. p. 198. n. 87. In Peruvia. p. 221. n. 189. Bracharæ. lib. 8. p. 447. n. 101. Graudenti, lib. 10. pag. 576. n. 53. Gedani. n. 54. Matriti. p. 596. n. 124. Calari. p. 599. n. 136.

S. Mariæ majoris oppidum conditur in Paraquaria. lib. 9. p. 551. n. 268.

Mariæburgi familia Societatis collocatur. lib. 4. p. 195. n. 73. Lue sæviente nostri charitatem impendunt ægrotis. lib. 5. p. 240. n. 39.

Mariana (P. Joannes) moritur non sine nota audacioris ingenii. lib. 9. p. 517. n. 151.

Marincola (P. Ludovicus) pie moritur in navigatione Philippinensi. lib. 8. p. 467. n. 175.

Marinduquensis præcia Societati committitur. lib. 8. p. 465. n. 169. Mira rerum commutatio sub novo Parocho. n. 170.

Marini (Joannis) scholastici mors, & elogium. lib. 10. p. 594. n. 118.

Marinus (Franciscus) scholasticus lethalem ex charitate morbum contrahit. lib. 9. pag. 480. num. 16.

Marinus (Michael Angelus) bene meretur de collegio Thermitano. lib. 5. p. 230. n. 10.

Mariverdes in Brasilia nostros operarios excipiunt. lib. 8. p. 472. n. 192. Transferuntur in coloniam S. Spiritus. num. 195. Corripiuntur gravi lue, nemo tamen dilabitur. n. 196.

Marques (P. Petrus) appellit in Cocincinam cum P. Christophoro Borro. lib. 2. pag. 124. n. 162. Vix appulsi deposcuntur ambo ad necem, & quare. n. 163. Liberantur periculo, ac retinentur. n. 164.

Martellangæi (P. Benedicti) obitus, & elogium. lib. 4. p. 201. n. 102.

Martellus (Hieronymus) Spoletinum Collegium perficit. lib. 6. p. 284. n. 13.

Martinii (Fr. Francisci) obitus, & elogium. lib. 6. p. 332. n. 195.

Martinii (P. Perpetui) obitus, & elogium. lib. 8. p. 430. n. 58.

Martinitzius (Jaroslaus Comes) præceps e fenestra datus, ope Deiparæ servatur incolumis. lib. 3. p. 149. n. 38.

Martinus Suguimotus Christi fidem obsignat sanguine in Japonia. lib. 1. p. 66. n. 189.

Martonius (Raymundus) Episcopus Lemovicensis bene meretur de collegio Tutellensi. lib. 5. p. 253. n. 90.

Martyria quædam illustria sparsim narrata vide in rebus Japonicis.

Martyrum corpora ostentis illustrata. In Hungaria. lib. 4. p. 193. n. 66. In Japonia. lib. 7. p. 400. n. 204. In regno Adelis. lib. 9. pag. 530. num. 195. In Cafraria, lib. 10. pag. 609. num. 167.

Mascarenia (P. Antonius) privilegia Societatis tuetur contra Collectorem Pontificium in Lusitania. lib. 5. p. 255. n. 98.

Massilienses favere incipiunt Societati. lib. 4. p. 200. n. 98.

Mastrillus (P. Carolus) concionatur per quadragesimam jejuniorum Melitæ. lib. 2. p. 85. n. 2. Grave dissidium componit inter Equites Melitenses. n. 3. Ejus obitus, & elogium. lib. 9. p. 475. n. 2.

Mastrilli (P. Francisci) obitus, & elogium. lib. 7. p. 353. n. 27.

Mathiæ Imperatoris beneficentia erga collegium Pragense. lib. 1. p. 27. n. 52. Ejusdem liberalitate conditur, ac dotatur collegium Tyr-

Digitized by Google

INDEX.

navienſe, n. 53. Moritur, adoptato prius Ferdinando Archiduce. lib. 4. n. 186. n. 35.

Mathias Neophytus Japon dire cruciatur, & inter tormenta exſpirat, lib. 5. p. 266. n. 149.

De Mathos (P. Didacus) in Æthiopiam proficiſcitur per Turcarum terras, & in itinere adjuvatur a Turcis. lib. 5. p. 260. n. 118. Monachorum inſignem fraudem detegit in Æthiopia. lib. 9. p 533. n. 203.

De Mathos (P. Gabriel) pervadit in Cocincinam cum poteſtate Viſitatoris, lib. 10. p. 614. n. 180. Quædam decernit circa mortuorum exequias. n. 181. Tres conſtituit ſedes Societatis in Cocincina. n. 182.

Matrimonia quam facile diſſolverentur in Æthiopia. lib. 3. p. 163. n. 100. Huic malo occurritur. l. 9. p. 532. n. 200.

Matriti piis precibus pluvia impetratur, lib. 1. pag. 50. n. 127. Huc defertur ab urbe corpus S. Franciſci Borgiæ. lib. 2. p. 111. num. 106. Erigitur Domus Profeſſorum. n. 107. Itemque Domus perfugii pro mulierculis. n. 108. Inchoatur templum collegii Imperialis. lib. 7. p. 381. n. 130. Piæ peraguntur ſupplicationes in honorem B. Franciſci Borgiæ. lib. 10. pag. 595. n. 120.

Matthæus inſigni pietate Neophytus moritur Quamcei in Sina. lib. 5. p. 276. n. 192.

Mauriacenſis collegii fructuoſæ expeditiones. lib. 9. p. 508. n. 126.

Maximilianus Bavariæ Dux collegium Societatis condit Mindelhemii. lib. 4. p. 185. n. 30. Ducit exercitum in Bohemiam. Noſtrorum in eo labores & funera. lib. 5. p. 236. num. 25. Prælio uno totam Bohemiam Cæſari ſubjicit. p. 244. n. 53. In præmium victoriæ augetur Palatini principatu. n. 55. Societatem inducit in Palatinatum ſuperiorem. lib. 6. p. 302. n. 80. Commendat Pontifici cauſam B. P. Ignatii. lib. 7. p. 344. n. 2. Alit de ſuo ſtationem Societatis Heildelbergenſem. pag. 367. n. 75. In collegium ſeptemvirale cooptatur, non ſine opera noſtrorum. lib. 9. pag. 487. n. 45. Fundat pro Anglicana provincia collegium Leodienſe. p. 501. n. 98. Duos ſuſcipit liberos ope S. Ignatii. n. 100.

Mayr (P. Andreæ) mors, & elogium. lib. 5. p. 237. n. 27.

Mazarini (P. Julii) mors, virtutes, & quædam naturæ vitia. lib. 6. p. 290. n. 33.

Mazetæ (P. Simonis) labores apoſtolici in Guairana. lib. 6. p. 336. n. 206. Ejuſdem periculum in oppido Lauretano. n. 212.

Mazzulla (P. Jo. Baptiſta) a Societate deficit, & quare. lib. 9. p. 480. n. 18. Impetrat facultatem revertendi ad Societatem. n. 19. Obſequio tabidorum ſe devovet, ac pie moritur Panormi. n. 20.

Meaci in Japonia comburuntur una die Chriſtiani quinquaginta duo. lib. 4. p. 211. n. 146. & ſeq.

De Mean (Joannes & Ægidius) germani fratres collegium Huenſe de ſuo patrimonio fundant. lib. 1. p. 34. n. 78.

Mechliniæ ſocii fructuoſe laborant. lib. 5. pag. 249. n. 74. Quatuor in ægrorum miniſterio occumbunt. lib. 7. p. 368. n. 84.

De Medina (Aloyſia) bene meretur de collegio Anticarienſi. lib. 7. p. 380. n. 125. Ægre tamen impetrat latinitatis magiſtros. n. 126.

Mediolanenſis provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.

Anno 1616. lib. 1. p. 21. a n. 32. ad 34.
Anno 1617. lib. 2. p. 90. a n. 19. ad 24.
Anno 1619. lib. 4. p. 183. a n. 23. ad 30.
Anno 1620. lib. 5. p. 234. a n. 19. ad 23.
Anno 1621. lib. 6. p. 284. a n. 14. ad 24.
Anno 1624. lib. 9. p. 476. a n. 3. ad 11.

Medonza (P. Emmanuel) rem proſpere gerit in Cafraria. lib. 9. p. 529. n. 190. Puerulos ab indigenis vorandos baptizat. n. 191.

Megglinus (P. Joachimus) amovetur Friburgo. Civitas ob eam rem iraſcitur Societati. lib. 1. p. 26. n. 46.

Melchiorris (P. Joſephi) obitus & elogium. lib. 1. p. 24. n. 41.

Melitæ concionator de Societate multa perficit ad animarum ſalutem. lib. 2. p. 85. n. 2.

De Mello (Joſeph) Archiepiſcopus Eborenſis multimodis turbat Societatem. lib. 6. p. 308. n. 103. & ſeq.

Menardierius (Robertus) bene meretur de collegio Senonenſi. lib. 8. p. 438. n. 81.

Mendez (P. Alphonſus) renunciatur Æthiopiæ Patriarcha. lib. 7. p. 391. n. 167. Goam navigat cum duobus Epiſcopis adjutoribus. n. 168. Litteras accipit Goæ ab Imperatore Æthiopiæ, & ab ejus fratre Cela-Chriſto. lib. 10. p. 604. n. 150. Bailurum navigat cum comitibus undeviginti. n. 152. Progreditur ad regiam Dancalenſem itinere perincommodo. n. 153. Parum liberaliter excipitur a Rege. n. 154. Dimittitur tamen cum aliquali honore. n. 155. Tranſgreditur celebres ejus terræ ſalinas. p. 606. n. 156. Æthiopiæ fines ingreditur. n. 157. Reliquum iter conficit inter ſexcenta pericula. n. 158. Excipitur multorum occurſu, ac Fremonam deducitur. n. 159. Ibi ſubſiſtit aliquandiu, ac demum ad aulam proficiſcitur. p. 607. n. 161. Quo honore exceptus ubique fuerit in itinere. n. 163. Qua pompa ad Imperatorem deductus. pag. 618. n. 164. Ejus primus cum Imperatore congreſſus. n. 166.

Mendoza (Didacus) Braſiliæ Prætor Societatem reducit in Maranionem. lib. 8. p. 471. n. 188. Colonos nobis adverſos litteris reprimit. n. 189. Bahiam dedere cogitur Batavis ob ſuorum ignaviam. lib. 9. p. 544. n. 244.

Mendoza (Ferdinandus) Epiſcopus Cuzquenſis moritur, lib. 2. p. 136. n. 217. Ejus erga nos benevolentia poſtquam eſſe deſiit de Societate. n. 218.

Mendoza (P. Innicus) Hiſpanorum ſodalitium in-

Digitized by Google

INDEX.

instituit Neapoli. lib. 6. p. 349. n. 16. Ibique collegium S. Xaverii provehit. n. 17.

Mendoza (P. Joannes) ad montem Arabonem proficiscitur in Brasilia. lib. 4. p. 222. n. 196. Dubitatur apud barbaros an sit de Societate, quia apparet sine socio. n. 198.

Menochius (P. Stephanus) provinciæ Mediolanensis Præpositus renuit socios mittere in Vallem Tellinam tumescente rebellione, lib. 6. p. 285. n. 16.

Meridæ in Mexico collegium conditur. lib. 2. p. 138. n. 222. Supplicatio quadraginta horarum instituitur. n. 223. Jubilæus cum insigni pompa promulgatur. n. 224.

Messanæ duo instituuntur de novo sodalitia. lib. 3. pag. 145. n. 24. Componuntur quædam controversiæ inter Ecclesiasticam & civilem potestatem exortæ. lib. 5. p. 232. n. 14.

Metellus (P. Joannes) crudeliter interficitur in Ceylano. lib. 1. p. 61. n. 171.

Metempsycosim admittentes aliqui Sinensium veritatem Evangelicam contumaciter respuunt. lib. 1. p. 71. n. 206.

Metense collegium sæpius disturbatum aliquando tandem perficitur. lib. 7. p. 375. n. 112.

A Metternich (Jo. Rheinardus) catholicis aggregatur Heildelbergæ. lib. 10. p. 578. n. 62.

Mexicanæ provinciæ res per suos annos distributæ,

Anno 1616. lib. 1. p. 73 a n. 214. ad 234.
Anno 1617. lib. 2. p. 137. a n. 219. ad finem libri.
Anno 1618. lib. 3. p. 175. a n. 155. ad finem libri.
Anno 1619. lib. 4. p. 218. a n. 174. ad 183.
Anno 1621. lib. 6. p. 333. a n. 197. ad 201.
Anno 1622. lib. 7. p. 413. a n. 255. ad finem libri.
Anno 1623. lib. 8. p. 467. a n. 176. ad 188.
Anno 1624. lib. 9. p. 548. n. 259.
Anno 1625. lib. 10. p. 621. a n. 201. ad 206.

Mexici sodalitium clericorum instituitur. lib. 2. p. 137. n. 221. Archiepiscopus Societati irascitur. lib. 3. pag. 175. n. 155. Grave oritur dissidium inter Proregem & Archiepiscopum. lib. 8. p. 467. n. 176. Populus concitatur contra Proregem. n. 177. Nostri seditionem componunt. n. 178.

Michael Mandarinus Sinensis domum Societatis constituit Hamcei. Ejus eximia pietas, & studium religionis. lib. 1. p. 69. n. 199.

Millavi religio restituitur. lib. 1. p. 44. n. 108.

Miloncius (P. Joannes) in obsequio contagiosorum occumbit Lomzæ. lib. 10. p. 573. n. 43.

Mindelhemii collegium constituitur. lib. 4. p. 185. n. 30.

Minoresiæ inchoatur collegium, spelunca S. Ignatii hospitio consecrata nobilitatur. lib. 1. p. 48. n. 124.

Miracula non temere promittenda. lib. 10. pag. 617. n. 189.

Mirandulanum collegium dotatur. lib. 3. p. 141. num. 10.

Misericordia erga pauperes præsenti præmio remunerata in Mexico. lib. 3. pag. 175. n. 155. Exemplum ejusdem generis Potosii. lib. 10. p. 625. n. 214.

Missio castrensis in Germaniam invehitur. lib. 4. p. 186. n. 33. Patrum labores & funera in una missione castrensi. lib. 5. p. 236. n. 25.

Missio navalis instituitur in Belgio. lib. 9. pag. 495. n. 81. Primum ejus experimentum. p. 496. n. 82. Altera expeditio navalis, nostrorumque labores ac res gestæ. n. 83. & seq.

Missio perpetua instituitur in Sicilia. lib. 5. p. 232. n. 15.

Missio urbana instituitur Romæ. lib. 1. pag. 15. num. 13.

Missiones ad diversa loca susceptæ videantur in singulis provinciis.

Missionarii Japoniæ dissentiunt circa modum promulgandi Evangelii tempore persecutionis. lib. 1. p. 65. n. 185. Iterum. lib. 2. pag. 122. n. 150. Sinenses immerito notati, quod geometricis disciplinis viam sibi sternerent ad promulgandum Evangelium. lib. 5. pag. 274. num. 185.

A Missis (P. Joannes) a Mahometanis interficitur, lib. 10. pag. 620. n. 193. Interfectores impii divinitus plectuntur. n. 200.

Mizre Zulcharnen nobilis Armenus collegium fundat in imperio magni Mogoris. lib. 5. p. 257. n. 107.

Modestia nostrorum juvenum occasionem resipiscendi præbet mulierculæ flagitiosæ. lib. 8. p. 421. n. 21.

Mogoris imperium a nostris operariis excolitur cum magna spe. lib. 1. p. 59. n. 160. Ob subitam Regis offensionem Patres a suis domiciliis exturbantur. n. 162. Restituuntur, sed exinde res in deterius ruunt. p. 60. n. 164. Mogolicus ager cultorum laboribus non respondet, & quare. lib. 5. p. 257. n. 106. Fundatur ibi collegium Agrense. n. 107. Nova statio collocatur in urbe Patanensi. lib. 6. p. 315. n. 124. Christianus adolescens fidei causa necatur, P. Figueredus vulneratur. n. 125. Aliqui Patrum ex Mogore transeunt in Thibetum. lib. 9. p. 524. n. 170.

Mogoris Rex. Vide Selimus Jehanguirus.

Moguntinus Archiepiscopus. Vide Crombergius.

Molineus (Fr. Henricus) in ministerio contagiosorum vitam claudit Dionanti. lib. 10. p. 584. n. 86.

Molshemii gymnasium Societatis augetur dignitate & proventu. lib. 1. p. 36. n. 86.

Molucensis missio revirescit. lib. 1. p. 63. n. 177. Batavorum adventu denuo concidit. n. 178. Hispani recuperare conantur Molucas insulas, sed conatu irrito. n. 179.

Monachi in Æthiopia errorem Dioscori mordicus defensant, & turbas movent contra Imperatorem. lib. 1. p. 58. n. 157. Nequiter abutuntur populi credulitate. lib. 9. p. 532. n. 202. Eorum artes nefariæ sparsim indicatæ reperiuntur in rebus Æthiopicis.

Digitized by Google

INDEX.

Monachus fidei deſertor ad profeſſionem catholicam revocatur Ambergæ. lib. 8. pag. 420. n. 20. Simile exemplum Belloloci, lib. 10. p. 591. n. 108.

Monaſterienſe collegium cenſu perpetuo donatur a muliere hæretica, lib. 1. p. 38. n. 92.

Patres fructuoſe laborant in Embslandia. lib. 9. p. 493. n. 67. Peſtilentia graſſante ægrotis opitulantur. lib. 10. p. 582. n. 76.

Monebricæ venerationi publicæ proponitur Imago S. Ignatii, & miraculis inclareſcit. lib. 8. p. 443. n. 92. & ſeq.

Monhemii plures ab hæreſi ad Eccleſiam traducuntur. lib. 3. p. 147. n. 32.

Monita privata titulus famoſi libelli contra Societatem editi in Polonia. lib. 1. p. 29. n. 60.

Monogamia multos in Sina retrahit a Baptiſmo. lib. 1. p. 68. n. 197.

Monpeſſulani, ne admittant noſtrum concionatorem, proprium Epiſcopum excludunt oppido. lib. 2. p. 104. n. 76.

Monregalenſis collegii Patres fructuoſa miſſione funguntur. lib. 4. p. 183. n. 24.

Montanus (P. Sebaſtianus) Ordinis Prædicatorum necatur a barbaris in Cinoloa. Ejus corpus poſt tres menſes incorruptum invenitur. lib. 1. p. 76. n. 227.

Monteiri (P. Dominici) labores apoſtolici in Braſilia. lib. 4. p. 244. n. 205.

Montelimarii ſtatio Societatis ponitur. lib. 5. p. 251. n. 83.

Montenſe Seminarium erigitur. lib. 2. p. 100. n. 61. Ejus adminiſtratio traditur Societati. lib. 5. p. 250. n. 79.

Montilii ſacro deferendo viatico apparatus decernitur. lib. 1. p. 52. n. 134.

Mons Albanus obſidetur. Noſtrorum labores in regiis caſtris. lib. 6. p. 304. n. 88. Miſſio ad Montem albanum, ejuſque exitus non pigendus. lib. 10. p. 586. n. 90.

Montmorancyus (Franciſcus) abrupto honorum curſu ingreditur Societatem. lib. 3. p. 153. n. 56. Ejus mira conſtantia in novo ſtatu. n. 57.

De Montoya (P. Antonius Ruizius) Guairanam excolit in Paraquaria. lib. 6. p. 336. n. 206. Lue ſæviente curam tabidorum gerit in oppido Lauretano. lib. 9. p. 551. n. 269. Progreditur ad Ibitirambetanos, & oppidum condit S. Xaverii. p. 552. n. 272. Pervadit ad Tajobenſes cum neophytis quindecim. p. 553. n. 275. Septem neophyti trucidantur; Ipſe providentia ſingulari in tutum evadit. n. 277. Oppidum S. Joſephi excitat inter Tucutienſes. p. 555. n. 279. In extrema anguſtia præſentem Dei opem experitur. n. 280. Oppidum Incarnationis extruit inter Tajatienſes. num. 282.

Monumentum Chriſtianæ religionis caſu reperitur in Sina. lib. 10. p. 611. n. 171. Summa rerum in eo lapide deſcriptarum. pag. 612. n. 174.

Moquoti (P. Stephani) obitus & elogium. lib. 10. p. 589. n. 103.

Morales (P. Antonii) mors, & elogium. lib. 1. p. 54. n. 140.

Moranta (P. Hieronymus) a barbaris interficitur in Cinaloa. lib. 1. p. 75. n. 222. Ejus elogium. p. 77. n. 232.

Moravi Societatem in exilium agunt. lib. 4. p. 188. n. 40. Edictum proſcriptionis contra illam editum. n. 41. Reſtituta in Moraviam Societas multa patitur a militibus Gaborianis. lib. 7. p. 357. n. 38. Suis miniſteriis cum fructu perfungitur, & præciarum adminiſtrationem ſuſcipit. n. 39.

Mortuis apponuntur dapes in Cocincina. lib. 7. p. 410. n. 246. Hæc conſuetudo tollitur, vel potius mutatur. n. 247.

Mortuus ad vitam redit in Paraquaria. lib. 6. p. 338. n. 214.

De Motha (Alphonſus) Epiſcopus Angelopolitanus collegium Societatis apto cenſu dotat in urbe ſua Epiſcopali. lib. 10. p. 621. n. 201. Moritur magno ſui deſiderio relicto. n. 202.

Mozambique inſula quæ regio ſit, utque in eam fuerit Societas inducta. lib. 1. pag. 55. n. 145. Domicilium Societatis Mozambiquenſe diruitur. n. 147.

Murciæ Mahometanus morti proximus beneficio S. Ignatii ad baptiſmum adducitur. lib. 2. p. 112. n. 111.

Murena (Franciſcus) ſcholaſticus, dum purgat infectorum domos, contagione ejuſdem tabis extinguitur Saccæ. lib. 9. p. 485. n. 40.

Muſliponti noſter ſcholaſticus mortem impetrat, ne dimittatur a Societate. lib. 7. pag. 377. num. 115.

Mutinæ duo Patres a *tribunali S. Inquiſitionis* capiuntur, & Romam tranſmittuntur. lib. 3. p. 140. n. 6. Eorum alter brevi moritur, alter abſolvitur, & ad priora miniſteria revertitur. n. 8. Erigitur Mutinæ ſodalitium nobilium, & a Principibus frequentatur. n. 9.

Mutinenſium Dux. Vide Cæſar.

P. Mutius Vitelleſchus quam aptus eſſet ad gubernandam Societatem. lib. 1. pag. 13. n. 4. Præpoſitus Generalis communi utitur menſa. n. 5. In Generali Congregatione patrocinium ſuſcipit adverſariorum ſuorum. n. 8. Congregationem dimittens inſigne edit demiſſionis exemplum. n. 9. Siciliæ Proregem Societati infenſum prudenti conſilio mitigat. pag. 17. n. 20. Itemque Marchionem Caſtellionenſem. p. 19. n. 24. Campaniæ provinciam conſtituit. pag. 41. n. 95. Litteras accipit ab Imperatore Æthiopiæ de ſucceſſu illius miſſionis, lib. 2. p. 118. n. 134. Nihil movetur minacibus *litteris* incertorum auctorum. lib. 3. pag. 140. n. 8. Miſſionem Anglicanam in Vice-provinciam erigit. lib. 4. p. 199. n. 93. Ac ſimiliter Sinicam. p. 216. n. 171. Rigidus in exigendo obſequio Principibus Eccleſiæ debito. lib. 5. p. 231. n. 13. Transfert collegium Turnonenſe a provincia Lugdunenſi in Toloſanam. p. 252. n. 88. Transferre conatur Rhedo-

Digitized by Google

INDEX.

donenſe ex Pariſienſi in Aquitanicam, ſed conatu irrito, n. 89. P. Emmanuelem Viegam turbas moventem compeſcit, ac dimittit e Societate, p. 255. n. 97. Deſtinatur ad purpuram a Paulo V., & honorem prudenter declinat. lib. 6. pag. 279. n. 1. Idem periculum incurrit ſub Gregorio XV. n. 4. In ſociorum numerum recipit Alexandrum Urſinum Cardinalem, eumque aggregat Romanæ Profeſſorum familiæ, p. 281. n. 10. Nullos eſſe in collegiis ludimagiſtros mavult, quam ſtipendium pro iis exigi, p. 287. n. 22. Scribit ad Senatum Venetum, rogans ut Societatem in ſuam ditionem revocet, ſed nullo effectu. p. 287. num. 24. Abrogandum curat quoddam Philippi IV. decretum de magiſtratu extraordinario pro Indiis. p. 307. n. 102. B. P. Ignatii corpus in aliam arcam transfert, & ſub altari proprio collocat. lib. 7. p. 346. n. 7. Abdicari a noſtris jubet præfecturam Academiæ Viennenſis quia nimis ſplendidam. p. 361. n. 52. Recipit in Societatem Carolum a Lotharingia Epiſcopum Virdunenſem. pag. 379. n. 121. Reſpuit oblatum a Philippo IV. gymnaſium omnium diſciplinarum Matriti, & quare. p. 381. n. 129. P. Honuphrium a Vermi ambitus manifeſtum ejicit. lib. 8. p. 418. n. 12. Bohemiam dividit a Provincia Auſtriaca, p. 420. n. 16. Angliæ provinciam conſtituit. p. 432. num. 64. Miſſionem Thibetanam collapſam conatur reſtituere. lib. 9. p. 528. n. 186. Ejus litteræ ad Imperatorem Æthiopiæ. p 531. n. 199. Multat P. Armandum Franciæ Provincialem, quod negotium periculi plenum minus caute tractaverit. p. 437. n. 78. P. Lenortii levitatem caſtigat, nec tamen Ducem Lotharingiæ illi faventem offendit. p. 438. n. 83. Chilenum regnum dividit a provincia Paraquariæ, & in Vice-provinciam erigit. p. 555. n. 283. Reſiſtit P. Stephano Peraltæ irritam eſſe contendenti profeſſionem ſuam, eumque migrare cogit ad alium ordinem. lib. 10. p. 591. n. 110.

N

NAmurci lue ſæviente noſtri ægrorum miniſterio ſe devovent. lib. 2. pag. 100. num. 62.

Nancei collegium extruitur. lib. 1. p. 41. n. 97.

Nangaſachii in Japonia curioſiſſime perquiruntur Chriſtianæ fidei magiſtri. lib. 3. p. 173. n. 146. Refodiuntur Chriſtianorum cadavera, noſocomia diruuntur. lib. 5. p. 266. n. 146. Capiuntur quatuor egregii juvenes. lib. 6. p. 322. n. 154. Una die lento igne comburuntur religioſi viginti quatuor, ac neophyti triginta obtruncantur. lib. 7. p. 394. num. 180. & ſeq.

Nankini in Sina mirum ſtudium charitatis Neophyti profitentur. lib. 1. p. 68. n. 198. Graviſſima tempeſtas exoritur contra noſtros, qui demum extra Sinam ejiciuntur. lib. 2. p. 127. a n. 173. ad 201. Adrepunt illinc denuo, ac ſtabili domicilio donantur. lib. 5. p. 275. n. 187. Bonzius paulo ante mortem Chriſto initiatur, lib. 8. pag. 458. n. 138. Alia movetur procella, Neophyti multa fortiter perferunt. lib. 7. p. 407. n. 232. & ſeq.

Nankiumi in Sina noſtrorum labor infructuoſus, & quare. lib. 1. p. 70. n. 205.

Nari collegium conditur. lib. 4. p. 182. n. 16.

Nativitatis oppidum extruitur in Paraquaria. lib. 9. p. 550. n. 264.

Navarolæ (P. Octaviani) obitus, & elogium. lib. 2. p. 89. n. 16.

Navarrei præcipuam pietatem profitentur erga S. Franciſcum Xaverium. lib. 7. p. 381. n. 131.

Navarretus (P. Alphonſus) Dominicanus pro fide interficitur in Japonia. lib. 2. pag. 121. num. 146.

Navarrus (P. Petrus Paulus) magno labore agrum Japonicum excolit, lib. 2. p. 123. n. 154. Lento igne crematur cum aliis duobus de Societate. lib. 7. p. 403. n. 214. Ejus elogium. p. 405. n. 221.

Neapoli quædam inſtituuntur ad fovendam pietatem inter carceres. lib. 1. p. 86. n. 4. & ſeq. Exagitantur noſtri a Prorege, & quare. lib. 2. p. 87. n. 10. Dies B. Virgini ſine labe conceptæ ſacer apparatiſſime celebratur Proregis juſſu ſumptuque. p. 88. n. 13. Ejuſdem juſſu juramentum ſolemne editur in noſtro templo pro Conceptione immaculata. lib. 3. p. 143. n. 15. & ſeq. Concionator religioſus nobis ob eam cauſam obloquens in ordinem redigitur. n. 21. Novum publicatur templum apud forum mercatus. lib. 4. p. 180. n. 13. Captivi plures ex manibus Turcarum recepti ad aram S. Franciſci Xaverii procedunt ſupplicantium ritu. lib. 5. p. 229. n. 9. Conditur poſt multas difficultates collegium S. Franciſci Xaverii, lib. 7. p. 349. n. 16. & ſeq. Inchoatur collegium S. Joſephi ad Chiajam. n. 20. In magna annonæ penuria piæ ſupplicationes peraguntur, nec fruſtra. n. 22.

Neapolitanæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.

Anno 1616, lib. 1, p. 21, a n. 34. ad 42.
Anno 1617. lib. 2. p. 86. a n. 4. ad 15.
Anno 1618. lib. 3. p. 141. a n. 11. ad 24.
Anno 1619. lib. 4. p. 180. n. 10.
Anno 1620. lib. 5. p. 229. a n. 7. ad 10.
Anno 1621. lib. 6. p. 349. a n. 16. ad 29.
Anno 1623. lib. 8. p. 417. a n. 9. ad 12.
Anno 1624. lib. 9. p. 475. n. 2.

Nebienſis Sinus in Corſica ſolemni comprecatione fit piſcoſus. lib. 5. p. 234. n. 20.

D. Nedonchelius domum noſtram Bethunienſem bonorum ſuorum hæredem ſcribit, lib. 1. p. 35. n. 79.

Nemauſi penſio annua conſtituitur pro operariis Societatis. lib. 1. p. 45. n. 113. Vir ordine religioſus ad Calvinianos tranſgreſſus retrahitur

Digitized by Google

INDEX.

hitur ad Ecclesiam . lib. 3. p. 157. n. 77. Certamen litterarium suscipitur cum ministris Calvinianis. Ejus exitus. lib. 4. p. 210. n. 99. Societas oppido ejicitur ab hæreticis . lib. 6. p. 303. num. 87.

Neoburgi collegium conditur. lib. 1. p. 26. n. 45. Eripitur Lutheranis gymnasium, & Societati traditur. lib. 2. p. 91. n. 24. Addicitur collegio templum in usum Lutheranorum extructum. lib. 3. p. 148. n. 34.

Neoburgicus Dux. Vide Wolfangus.

Neocastrense collegium fundatur in Insubria. lib. 4. p. 183. n. 23.

Neomagi Calviniani plures cum Ecclesia conciliantur. lib. 9. p. 506. n. 116. Contemptores religionis divinitus puniuntur. n. 117.

Neostadii Societas collocatur. lib. 10. pag. 576. n. 57. Cives initio nobis adversi cito fiunt benevoli. n. 58.

Neraci utile sodalitium instituitur ex piis feminis. lib. 9. p. 510. n. 133.

Nicauræ (P. Juliani) labores apostolici in Japonia. lib. 5. p. 272. n. 176.

Niesviſii Patres fructuose laborant. lib. 2. p. 97. n. 46. Pestilentia grassante publicæ saluti se devovent. lib. 10. p. 573. n. 42. Excurrunt in Palatinatum Novogradensem cum magno fructu animarum. n. 44.

Nissense collegium fundatur. lib. 7. pag. 359. num. 45.

Nivellense collegium fundatur. lib. 5. pag. 250. num. 78.

De Nobilibus (P. Robertus) quosdam assumit mores nobilium Madurensium. lib. 3. p. 165. n. 108. Diversa hominum judicia de ejusmodi re. n. 109. Adesse jubetur Goæ coram Archiepiscopo. n. 112. Adest, & in consessu Theologorum rationem prolixe reddit institutorum suorum. n. 117. & seq. Maduram repetit. lib. 6. p. 312. n. 117. Conspirant contra illum quidam neophyti, & reum faciunt multorum criminum. n. 118. Provincialis non satis prudenti ratione cognoscit de accusationibus. num. 119. Nobilius relegatur in collegium Cranganorense. n. 120. Ejus innocentia in lucem educitur. n. 121. Redit ad intermissos labores, & Christi gregem tuetur contra vim præpotentis cujusdam ethnici. n. 122. Fidem infert in aliquot urbes, & miraculis intervenientibus fructum ingentem colligit. lib. 8. p. 481. n. 113. & seq.

Noelius (Fr. Nicolaus) curam gerens contagiosorum occumbit Atrebati. lib. 4. pag. 197. n. 84.

Le Nort (P. Carolus) aliena attingens a sua professione, perturbationem non levem creat moderatoribus. lib. 8. p. 438. n. 83. Transit denique ad alium ordinem. n. 84.

Norvegi (P. Laurentii) mira fortitudo adversus minas Gustavi Svecorum Regis. lib. 6. p. 295. n. 49.

Novariense collegium conditur. lib. 9. p. 476. num. 5.

Novi Regni provincia domiciliis augetur. lib. 1. p. 79. n. 239. Suscipitur Æthiopum procuratio Carthagine. p. 81. n. 243. Archiepiscopus S. Fidei testatur de utili nostrorum labore. lib. 5. p. 276. n. 193. Hondensis paræcia committitur Societati. p. 277. n. 194. Periculum discordiæ domesticæ ob duplicem designationem Præpositi Provincialis. n. 195.

De Noyelles (P. Hugo) in obsequio tabidorum moritur peste absumptus Dionanti. lib. 10. p. 584. n. 86.

Noyrotius (P. Philibertus) navigat in novam Franciam. lib. 10. p. 626. n. 218. Redit in Galliam, & pellendos curat ex Canada Calvinianos. n. 219. Renavigans in Canadam, metu Anglorum cogitur iterum se recipere in Galliam. n. 224.

Numantiæ nostri operam assiduam navant ægrotis. lib. 1. p. 48. n. 122.

Nunez (P. Didacus) proficiscitur in Maranionem cum classe Lusitana, & prima religionis semina ibi jacit. lib. 1. p. 83. n. 256.

Nuocmani in Cocincina Societas sedem fgit, ac liberaliter habetur a Gubernatore. lib. 2. p. 125. n. 167. Templum extruitur uno die. n. 168. Gubernator baptizari differens, moritur sine baptismo. n. 169. Post ejus obitum Patres gravissima incurrunt pericula. n. 170. Per occasionem lunaris eclipseos ethnici plures ad Christum adducuntur. lib. 6. p. 327. n. 171. Nobilis matrona baptismum poscit incredibili ardore. p. 328. n. 174. Ejus exemplum sequuntur multi, omnia satis belle procedunt. n. 177. Vocantur in periculum Patres ob Onsajorum calumniam. lib. 7. p. 411. n. 249. Veritas innotescit, Patres periculo liberantur. n. 251.

O

OBedientia miraculo comprobata. lib. 6. pag. 317. n. 133. Simile exemplum. lib. 9. p. 488. n. 89.

De Ocampo (Gonzalus) Hispalense Conceptionis collegium amplificat. lib. 7. p. 380. n. 127.

Ocaniæ circulator improbus nostro concionatori calumniam inurit, sed non impune. lib. 2. p. 112. n. 112.

Occultus Mercatus Jesuitarum titulus libelli contra nos editi in Hollandia. lib. 2. p. 100. num. 57.

Oenipontani collegii Patres fructuose laborant Brixinæ. lib. 6. p. 301. n. 77.

Oettingæ quidam Monachi sacris B. Ignatii commentationibus exercentur cum magno fructu. lib. 4. p. 185. n. 31. Muliercula flagitiosa, conspecta nostrorum juvenum modestia, resipiscit. lib. 8. p. 421. n. 21.

Ogilbæus (P. Joannes) pro fide necatus in Scotia, videndum se præbet cuidam Moniali

Ipris

Digitized by Google

INDEX.

Ipris . lib. 3. p. 152. num. 53.

Ognates (P. Petrus) provinciam Paraquarienſem cum laude adminiſtrat, domiciliis, & numero ſociorum amplificat. lib. 6. p. 334. n. 201. & ſeq.

Ognes Borgia (Magdalena) præclare meretur de Societate. lib. 7. p. 382. n. 132.

Olaus (P. Theophylus) in Daniam proficiſcens intercipitur ab hæreticis. lib. 8. p. 422. n. 26. Pie moritur in Embslandia. lib. 9. p. 493. num. 67.

Oleartius (P. Franciſcus) in obſequio tabidorum occumbit Atrebati. lib. 4. p. 197. n. 84.

Olerone Calviniani terrifico oſtento perturbantur, lib. 1. p. 47. n. 121.

Oliveiræ (P. Gonzali) obitus, & vaticinium P. Joſephi de Anchieta circa illum. lib. 8. p. 474. n. 198.

Olomucii gravis exoritur perturbatio ob ſcholaſticorum tumultum. lib. 2. p. 95. n. 35. Indicitur noſtris exilium. Rector collegii recuſat tradere hæreticis claves templi. lib. 4. pag. 189. n. 49. Reverſi Olomucium Patres duas civitates ab hæreſi vindicant. lib. 7. p. 358. n. 38. Illata collegio damna ſarciuntur liberalitate Cæſaris. p. 360. n. 48.

Omurani in Japonia carceris forma. lib. 4. p. 214. n. 160. Ejus incommoda. lib. 5. p. 268. n. 155. Piæ religioſorum occupationes intra illum. n. 156.

Onſaji Cocincinenſium ſacrificuli ſeditionem concitant contra noſtros. lib. 1. p. 71. n. 208. Unius falſum miraculum, verum ſcelus, & juſta pœna. n. 210. Alterius converſio, & mira poſt baptiſmum pietas. lib. 6. p. 330. num. 184. Onſajorum incredibilis multitudo ac varietas. n. 185. Unus ſtulte conjungit Chriſtum cum ſuis idolis, lib. 7. p. 410. num. 245.

Orangii Princeps. Vide Auriacus.

Orgileti obtrectator S. Ignatii pœnas luit impiæ dicacitatis. lib. 7. p. 372. n. 100.

Oriſtani Archiepiſcopus jus indebitum ſibi arrogat in ſeminarium Saſſaritanum. lib. 7. p. 382. n. 136.

De Oroſco (P. Didacus) Paraquariæ Provincialis accuſationes contra P. Valdiviam admittit parum caute. lib. 1. p. 82. n. 249.

Orſenſis collegii Patres miſericordiam impendunt Moſchis captivis. lib. 2. p. 97. n. 48. Collegium ſtabili cenſu firmatur. lib. 6. p. 295. n. 51.

Ortizii (P. Andreæ) mors & elogium. lib. 2. p. 136. n. 216.

Oſnabrugenſis Eccleſiæ ſtatus. lib. 10. p. 578. n. 63. Acta noſtrorum in illa diœceſi. n. 65. Excitatur collegium Oſnabrugi. p. 579. n. 66. Et in rebus dubiis mira providentia conſervatur. n. 68.

Oſorii (Ferdinandi) Prætoris Canarienſis litteræ ad Mutium de Patribus in eas inſulas profectis. lib. 3. p. 159. n. 84.

Oſtentum in Æthiopia conſpectum in adventu Patriarchæ. lib. 10. p. 606. n. 157. Oſtenta quædam circa Martyrum corpora. Vide Martyrum.

Oſtrogienſe collegium fundatur, lib. 10. p. 576. num. 56.

Ota (Auguſtinus) vix receptus in Societatem pro Chriſto interficitur in Japonia. lib. 7. p. 402. n. 211.

De Qvalle (Alphonſus) Societatem amplectitur parentibus invitis. Mira ejus conſtantia. lib. 6. p. 342. n. 232.

Qvetenſis collegii Patres procurrunt ad Aſturiæ montes cum evangelico miniſterio, lib. 1. p. 48. n. 122. In eadem miſſione unus mira providentia ab interitu liberatur. lib. 2. p. 108. n. 93.

Outreloufius (Lambertus) bene meretur de collegio Huenſi. lib. 1. p. 34. n. 78.

Oxunæ Dux. Vide Gironus.

P

PAc (Nicolaus) Epiſcopus Samogitiæ collegii Croſenſis fundationem promovet. lib. 1. p. 32. n. 70.

Pacificatio inſignis in diœceſi Cranganorenſi. lib. 1. p. 60. n. 167. Simile exemplum in Pedemontio. lib. 4. p. 183. n. 24. Inter quoſdam Monachos & Abbatem. p. 185. n. 31. In Sicilia. lib. 9. p. 478. n. 12. & alibi ſæpe.

Padenſes in Auſtria fiunt ex toto Catholici. lib. 10. p. 569. n. 29.

Paderbornæ ſtudiorum Univerſitas conſtituitur. lib. 1. p. 36. n. 86. Tirones Societatis inſigne præbent charitatis exemplum. lib. 2. p. 102. n. 68. Urbs Duci Proteſtantium deditur. lib. 7. p. 364. n. 63. Quinque ex noſtris indigne vexantur. n. 64. Collegium a noſtris deſeritur, mox recuperatur. n. 68. Hæreſis omnino extinguitur. p. 367. n. 76.

Paez (P. Emmanuel) in contagioſorum procuratione diem obit ſuum Goæ. lib. 5. p. 257. n. 103.

Paez (D. Gaſpar) ſchiſmaticos plures lucratur in Æthiopia. lib. 10. p. 603. n. 148.

Paez (P. Petrus) templum opere cæmentitio extruit in Æthiopia. lib. 3. p. 163. n. 101. Depreçator accedit apud Imperatorem pro Agais pacem orantibus. p. 164. n. 104. Ejus obitus & elogium. lib. 7. p. 389. n. 161.

Palapagenſis collegii Patres reliquias quaſdam ſuperſtitionis exſcindunt. lib. 2. p. 135. n. 208.

Palatinus Rheni Comes. Vide Fridericus.

Palatinatus Noricus ad Eccleſiam reducitur. lib. 5. p. 236. n. 23.

Palatinatus ſuperior per ſacram miſſionem excolitur. lib. 6. p. 302. n. 80.

Pali collegium fundatur. lib. 7. p. 375. n. 109.

Pa-

Digitized by Google

INDEX.

Patres fructuoſe rem gerunt. lib. 9. p. 510. n. 133. Miniſter Calvinianorum a noſtro Theologo provocatus ad diſputandum de religione, cauſam deſerit. lib. 10. p. 590. n. 105. Adoleſcens ſalutari terrore ad fidem compellitur. n. 106.

Palmerius (P. Andreas) Indiæ viſitator in controverſia Madurenſi adverſatur Patri Nobilio, lib. 3. p. 165. n. 102. Lecto quodam ejus opuſculo mutat ſententiam. n. 114.

Pampilone in mores inducitur Communio generalis menſtrua. lib. 2. p. 108. n. 92. Homo flagitioſiſſimus ope S. Ignatii ab Interitu liberatur. n. 94.

Panataguæ ad Chriſtum adducuntur in Mexico. lib. 10. p. 623. n. 209.

Panagæi (Fr. Joannis) obitus & elogium. lib. 9. p. 507. n. 121.

Panormi ſodalitium nobilium inſigne edit exemplum charitatis, & chriſtianæ demiſſionis. lib. 3. p. 145. n. 25. Puella pudicitiam ſervat conſilio audaciſſimo, at felici. n. 26. Tempore peſtilentiæ noſtri curam tabidorum ſuſcipiunt, in eoque miniſterio multi moriuntur. lib. 9. p. p. 479. n. 14. Excitare conantur populum ad pœnitentiam criminum. p. 481. n. 21. Detegitur corpus S. Roſaliæ Virginis. p. 482. n. 25. Ejus veritatem noſtri & voce, & ſcriptis tuentur. p. 483. num. 30.

Pantoja (P. Didacus) Sina exulare jubetur cum ſociis. lib. 2. p. 131. n. 190. Pollicitus ſe diſceſſurum, fidem ſervat. p. 133. n. 202.

Paranenſis regio a noſtris operariis excolitur in Paraquaria, in eaque plura oppida extruuntur. lib. 6. p. 339. n. 218. Iterum lib. 9. p. 550. n. 264. & ſeq.

Paraninfi (P. Gaſparis) obitus & elogium. lib. 9. p. 485. n. 41.

Paraquariæ res, lib. 1. p. 81. a n. 246. ad 252. Lib. 6. p. 334. n. 201. & ſeq. Lib. 9. p. 549. an. 260. ad finem libri.

Pariſienſis provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.

Anno 1616. lib. 1. p. 42. a n. 100. ad 107.
Anno 1618. lib. 3. p. 68. a n. 68. ad 71.
Anno 1620. lib. 5. p. 252. n. 87.
Anno 1622. lib. 7. p. 374. a n. 107. ad 109.
Anno 1623. lib. 8. p. 436. a n. 76. ad 79.

Pariſiis nonnulla inſtituuntur ad pietatem augendam. lib. 1. p. 42. n. 102. Feſtum S. Ludovici cum exquiſita pompa celebratur in noſtro templo. lib. 3. p. 155. n. 68.

Parmæ Dux. Vide Raynutius.

Parochorum noſtrorum opera valde fructuoſa quia gratuita. lib. 1. p. 80. n. 240.

Parœciæ admittuntur a Societate in Philippinis, ſub certis tamen legibus. lib. 1. p. 72. n. 211. Adimuntur nobis in Braſilia, & quare. p. 82. n. 253. Reſtituuntur. n. 254. Idem accidit in ora Piſcariæ, & in regno Travancoris. lib. 5. p. 261. n. 124. & ſeq. uſque ad 141. Mutius recipi parœcias vetat, niſi neophytorum. p. 276. n. 193. Tamen recipiuntur ad tempus in Bohemia, Moraviaque. lib. 7. p. 358. n. 39.

Parrenſes in Cinaloa benigne juvantur lue ſæviente. lib. 8. p. 468. n. 182. Ab inſigni fraude dæmonis liberantur, n. 183.

Paſtorius (P. Joannes) in urbe Aſſumptionis graviter offendit Epiſcopum, lib. 6. p. 342. n. 229. Eidem reconciliatur. n. 231.

Patriarcha diu negatus Æthiopiæ demum conceditur. lib. 7. p. 391. n. 166. Eligitur P. Alphonſus Mendez. Vide Mendez.

Pauleti (F. Jacobi) obitus & elogium. lib. 9. p. 507. n. 119.

Paulus V. Pont. accuſatores Mutii confuſos dimittit reſponſo notabili. lib. 1. p. 14. n. 7. Miſſionem urbanam, & communionem generalem promovet Indulgentiarum largitionibus. p. 17. n. 18. B. Aloyſii Gonzagæ cultum amplificat. lib. 3. p. 139. n. 1. Franciſcum Xaverium catalogo Beatorum adſcribit. lib. 4. p. 178. n. 1. Privilegia quædam concedit miſſioni Sinenſi. p. 216. n. 169. De Mutio in collegium Cardinalium cooptando deliberat. lib. 6. p. 279. n. 1. Removetur ab eo conſilio. n. 3. Moritur n. 4.

Paulus Mandarinus Sinenſis eximie favet religioni Chriſtianæ, & Societati. lib. 3. p. 171. num. 134. Reſpondet ad epiſtolam Cardinalis Bellarmini. lib. 4. p. 217. n. 173. Ejus conſilium de inferenda religione in Coream, lib. 5. p. 274. n. 181. Ipſius induſtria fides invehitur in provinciam Xamſienſem. n. 183. Revocandos curat in Sinam Patres exilio damnatos. lib. 7. p. 406. n. 228. Alia de ipſo paſſim occurrunt in rebus Sinicis.

Paulus Tariſuquius glorioſam pro Chriſto mortem oppetit in Japonia. lib. 1. p. 66. n. 188.

Paulus Tarobiojus nobilis Japon Chriſti fidem amplificat, eamque capite amputato confirmat. lib. 3. p. 171. n. 136.

Paulus Xabinus Mandarinus Cocincinenſis ad Regem Siamenſem legatus proficiſcitur, Mira ejus pietas in itinere, & poſt peractam legationem. lib. 10. p. 615. n. 185. & ſeq.

Pax Julia per ſacram miſſionem excolitur. lib. 9. p. 522. n. 163.

De Paz (P. Alvari) obitus & elogium. lib. 5. p. 277. n. 196.

Pazmanius (P. Petrus), poſtea Cardinalis, ex Societate migrat in Congregationem Somaſchæ, mox ad Strigonienſem Archiepiſcopatum aſſumitur. lib. 1. p. 28. n. 55. An apud Somaſchas religionis ſacramento ſe obligaverit. n. 58. Seminarium erigit Viennæ pro juventute Hungarica. lib. 8. p. 419. n. 16.

Pectorellus (Petrus) domicilii Buxetani fundator noſtris ſubiraſcitur, & quare. lib. 1. p. 20. n. 30. Delinitur. ibid.

Pekini in Sina moleſtia exhibetur noſtris ob bonzios quoſdam ſceleratos chriſtianam pieta-

Digitized by Google

INDEX.

tatem ſimulantes. lib. 1. p. 68. n. 196. Noſtri exulare jubentur. lib. 2. n. 131. n. 190. Evocantur Macao Luſitani cum tormentis bellicis. lib. 7. p. 406. n. 229. Sed ob eventum male auſpicatum dimittuntur. lib. 8. p. 454. n. 124. Novum creatur noſtris periculum, & diſcutitur. p. 455. n. 125. Præclara mors cujuſdam neophyti. lib. 9. p. 535. n. 213.

Pelinchiaji, latronum natio, Sinam deprædantur. Inde noſtris periculum, & moleſtiæ. lib. 7. p. 407. n. 233.

Pelingottus (P. Matthæus) religionis odio interficitur in Ceylano. lib. 1. p. 61. n. 171.

Peralta (P. Stephanus) turbas movet in Societate, irritam eſſe contendens profeſſionem ſuam. lib. 10. p. 591. n. 109. & ſeq. Agnoſcit denique jus Societatis, & tranſit ad Ciſtercienſes. n. 112. Quid hujus occaſione controverſiæ fuerit declaratum. n. 113.

Percæus (P. Joannes) calumniis proſcinditur a Clero Angliæ ſæculari ob quamdam diſputationem. lib. 8. p. 435. n. 73. & ſeq.

Pereira (P. Andreas) ob judaici ſanguinis maculam dimittitur e Societate. lib. 9. p. 528. n. 186.

Pereira (P. Bernardus) Chriſti cauſa necatur in regno Adelis. lib. 9. p. 53. n. 194. Ejus elogium. n. 196.

Pereiræ (P. Franciſci) obitus & elogium. lib. 4. p. 205. n. 115.

Perez (P. Franciſci) obitus & elogium. lib. 8. p. 441. n. 89.

Perlinus (P. Gabriel) rector collegii Boniaerenſis parum prudenter ſe gerit in quodam negotio. lib. 6. p. 341. n. 226. In ordinem redigitur. n. 227.

Pernambucenſis collegii Patres nationes barbaras Chriſto, ac nomini Luſitano conciliant. lib. 4. p. 224. n. 205. Ingruentibus Braſiliæ Batavis, neophytos continent in obſequio Regis. lib. 9. p. 547. n. 256.

Perpiniani augetur cultus Euchariſtiæ. lib. 1. p. 49. n. 125.

Perronii Cardinalis beneficentia erga collegium Senonenſe. lib. 8. p. 438. n. 81

Perù (Fr. Petrus) in obſequio tabidorum vitam ponit Inſulis. lib. 2. p. 101. n. 63.

Peruanæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.

Anno 1616. lib. 1. p. 78. a n. 234. ad 238.
Anno 1617. lib. 2. p. 136. a n. 213. ad 219.
Anno 1619. lib. 4. p. 220. a n. 183. ad 193.
Anno 1620. lib. 5. p. 277. a n. 196. ad finem.
Anno 1622. lib. 7. p. 411. a n. 252. ad 255.
Anno 1624. lib. 9. p. 547. n. 258.
Anno 1625. lib. 10. p. 622. a n. 206. ad 217.

Peſtilentia ſæviente homines Societatis contagioſorum obſequio ſe devovent, multi eo in officio intereunt. Friburgi in Helvetia. lib. 1. p. 26. num. 48. In Braſilia. p. 83. num. 255. In Gallobelgica. lib. 2. p. 110. n. 62. Iterum lib. 3. p. 353. n. 58. Iterum lib. 4. p. 197. n. 84. In Polonia lib. 5. p. 240. n. 38. & ſeq. In Flandrobelgica. lib. 5. p. 249. n. 73. Goæ. p. 257. n. 103. Iterum in Flandrobelgica. lib. 7. p. 368. n. 84. & ſeq. Ibidem lib. 8. p. 429. n. 54. Iterum in Gallobelgica. p. 430. n. 58. In Sicilia. lib. 9. p. 479. n. 13. & ſeq. In Paraquaria. p. 551. n. 269. In Bohemia. lib. 10. p. 570. n. 34. In Lithuania. p. 673. n. 42. In provincia Rhenana. p. 582. n. 76. Denuo in Flandrobelgica. p. 582 n. 78. & ſeq. Denuo in Gallobelgica. p. 584. n. 86. Socii in eo charitatis officio extincti recenſentur ſuis locis uſque ad nonaginta octo.

Petinkoviezius (P. Gaſpar) in obſequio tabidorum occumbit Toruni. lib. 10. p. 574. num. 47.

Petruccius (Alexander) Archiepiſcopus Senenſis diœceſim luſtrat cum noſtrorum pari. Mira ejus pietas. lib. 4. p. 178. n. 2. Ejuſdem conſilium de ineunda Societate. n. 4.

P. Petrus ab Aſcenſione Franciſcanus pro Chriſto obtruncatur in Japonia. lib. 2. p. 120. num. 143.

Petrus Sandajus Japon, in Societatem receptus, interficitur religionis cauſa. lib. 7. p. 403. num. 214.

Philippinarum res per ſuos annos diſtributæ.

Anno 1616. lib. 1. p. 72. ad n. 211. ad 214.
Anno 1617. lib. 2. p. 134. a n. 207. ad 213.
Anno 1618. lib. 3. p. 174. a n. 151. ad 155.
Anno 1621. lib. 6. p. 331. a n. 189. ad 197.
Anno 1623. lib. 8. p. 464. a n. 165. ad 176.
Anno 1625. lib. 10. p. 619. a n. 195. ad 201.

Philippus III. Rex Hiſpaniæ, in Luſitaniam veniens, multis obſequii ſignificationibus a noſtris excipitur Eboræ, & Ulyſſipone. Mira ejus humanitas erga noſtros. lib. 4. p. 204. n. 112. & ſeq. Decretum de paroeciis Indorum inſtituti noſtri rationibus adverſum antiquari permittit. lib. 5. p. 278 n. 201. Moriens aſſiſtere ſibi jubet unum ex noſtris, ejuſque alloquio mirifice recreatur. lib. 6. p. 306. n. 99.

Philippus IV. decernit, ut etiam in Societate conſtituatur magiſtratus extraordinarius pro Indiis. lib. 6. p. 307. n. 101. Sed interceſſione Mutii decretum inducit. n. 102. Offert Societati gymnaſium omnium diſciplinarum Matriti erigendum. lib. 7. p. 380. n. 128. Statuit ne in Japoniam alii navigent religioſi præter noſtros, idque a Pontifice confirmandum curat. p. 406. n. 227.

Phœbejus (Sebaſtianus) bene meretur de collegio Urbevetano. lib. 5. p. 228. n. 5.

Piancius (P. Paulus) peſte contactis aſſiſtens moritur Lomzæ. lib. 10. p. 573. n. 43.

Pica (Jo. Aloyſius) miſerandum in modum interficitur Aquilæ. lib. 7. p. 351. n. 24.

Pictavii, graſſante morbo peſtilenti, ægrotis præſto ſunt homines noſtri. lib. 1. p. 46. num. 117. Perturbantur ob offenſionem Epiſcopi.

Digitized by Google

INDEX.

Quæ fuerit cauſa ; lib. 5. p. 254. num. 93. & ſeq.

Pictor ob elaboratam tabulam minus pudicam divinitus plectitur. lib. 3. p. 151. n. 48.

Pictorum inſulæ in officio continentur dubio tempore. lib. 2. p. 135. n. 211. Ibi noſtri antidota conficiunt contra ſerpentes, eaque gratis diſtribuunt. n. 213.

Picus (Alexander) Dux Mirandulæ collegium Mirandulanum apto cenſu confirmat. lib. 3. p. 141. n. 10.

Pielaskenskius (Fr. Jacobus) in obſequio tabidorum occumbit Plociæ. lib. 10. pag. 573. num. 43.

Pignatellus (Hector) familiam Societatis collocat Vibone. lib. 5. p. 329. n. 7.

Pillæ in comitatu Avenionenſi familiæ duodecim cum Eccleſia conciliantur. lib. 9. p. 506. num. 116.

Pina (P. Franciſcus) Chriſti cultum propagat in Cocincina. lib. 7. p. 409. n. 242. Ejus luctuoſa mors & elogium. lib. 10. p. 616. num. 187.

Pinarolenſis collegii ortus. lib. 6. p. 287. n. 23.

Pineirus (P. Emmanuel) pacis conditiones proponit inter Luſitanos & Mogoles. lib. 1. p. 60. n. 163. Ejus mors & elogium. lib. 4. p. 205. n. 116.

De Pinis (Paulus) Societatem ingrediens, bene meretur de domo Profeſſorum Toloſana, lib. 6. p. 304. n. 90.

Piotrouskius (P. Albertus) contagioſis aſſiſtens, victima charitatis concidit Plociæ. lib. 10. p. 573. n. 43.

Piquer (P. Valerius) venerationi publicæ proponendam curat B. P. Ignatii effigiem Monebricæ. lib. 8. p. 443. n. 92. & ſeq.

Piſcarienſes Eccleſiæ nobis per vim adimuntur ab Epiſcopo Coccinenſi. lib. 5. p. 261. num. 124. & ſeq. In eas noſtri reducuntur juſſu Regis. Qua gratulatione excepti ſint a neophytis. p. 265. n. 142. Earum damna ſarciuntur. lib. 7. p. 391. n. 170. Turbatur iterum in ora Piſcariæ, & res noſtræ in diſcrimen ultimum adducuntur. lib. 8. p. 450. n. 108. Mira Numinis providentia componuntur omnia. p. 451. n. 112.

Piſcenſe collegium fundatur in Peruvia. lib. 5. p. 278. n. 199.

Piſquedæ (P. Salvatoris) mors & elogium. lib. 9. p. 519. n. 157.

Plangius (Fr. Jo. Baptiſta) in contagioſorum miniſterio moritur Panormi. lib. 9. p. 480. num. 17.

Plarer (Jo. Jacobus) ſtabilem noſtrorum ſedem collocandam curat Eluaci. lib. 2. p. 93. n. 28.

Platamonius (P. Hieronymus) contagioſis aſſiſtens, peſtem haurit, ac moritur Panormi. lib. 9. p. 483. n. 33.

Platæ in Peruvia ſeminarium nobilium committitur Societati. lib. 5. p. 278. n. 200.

Plociæ collegium conditur. lib. 1. p. 32. n. 72. Lue graſſante noſtri curam infectorum gerunt. lib. 10. p. 573. n. 43.

Podolia ſacris miſſionibus excolitur. lib. 1. p. 30. n. 64.

Poix (Fr. Michael) in miniſterio contagioſorum occumbit Duaci. lib. 2. p. 101. n. 63.

Pollieni (P. Nicolai) obitus & elogium. lib. 8. p. 440. n. 87.

Polocii Epiſcopus a ſchiſmaticis interficitur. lib. 6. p. 296. n. 57. Noſtri ærumnas inopum ſublevant tempore peſtilentiæ. lib. 10. p. 573. n. 42.

Polonæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ,

Anno 1616. lib. 1. p. 29. a n. 60. ad 66.
Anno 1617. lib. 2. p. 96. a n. 39. ad 46.
Anno 1619. lib. 4. p. 194. a n. 70. ad 78.
Anno 1620. lib. 5. p. 245. a n. 38. ad 48.
Anno 1621. lib. 6. p. 291. a n. 37. ad 48.
Anno 1622. lib. 7. p. 363. n. 59.
Anno 1625. lib. 10. p. 574. a n. 46. ad 57.

Poloniæ Rex. Vide Sigiſmundus.

Ponce (P. Hernandus) pie moritur Hiſpali. lib. 9. p. p. 518. n. 153.

Pondi (Thomæ) mors, elogium, & vitæ compendium. lib. 1. p. 38. n. 94.

Pongratzius (P. Stephanus) crudeliter cruciatur ab hæreticis, & interficitur Caſſoviæ. lib. 4. p. 191. n. 58. & ſeq. Ejus elogium num. 64.

Pontanum collegium reſtituitur. lib. 6. p. 285. n. 19. Pontanorum eximia benevolentia erga nos. n. 20. Collegii periculum irrumpentibus in Vallem Tellinam Gallis & Griſonibus. lib. 9. p. 477. n. 7. Dux exercitus fœderati collegium tuetur. n. 8.

A Ponte (P. Ludovici) obitus & elogium. lib. 9. p. 513. n. 141.

De Ponte (P. Nicolaus) in obſequio infectorum vitam ponit Duaci. lib. 10. p. 584. num. 86.

Pontifalii quidam ex adverſis fiunt nobis addictiſſimi. lib. 7. p. 371. n. 96.

Popelius (Ladislaus) Societatem collocat Holeskoviæ. lib. 2. p. 94. n. 32.

Porcellettus (Joannes) Epiſcopus Tullenſis fundat collegium Nancejanum. lib. 1. p. 41. num. 97.

Portuenſis civitas in magno tumultu a noſtris ſedatur. lib. 9. p. 522. n. 164.

Portus ſecuri reſidentia conſtituitur. lib. 8. p. 473. n. 197.

Poſnaniæ noſtri a fœda calumnia vindicantur. lib. 1. p. 29. n. 61. Rem utiliter gerunt. p. 30. n. 63. Hæreticos ad Eccleſiam revocant. lib. 2. p. 96. n. 42. Pietatem excitant, pravam conſuetudinem abolent. lib. 5. p. 240. n. 41. Navant ægrotis operam peſtilentia ſæviente. lib. 10. p. 574. n. 47.

Potorius (Fr. Martinus) curam tabidorum gerens, pie moritur Poſnaniæ. lib. 10. p. 574. num. 47.

Po-

Digitized by Google

INDEX.

Potoſii pietas excitatur inter metallicos & mercatores. lib. 1. p. 79. n. 235. Socii tres oppreſſi ruina cujuſdam ædificii moriuntur. lib. 2. p. 136. n. 213. Pium certamen circa eorum exequias. n. 214. Civitas beneficum experitur S. Ignatium. lib. 4. p. 221. n. 191. Eumque eligit in patronum. n. 192. Collegium apto cenſu conſtabilitur. lib. 8. p. 468. n. 181. Dira calamitas ab improviſa eluvione. lib. 10. p. 624. n. 212. Noſtrorum in ea utilis labor. n. 213.

Prædeſtinationis exemplum memorabile in Braſilia. lib. 4. p. 222. n. 194. Simile exemplum in Cinaloa. lib. 10. p. 622. n. 204.

Præſtigiator divinos honores affectans in Cocincina, agnoſcitur, & plectitur. lib. 1. p. 71. n. 208. Alius in Cinaloa ſeditionem movet contra Hiſpanos. p. 73. n. 215. Alius fuſte corrigitur in Paraquaria. lib. 6. p. 337. num. 209.

Pragæ collegium augetur proventu, Academia ab Imperatore Mathia confirmatur. lib. 1. p. 27. n. 52. Hæretici plures ad Eccleſiam revocantur. lib. 2. p. 94. n. 34. Cooriuntur in ſeditionem hæretici, & Societatem ejiciunt. lib. 3. p. 148. n. 36. & ſeq. Redeunt noſtri in ſuum collegium. Quale illud invenerint. lib. 5. p. 245. n. 56. Collegium cenſu augetur. lib. 7. p. 360. n. 48. Peſte ſæviente noſtri ægrorum procurationem ſuſcipiunt. lib. 10. p. 570. n. 34.

Premislienſis reſidentia ad ſtatum collegii aſſurgit. lib. 2. p. 96. n. 40.

Preſdieskius (P. Joannes) contagioſis operam navans vitam claudit Lomzæ. lib. 10. p. 573. num. 43.

De Pretere (P. Gulielmus) pueris utitur ad puerorum inſtitutionem Antuerpiæ. lib. 1. p. 33. num. 75. Scholas ibidem inſtituit pro pueris pauperioribus. lib. 3. p. 151. n. 49. Ad Eccleſiam trahit Comitem Philippum Mansfeldium. lib. 8. p. 429. n. 52.

Promontorius (Nicolaus) adhuc ſcholaſticus miſſionem urbanam inchoat Romæ. lib. 1. p. 16. n. 17. Inſtitutum Communionis generalis propagat per provinciam Mediolanenſem. lib. 2. p. 91. n. 20. Deficit a Societate. n. 21.

Prooſt (P. Philippus) moritur in obſequio contagioſorum Mechliniæ. lib. 7. p. 368. n. 84.

Proteſtantes Principes fœdus percutiunt contra Ferdinandum Imperatorem. lib. 7. p. 364. num. 62.

Providentiæ cœleſtis exempla quædam in tuendis hominibus Societatis. In provincia Caſtellana. lib. 2. p. 108. n. 93. In Philippinis. lib. 6. p. 331. n. 189. Leobii. lib. 9. p. 490. n. 56. Doesburgi. p. 494. n. 72. In provincia Toloſana. p. 508. n. 126. In Paraquaria. p. 554. n. 278. Iterum p. 555. n. 280. Toloſæ. lib. 10. p. 587. n. 94. Auriliaci. n. 95. In Æthiopia p. 606. n. 158.

Provinciales præpoſiti Societatis Epiſcopatum Japoniæ adminiſtrant abſente Epiſcopo. lib. 3. p. 173. n. 146.

Pruſinoskius (P. Joannes) in obſequio tabidorum occumbit Varſaviæ. lib. 10. p. 573. num. 43.

Pucci (P. Franciſci) epiſtola de ſuis laboribus ex arce Othonienſi. lib. 1. p. 73. n. 213.

Pudicitiæ exempla quædam memorabilia. Panormi. lib. 3. p. 145. n. 26. In Sina p. 170. n. 135. Neapoli. lib. 7. p. 401. n. 209. In Luſitania. lib. 9. p. 590. n. 158.

Pujolii (P. Joannis) obitus & elogium. lib. 2. p. 105. n. 79.

Pulicambis Cocincinæ provincia. Vide Nuocmani.

Pultoviæ in ædem Societatis transferuntur ſacra corpora SS. Pelagiæ & Eugeniæ MM. lib. 4. p. 196. n. 78. Curam contagioſorum noſtri gerunt. lib. 10. p. 573. n. 43.

Q

Quamcei in Sina moritur inſigni pietate neophytus. lib. 5. p. 276. n. 192.

Quebeci in nova Francia collegium Societatis collocatur. lib. 10. p. 626. n. 218. Coloni Quebecenſes a nobis ſumme alieni, perſpectis Patrum moribus, voluntatem commutant. n. 219. Oppidum penuria laborat hæreticorum malignitate. p. 627. n. 222. Cedit in poteſtatem Anglorum, & Patres inde exturbantur. p. 628. n. 226.

Quinionius (Joannes) Tucumaniæ Prætor fundat collegium Riocenſe. lib. 9. p. 556. n. 286.

De Quiros (P. Auguſtini) mors & elogium. lib. 7. p. 414. n. 277.

R

Radzicovienſis (P. Lucas) contagioſis operam navans peſtem haurit, ac moritur Pultoviæ. lib. 10. p. 573. n. 43.

Radzivilius (Nicolaus Chriſtophorus) bene meretur de Collegio Croſenſi. lib. 1. p. 32 num. 71.

Radzodkouskius (P. Gabriel) in obſequio tabidorum occumbit Vilnæ. lib. 10. p. 573. num. 43.

Rakoczius (Georgius) Caſſoviam expugnat, ac duos ex noſtris odio Romanæ Fidei neci crudeliſſimæ dedit. lib. 4. p. 191. num. 58. & ſeq.

Ramirez (P. Hieronymi) obitus & elogium. lib. 6. p. 334. n. 200.

Ratisbonenſis collegii periculum ex fortuito incendio. lib. 8. p. 421. num. 23. Scholaſtici mira providentia ſervantur. n. 24.

Ravenſis reſidentia erigitur in collegium. lib. 4. p. 195.

Digitized by Google

INDEX.

p. 195. n. 71. Noſtri ægrotis opitulantur tempore peſtilentiæ. lib. 10. p. 574. n. 47.
Ravennæ collegium fundatur. lib. 7. p. 356. n. 33. Exoritur procella contra ſcholas, & componitur. n. 34.
Ravus (P. Joannes) in ægrorum miniſterio occumbit Duderſtadii. lib. 9. p. 494. n. 75.
Raynutius Parmæ Dux domicilii Buxetani fundationem promovet. lib. 1. p. 20. n. 29. Moritur poſt collata nobis multa & maxima beneficia. lib. 7. p. 355. n. 31. Documenta quædam benevolentiæ, qua Societatem complectebatur. n. 32.
Realini (P. Bernardini) obitus & elogium. lib. 1. p. 21. n. 34. Honores ejus corpori habiti a Lupienſibus, n. 37. Quoddam ejus vaticinium circa collegium Tarentinum. lib. 5. p. 229. n. 8. Et circa Carpenſe. lib. 6. p. 289. num. 28.
Realtii in Mexico deteguntur occulti idololatræ, & ab impietate abducuntur. lib. 8. p. 468. n. 179.
Rebelli (P. Amatoris) obitus & elogium. lib. 7. p. 385. n. 147.
Recidivi peccatoris mors luctuoſa. lib. 3. p. 174. n. 154.
Regalei in Mexico collegium decernitur, ſed nullo effectu. lib. 6. p. 334. n. 199.
Regienſis reſidentia vertitur in collegium. lib. 2. p. 89. n. 15.
Reginaldi (P. Valerii) mors & elogium. lib. 8. p. 439. n. 85.
Regiomonte in Pruſſia unus noſtrorum rem utiliter gerit. lib. 2. p. 97. n. 47. Vocantur illuc ab Electore Brandeburgico duo Patres, & liberaliter habentur. lib. 5. p. 243. n. 50.
Regordus (P. Alexander) congreditur Lectoraci cum Daniele Chamerio: diſputationis quis fuerit exitus. lib. 3. p. 158. n. 81. Iterum cum miniſtro Calviniano certat Biterris, & pari exitu. lib. 10. p. 586. n. 91.
Regum inſula. Vide Tutucurinum.
Remigius (P. Ludovicus) in ægrorum miniſterio extinguitur Goæ. lib. 5. p. 257. n. 103.
Reſinghem (Fr. Ignatii) obitus & elogium. lib. 5. p. 251. n. 82.
Rhedonenſis civitas intercedit ne illud collegium transferatur ad provinciam Aquitanicam. lib. 5. p. 252. n. 89.
Rheingius (P. Jacobus) religionis negotium præclare agit Neoburgi. lib. 1. p. 25. n. 43. Idem miſere deficit a Societate, & ad hæreticos transfugit. lib. 6. p. 300. n. 74. Defectionis quæ fuerint cauſæ. n. 75. De quodam ejus volumine. n. 76.
Rhem (P. Jacobi) mors & elogium. lib. 3. p. 146. n. 229.
Rhenanæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 35. a n. 82. ad 94.
Anno 1617. lib. 2. p. 101. a n. 66. ad 72.
Anno 1620. lib. 5. p. 238. a n. 32. ad 38.
Anno 1622. lib. 7. p. 364. a n. 60. ad 83.
Anno 1623. lib. 8. p. 422. a n. 26. ad 32.
Anno 1624. lib. 9. p. 492. a n. 66. ad 81.
Anno 1625. lib. 10. p. 576. a n. 57. ad 78.
Rhodumnæ deſertor Societatis pœnas inconſtantiæ luit lib. 10. p. 588. n. 97.
Ribera (P. Franciſcus) a Mauris interficitur in Cafraria. lib. 5. p. 257. n. 105.
Riberæ (P. Joannis) mors & elogium. lib. 8. p. 466. n. 171.
Riccii (P. Matthæi) conſilia circa modum adminiſtrandæ religionis in Sina. lib. 1. p. 67. num. 194.
Richelius (Armandus Cardinalis) Canadenſem negotiationem ab hæreticis transfert ad Catholicos. lib. 10. p. 627. n. 223.
Richeomi (P. Ludovici) obitus & elogium. lib. 10. p. 589. n. 102.
Rigæ labor noſtrorum ſterilis, & quare. lib. 1. p. 31. n. 68. Patres utilem religioni operam navant in Curlandia. lib. 2. p. 97. n. 47. Suo domicilio exturbantur bello Svecico. lib. 6. p. 294. n. 48.
Riocæ in Tucumania collegium conditur. lib. 9. p. 556. n. 286.
Riſerii (P. Joannis) labores apoſtolici per provincias fœderatas. lib. 2. p. 99. n. 54.
Riſwichius (P. Theodorus) a Batavis comprehenditur Gochii, & Neomagum deportatur. lib. 10. p. 580. n. 69. Dire vexatur, ſed non impune. n. 70. In carcere moritur. n. 72.
Rivultii (Franciſci) tironis obitus & elogium. lib. 2. p. 105. n. 80.
Roborea (Iſabella) Principis Biſiniani vidua moritur Neapoli. Ejus præclara in noſtrum ordinem merita. lib. 4. p. 180. n. 10. Ejuſdem pietas eximia. n. 11.
Robuſtellus (Jacobus) ducem ſe præbet Valtellinenſibus ad excutiendum Griſonum jugum. lib. 6. p. 285. n. 15. Et Societatem conatur in regionem revocare. n. 16.
Rocha (P. Joannes) Hierapolitani Epiſcopi titulo ornatur, & adjutor datur Patriarchæ Æthiopiæ. lib. 7. p. 391. n. 167.
Rodericius (P. Michael) puerorum ſaluti conſulit in Cafraria. lib. 9. p. 530. n. 192.
Rodes (P. Michaelis) obitus & elogium. lib. 8. p. 442. n. 91.
Rodondum Luſitaniæ oppidum excolitur ſacra miſſione. Loci dominus pietatem eximiam exhibet. lib. 10. p. 600. n. 140.
Rodriguez (P. Alphonſi) obitus & elogium. lib. 1. p. 52. n. 136.
Rodriguez (Fr. Alphonſi) obitus, & elogium. lib. 2. p. 109. n. 95.
Romanæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 15. a n. 11. ad 20.
Anno 1618. lib. 3. p. 139. a n. 1. ad 4.
Anno 1619. lib. 4. p. 178. a n. 1. ad 10.
Anno 1620. lib. 5. p. 226. a n. 1. ad 7.
Anno 1621. lib. 6. p. 279. a n. 1. ad 14.

An-

Digitized by Google

INDEX.

Anno 1622. lib. 7. p. 344. a n. 1. ad 16.
Anno 1623. lib. 8. p. 418. a n. 1. ad 9.
Anno 1624. lib. 9. p. 475. n. 1.
Anno 1625. lib. 10. p. 558. a n. 1. ad 4.

Romæ inſtituitur celebre oratorium a P. Gravita appellatum. Ejus utilitas multiplex. lib. 1. pag. 15. n. 11. Incipit miſſio urbana, & conſuetudo menſtruæ Communionis generalis. n. 13. & ſeq. Inſtauratio votorum in collegio Romano aſſignatur diei anniverſariæ B. Aloyſii. lib. 3. p. 139. n. 2. Franciſcus Xaverius beatorum catalogo adſcriptus inſigni celebritate colitur in baſilica Profeſſorum. lib. 4. p. 178. n. 1. Collegium Græcorum redditur Societati. lib. 7. p. 347. n. 9. Charitas impenditur peregrinis quibuſdam Polonis. n. 11. In magna annonæ penuria unus ex noſtris pauperum curam ſuſcipit. lib. 8. p. 416. n. 5.

Romani (P. Laurentii) obitus & elogium. lib. 6. p. 317. n. 134.

Romanus (P. Carolus) miſſionem perpetuam inſtituit in Sicilia. lib. 5. p. 232. n. 15. Ejus obitus & elogium. lib. 9. p. 486. n. 42.

S. Romuli domicilium in ora Liguſtica Societati adimitur, ac deinde redditur. lib. 1. p. 21. n. 32.

Rongerii (P. Thimothei) mors & elogium. lib. 9. p. 506. n. 118.

S. Roſaliæ corpus peſtilentiæ tempore invenitur in Sicilia, & miraculis illuſtratur. lib. 9. p. 482. n. 25. Diſceptatur de ipſius veritate, quam noſtri tuentur. p. 483. n. 30. Novo interveniente miraculo decernitur ejus cultus. n. 34. Circumfertur per urbem inſigni pompa, ac peſtilentia Panormi extinguitur. p. 484. n. 37.

Roſarii cultus propagatur in Helvetia a noſtro Operario, qui ob eam cauſam moleſtia afficitur. lib. 10. p. 564. n. 17. Religio Roſarii miraculis comprobatur. p. 565. n. 19.

Roſe (Guillelmus) Societatem ingrediens, bene meretur de collegio Calvomontano. lib. 3. p. 156. n. 72.

Roſeffi (P. Gregorii) obitus & elogium. lib. 8. p. 421. n. 25.

Roterodami augetur numerus Catholicorum. lib. 2. p. 98. n. 51.

Rothomagi baptiſmo conſignatur adoleſcens Canadenſis cum cæremonia inſigni. lib. 10. p. 626. n. 220.

Rozus (P. Franciſcus) Thomæorum antiſtes renunciatus, ſedem archiepiſcopalem ab Angamala transfert Cranganorem. lib. 1. p. 60. n. 165. Fundat collegium Cranganorenſe. n. 166. In controverſia Madurenſi ſententiam dicit pro P. Nobilio. lib. 3. p. 169. n. 126. Adjutorem in Epiſcopatu poſcit, datum ægrius admittit, & quare. lib. 5. p. 266. n. 145. Ejus mors & elogium. lib. 9. p. 534. n. 207. Moriens Proepiſcopum nominat Archidiaconum ſibi inimiciſſimum. n. 208.

Roxæ in Tucumania domicilium offertur Societati, ſed non admittitur. lib. 6. p. 335. n. 203.

Rubinus (P. Antonius) obſequio demeretur Epiſcopum Coccinenſem Societati adverſum. lib. 5. p. 260. n. 122. Inſigne edit exemplum manſuetudinis. lib. 7. p. 392. n. 172.

Ruffiniæ familiæ beneficentia erga collegium Regienſe. lib. 2. p. 89. n. 15.

Ruizius (Joannes) collegium Societatis condit Alcaratii. lib. 4. p. 203. n. 105.

Rumer (P. Gregorius) privilegia Academiæ Olomucenſis tueri ſtudet. lib. 2. p. 95. n. 35.

Ruthenenſis diœceſis per ſacram miſſionem excolitur cum ingenti fructu, lib. 2. p. 105. n. 81.

S

SAccæ navatur ægrotis opera tempore peſtilentiæ. lib. 9. p. 485. n. 39. Et domus infectæ expurgantur. n. 40.

Sacchini (P. Franciſci) mors & elogium. lib. 10. p. 558. n. 1.

Sailii (P. Thomæ) mors & elogium. lib. 8. p. 426. n. 44.

Salinæ Æthiopicæ quales ſint, & viatoribus, quam incommodæ. lib. 10. p. 606. n. 156.

Salmanticæ collegium ex integro ædificatur regio ſumptu. lib. 2. p. 107. n. 87. Primus lapis in collegii fundamento poſitus. n. 88. Socii tres in reſtinguendo quodam incendio pereunt. lib. 8. p. 442. n. 90.

Salſettæ inſulæ excoluntur. Duo in iis ſodalitia excitantur. lib. 4. p. 205. n. 122. Salſettanorum pietas erga ven. Euchariſtiam. lib. 6. p. 317. n. 132.

Saltæ in Tucumania collegium inſtituitur. lib. 9. p. 556. n. 284.

Samblaſius (P. Franciſcus) periculum incurrit Pekini. lib. 5. p. p. 273. n. 180.

D. Sammarſalius bene meretur de collegio Tutelenſi. lib. 5. p. 253. n. 90.

Sampo (Petrus) vitam agitat religioſiſſimam in Japonia cum tribus ſodalibus. lib. 6. p. 322. n. 154. Cum iiſdem capitur, & in Societatem recipitur. n. 156. Cum iiſdem ſupplicio afficitur. lib. 7. p. 394. n. 180. Communes eorum litteræ ex carcere ad quemdam de Societate. p. 400. n. 202.

Sanchez (P. Gabrielis) obitus & elogium. lib. 2. p. 134. n. 207.

Sancii (P. Joannis) obitus & elogium. lib. 2. p. 110. n. 102.

Sandæus (P. Joannes) ab hæreticis mactatur. lib. 7. p. 368. n. 79. Cum honore tumulatur. n. 80.

Sandalum apud Madurenſes quid ſit. lib. 3. p. 168. n. 123.

Sandomiriæ noſtri peſtilentia miſere conflictantur. lib. 5. p. 241. n. 42. Seminarium erigitur. lib. 10. p. 576. n. 55.

San-

Digitized by Google

INDEX.

Sandovallius (P. Alphonſus) procurationem Æthiopum primus ſuſcipit Carthagine, lib. 1. p. 80. n. 244. Librum edit aureum de modo illos erudiendi, ibid.

Santanderani collegii Patres fructuoſe laborant in ſacris expeditionibus. lib. 1. p. 48. n. 122. Malus dæmon atteſtari cogitur de meritis SS. Ignatii, & Franciſci Xaverii. lib. 7. p. 382. n. 135.

De Santareno (P. Ferdinandus) necatur a barbaris in Cinaloa. lib. 1. p. 75. n. 223. Ejus elogium. n. 233.

Santillanus (P. Ludovicus) utile ſodalitium inſtituit in urbe S. Fidei. lib. 1. p. 80. n. 241.

Sapieha (Leo) Breſtenſe collegium perficit. lib. 6. p. 294. n. 45.

Sardiniæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 53. a n. 137. ad 139.
Anno 1622. lib. 7. p. 384. a n. 140. ad 142.
Anno 1623. lib. 8. p. 444 a n. 96. ad 98.
Anno 1624. lib. 9. p. 519. n. 156.
Anno 1625. lib. 10. p. 599. a n. 135. ad 137.

Saſſari evocantur aſſidue noſtri, ut aſſiſtant morientibus. lib. 1. p. 53. n. 137. Nonnihil diſſenſionis oritur inter Rectorem Seminarii, & Archiepiſcopum Oriſtani. lib. 7. p. 382. n. 136.

Savonæ collegium conditur. lib. 6. p. 286. n. 21. Stipendii genus pro magiſtris exigitur. Id Mutius vetat. n. 22.

Sawickii (P. Gaſparis) obitus & elogium. lib. 5. p. 241. n. 44.

Scaglia (Fr. Marius) in obſequio tabidorum occumbit Panormi. lib. 9. p. 480. n. 15.

Scalabitanum collegium fundatur. lib. 5. p. 256. num. 101.

Scapius (Alexander) Apoſtolicus Nuncius apud Helvetios reddendum curat Societati corpus P. Caniſii. lib. 10. p. 565. n. 20.

Schallus (P. Adamus) ſpecimen edit ſcientiæ mathematicæ in Sina. lib. 9. p. 535. n. 210.

Schatchius (P. Henricus) mittitur in Daniam. lib. 8. p. 422. n. 26. Divertit in Sveciam, ac nonnullos ad Eccleſiam trahit. n. 27. Capite damnatur. n. 28. Mutatur illi pœna capitis in exilium. n. 30.

Schedulæ ſententiis ex Evangelio decerptis inſcriptæ ad morbos depellendos utiles. lib. 1. p. 61. n. 168.

Scheinerus (P. Chriſtophorus) magnam incurrit invidiam Viennæ ob quamdam calumniam. lib. 9. p. 489. n. 53. Ejus innocentia ad liquidum demonſtratur. n. 54.

Scheleſtadienſes ad pietatis ſtudia traducuntur. lib. 9. p. 495. n. 79.

Scholæ Societatis ab ipſis laudantur hæreticis. lib. 1. p. 38. n. 92. In Hungaria neceſſariæ judicantur ad reſtituendam religionem. lib. 10. p. 569. n. 31.

Schottus (P. Franciſcus) in obſequio infectorum moritur Antuerpiæ. lib. 10. p. 582. n. 78. Ejus elogium. n. 79.

Scondonchi (P. Ægidii) obitus & elogium. lib. 2. p. 101. n. 64.

Scribanus (P. Carolus) Provincialis domum Profeſſorum excitandam curat Antuerpiæ. lib. 1. p. 33. n. 73.

Scutellanus (P. Joannes) laboribus confectus occumbit in ſacra miſſione. lib. 9. p. 491. num. 59.

Sczerbinius (P. Martinus) vitam ponit in infectorum obſequio Varſaviæ. lib. 10. p. 573. num. 43.

Sebaſtiani (P. Joannis) mors & elogium. lib. 7. p. 412. n. 254.

Sebaſtianopoli collegium inchoatur. lib. 9. p. 511. n. 137. Multorum molitiones ad illud evertendum. n. 138. Noſtri coguntur loco cedere, & inclementer exiguntur. n. 139. Denuo collegium inchoatur. n. 140.

Secus (P. Jacobus) Epiſcopi Nicæni titulo decoratur, & Patriarchæ Æthiopiæ ſucceſſor deſignatur. lib. 7. p. 391. n. 166. In Æthiopiam navigans moritur. lib. 10. p. 603. n. 149.

Seguiranus (P. Gaſpar) arbiter conſcientiæ eligitur a Rege Galliæ. lib. 6. p. 305. n. 95.

Selimus Jehanguirus magni Mogoris Rex religioni favet, & Societati. lib. 1. p. 59. n. 160. Iraſcitur Luſitanis, & noſtros ex ſuis domiciliis exturbat. n. 161. Pace cum Luſitanis ſancita, noſtros reſtituit in ſuas ſedes. n. 164. Chriſtianam religionem approbat, ſed nunquam amplectitur. lib. 9. p. 524. n. 170.

Selini (P. Humberti) obitus & elogium. lib. 6. p. 306. n. 98.

Seltan-Seguedus *Æthiopiæ Imperator* qua eſſet indole. lib. 1. p. 56. n. 148. Religioni catholicæ, & Societati eximie favet, quod videre eſt in rebus Æthiopicis ad annos ſingulos. Expoſcit auxilium militum Luſitanorum. lib. 2. p. 118. n. 133. Ejus litteræ ad Mutium. n. 134. Nondum audet palam ſe gerere pro catholico, & quare. lib. 3. p. 162. n. 98. E cœno libidinum emergit ad tempus. lib. 4. p. 206. n. 123. Impetrat a Prætore Suaqueni Mahometano, ut noſtros homines tuto tranſmittat in Æthiopiam. lib. 5. p. 260. n. 118. Ejus edicta contra Monachos contumaces, & pro Fide catholica. lib. 6. p. 319. num. 143. Catholicum profitetur palam, & de ſacra menſa participat. lib. 7. p. 388. n. 160. Patriarcham Latinum etiam atque etiam expoſcit. p. 391. n. 166. Octo Patres recens in Æthiopiam advectos, & Mutii litteras benigniſſime excipit. lib. 9. n. 531. n. 198. Goam ſcribit ad Patriarcham. lib. 10. p. 604. n. 150. Ejus adventum promulgari jubet in caſtris. p. 607. n. 160. Ipſum advenientem excipit ſummo honore. p. 608. n. 165. Loquentem attentiſſime audit, & conventum Imperii indicit ad dicendum ſacramentum Romano Pontifici. n. 166. Prælia multa conſerit, ſemper victor. lib. 2. p. 116.

Digitized by Google

INDEX.

p. 116. n. 128. Et lib. 3. p. 164. n. 104. Et lib. 5. p. 259. n. 115.

Semedus (P. Alvarus) in vincula conjicitur Nankini. lib. 2. p. 128. n. 179. Detinetur in carcere perincommodo licet ægrotus. n. 185. Variis modis vexatur. n. 194. Cum maxima ignominia ejicitur extra Sinam. n. 198. & seq. Redit in Sinam. lib. 5. p. 275. n. 189.

Senensis Archidiæcesis percurritur cum ipsius Antistite, lib. 4. p. 178. n. 2.

Senonense collegium conditur. lib. 8. p. 438. n. 81. Ex integro ædificatur munificentia Regis, n. 82.

Senticæ nostri patrocinium suscipiunt obtrectatoris sui. lib. 1. p. 48. n. 123.

Seriants (P. Jacobus) contagiosis subserviens moritur Mechliniæ. lib. 7. p. 368. n. 84.

Seripandi (P. Claudii) obitus & elogium. lib. 7. p. 352. n. 26.

Siboldus (P. Michael) rem strenue gerit in Palatinatu Norico. lib. 5. p. 236. n. 23. Accusatur apud Provincialem, quod modum excesserit, & defenditur. n. 24.

Siccus (P. Seraphinus) Generalis Magister Ordinis Prædicatorum favet uni ex nostris Rosarii cultum propaganti, lib. 10. pag. 564. num. 17.

Siciliæ res per suos annos distributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 17. a n. 20. ad 24.
Anno 1617. lib. 2. p. 81. a n. 1. ad 4.
Anno 1618. lib. 3. p. 145. a n. 24. ad 29.
Anno 1619. lib. 4. p. 181. a n. 15. ad 23.
Anno 1620. lib. 5. p. 230. a n. 10. ad 18.
Anno 1621. lib. 6. p. 289. a n. 31. ad 37.
Anno 1622. lib. 7. p. 353. a n. 29. ad 31.
Anno 1623. lib. 8. p. 417. a n. 12. ad 16.
Anno 1624. lib. 9. p. 479. a n. 11. ad 43.
Anno 1625. lib. 10. p. 562. n. 11.

Sigismundus III. Poloniæ Rex ferro petitur, ac leviter vulneratur ab homine sceleratissimo, vel potius furioso. lib. 5. p. 243. n. 88. Transferendum curat in Poloniam ab urbe caput B. Stanislai Kostkæ. lib. 6. p. 291. n. 37. Quo honore illud exceperit Varsaviæ, ac deinde colere perrexerit. n. 41. Dotat collegia Orsense, & Smolenskense. p. 295. num. 51.

Silesitæ Societatem proscribunt, licet nullibi inter eos habitantem. lib. 4. p. 187. n. 39.

De Silva (P. Feliciani) cadaver incorruptum invenitur in Sina. lib. 2. p. 132. n. 196.

Silvæ Ducis insigne miraculum S. Ignatii. lib. 8. p. 430. n. 57.

Silveiræ (P. Consalvi) pro fide cæsi corpus ostentis illustratur in Cafraria. lib. 10. p. 609. n. 167.

Simon Bocusajus nobilis Japon Christi doctrinam explicat, eaque causa in crucem agitur. lib. 5. p. 272. n. 176. & seq.

Sinarum Imperator. Vide Vanlieus, & Tienkius.

Sinensis missio in Vice-provinciam erigitur. lib. 4. p. 216. n. 171.

Sinicæ res per suos annos distributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 67. a n. 194. ad 207.
Anno 1617. lib. 2. p. 127. a n. 173. ad 207.
Anno 1618. lib. 3. p. 170. a n. 131. ad 136.
Anno 1619. lib. 4. p. 214. a n. 162. ad 174.
Anno 1620. lib. 5. p. 273. a n. 178. ad 193.
Anno 1622. lib. 7. p. 406. a n. 228. ad 242.
Anno 1623. lib. 8. p. 454. a n. 124. ad 139.
Anno 1624. lib. 9. p. 535. a n. 210. ad 214.
Anno 1625. lib. 10. p. 610. a n. 169. ad 179.

Sirianæ arcis, & missionis excidium in regno Bengalensi. lib. 1. p. 62. n. 175.

Sirinagar quæ regio sit. lib. 9. p. 524. n. 173.

Slavata (Gulielmus Comes) præceps dejicitur ex fenestra in conjuratione Bohemica. lib. 3. p. 149. n. 38.

Smith (P. Nicolai) obitus & elogium. lib. 5. p. 249. n. 75.

Smolenskense collegium dotatur. lib. 6. p. 295. n. 51. Ibi schismaticus proxime ante supplicium ad fidem adducitur. n. 52.

Sobet (Fr. Jacobus) in obsequio infectorum occumbit Posnaniæ. lib. 10. pag. 574. num. 47.

Sobrinus (P. Gaspar) ex Paraquaria venit in Europam ad conquirenda sociorum auxilia. lib. 9. p. 557. n. 289.

Societas Jesu in quo esset statu cum ejus administrationem accepit Mutius, quibusque floreret viris. lib. 1. p. 15. n. 2. Famosis libellis impetitur in Polonia. p. 29. n. 60. Periclitatur in comitiis Gallicanis, sed egregie defenditur a Clero, & Nobilitate. p. 42. n. 100. Gravem incurrit invidiam in Paraquaria apud Hispanos, quia tuetur libertatem Indorum. p. 81. n. 246. Itemque in regno Chileno. n. 249. Et in Brasilia apud Lusitanos ob eandem causam. 252. Proscribitur a magistratibus Frisiæ, & quare. lib. 2. p. 99. n. 55. Exulare cogitur Bohemia. lib. 3. p. 149. n. 40. Ejicitur Moravia. lib. 4. p. 188. n. 39. Proscribitur in Hungaria. p. 191. n. 56. Revocatur in Bohemiam. lib. 5. p. 245. n. 56. Itemque in Moraviam. n. 58. Extruditur ab ora Piscariæ, ac regno Travancoris. p. 261. n. 124. & seq. Priores ibi sedes recuperat. p. 264. n. 141. Revocatur in Vallem Tellinam. lib. 6. p. 285. n. 16. Tentatur frustra, ut revocetur in ditionem Venetam. p. 287. n. 24. Redit in Hungariam. p. 297. n. 60. Summa laborat inopia in Paraquaria. p. 340. n. 222. Multis in locis contagiosorum obsequio se devovet. Vide Pestilentia. Ubique pro Dei gloria, & animarum salute viriliter certat, ut ex tota serie annalium colligitur.

Sommalii (P. Henrici) mors & elogium. lib. 4. p. 197. n. 85.

Sosa (P. Antonius) occulte penetrat in Japoniam. lib. 6. p. 326. n. 167.

Sosa (Gaspar) Brasiliæ Prætor Societatem a calumniis vindicat. lib. 1. p. 83. num. 254.

Ma-

Digitized by Google

INDEX.

Maranionem ſubjicit Luſitanorum imperio. n. 257. & ſeq.

Sotelus (P. Ludovicus) Franciſcanus igne lento comburitur in Japonia. lib. 9. p. 541. n. 235. Ei falſo adſcribitur quædam epiſtola in Societatem contumelioſa. p. 542. n. 239.

Souſæ (P. Simonis) obitus & elogium. lib. 8. p. 446. n. 99.

Speremaker (Fr. Franciſcus) vitam ponit in obſequio infectorum Antuerpiæ. lib. 7. pag. 369. n. 87.

Spinellus (Marcellus) recipitur in Societatem parente invito. Gravis inde oritur perturbatio Neapoli. lib. 2. p. 87. n. 10. & ſeq.

Spinula (Ambroſius), armorum præfectus in Belgio, ope S. Franciſci Xaverii Antuerpiam ſervat. lib. 7. p. 369. n. 88.

Spinula (P. Carolus) comprehenditur in Japonia. lib. 3. p. 172. n. 142. Trahitur ad Gubernatorem Nangaſachienſem, & libera voce rationem reddit inſtituti ſui. n. 143. Mittitur in carcerem Omuranum. n. 144. Lento igne comburitur cum aliis octo de Societate. lib. 7. p. 394. n. 180. & ſeqq. Ejus elogium. p. 397. n. 181.

Spirau (Fr. Joannes) in officio charitatis moritur contagioſis inſerviens Vilnæ. lib. 10. p. 573. n. 43.

Spirenſis civitas ab imminenti peſtilentia eximitur piis ſupplicationibus. lib. 10. p. 582. n. 77.

Spoletinum collegium conditur. lib. 6. p. 284. n. 12.

Stadiera (P. Franciſcus) Societatem deſerere cogitans, ab eo conſilio divinitus removetur. lib. 2. p. 90. n. 17.

B. Stanislai Koſtkæ ſacrum caput Roma defertur in Poloniam. lib. 6. p. 291. n. 37. In ejus adventu Polonia a Turcarum exercitu liberatur. n. 38. Transfertur Varſaviam, ac debito honore colitur. n. 41.

B. Stanislai miracula quædam Leopoli, ac Jaroslaviæ. lib. 4. p. 195. n. 75. Poſnaniæ. lib. 6. p. 292. n. 43. Varſaviæ. p. 293. n. 44.

Stannæi (P. Thomæ) obitus & elogium. lib. 2. p. 101. n. 65.

Stephani (P. Thomæ) obitus & elogium. lib. 4. p. 205. n. 117.

Stephenſoni (P. Thomæ) obitus & elogium. lib. 9. p. 502. n. 104.

Stephonii (P. Bernardini) obitus & elogium. lib. 5. p. 226. n. 1.

Stocholmiæ obtruncantur duo viri nobiles a noſtro Sacerdote ad Eccleſiam adducti. lib. 8. p. 422. n. 27.

Strata montana per curiale miniſterium excolitur: anno uno multi heterodoxi cum Eccleſia conciliantur. lib. 10. p. 577. n. 59.

Suaqueni Gubernator Mahometanus noſtros homines in Æthiopiam tranſmittentes benigne adjuvat. lib. 5. p. 260. n. 118.

Suarez (P. Franciſci) Doctoris Eximii, mors & elogium. lib. 2. p. 113. n. 116.

Suarez (P. Joannes) accipit ab ignoto homine celebres Euchariſtici panis formulas Complutenſes. lib. 4. p. 202. n. 103. Ejus mors & elogium. lib. 10. p. 595. n. 123.

Sveciæ Rex. Vide Guſtavus.

Svecica miſſio P. Henrici Scatchii. Vide Schatchius.

Suguitius (Chriſtophorus) Heildelbergenſis gymnaſii rector ad fidem catholicam adducitur. lib. 10. p. 578. n. 62.

Sundiva inſula occupatur a nobili Luſitano, mox relinquitur barbaris. Religio in ea reflorescens concidit. lib. 1. p. 63. n. 176.

Surdiſius Cardinalis diſſenſionem quamdam componit inter nos, & Epiſcopum Engoliſmenſem. lib. 7. p. 376. n. 111. Ædem noſtram Burdigalenſem ſolemni ritu dedicat. lib. 9. p. 510. n. 130.

Surunga, tormentum apud Japones uſitatum, cujuſmodi ſit. lib. 1. p. 66. n. 192.

Sutoris (P. Joannis) obitus & elogium. lib. 5. p. 237. n. 28.

Syzkowskius (Martinus) Epiſcopus Plocenſis fundat collegium Societatis Ploci. lib. 1. p. 32. n. 72.

T

TAclſmans (P. David) in ægrotantium obſequio vitam claudit Antuerpiæ. lib. 7. p. 369. n. 87.

Tagliavia (P. Hieronymus) offendit apud Siciliæ Proregem, & quare. lib. 1. p. 17. n. 20. Amovetur Panormo, & ad regendum collegium Romanum transfertur. n. 21.

Tajobenſes in Paraquaria implacabili odio inſectantur Hiſpanos, & quare. lib. 9. p. 553. n. 275. Procurrunt ad eos noſtri, & crudeliter excipiuntur. p. 554. n. 277.

Tamujæ, Braſiliæ natio, cum Luſitanis conciliantur, & in oppidum contrahuntur. lib. 4. p. 224. n. 207.

Tanaæ in ſumma calamitate noſtri opem ferunt Civitati. lib. 3. p. 162. n. 97.

Tanariæ familiæ beneficentia erga noſtrum templum Bononienſe. lib. 10. p. 561. n. 8.

Tarentini collegii ortus. lib. 5. p. 229. n. 8.

Tarracone piſcatorum inſtitutioni conſulitur. lib. 1. p. p. 49. n. 125.

Tartari penetrant in Sinam, & aliquot urbes occupant. lib. 4. p. 214. n. 162. Commiſſo prælio fugant Sinarum exercitum, n. 166.

Tavarius (P. Alvarus) Goanus Provincialis miſſionem Thibetanam diſſolvit. lib. 9. p. 528. n. 185. Ob eam rem acriter objurgatur a Mutio. n. 186.

Taurinenſium Patrum labores in caſtris. lib. 2. p. 90. n. 19.

Taxilli (Simonis) ſcholaſtici obitus & elogium. lib. 8. p. 431. n. 60.

Te-

Digitized by Google

INDEX.

Tepeguani. Vide Cinaloa.
Tergeſtinum collegium fundatur. lib. 6. p. 300. num. 71.
Theati refloreſcit magnæ utilitatis ſodalitium. lib. 8. p. 417. n. 9.
Thelen (P. Godefridus) ab hæreticis interficitur. lib. 5. p. 239. n. 36. Quid factum ſit ejus corpori. ibid.
Thermitanum collegium erigitur. lib. 5. p. 230. n. 10.
Thibetum quæ regio ſit. lib. 9. p. 524. n. 171. Illuc aliqui ex noſtris pervadunt difficillimo itinere. n. 172. & ſeq. Excipiuntur honorifice in urbe regni primaria. p. 526. n. 177. Regem nanciſcuntur religioni propitium. n. 178. Alii ſubmittuntur in Thibetum Patres. p. 527. n. 180. Lamæ contra Regem conſpirant. n. 181. Qui regno ſpoliatur a Rege Ladacenſi. n. 182. Hinc ſequitur Eccleſiæ naſcentis excidium. n. 183. Iterum ac tertio tentatur miſſio Thibetana, ſed nullo ſucceſſu. p. 528. n. 184. & ſeq.
Thibetum aliud a noſtris pariter deſertum. lib. 9. p. 529. n. 189.
De Thier (Fr. Petrus) in obſequio contagioſorum occumbit Namurci. lib. 2. p. 101. n. 63.
Thomæ Mandarini Sinenſis converſio memorabilis. lib. 8. p. 457. n. 135. Ejuſdem mirus ardor in profitenda religione. n. 136.
Thomæ Suquezayemonis illuſtre martyrium in Japonia. lib. 10. p. 618. n. 194.
Thomæi qui nam ſint. lib. 1. p. 60. n. 165.
Thomas Cotenda ſanguinem pro Chriſto fundit in Japonia. lib. 4. p. p. 209. n. 137.
Tienkius Sinarum Imperator ſalutatur. lib. 5. p. 273. n. 179. Spes de ipſo conceptæ. p. 275. n. 188. Privatos quoſcunque cœtus vetat: inde apud noſtros ſolitudo. lib. 8. p. 455. n. 129.
Tigris infeſta prohibet Europæos ne Indos abducant in ſervitutem. lib. 6. p. 337. n. 208. Alia cogit Indos intra oppidum ſe includere. lib. 9. p. 550. n. 265.
Tillius (Joannes) exercitum Proteſtantium profligat ad Hoeſtum. lib. 7. p. 365. n. 66. Iterum ad Necarum. p. 366. n. 70. Societatem inducit Heildelbergam. p. 367. n. 75. Inſignem victoriam refert in Weſtphalia. lib. 9. p. 492. n. 66.
Toletanæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 50. a n. 127. ad 130.
Anno 1617. lib. 2. p. 111. a n. 106. ad 113.
Anno 1619. lib. 4. p. 202. a. n. 103. ad 118.
Anno 1620. lib. 5. p. 252. a n. 88. ap 90.
Anno 1621. lib. 6. p. 306. a n. 99. ad 103.
Anno 1622. lib. 7. p. 380. a n. 128. ad 131.
Anno 1623. lib. 8. p. 441. n. 88.
Anno 1624. lib. 9. p. 516. a n. 149. ad 152.
Anno 1625. lib. 10. p. 595. n. 120.
Toleti domus Profeſſorum amplificatur. lib. 2. p. 111. n. 209.
Toletus (Petrus) collegium inchoat Villæfranchæ in regno Legionenſi. lib. 7. p. 383. n. 137.
Tolgſdorffi (P. Ertmanni) mors & elogium. lib. 5. p. 242. n. 45.
Toloſæ domus Profeſſorum conſtituitur. lib. 6. p. 304. n. 90. Primus templi lapis ponitur ab ipſo Rege. n. 92. Periclitanti puellarum pudicitiæ conſulitur. lib. 9. p. 508. n. 123. Noſtri in gravi periculo mira providentia ſervantur. lib. 10. p. 587. n. 94.
Toloſanæ provinciæ res per ſuos annos diſtributæ.
Anno 1616. lib. 1. p. 44. a n. 107. ad 112.
Anno 1617. lib. 2. p. 105. a n. 79. ad 83.
Anno 1618. lib. 3. p. 158. n. 81.
Anno 1621. lib. 6. p. 304. a n. 89. ad 97.
Anno 1622. lib. 7. p. 374. a n. 105. ad 107.
Anno 1623. lib. 8. p. 437. n. 79.
Anno 1624. lib. 9. p. 507. a n. 120. ad 130.
Anno 1625. lib. 10. p. 586. a n. 90. ad 97.
De Tonhauſen (Balthaſar Baro), & uxor Urſula, fundant communi ſumptu collegium Judemburgenſe. lib. 7. p. 358. n. 40.
Tormenta bellica Macao deferuntur in Sinam. lib. 7. p. 406. n. 229. In eorum experimento unum diſrumpitur, & plures ex circumſtantibus necat. Res in omen ſiniſtrum vertitur. lib. 8. p. 454. n. 124.
Tornaci peſtilentia graſſante præclara oritur contentio inter PP. Auguſtinianos, & noſtros. lib. 10. p. 584. n. 87.
Torres (P. Franciſci) mors & elogium. lib. 10. p. 562. n. 11.
Torres (P. Joannis) mors & elogium. lib. 10. p. 620. n. 198.
Toruni ægrotis navatur opera tempore peſtilentiæ. lib. 10. p. 574. n. 47.
De Tovar (P. Ferdinandus) crudeliter necatur in Cinaloa. lib. 1. p. 74. n. 217. Ejus elogium. n. 228.
Trajecti ad Moſam charitas ægrotis impenditur peſtilentia ſæviente. lib. 8. p. 429. n. 54. Puer graviter ægrotans perſanatur ope Sancti Ignatii. p. 430. n. 56.
Tranſilvanica miſſio inſtauratur. lib. 9. p. 488. num. 50.
Travancoris regno noſtri coguntur excedere. lib. 5. p. 263. n. 130. Reducuntur in ſuas ſedes juſſu Regis Catholici. p. 264. n. 140.
Traunkirchenſis reſidentia inſtituitur. lib. 7. p. 359. n. 47. Ex oppidanis multi ad Eccleſiam adducuntur. lib. 9. p. 488. n. 48.
Tremeſnenſis (P. Joannes) in obſequio tabidorum occumbit Poſnaniæ. lib. 10. p. 574. n. 47.
Tridenti collegium inchoatur. Difficultates in hoc opere ſuperatæ. lib. 10. p. 567. n. 25. & ſeq.
Trigautius (P. Nicolaus) redit in Sinam, & Sinenſem Eccleſiam recreat nonnullis privilegiis Romæ impetratis. lib. 4. p. 216. n. 167.

Digitized by Google

INDEX.

167. Stationem figit in provincia Xenſienſi. lib. 10. p. 611. n. 170.

Tucumania. Vide Paraquariæ res.

Tucutienſes, natio Paraquariæ, in oppidum deducuntur. lib. 9. p. 555. n. 279.

Tungſæ in novo regno domus probationis conſtituitur. lib. 1. p. 79. n. 239.

Turnonenſe collegium ex provincia Lugdunenſi tranſcribitur in Toloſanam. lib. 5. p. 252. n. 8. Turnonii ſodalitas puerorum conflatur. Primi ejus fructus. lib. 9. p. 508. n. 124.

Turocienſis præpoſitura oneratur penſione pro collegio Tyrnavienſi. lib. 1. p. 27. n. 53.

Tuſculi in mores inducitur novum inſtitutum Communionis generalis. lib. 1. p. 17. n. 19.

Tutelenſe collegium fundatur. lib. 5. p. 253. n. 90. Ejus acta ad publicam utilitatem. lib. 10. p. 591. n. 108.

Tutucurinum, oræ Piſcariæ oppidum primarium, deſeritur ab oppidanis in inſulam regum demigrantibus. lib. 5. p. 261. n. 125. Iterum frequentatur. p. 263. n. 132. Noſtri oppido extruduntur. lib. 8. p. 451. n. 111. Reſtituuntur in ſuam ſedem providentia admirabili. n. 112.

Typographi quidam Sinenſes in carcerem conjiciuntur ob impreſſam Societatis apologiam. lib. 2. p. 129. n. 181.

Tyrnaviæ collegium conditur, & apto cenſu dotatur. lib. 1. p. 27. n. 53. In Hungarica rebellione a noſtris hominibus deſeritur. lib. 4. p. 191. n. 55. Hæretici noſtro templo potiuntur, unus miſerando eventu moritur. n. 57. Recuperatur collegium. lib. 6. p. 297. n. 60. Iterum amittitur. p. 298. n. 63. Tertio recipitur. lib. 7. p. 357. n. 36. In periculum adducitur. n. 37. Scholæ Tyrnavienſes ab ipſis laudantur hæreticis. lib. 10. p. 569. n. 31.

Tzugara, Japoniæ angulus, inviſitur a noſtro Sacerdote. lib. 2. p. 123. n. 156. Quam pie viverent chriſtiani illuc relegati. num. 157. Ex iis quinque pro Chriſto vivi cremantur. n. 158. Ad eoſdem peregrinatur alter ex noſtris. lib. 5. p. 271. n. 171.

Tzugi (P. Thomas) occulte penetrat in Japoniam. lib. 6. p. 326. n. 167.

V

VAel (Levinus) ſcholaſticus pie moritur in ægrorum miniſterio Trajecti ad Moſam. lib. 8. p. 429. n. 54.

Vagnonus (P. Alphonſus) Chriſti gregem egregie paſcit Nankini. lib. 1. p. 68. n. 198. Dum rem gerit fidentius, graviſſimam excitat tempeſtatem. lib. 2. p. 127. num. 173. Contruditur in carcerem cum P. Alvaro Semedo, multis modis vexatur, ac demum caveæ aviariæ incluſus deportatur Quamceum, unde Macaum navigat a n. 178. ad 201. Redit in Sinam, & ſedem figit in provincia Xanſienſi. lib. 10. p. 610. n. 169.

Valcii Societatis familia collocatur. lib. 4. p. 195. n. 73.

Valditari (Bartholomæi) tironis mors, & elogium. lib. 3. p. 146. n. 28.

Valdivia (P. Ludovicus) in Chilo calumniis proſcinditur, quia tuetur libertatem Indorum. lib. 1. p. 81. n. 248. Redire cogitur in Hiſpaniam. n. 250. Ejus præclara merita in Societatem & Regem. n. 251.

Valencenis per ſacras B. P. Ignatii commentationes excoluntur Monachi. lib. 1. p. 35. n. 81. Lue ſæviente, noſtri ægrotum procurationem ſuſcipiunt. Singularis ardor cujuſdam ſenis. lib. 10. p. 585. n. 88.

Valentiæ vinctorum ærumnæ ſublevantur. lib. 1. p. 49. n. 125. Conflatur ſodalitium utile ex ſacerdotibus. lib. 2. p. 110. n. 104. Fit quoddam ab Academia decretum contra ſcholas Societatis. lib. 10. p. 593. n. 114. Componitur grave diſſidium inter ſcholaſticos. n. 115.

A Valle (P. Joannes) necatur a barbaris in Cinaloa. lib. 1. p. 75. n. 221. Ejus elogium. n. 230.

Valliſoleti turbæ oriuntur in ſeminario Anglorum. lib. 2. p. 107. n. 89. Regis auctoritate componuntur. n. 91.

Valſteinius (Albertus Comes) collegium condit Gitzini. lib. 7. p. 358. n. 42.

Valtellinenſes Griſonum jugum excutiunt. lib. 6. p. 285. n. 15. Et Societatem ante novem annos pulſam ad ſe revocant. n. 17. Irrumpunt in Vallem *Tellinam Galli & Griſones*. lib. 9. p. 477. n. 6. Eandem noſtri percurrunt cum magno fructu animarum. p. 479. num. 9.

Valterus (P. Simon) in obſequio contagioſorum vitam claudit Gedani. lib. 10. p. 574. num. 47.

Vanderbeke (P. Guillelmus) operam navans ægrotis moritur Antuerpiæ. lib. 10. p. 583. num. 80.

Vanderboel (Fr. Bernardus) moritur Antuerpiæ afflatus peſte in ægrorum miniſterio contracta. lib. 10. p. 583. n. 80.

Vanderbos (Fr. Franciſcus) vitam ponit in obſequio contagioſorum Antuerpiæ lib. 7. p. 369. n. 87.

Vanderburchius (Franciſcus) Archiepiſcopus Cameracenſis bene meretur de collegio Malbodienſi. lib. 1. p. 35. n. 80. Hallæ Societatem collocat. lib. 8. p. 428. n. 50. Athenſem reſidentiam inſtituit, alitque de ſuo. p. 431. n. 61.

Vanderlaenen (P. Georgius) ægrotis aſſiſtens Antuerpiæ, contagione abſumitur. lib. 7. p. 369. n. 87.

Vanderzipen (P. Jacobus) fructuoſe deſudat inter barbaros Mexicanos. lib. 4. p. 218. n. 176.

Digitized by Google

INDEX.

Vanlieus Sinarum Imperator desidiæ coarguitur ab uno Mandarinorum. lib. 4. p. 215. n. 164. Exercitum educit contra Tartaros. n. 165. Fugatur. n. 166. Auxilium hominum & tormentorum postulat a Lusitanis. lib. 7. p. 406. n. 229. Moritur. Præclari ejus sensus in morbo extremo. lib. 5. p. 273. n. 178.

Vantadorius (Henricus Dux) instaurandam curat missionem Canadensem. lib. 10. p. 625. n. 217.

Varadini monumentum religionis casu reperitur. lib. 9. p. 489. n. 52.

Varsaviæ flagitium mulieris mirabili modo detegitur. lib. 4. p. 196. n. 82. Ejus pietas in subeundo supplicio. n. 83. Rex vulneratur ab impio parricida. lib. 5. p. 243. n. 48. Quem nostri ad supplicium pie excipiendum præparant. n. 49. Collocatur in sacello regali sacrum caput B. Stanislai. lib. 6. p. 292 n. 41. Grassante peste plures ex nostris in officio charitatis decedunt. lib. 10. p. 573. n. 43.

Vartembergius (Franciscus Guillelmus) eligitur Episcopus Osnabrugensis, & collegium ejus urbis tuetur, lib. 10. p. 580. n. 68.

Vasæus (P. Joannes) artem musicam invehit in Paraquariam, lib. 6. p. 338. n. 216. Lue contactis assistens moritur, Ejus elogium. lib. 9. p. 551. n. 270.

Vasatensis Diœcesis lustratur ab Episcopo cum nostrorum pari. lib. 2. p. 106. n. 84.

Vasconcellii (P. Antonii) obitus & elogium. lib. 7. p. 386. n. 148.

Vasquez (P. Michaelis) obitus & elogium. lib. 9. p. 518. n. 153.

Vatenensis tirocinii ortus usque ad perfectum ipsius statum. lib. 9. p. 500. n. 95.

Ucetiense domicilium nobis adimitur ab hæreticis. lib. 6. p. 363. n. 87.

Vectæ in Embslandia perdiu nostri laborant nullo fructu. lib. 1. p. 37. n. 88. Flectitur paulatim contumacia civium, donec omnes fiunt Catholici. lib. 9. p. 493. n. 67.

S. Vedasti Monachi collegium Atrebatense perficiunt. lib. 2. p. 100. n. 69.

Veilchius Calvinianorum minister cum nostro sacerdote congreditur, ac superatur. lib. 1. p. 46. n. 119.

Velaminius (Josephus) Ruthenorum Metropolita nostrorum opera utitur ad instaurandam Monachorum disciplinam. lib. 1. p. 31. n. 66.

Velavia sacris ministeriis excolitur. lib. 2. p. 99. n. 54.

Vendæ in Livonia collocatur statio Societatis. lib. 1. p. 32. num. 69. Ibi juvenis flagitiosus mortem obit miserrimam. lib. 4. p. 196. n. 81. Vendense domicilium amittitur bello Svecico. lib. 6. p. 295. n. 50.

Venetæ provinciæ res per suos annos distributæ.

Anno 1616. lib. 1. p. 19. a n. 24. ad 32.
Anno 1617. lib. 2. p. 89. a n. 15. ad 19.
Anno 1618. lib. 3. p. 140. a n. 4. ad 11.
Anno 1620. lib. 5. p. 233. n. 18.
Anno 1621. lib. 6. p. 287. a n. 24. ad 31.
Anno 1622. lib. 7. p. 355. a n. 32. ad 36.
Anno 1625. lib. 10. p. 560. a n. 4. ad 11.

Venetus Senatus rogatur frustra, ut Societatem revocet ab exilio. lib. 6. p. 288. n. 26.

Ventzeri (P. Gerardi) obitus & elogium. lib. 9. p. 495. n. 80.

Veracrucense domicilium in Mexico incendio absumitur. lib. 3. p. 175. n. 157.

Verbiestus (P. Ferdinandus) laudatur ab Innocentio XI. quod naturalium disciplinarum scientia uteretur ad conciliandos sibi Sinensium animos. lib. 5. p. 275. n. 186.

Vercellinus (Jo. Baptista) Episcopus Augustæ Prætoriæ collocare Societatem conatur in ea urbe, sed conatu irrito. lib. 10. p. 588. num. 99.

Verduccius (Fr. Antonius) in obsequio contagiosorum occumbit Saccæ. lib. 9. p. 485. num. 39.

Verdugus (Guillelmus) Societatem inducit Neostadium. lib. 10. p. 577. n. 57.

Verlein (Fr. Thomas) in obsequio tabidorum vitam ponit Antuerpiæ. lib. 10. p. 583. n. 80.

Vermius (P. Honuphrius) aliena molitur a Societate. lib. 8. p. 418. n. 12. Insolescit ob favorem principum. n. 13. Episcopatum quærit, ac dimittitur a Societate. n. 14. Reliqua ejus vita infelix. n. 15.

Vernianus (P. Gerardus) sæviente Duaci lue populum in officio continet, ac peste afflatus moritur. lib. 3. p. 153. n. 58.

Vesaliæ nihil proficitur inter cives, multum inter milites. lib. 1. p. 33. n. 76.

Vianæ (P. Joannis) mors & elogium. lib. 9. p. 556. n. 287.

Vibonense collegium fundatur. lib. 5. p. 229. num. 7.

Vicecomes (Fabricius) collegium Tarentinum a patruo suo inchoatum perficit. lib. 5. p. 229. n. 8.

Vicense collegium extruitur. lib. 7. p. 383. n. 138.

Vicus (P. Antonius) fructuose laborat in regno Madurensi. lib. 8. p. 453. n. 121.

Viega (P. Emmanuel) turbas movet in Societate. lib. 5. p. 255. n. 97. Resipiscit, & nihilominus dimittitur. n. 100.

Viennæ admittuntur religiosi S. Joannis de Deo, adnitentibus præsertim nostris. lib. 1. p. 27. n. 51. Academia contra nostrum collegium commovetur, & quare. lib. 7. p. 360. n. 49. Collegium cum Academia conjungitur. n. 50. & seq. Tribuitur Societati schola provincialis. p. 361. n. 54. Erigitur collegium Pazmanianum. lib. 8. p. 419. n. 16. Domus Professorum constituitur. lib. 10. p. 568. n. 27. Hæretici plures ad Ecclesiam revocantur. p. 569. n. 28. & seq.

Viennæ in Gallia nostri laborant utiliter. lib. 7. p. 371. n. 96.

Digitized by Google

INDEX.

Viera (P. Franciſcus) ex Japonia evadit Macaum difficillima navigatione, ac moritur, lib. 3. p. 173. n. 148.

Vigliegas (P. Bernardinus) excurrit in Extremaduram, & gentem inimiciſſimam ſibi ac Societati conciliat. lib. 10. p. 596. n. 125.

Villæ Franchæ collegium inchoatur in regno Legionenſi. lib. 7. p. 383. n. 137.

Villaregienſis Senatus jurejurando ſe obſtringit ad defendendam conceptionem immaculatam Deiparæ. lib. 2. p. 112. n. 110.

Villaricæ in Guairana per inſignem perfidiam decipiuntur aliqui Indorum. lib. 9. p. 553. n. 275. Collegium Societatis inchoatur. p. 556. n. 285.

Vilnæ gravis oritur rixa inter noſtros ſcholaſticos & lutheranos. lib. 4. p. 196. n. 79. Graſſatur lues, nonnulli ex noſtris in officio charitatis decedunt. lib. 10. p. 573. n. 43. Patres diœceſim peragrant, & reliquias quaſdam ſuperſtitionis exſcindunt. n. 44. Sodalitium novi generis inſtituitur. n. 45.

Vilſius (Jacobus) bene meretur de collegio Aloſtano. lib. 10. p. 584. n. 83.

De Vinghe (Antonius) Abbas monaſterii Lætienſis bene meretur de collegio Malbodienſi. lib. 1. p. 35. n. 80. Itemque de Hallenſi. lib. 8. p. 429. n. 51.

Vinnicenſis ſtationis utilitas in Ukrania. lib. 2. p. 97. n. 44.

Viridianus (Fulvius) fundat collegium Amantheanum, ac bene meretur de Aquilano. lib. 4. p. 181. n. 14.

Viringus (P. Joannes) in officio charitatis occumbit cum tribus ſociis. lib. 7. p. 368. n. 84.

Viſcherus (P. Juſtus) rem catholicam adminiſtrans Altenæ, per ſeditionem extruditur. lib. 8. p. 424. n. 35.

Viſocki (P. Simonis) obitus & elogium. lib. 7. p. 363. n. 59.

Viſveillerus (Arnoldus) domum atque operam ſuam addicit noſtris Miſſionariis in Dania. lib. 8. p. 423. n. 33. Conjicitur in carcerem. p. 424. n. 36. Suſpendio necatur n. 38.

Viterbienſe collegium fundatur. lib. 7. p. 348. num. 14.

Vitonianæ Congregationis reformatæ hiſtoria in multis, quæ ad nos pertinent, emendanda. lib. 9. p. 504. n. 110. & ſeq.

Vittembergenſes Lutherani litteras encyclicas ſcribunt de ſuo anno ſæculari. lib. 2. p. 96. num. 42.

Vivarienſis miſſio inſtituitur. lib. 2. p. 103. num. 72.

Ukrania cum ſacro miniſterio peragratur. lib. 1. p. 30. n. 64. Polonicæ Societatis India merito appellata. lib. 2. p. 97. n. 44.

Ultrajectum perquam utiliter excolitur. lib. 2. p. 98. n. 53.

Ulyſſipone conditur domus probationis. lib. 4. p. 204. n. 110. Drama ſplendidiſſimum datur Philippo Regi. n. 114. Commiſſarius Bullæ Cruciatæ nonnihil moleſtiæ noſtris exhibet. lib. 7. p. 384. n. 142. Patres multa gerunt utiliter. lib. 8. p. 447. n. 100. Milites claſſiarii expiantur. lib. 9. p. 521. n. 160. Adoleſcens a ſervitute dæmonis vindicatur. p. 522. n. 162. Turbæ oriuntur in ſeminario Hibernorum, & componuntur. p. 523. num. 165. Incorruptum invenitur corpus Franciſci Fregiani ante annos ſexdecim mortui. lib. 10. p. 599. n. 137. Ejus aſpectu negotiator Anglus ad Catholicos tranſit. n. 138. Archiepiſcopus moriens benevolum Societati ſe præbet, p. 600. n. 139.

Unverdorben (P. Ludovicus) peſtem in ægrorum miniſterio contrahit Monaſterii, ac divinitus perſanatur. lib. 10. p. 582. n. 76.

Vogadus (P. Hieronymus) collegium inchoat in urbe primaria Congi. lib. 8. p. 447. num. 102. Regem Congenſem Luſitanis arma inferentem mitigat. n. 103.

Vogleri (P. Jo. Georgii) obitus & elogium. lib. 10. p. 581. n. 74.

Volfangus Dux Neoburgicus, ſuſcepta catholica religione, Societatem collocat Neoburgi. lib. 1. p. 26. num. 44. Gymnaſium civitatis Societati tradit. lib. 2. p. 91. n. 24. Paſtores Luteranos ejicit, iiſque noſtros ſubſtituit. n. 25. Magnificum templum attribuit Societati. lib. 3. p. 148. n. 34. Noſtros operarios immittit in Noricum ſibi ſubjectum, & faceſſere hæreticos jubet. lib. 5. p. 236. n. 23. Fundat collegium Duſſeldorpii. p. 239. n. 34. Defectionem P. Rheingii graviter dolet, nec tamen vacillat in Catholica religione. lib. 6. p. 301. n. 75.

Volhinia ſacris miſſionibus excolitur. lib. 1. p. 30. n. 64.

Volverenus (P. Andreas) in obſequio tabidorum occumbit Varſaviæ. lib. 10. p. 573. n. 43.

Volukius (Paulus) Epiſcopus Luceorienſis bene meretur de collegio Ravenſi. lib. 4. p. 195. n. 71. Societatis familiam collocat Breſtæ. lib. 6. p. 294. n. 45.

Vormatiæ collegium conditur. lib. 1. p. 35. n. 82. Senatus quiddam decernit iniquius contra Societatem. Noſtrorum conſtantia adverſus illud. lib. 2. p. 102. n. 70.

Vortingtonus (P. Thomas) exulare jubetur Anglia. lib. 3. p. 154. n. 65.

Vouters (P. Livinus) contagioſis opem ferens Antuerpiæ, pie moritur. lib. 10. p. 583. num. 80.

Voxuanus Rex in Japonia. Vide Idates.

Uragovitii (P. Petri) obitus & elogium. lib. 2. p. 96. n. 38.

Urbanus VIII. Societati favet, ex eaque aſſumit confeſſarium. lib. 8. p. 415. n. 3. Accuſationes contra Japonicam Societatem diſſeminatas contemnit. lib. 7. p. 406. n. 227. Reddit nobis ac Laureto ſeminarium Illyricæ juventutis. lib. 10. p. 559. n. 3.

Ur-

Digitized by Google

INDEX.

Urbevetanum collegium conditur, lib. 5. p. 228. n. 5.

Uremani (P. Joannis) obitus & elogium, lib. 5. p. 275. n. 190.

Urgelitani collegii Patres fructuosa missione funguntur. lib. 1. p. 49. n. 125.

Ursini (P. Julii) mors & elogium. lib. 5. p. 227. n. 2.

Ursinus (Alexander) Cardinalis admitti aliquo modo postulat in Societatem. Ejus hac de re litteræ. lib. 6. p. 281. n. 8. Romanæ domui Professorum adscribitur. n. 10.

Ursinus (Georgius) pro fide obtruncatur in Svecia. lib. 8. p. 422. n. 27.

De Ursis (P. Sabbatinus) exulans cogitur Sina, lib. 2. p. 131. num. 190. Quamceum venit, atque inde Macaum. p. 133. n. 202. Ejus obitus & elogium. lib. 5 p. 276. n. 191.

Ursula matrona Cocincinensis quo pacto Christum amplexa sit, lib. 6. p. 328. n. 174.

Urvaicæ amnis, & accolarum brevis notitia. lib. 9. p. 549. n. 251. Missionis Urvaicensis acta. n. 262. & seq.

Ustini (P. Adami) fructuosæ circuitiones per diœcesim Cracovienſem. lib. 10. p. 575. n. 50.

Uta genus exitiale culicis in Peruvia. lib. 9. p. 548. n. 258.

Utreræ collegium inchoatur. lib. 10. p. 598. n. 134.

X

XAnthensis residentiæ initia. lib. 1. p. 36. n. 87.

Xantoniæ Prorex, aliique transitionem faciunt ad partes catholicas. lib. 10. p. 590. n. 104.

S. Xaverii oppidum conditur in Paraquaria. lib. 9. p. 552. n. 274. Oppidanorum pietas. p. 555. n. 281.

Xaverius (P. Hieronymus) rem præclare gerit in missione Mogolica. lib. 1. p. 59. n. 160. Ejus obitus & elogium. lib. 2. p. 116. n. 126.

Ximenius (P. Petrus) Olomucensis collegii rector exilii sententiam fortiter excipit. lib. 4. p. 190. n. 50. Recusat hæreticis tradere claves templi. ibid.

Xinus, Mandarinus in Sina præpotens, atrocissimam contra nostros tempestatem excitat, quam vide lib. 2. p. 127. a n. 175. ad 203. Pœnam impietatis non unam pendit. lib. 3. p. 170. n. 131. Denuo rem christianam disturbat. lib. 7. p. 406. n. 230. Loco movetur, & in ordinem redigitur. n. 237.

Xogunus Japoniæ Imperator cujus esset indolis, quamque infensus Christiano, & Hispano nomini. lib. 1. p. 64. n. 183. Edictum atrox proponit contra Christianos. n. 186. Ex iis quinquaginta duos simul comburi jubet. lib. 4. p. 212. n. 156. Ira exæstuat ob tentatam ab uno religiosorum fugam ex carcere. lib. 7. p. 393. n. 176. Filium regni hæredem declarat, per eamque occasionem viri cremantur Christiani quadraginta septem. lib. 8. p. 460. n. 147. Extrema conatur ad exstirpandam Christi religionem. lib. 9. p. 536. n. 214. Legationem Hispanorum rejicit, iisque Japonia interdicit. p. 547. n. 241. Lusitanos non excludit præcise, sed certas iis leges præscribit. n. 242. Alia atque alia proponit edicta contra Christianos. n. 243. Ejus molestæ suspiciones contra Hispanos. lib. 10. p. 617. n. 191.

Xumpo (Michael) adolescens Japon vitam religiosæ simillimam agit cum tribus sodalibus. lib. 6. p. 322. n. 154. Cum iis rapitur in vincula, & Societati adscribitur. n. 156. Cum iisdem producitur ad supplicium. lib. 7. p. 394. num. 180. Communes eorum litteræ ad quemdam de Societate. p. 400. n. 202.

Y

YEdi, in urbe regia Japoniæ, lento igne cremantur Christiani quadraginta septem. lib. 8. p. 460. n. 147. Necantur alii viginti quatuor. p. 463. n. 157. Deinde alii septendecim. n. 158.

Yphausen (P. Henricus) primus collegio Osnabrugensi rector imponitur. Ejus labores apostolici, & singularis modestia in concionibus. lib. 10. p. 579. n. 67.

Yuqui (P. Didacus) strenue rem gerit in Japonia. lib. 2. p. 123. n. 156.

Z

ZAbala (Joannes) fundat collegium Potosinum. lib. 8. p. 468. n. 181.

Zacatecani collegii primordia in Mexico. lib. 2. p. 138. n. 222.

Zacchias (Ludovicus) Nuncius Pontificius causam agit Societatis in Senatu Veneto, sed nullo effectu. lib. 6. p. 288. n. 24.

Zafarana (P. Josephus) pie moritur in obsequio contagiosorum Panormi. lib. 9. p. 480. n. 217.

Zagrabiense collegium dotatur. lib. 7. p. 360. n. 48.

Zannonii (P. Bernardini) mors & elogium. lib. 4. p. 184. n. 26.

Zapata (Antonius) Cardinalis, & Prorex Neapolitanus, prius adversatur, deinde favet collegio S. Xaverii. lib. 7. p. 549. n. 17.

Zara Moraviæ oppidum ab hæresi purgatur. lib. 2. p. 94. n. 33.

Zebuani collegii Patres opera puerorum utuntur ad exstirpandam jurandi licentiam. lib. 6. p. 332. n. 194. Imaginem B. Virginis fœde violatam vindicant ab injuria. lib. 8. p. 465. n. 168.

Zei-

Digitized by Google

INDEX,

Zeilæ duo Patres in Æthiopiam contendentes interficiuntur. lib. 9. p. 530. n. 194.

Zertkovius (Fr. Joannes) in obsequio tabidorum occumbit Ravæ. lib. 10. p. 574. n. 47.

Zeschlinus (Joannes) in aula Palatina Cancellarius ad Catholicos trahitur. lib. 2. p. 92. n. 25.

Zicavenses in Corsica legem sibi sponte imponunt contra furta. lib. 4. p. 185. n. 28.

Zinneri (P. Philippi) labores apostolici Badæ. lib. 7. p. 366. n. 73.

Znoymæ collegium constituitur. lib. 9. p. 491. n. 63. Cives anno uno ad Ecclesiam revocantur omnes. p. 492. n. 64.

Zolkevichius (Stanislaus) rem catholicam adjuvat in Podolia, & bene meretur de collegio Camenecensi. lib. 1. p. 31. n. 65. Idem Barensis collegii fundationem promovet. lib. 2. p. 96. n. 39.

De Zuilen (Isabella) collegium Nivellense perficit. lib. 5. p. 250. n. 78.

A Zuniça (P. Petrus) Augustinianus, in Japonia comprehensus, de se confitetur magno animo. lib. 7. p. 392. n. 173. Christi causa comburitur, p. 394. n. 178.



ER-

Digitized by Google

ERRATA .	*CORRIGE*.
Præſentatæ Virginis	Viſitationis B. Virginis . p. 22. n. 35.
Namureum	Namurcum . p. 34. n. 78.
Sannis ac ſtabilis	Sannis ac ſibilis . p. 39. n. 94.
Conſuetudinem	Conſuetudinum . p. 67. n. 194.
Paraquariæ	Paraquarii . p. 81. n. 247.
Vita	Vitæ . p. 82. n. 250. in margine.
Emergit	Emerſit . p. 121. n. 148.
Viribus talibus	Viris talibus . p. 140. n. 6.
Ergatis	Erogatis . p. 175. n. 155.
Ad extortis	Sed extortis . p. 187. n. 36.
Boza	Boxa . p. 294. n. 46.
Et & catholicæ	*delendum unum* Et . p. 302. n. 82.
Et controverſia	Ut controverſia . p. 310. n. 111.
Collegis	Collegii . p. 349. n. 18. in margine.
Non migraſſet	Cum migraſſet . p. 352. n. 25.
Diſſeſſionem	Diſſenſionem . p. 360. n. 49.
Luthorum	Lutherum . p. 488. n. 48.
Quæreret	Quærere . p. 502. n. 103.
Decreatur	Recreatur . p. 525. n. 176. in marg.
Guaranæ	Guairanæ . p. 551. n. 269.
Extruxiſſe	Extruxiſſent . p. 565. n. 20.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google